TRACTATUS
DE VACATIONE BENEFICIORUM
ET
PENSIONUM ECCLESIASTICARUM
Ipso jure, ac ob privationem in casibus à jure expressis.

AUCTORE
ANTONIO MARIA DE NIGRIS
JURISCONSULTO,
ET
IN ROMANA CURIA ADVOCATO,

 OPUS

In duas Partes divisum.



ROMÆ MDCCXLI.

Typis HIERONYMI MAINARDI, in Platea Agonali.
SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

P. O. M.

ANTONIUS MARIA DE NIGRIS

FÆLICITATEM.



IUTURNA mos consuetudine, prope dixerim, sacer jure quodammodo suo sibi vindicat BEATISSIME PATER,

 ut

ut quemadmodum Infantes nuper in lucem suscepti duce indigent, ac tutore, ita illustrium Virorum lucubrationes quamvis pertinaci, improboque studio elaboratæ, ingenioque perfectæ, dum Typis eduntur, insigni, fortissimoque muniantur Patrono, ne errent in ore hominum sine spe benevoli alicujus hospitii, ne decidant è manibus Legentium contumeliis affectæ, ne tandem nocentium malignis dentibus obterantur. Quæ omnia non essent metuenda modo mihi scriptorum omnium minimo, ac infantissimo, si huic consuetudini adversarer, sed fortasse quoque vitio mihi verteretur vel desidiæ, ceu negligerem, quod alii summoperè cupiunt, vel superbiæ, ceu fastidirem, quod alii gloriæ, atque laudi sibi tribuunt impensè.

At istæ prorsus rationes in cujuscumque Patroni, ac Mæcenatis delectu facilè occurrunt. Verùm quod ego ignotus homo, ac nullus omnino ante tuos oculos, SANCTISSIME PATER, Opusculum hoc meum immortali nomini tuo nuncupaverim, causæ multæ,

aliæ

aliæ quidem, una tamen omnium potissima accessit. Summo nimirum Pontifici, Sanctissimo Orbis Parenti, ac Magistro, cui universæ Christianæ Reipublicæ ingenia obedientiæ tributa pendent, & obsequii, ego munus quoque meum, quodcumque est, quod certè minimum, demissa fronte devovi; exile munus, informe, obscurum, imperfectum, quod ingenii quidem paupertatem, at plenissimam simul mentis, animique arguit observantiam; quod sperat ornatum, ac pretium omne se ab humanitate tua incredibili consecuturum; ex quo fiat, ut gratia id tua, ac favore digneris.

Sub istius Urbis initio, unde Tu in populos omnes Christianos jus modo dicis, ac dominaris far cum salis mica Diis suis adolebant ante Romani, quam victis, profligatisque hostibus, atque ultra Euphratem ad remotissimas usque nationes imperio propagato Costum, Thus, Mirrhas, Aurumque exinde asportassent; nec minus perexiguo illo munere sibi Deos conciliare existimabant, quam cum auctis

in

in immensum divitiis Templorum parietes auro, argentoque obducebant, sabearumque arborum lacrymas in ignem gravi dispendio effundebant.

Ante, Deos homini, quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.
Ovid. lib. 1. Fast.

Hujusce religionis ritus, quem Roma ipsa ab exteris, seque antiquioribus Deorum cultoribus didicit, firmius testimonium habemus apud Plinium in prologo de naturæ Historia, *Rustici*, inquit, *lacte, multæque Gentes supplicant Diis suis, & molà tantùm salsà litant, qui non habent Thura, nec ulli fuit vitio Deos colere quoquo modo posset.*

Sed quid ista gratis, & sine causa commemoro? Cujus in terris vices geris, multò præstantissimum, quod imiteris, Tibi proponis Archetypum Dei Filium, qui Pauperculæ denariolum pluris fecit, quam ingentes divitum, superbasque oblationes.

Additur ipsa argumenti conditio, quæ magis, atque magis Tuum, propriumque facit hunc librum *de Vaca-*

tione

tione Beneficiorum, Pensionumque Ecclesiasticarum inscriptum. Est quidem Tuæ sapientiæ, ac dignitati impar omnino. Tu enim in utroque Jure à prima juventute versatissimus, Tu scientiarum omnium cultor acerrimus, Tu eruditorum Princeps, ac Magister nosti longissimè plura, quam à me concipi possent, atque in hoc Opusculo includi. Verum si Te ad Regalis Sacerdotii summam dignitatem evectum beneficiorum administratorem, atque custodem, pensionumque moderatorem intuemur, rem Tuam agi, cum de his disputatur, profectò cognoscimus.

Reliquum est, ut dum Tu omni jure debitum perhumaniter hoc Opus suscepisti, ita sub Tuis etiam Auspiciis Auctor vivat, & lætetur, semper in melius progressurus. Te enim docente, quod mihi deest, supplebitur, quod obscurum est, illuminabitur, errata corrigentur, redundantia delebuntur, imperfecta Tuà sapientià perficientur. Te verò imperante Augusti tempus fælicissimum nostra ætate restitutum iri omnes quidem, maximè verò literati

Viri,

Viri, ſapienteſque confidunt. Inter quos licet enumerari non merear, aliorum tamen fælicitate, niſi meà, libentiſſimè fruar. Precor igitur, obteſtorque divinam, æternamque ſapientiam, ut ad Catholicæ fidei incrementum, ad populorum Tuorum ſalutem, ad Almæ Urbis lætitiam, ac decus, diu, multumque Te ſervet incolumem.

AD BENEVOLUM LECTOREM.



PUS *de Vacatione Beneficiorum, & Pensionum Ecclesiasticarum ipso jure, ac ob privationem in casibus à jure expressis* Lector Benevole tibi legendum, ac studendum propono; si quid in eo juri minus consonum inveneris, antequam judices, ne quæso leviter percurras, laborem diligenter perpende, vires auctoris excusa, voluntatem ejus lauda; scripsit enim, ut publicæ prodesset utilitati, sin minus tibi, si & hoc multum, saltem sileas, ut nec laudes, nec vituperes; etsi meliora habes, tribue mihi eo saltem animo, quo ego tibi, Vale.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro S. Apoſtolici Palatii.

Ph. Archiep. Theodoſiæ Viceſg.

APPROBATIO.

OBſequendo muneri mihi humaniſſimè demandato à Reverendiſſimo P. Fr. Nicolao Ridolfi Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro, vidi, & attentè perlegi Tractatum hunc, cui Titulus -- *De Vacatione Beneficiorum, & Penſionum Eccleſiaſticarum ipſo jure, & per privationem in caſibus à Jure expreſſis -- Auctore D. Antonio Maria de Nigris in Romana Curia Advocato*; Nilque in eo reperi quod Fidei Orthodoxæ, boniſque moribus adverſetur; Quinimmò omnia elaboratè diſcuſſa, fœliciter pertractata, & Canonicis regulis conformia adinveni; Ideòque dignum cenſeo, ut Opus iſtud ad publicam utilitatem imprimi queat. Romæ hac die 24. Decembris 1740.

Carolus Maria Francucci in Romana Curia Advocatus.

IMPRIMATUR,

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

I N-

INDEX
ARGUMENTORUM,
Quæ in hac prima parte hujus Tractatus
De vacatione Beneficiorum, & Pensionum Ecclesiasticarum continentur.

Index Argumentorum.

CAP.

CAP.

I N.

INDEX
ARGUMENTORUM,
Quæ in hac secunda parte hujus Tractatus
De vacatione Beneficiorum, & Pensionum Ecclesiasticarum continentur.

TRA-

TRACTATUS
De Vacatione Beneficiorum, & Pensionum Ecclesiasticarum ipso Jure in casibus à Jure expressis.

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii, & Pensionis per obitum *ad ornatum textus in Cap. Susceptum de rescriptis in Sexto*.

SUMMARIUM.

1 TRactatus de Vacatione Beneficiorum, & Pensionum utilis, & necessarius in Tribunalibus Ecclesiasticis, & præsertim in Curia.

2 Materiam Beneficiorum vacantium recolligunt *Barbos.*, *Ton. ut.*, *& alii*.

Ratio, & discursus sunt Tractatus fundamenta, ibidem.

3 Auctor aggreditur opus, & quare.

4 Lex Canonica pendet à potestate, & ratione: differt in hoc à lege civili, & num. 5.

6 Ratione potius, quàm auctoritate discutienda est materia Beneficiorum vacantium.

7 Ratio sine lege despectio legis est, & auctoritas sine lege, & ratione collectio est.

8 Procedit Auctor in hac re ratione insimul, & auctoritate, salva dispositione Sacrorum Canonum, & quare.

9 Dividitur materia, prout practicatur ab iis, qui postulant in foro.

10 Divisio materiæ.

11 Origo, & principium sunt pars cujusque rei potissima.

12 Vacans, vacatio, & vacare quid sit de jure civili, & canonico.

13 Vacans idem sonat ac deficiens, seù cessans.

14 Ubi deest Episcopus, Episcopatus vacat, idem de Parochia, & Canonicatu.

15 Vacatio duobus modis fit, vel à lege, vel ab homine, quod explicatur ibidem.

16 Triplici modo vacant Beneficia, de Jure, vel de facto, vel de Jure, & facto simul.

17 Vacatio Juris, quæ sit; Item quæ sit vacatio facti, & num. 18.

19 Impetrator non tenetur inquirere de Jure possessoris.

20 Longeva possessio præbet titulum in Beneficio.

21 Impetratio obtenta cum clausula *quovis modo*, continet etiam vacationem de facto.

22 Vacatio Beneficii potest contingere priùs de Jure, posteà de facto.

23 Impetrans Beneficium ex vacatione Juris præfertur Impetranti ex vacatione facti, ubi de ratione.

24 Vacatio Juris, & facti qualis.

25 Vacatio Juris, & facti præfertur vacationi de facto tantùm.

26 Vacat Beneficium, Dignitas, & quodlibet Ministerium Ecclesiasticum per obitum Provisi.

27 Mors in collatione Beneficiorum intelligitur de naturali.

28 Episcopatus non vacat per captivitatem Episcopi, sed Capitulum, ac si Sedes vacaret, administrat.

29 Multò minùs vacat Ecclesia Parochialis, cui datur Æconomus, seu Coadjutor.

30 Lex Cornelia, quæ fingit mortuum, qui incidit in captivitatem, non habet locum in Beneficiis.

31 Episcopus, & Parochus, recuperata libertate jure postliminii, redeunt ad Ecclesias, & assignatur ratio, & num. 32.

33 Casus, in quo ex morte naturali non tenet impetratio Beneficii præventivè obtenta à Papa.

34 Papa non solet præjudicium irrogare Juribus Ordinariorum, potest tamen cum eis concurrere.

35 Provisus ab Ordinario tenetur probare dolum ex parte provisi à Papa.

36 Gratia Papæ cum clausula *Motu proprio* nil prodest quoad fraudem, & dolum.

37 Dolus in quavis provisione Beneficii censetur semper exceptus.

38 Limitatur in eo, qui agnita fraude alterius, Beneficium præventivè à Papa impetravit.

39 Aliud est fraudem perpetrare; aliud scire fraudem alterius.

40 Ut valeat impetratio Beneficii, mors ultimi possessoris debet esse certa, vel saltèm verosimilis, alioquin non valet.

41 Valet impetratio, si notitia vacationis pervenire potuerit in Curia, ubi de ratione.

42 An valeat collatio Beneficii sub eadem obitus data.

43 Vacat Beneficium per obitum ejus, qui literas Apostolicas expedivit, etiam possessione non adepta.

44 An vacet Beneficium per simplicem datam, per obitum provisi, literis non expeditis.

45 Ad validam impetrationem Beneficii obtentam in Curia necessaria est vacatio Juris, vel facti, nec prodest clausula *quovis modo*.

46 Beneficium præsentati per ejus obitum ante institutionem de Jure non vacat.

47 Non vacat de facto, si præsentatus possessionem Beneficii adeptus non fuerit.

48 Non vacat Beneficium per provisionem obtentam *in forma dignum*.

49 Non vacat Beneficium collatum absenti ante ejus acceptationem.

50 Absens, & ignorans, quamvis provisus sit de Beneficio, potest aliud impetrare non facta mentione primi.

51 Clausula *quovis modo* non prodest impetranti in Beneficiis pleno jure Dignitati unitis.

52 Vicaria temporalis per obitum non vacat, secùs perpetua.

53 In Ecclesia non numerata non datur vacatio per obitum.

54 In Ecclesia non numerata non valet impetratio Beneficii, nec resignatio non facta mentione qualitatis Ecclesiæ.

55 Commenda temporalis per obitum non vacat; Item Commenda perpetua, & num. 56.

57 Commenda perpetua per obitum vacat de facto, ubi res exemplo declaratur.

CAPUT I.



Ractatus de Vacatione Beneficiorum, & Pensionum Ecclesiasticarum eo ipso, in casibus à Jure expressis, à nemine, quantum potui percipere, distinctè, & accuratè discutitur, imò ut quid certum præsupponitur ab iis, qui de re beneficiaria fusiùs differuerunt; elegans tamèn est, atque utilis, ac quodammodò necessarius prò casibus, qui practicè resolvuntur in Tribunalibus Ecclesiasticis, & præsertim in Romana Curia, in qua de hac re frequentius agitur.

2 Recolligunt hanc materiam *Barbosa*, *Gonzalez*, *Vivianus*, *Massobrius*, & in specie doctissimus *Tondutus de pensf. quæst.63.*, sed sinè ratione, & discursu, quæ sunt præcipua cu-
3 jusvis tractatus fundamenta. Quapropter quod ab iis Auctoribus vix tangitur, tractandum aggredior, ut ea, quæ à Jure, & Apostolicis Constitutionibus in hac materia sancita sunt, discursu, & auctoritate pleniùs confirmen-
4 tur; Potissimum quia secundum communem Theologorum, & Canonistarum sententiam, lex Canonica, non minus à potestate, quàm à ratione pendet, itaùt, quod rationi non congruit, prò lege non habeatur, *Divus Thomas quæst.90. par.2. art 4. litt.E.*, ubi ait *Legem esse quandam rationis ordinationem ob bonum commune ab eo, qui curam Communitatis*
5 *habet, promulgatam*. Differt in hoc à lege civili, quæ licèt etiam rationi innixa sit *l. Leges sacratissimæ Cod. de Legibus*, nihilominus de ea semper ratio reddi non potest *l. non omnium ff. de legib.*, immò, *ut habetur in l.1. ff. de Constit. Principum*, quod Principi placuit, prò lege habetur.
6 Quæ quidem differentia suppetit occasionem discutiendi vacantium Beneficiorum materiam potius ratione, quam sola Doctorum auctori-
7 tate, quod mihi semper placuit. Verum tamèn illud est, quod ratio sinè lege vera est legis despectio, & auctoritas sinè lege, & ratione stulta est Doctorum collectio, à qua in tractatibus edendis, licèt id à nonnullis practice-
8 tur, summoperè præcavendum est. Præterea sicuti unum facere, & aliud non omittere, tritum est axioma, quod non fallit, ità in hac re procedendum arbitror ratione insimul, & auctoritate, salva semper, & integra dispositione Sacrorum Canonum, sinè qua, & sola ratio vix valet, & auctoritas sola penitùs frigescit.
9 Ut autem prælibetur, quid acturus sim in hoc tractatu, oportet materiam in partes dividere, ut ità, veluti in compendio, totum agnoscatur, quod propriè fit per divisionem, prout practicatur ab iis, qui causas dicunt in foro, nefas enim, ut ità dixerim, videtur esse nulla præfatione facta Judici rem exponere; Quanto magis id erit necessarium edenti prò verita-
10 te tractatum. Itaque dicam primo de vacatione Beneficiorum ipso jure; Secundo de vacatione, extinctione, seù privatione Pensionum ecclesiasticarum, & laicalium per additionem in quovis capite; Tertiò de aliis modis, quibus Beneficia, & Pensiones, vel ipso jure, vel per privationem vacare censeantur, ut in hac tripartita divisione inchoetur, ac, Deo dante, præsens perficiatur tractatus.
11 Antequàm verò ad materiam accedamus, explicandum prius est, quando res, seù Beneficium dicatur vacans, quod scitu necessarium est, nam origo est principium, & principium est cujusque rei pars potissima; ergo ab ipsa origine, & principio inchoandum est *per text. in l.1. ibique gloss. ff. de origin. Jur.*, aliter quodammodò imperfecta res esset, omisso principio, ac origine non tacta, immò sinè rei notione, modos, seù causas, quibus vacant ipso jure Beneficia, per capita distincta explicare.
12 Vacans igitur, vacatio, & vacare quid sit de Jure civili habetur *in titulo ff. de vacat. & excusat. muner. l. ult. & tot. tit. Cod. de bonis vacan. l.1. Cod. de his, qui à Principe vacationem acceperunt. l.1. Cod. de vacat. publ. muner. lib.10.* At de jure canonico vacans dicitur Beneficium, quod à nemine detinetur de jure, vel de facto, *ut in rubrica, & titulo de concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis l.ult. Cod. de Bonis vacan. lib.10.*, *Petr. Gregor. de Benefic. cap.24. num.1.* Ita hæreditas jacens potest dici vacans, quia nondum adita est *Gloss. in extrav. suscepti inter Commun. verbo vacan-*
13 *tium circa med. nè Sede Vacante*: Item vacans idem sonat, ac deficiens *l.1. ff. de vacat. muner.*, seù idem importat, ac cessans *Auth.*
14 *de Nuptiis §. ult. versic. Vacantibus*. Et ità, ubi deest Episcopus, vacat Episcopatus, ubi deficit Parochus, vacat Ecclesia Parochialis, ubi cessat Canonicus, vacat Canonicatus, & sic de singulis; Quod duobus modis fit, vel
15 à lege, vel ab homine. Et quidem à lege fit per obitum, renunciationem, professionem religiosam, matrimonium, hæresim, & his similia; Ab homine, quotiès ob homicidium, ob non residentiam, ob vitam scandalosam Clerici à Beneficiis, & officiis Ecclesiasticis penitus amoventur, prout infrà.
16 Ex his facile colligi potest triplici modo vacare Beneficium, videlicet vel de jure, vel de facto, vel de jure, & de facto simul. Vacat
17 de jure, quando quis habet titulum, & jus in Beneficio, de quo fuit legitimè provisus, sed tamèn illud non possidet; si enim Jus quod habet, cedat, moriatur, aut de illo Beneficio ob aliquod delictum privetur, dicitur vacare de jure, non autem de facto *Rot. dec.52. par.3. diversor. lib.2. decis. 422. num. 11. coram Penninguer.* Item vacat de jure, quando quis possidens unum Beneficium, obtineat secundum cum primo incompatibile, tunc dicitur statim va-

vacare primum de jure tantùm per acceptationem secundi, licet adhuc possessionem primi retineat *Cap. Literas de Concess. preben.* ibi = *Cùm igitur si ita est Præbenda illa, & si non de facto, de jure tamèn vacare noscatur* = Jo. Andr. ibid. *num.4.* ibi = *& dicas, quod vacat de jure, licèt non de facto, ibique communiter scribentes*, & hoc casu valet collatio prioris Beneficii sic vacantis *Cap. licet Episc pus* 28. *de præben. in* 6. *Imol. in d. Cap. literas n.* 6. *&* 15. *de concess. præben.*

8 Vacat de facto per mortem, aut alium modum vacationis, quando quis ejus possessionem obtinuit ab eo, qui potestatem non habebat conferendi; nàm tunc non potest vacare, nisi id, quod possessor habet, & habere definit *Can. Baibertum* 1. *quæst.*7. *ex regula nemo plus juris ff. de regul. Jur. Rot. decis.*52. *in fin. par.* 3. *diversor. lib.* 2. Et collatio hujusmodi
9 Beneficii sustinetur; impetrator enim non tenetur inquirere de jure possessoris, sed sufficit verificatio facti, nempe quod ab illo possideretur Beneficium, per cujus obitum, aut alio modo vacavit *Cap. Susceptum, ubi Geminian. Franch. de rescript. in* 6. *Sarnen. in regul. de triennali quæst* 16. *& quæst.* 49. *in fin. Ancharan. consf.*117. *Rot. decis.*348. *n.* 1. *in fin. par.* 3. *recen.* ibi = *sufficit justificare vacationem de facto Rot. decis.*188. *num.* 2. *cor. Coccin.* ubi firmatur impetrantem Beneficium vacans per obitum non teneri docere de titulo antecessoris, sed sufficere, quod antecessor per longum, aut
10 longissimum tempus Beneficium possederit. Nam possessio longi temporis usque ad obitum sufficientem præbet titulum, præsertim ubi possessor pro verò, & legitimo Ecclesiæ Pastore communiter reputabatur, *juxtà celebre consilium Lapi alleg.* 89. *ab omnibus receptum*;
11 Maximè si adiecta sit clausula *quovis modo*, cujus ea vis est, ut omnem vacationis modum, etiam de facto comprehendat *Rot. decis.* 49. *num* 5. *par.*2. *recen. decis.* 37. *num.* 10. *coram Ludovis.*
12 Advertendum tamen est, quod unica vacatio potest contingere prius de jure, & postea de facto, veluti si quis assequatur secundum Beneficium incompatibile, non facta adhuc dimissione primi, quod postea ex intervallo de facto dimittat, & duo fuerint de sic vacante provisi, unus nempè per vacationem de jure,
13 & alter successivè per vacationem de facto; in hoc quippe casu præfertur qui prius provisionem obtinuit, & literæ secundi provisi, tanquam subreptitiæ, non attenduntur *Cap. Cum nostris de concess. præben.* & in præcisis terminis *Rot. decis.*8. *per tot. decis* 9. *num.*12. *coram Falconer. de rescript.* Vacatio enim juris fortior est vacatione facti *Rot. decis.* 194. *num.* 3. *par.*1. *recen.* ubi quando datur concursus duorum, quorum unus habet jus super titulo Beneficii ex vacatione de jure, & alter habet jus ex vacatione facti, tunc in concursu præfertur ille, qui habet jus ex vacatione de jure. Nec interest, an vacatio juris, vel facti ex una, vel ex diversis personis oriatur, utrobique enim eadem militat juris ratio, *ut ex dictis decisionibus resultat.*

24 Demùm vacat Beneficium de jure, & facto simul, quando provisus habuit jus, & ejus possessionem ab eo, qui poterat conferre, instituere, & providere; nam per ejus mortem jus, & possessio remanent vacua *Cap. Susceptum de rescript. in* 6. *Cap Quamvis* 38. *de præben. in* 6. *Mandoz. ad regul.* 30. *Cancell. n.* 4.
25 *Versic. de Jure autem.* Hæc quidem dicitur vacatio plena juris, & facti simul, quæ in concursu præfertur vacationi de facto tantum *Rot. decis.*1445 *num.*13. *coram Coccin.*
26 His præsuppositis vacat Beneficium, Dignitas, Officium, seù quodlibet Ecclesiasticum ministerium per obitum ejus, qui canonicam obtinuit institutionem *Cap. Susceptum de rescript. in* 6. Hæc est propria vacatio, quæ provenit ex natura rei, mors enim omnia solvit. §. *deinceps Auth. de Nupt. Rot. decis*71. *num.*5. *&* 6 *par.*8. *recen.*
27 Nec id extendi potest ad mortem civilem, quia in collatione Beneficiorum, ubi fit mentio mortis, intelligitur de naturali, nisi in ca-
28 sibus à Jure expressis. Porrò non vacat Episcopatus, si Episcopus inciderit in captivitatem, sed Capitulum, ac si Sedea vacaret, in spiritualibus, & temporalibus administrat, *Cap.*3. *de supplen. neglig. Prælator. in* 6., *ibique Monach.*, *Geminian.*, *& Franch.* Multo
29 minus per captivitatem vacat Ecclesia Parochialis; de jure enim Ecclesiæ Parochiali deputandus est Æconomus, seù Coadjutor, qui interim ecclesiastica administret Sacramenta, *juxtà praxim Ecclesiæ*, *& habetur in Cap. Cum Vos de offic. ordinar.*
30 Nec turbat, quod ex lege Cornelia incidens in captivitatem habeatur prò mortuo quoad omnes Juris effectus *ex leg. in omnibus* 18. *ff. de Captiv. & post limin. revers.* Respondetur hujusmodi Juris fictiones in Beneficiis ecclesiasticis non esse usu receptas; nam, ubi veritas facti necessaria est, fictio Juris penitus explo-
31 ditur; Idcircò Episcopus recuperata libertate, liberè redit ad suum Episcopatum, prout Parochus ad suam Ecclesiam, perindè acsi ambo fuissent absentes ex justa causa, quæ nunquam parit vacationem Beneficii *gloss. in cap* 3. *Versic. Libertati de supplenda negligentia Prælator. in* 6. = *recuperat ergo Jura sua quasi Jure postliminii*, *gloss. in Canon. Pastoralis vers.*
32 *Sic gubernare* 7. *quæst.*1. Et ratio jam dicta est, quia appellatione mortis non venit nisi naturalis, *tradit Cephal. consf*395. *num.*31. *& seq. lib.*3. *cum cæteris relatis per Rot. dec.* 453. *num* 3. *par.* 14. *recen.*
33 Quinimmò etiam ex morte naturali non tenet quandoque collatio Beneficii, quod contingit in eo, qui Corpus defuncti celavit, ut præventive Beneficium per obitum vacans à Papa obtineret. Et ratio multiplex est, primò, quia nemini fraus, & dolus patrocinari debent, secondo quia nullus consequi debet lucrum, ex quo pœnam meretur; & demùm quia collationes, seù impetrationes Beneficiorum per fraudolentam præventionem obtentæ subreptitiæ judicantur, & improbæ, imo fieri interdicuntur sub pœna nullitatis col-

coilationis ex lege natnrali , canonica , &
civili ; Ideoque ſi deindè Epiſcopus, detecta
morte Beneficiati, conferat Beneficium, quod
in ſuo menie vacavit, ejus collatio præfertur
impetrationi per fraudolentum piſcatorem ob-
tentæ a Papa *Boer. deciſ.287 in princip.*
34 Hic caſus peculiaris eſt, ſed non ita facile
in praxi contingibilis proptèr alternativam
Epiſcopi , cui Papa non ſolet præjudicium ir-
rogare, nihilominus , ſi accidat Papam nempè
voluiſſe in proviſione Beneficii concurrere cum
inferiori coliatore , quod ſine dubio poteſt
Canon. Cuncta per mundum , *Canon. per Prin-*
cipalem 9. quæſt.3. Gonzalez ad regul. 8. Can-
35 *cell.* §.2. *num.*1. & *num.*44. debet proviſus ab
Ordinario, ut inde collatio Papæ infirmetur,
probare dolum ex parte impetrantis, quod eſt
Actoris fundamentum *Leg. Actor. Cod. de pro-*
36 *bat.* Quod & verum eſt, etiamſi gratia Papæ
concepta ſit cum clauſula *Motu proprio*, quæ
prodeſt quidem quoad præventionem, ſed nihil
37 quoad fraudem , & dolum , qui in quavis
proviſione Beneficii intelligitur ſemper excep-
tus *L. Creditor* §. *Lucius Titius ff. Mandati*.
38 Aliud autem dicendum putarem in hoc ca-
ſu, cùm quis agnita fraude alterius, qui cor-
pus Beneficiati defuncti celavit , Beneficium
impetraſſet à Papa , nam licet occaſione frau-
dis alterius præveniat impetrationem Benefi-
cii, nihilominus , qui ſic impetrat, utitur ju-
re ſuo, nec ullam fraudem committit ; con-
ſtito igitur, quod Papa prævenerit Ordinarium
in conferendo, coilatio Papæ de jure ſuſtine-
39 tur ; ſanè aliud eſt frandem perpetrare, aliud
ſcire dolum, & fraudem alterius, non enim
videtur fraudem facere , qui fraudi obviat
gloſſ. in cap. Cupientes Verſic. Malignantium,
ibique Franch. num. 3. de elect. in 6. quod eſt
notandum.
40 Rurſus , ut valeat impetratio Beneficii ,
mors ultimi poſſeſſoris certa eſſe debet , vel
ſaltèm veroſimilis ex regula Cancellariæ de ve-
riſimili notitia , quod æquo jure introductum
eſt, ne alias viventium Beneficia obtineantur
contra text. in cap. nulla de conceſſ. præben.
cap. de liberatione §.*probibemus de Offic. Judic.*
delegat. in 6. Cap. deteſtanda de conceſſ præben.
in 6. Undè propterea , ſi quis in Curia impe-
trat Beneficium , cujus vacationis notitia vel
inveriſimilis ſit, vel impoſſibilis, talis impe-
tratio de jure non ſubſiſtit, etiamſi verè Bene-
ficium vacaſſet, nàm pœnès impetrantem nul-
la aderat vacationis notitia , quæ neceſſaria eſt
prò validè impetrandis Beneficiis. Sufficit ta-
41 mèn prò hujuſmodi effectu, quod notitia va-
cationis potuerit pervenire in Curia; nam regu-
la non quod eſt , ſed quod potuit eſſe , conſi-
derat. *Rot. deciſ.74. num.4. par.17. recen.*
42 Quæſtio etiam eſt, an valeat impetratio Be-
neficii obtenta à Papa ſub eadem obitus data ;
Negat Sarnen. de impetran. Benef. viven.
quæſt.7. ubi dicit ſe vidiſſe conſtitutionem Bo-
nifacii, qua hujuſmodi impetrationes ſub ea-
dem obitus data annullantur . Hæc tamen ſen-
tentia non recipitur; nàm ad validitatem actus,
& ad evitandum delictum præſumitur poſt
mortem ſequutam fuiſſe collationem , ideoque
niſi contrarium probetur ab eo, qui regulam
Cancellariæ opponit, collatio, ſeù impetra-
tio Beneficii, etiam ſub eadem die obitus, de
jure ſubſtinetur *Mandoz. in regul. de veriſimil.*
notit. obit. quæſt.6. num. 8. 9. Creſcen. dec. 13.
de reſcriptis, Put. deciſ.427. lib.3. deciſ.344.
num.4. par.5. recen.
43 Ulterius vacat Beneficium per obitum il-
lius , qui literas Apoſtolicas executioni man-
davit, quamvis poſſeſſionem Beneficii non ap-
præhenderit ; habet enim jus plenum in Be-
neficio, quod ſine dubio oritur , tùm ex colla-
tione, ſeù inſtitutione, tum etiam ex litera-
rum Apoſtolicarum expeditione, tùm demum ex
ipſamet Beneficii acceptatione *Cap. ſi tibi ab-*
ſenti de præben. in 6. Gonzal. ad regul. 8. Can-
cell. gloſſ.15. § 1. *num.33 cum ſeq., Par. ſ. de*
reſignat. lib.10. quæſt 7. num.54., deciſ 498.
num.1., deciſ.523. n.2. par.2. recen., deciſ.33.
num 7. cor. Dunozett. jun.. Eſt concluſio , quæ
non habet contradictorem.
44 Demùm poteſt dubitari, an per ſimplicem
datam vacet Beneficium morte ſic proviſi, lite-
ris non expeditis. Negat Cancellaria per ſim-
plicem datam acquiri poſſe jus tale in Benefi-
cio, quod de jure valeat novam Beneficii va-
cationem per obitum inducere, nam ſic proviſo
poteſt executio literarum Apoſtolicarum dene-
gari *ex deductis per Simonett. de reſervat.*
quæſt.55.. Affirmat Sac. Rota, quia habens
ſimplicem datam obtinet jus perfectum in Be-
neficio, ſicuti aſſequitur per collationem, ſeù
inſtitutionem, quod per obitum ſine dubio re-
ſolvitur, & in ſequelam iterum Beneficium va-
care cenſetur *Rot. deciſ.87. alias 882. num.4.*
de reſcript. in antiqu. deciſ.1919. part.3. diver-
ſor. deciſ.665. num.8. par.2. recen. ; quæ ſen-
tentia verior eſt, & in praxi communitèr re-
cepta, dummodo tamèn beneficium acceptetur,
alioquin literis non expeditis præcedens vaca-
tio non dicitur conſumpta *Geminian in cap.*
præſenti num. 2. de præben. in 6. Rot. de-
ciſ.329. num.2. part.18. recent.
45 Vacatio itaque Juris, vel facti neceſſaria eſt,
ut collatio per obitum obtenta in Curia de ju-
re ſubſtineatur *Rot. deciſ.212. num.1. circa fin.*
cor. Ubald., nèc ad hujuſmodi effectum prodeſt
impetranti clauſula *quovis modo* , quæ de Sty-
lo Datariæ inſeri ſolet in literis Apoſtolicis.
46 Exemplum eſt in præſentato, per cujus obitum
ante inſtitutionem Beneficium non vacat de ju-
re, etiamſi lis ſuper inſtitutione ab eo intro-
ducta ſit *gloſſ. in Clement. 1. Verbo Collatio*,
ibique Vitalin. num.47. ut lite pendente cap. Si
electio de elect. in 6. deciſ. ult. de electione. in
novis. Puteus deciſ. 194. lib. primo. Non va-
47 cat de facto, quia ita præſentatus poſſeſſionem
Beneficii in vim præſentationis nunquàm fuit
adeptus. *Bellamera deciſ.116. in fin. Rot. de-*
ciſ.1446. num.2. cor. Seraphin.
48 Exemplum quoque eſt in eo, qui impetravit
gratiam Apoſtolicam *in forma dignum*; colla-
tio enim pendet à conditione, ſi dignus reper-
tus fuerit coram Executore , qua conditione
non purificata, vacatio Beneficii per obitum
ſic

sic provisi, induci non potest *Rot. decis.* 398. *decis.* 523. *utrobique num.* 2. *par.* 2. *rec. dec.* 1446. *num.* 3. *cor. Seraphin.*

49 Similiter id verum est in collatione beneficii facta ab Episcopo clerico absenti, nam ante ejus acceptationem nullum jus quæritur, ac per consequens per ejus obitum beneficium sic collatum non vacat *Cap. Si tibi absenti de*

50 *præben. in* 6. Quod patet ex eo, quod ita provisus potest aliud Beneficium impetrare, nulla facta mentione beneficii, quod sibi absenti, & ignoranti Episcopus contulit, cum enim beneficium nondum acceptaverit, non videtur in eo perfectum jus habuisse *Cap. gratia de rescript. in* 6.

51 Multoque minus suffragatur impetranti vis clausulæ supradictæ in beneficiis pleno jure dignitati unitis. Quippe quia in his non datur vera vacatio, dum dignitas, cui quoad temporalia, & spiritualia beneficium unitum est, semper durat *Clement.* 1. §. *quidam etiam versic ad mensam de excess. Prelator. Cap.* Extirpandæ §. qui verò ibiq. Gloss *versic. præbenda de præben. decis.* 90. *num.* 1. *part.* 4. *rec. tom.* 2.

52 Sic quoque Vicaria temporalis per obitum Vicarii non dicitur vacare; nullum enim est vinculum spiritualis conjugii inter ipsum, & Ecclesiam, ad differentiam Vicariæ perpetuæ, quæ ex ratione opposita vacat de Jure, & de facto simul per obitum ejus possessoris *Clement. unic; ibiq. gloss; & scribentes de offic. vicarii.*

53 Insuper non datur vacatio in ea Ecclesia, in qua non est certus numerus canonicorum; nam præbenda cum defuncto moritur, ac extinguitur, & non nisi per novam electionem creatur, & erigitur *cap. dilecto de præben, cap ex parte de concess. p. æben. Felin. in cap. Consti-*

54 *Constitutus in principio de rescript*; ubi quod non valet impetratio Beneficii in Ecclesia non numerata, nisi fiat mentio Ecclesiæ non numeratæ *Rot. decis.* 27. *num.* 1. *&* 2. *cum sequen. par.* 6. *Rec.* quæ loquitur de resignatione.

55 His demum accedit, quod Commenda ad tempus non vacat per obitum Commendatarii, sed vacat, ut prius, ideoque per ejus obitum nulliter impetratur, nam Commendatarius temporalis non est titularis, sed custos, & depositarius redditu um ecclesiæ. *Gloss. in cap. nemo deinceps versic. commendare de election. in* 9. *Roman. cons* 350. *per tot*; *decis.* 22. *num.* 1. *cum sequen. cor. Puteo lib.* 1.

56 Idemque dicendum videtur de Commenda perpetua, in qua pariter Commendatarius vere titularis non est, & in sequelam etiam Commenda perpetua vacat, ut prius *Rot. decis.* 22. *num.* 7. *infin. cor. Puteo lib.* 1. *Cassador. decis.* 5. *num* 2. *de privileg.* Sed contra, nam Commendatarius perpetuus quoad omnes Juris effectus habetur pro titulari, dum omnes fructus percipit, aliasque peragit functiones ecclesiasticas

57 adinstar titularis. Unde Commenda perpetua si non de jure, saltem de facto vacare censetur, ut praxis nos docet in Commendis perpetuis, quæ dantur quodammodo in titulum, seu in veram administrationem Cardinalibus, aliisque Prælatis Romanæ Curiæ, & ita casus evenit in Commenda magni Prioratus Hierosolymitanæ Religionis Romæ erecti, & perpetuo commendati clar. me. Card. Pamphilio, per cujus mortem inducta fuit, ut supra vacatio *Rot. decis.* 141. *num.* 4. *cum sequen. par.* 1. *decis.* 569. *num.* 42. *par.* 5. *Recen. decis.* 523. *num.* 52. *cum sequen. par.* 19. quod etiam admittitur *in decis.* 22. *num* 4. *coram Puteo*, *& decis.* 5. *num.* 9. *cor. Cassador. de privilegiis.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Pensio regulariter vacat, prout Beneficium.
2 Pensio per obitum extinguitur, ususfructus morte finitur, ibidem.
3 Pensio per captivitatem non vacat, nec extinguitur, licèt captus ab hostibus habeatur prò mortuo.
4 Mors civilis non æquiparatur morti naturali, nisi in casibus à jure expressis.
5 Pensio extinguitur, sicut ususfructus, si dos Beneficii in totum pereat.
6 Ubi cessat jus percipiendi fructus ex parte Titularis, extinguitur jus ex parte Pensionarii.
7 Limita, si mutatio sit temporalis.
8 Pensio prò tempore, quo fructus non percipiantur, non debetur, ubi exemplificatur.
9 Pensio, quæ non debetur, extinguitur ad tempus, prout ususfructus annuus.
10 Pensio reservata super fructibus certis, & incertis debetur prò rata fructuum perceptorum.
11 Super his fructibus reservanda est congrua Titulari.
12 Titularis magis est privilegiatus prò congrua, quàm Pensionarius, & assignatur ratio ibidem.
13 Pensio non extinguitur per restaurationem rei, prout ususfructus.
14 Ususfructus extinguitur, si res, cui inerat, in totum diruta sit, etiamsi eisdem cæmentis in integrum restituatur.
15 Idem procedit in Pensione, ubi de ratione.

1 Eisdem modis, quibus vacat Beneficium, regulariter vacat, & extinguitur Pensio ecclesiastica *Gigas de pension quæst.* 54. *per tot. Gabriel. cons.* 187. *num.* 11. *cons.* 200. *num.* 13.

2 *lib.* 2. Ut igitur per obitum vacat Beneficium, ità per obitum extinguitur Pensio, mors enim omnia solvit; deindè Pensio regulatur ad instar ususfructus, qui finè dubio morte usufructuarii finitur §. *finitur instit. de usufructu l. sicuti in annos* §. *morte ff. quib. mod. ususfruct. amittatur*, *l. si patri*, *l. si Domini*, *l. corruptionem*, *l. ambiguitatem Cod. de ususfruct.*

3 Quod intellige de morte naturali, nam per mortem civilem, prout est captivitas, Pensio non extinguitur, sicuti non vacat Beneficium. Quamvis enim de Jure civili captus ab hosti-

bus

bus servus sit effectus, & habeatur pro mortuo *l. servitutem ff. de regul. Jur.*, nihilominus de Jure canonico pensionarius vivit ad effectum percipiendi fructus pensionis; perindè
4 ac si non captivus, sed liber esset; Mors enim civilis non æquiparatur morti naturali, nisi in casibus à Jure expressis, prout in Religioso, Conjugato, & Milite, de quibus infrà:
5 Quid ergo, si pereat dos Beneficii in totum, itaut nulli fructus percipiantur, & integra, seù nova dos Beneficio assignetur? Respondeo Pensionem vacare, & extingui, nam usufructus, cui pensio assimilatur per inundationem extinguitur *l. repeti §. rei, l. quod tamen §. agri §. certè, l. si ager 1., l. si cui 12., l. ultima ff. quib. mod. usufructus amittatur*. Quod quoque procedit propter perpetuam rei mutationem *per Text. in l. Si ager, l. cum usumfructum ff. quib. mod. usufructus amittatur*,
6 ità à pari in Pensione ecclesiastica. Sane, ubi dos Beneficii deperdita est, cessat Jus percipiendi fructus ex parte Titularis, & consequentèr extinguitur ex parte Pensionarii Jus exigendi pensionem, quod cohæret fructibus ipsius Beneficii *Rot. decis. 352. num. 1. par. 2. recen.*
7 Limitatur, si mutatio rei sit temporalis, aut momentanea; nam sicuti extat dos Beneficii, quæ conservat Jus percipiendi fructus,
8 ità Pensionis Jus durat. Planè hæc mutatio eum producit effectum, ut Titularis prò eo tempore, quo non percepit fructus, non teneatur solvere pensionem, ita habemus in Titulari, qui tempore Belli fructus ex Episcopatu, aut alia Dignitate Ecclesiastica percipere haud potuit; nam pro hoc tempore, quo fructus non percipiuntur, pensio non debetur, *ita Rubeus ad decis. 576 num. 42. par. 4. tom 3. recen. Rot. in Montis Regalis pensionis super reservatis die 25. Junii 1725. §. in facto §. altera coram Reverendissimo Calcagnino Decano.*

9 Et ita in hoc casu pensio, quæ non debetur, quodammodo extinguitur, licet ad tempus *gloss. marginalis in l. cum talis quæstio Cod. de servit. & aqu.*, ubi ususfructus alternato tempore relictus, si perditur pro uno anno, non perditur pro alio.
10 Quod intellige, si super fructibus certis pensio reservata sit, nam tunc extinguitur ad tempus, ut supra; aliter, si super fructibus certis, & incertis pensio fuerit reservata, debetur dumtaxat pro rata fructuum percepto-
11 rum. Verum super his omnibus fructibus, quando agitur de Beneficio Curato, seu Episcopatu, Titulari reservanda est congrua, quæ pro Episcopo mille aureos, pro Parocho centum attingit *ex Tridentin. Sess. 24. cap. 13.* &
12 ratio est, quia Titularis magis privilegiatus est pro congrua, quæ jure naturali, & divino ipsi debetur, quam pensionarius, qui veluti contra jus pensionem exigit *Gigas de pensionib. quæst 96. num. 7. Gomes in regul. Cancellariæ ad regul. de infirmis quæst. 16 num. 2. Gonsal. ad regul. 8. Cancell. gloss 5. § 5. num. 39.*
13 Demum per restaurationem, seù reædificationem rei ususfructus non finitur *l. quid tamen §. planè ff. quib. mod. ususfruct. amittatur*, ità à pari ex hoc capite Pensio ecclesiastica non extinguitur ob eamdem identitatis rationem.
14 secus si res, cui inerat ususfructus, in totum diruta sit, & deinde eisdem cæmentis in integrum fuerit restituta *l. quid tamen §. non tantum, §. dissoluta ff. quib. mod. ususfruct. amitt.*
15 ità si dos Beneficii consistat in domibus, quæ vi ventorum, terremotu, incendio, aut vitio suo corruerint, pensio vacat, seu extinguitur, non obstante, quod ex eisdem cæmentis domus interim ædificatæ sint, non enim ædificatio dici potest dos antiqua Beneficii, sed nova, non secus ac si dos ex integro ecclesiæ fuerit assignata ex juribus mox relatis.

ARGUMENTUM.

De vacatione Beneficii, & Pensionis per renunciationem, resignationem, & permutationem *ad ornatum Textus in cap. unico, ibique Gloss. de rerum permutat. in 6., & gloss. in Clementin. 1. de renunciat.*

SUMMARIUM.

1 Vacatio per obitum differt à vacatione per renunciationem.
2 Beneficium vacat per liberam renunciationem factam in manibus Superioris.
3 Renuncians Beneficium non habet amplius ad illud regressum, nisi iterum eidem conferatur.
4 Beneficium Clerici minoris ætate per liberam renunciationem vacat.
5 An minor sit in integrum restituendus, prima sententia affirmat, secunda negat, tertia distinguit, &c. 6. 7.
8 Limitatur in simplici renunciatione præsentationis, aut nominationis.
9 Clericus renuncians Beneficium sinè assensu Superioris proprietatem Beneficii non amittit.
10 Vacatio stat in pendenti, donec Superior renunciationem admittat.
11 Clericus Beneficiatus non potest se eximere à servitio Ecclesiæ sine assensu Superioris.
12 Electio facta à Prælato inferiori, seù Capitulo, antequàm Episcopus renunciationem approbet, non valet, ubi de ratione ibidem in fine.
13 Collatio Episcopi substinetur, sivè approbet renunciationem, sivè conferat Beneficium.
14 Multo magis in Papa, præsertim si renunciatio Beneficii facta sit in manibus Principis laici, seù Patroni, ubi de ratione.
15 Renunciatio Beneficii facta in manibus Ecclesiastici non habentis potestatem destituendi non valet, & collatio

rio Episcopi, seù impetratio obtenta à Papa non substinentur.

16 Ratio differentiæ inter casum, quo quis renunciat Beneficium in manibus Laici, & Ecclesiastici.

17 Beneficium renunciatum per vim, & metum vacat de facto, si alii collatum sit.

18 Renuncians per vim, & metum potest petere reintegrationem ad Beneficium.

19 An Beneficium vacet, si metus concurrat in promissione renunciandi, sed in renunciatione cesset; prima sententia affirmat, si renunciatio facta sit ex intervallo.

20 Limita, si incontinenti facta sit.

21 Contrarium tenent alii, sive facta sit incontinenti, sive ex intervallo.

22 Quæstionis resolutio super uno, vel alio vacationis modo pendet ex circumstantiis.

23 Conciliatur utraque opinio.

24 Reintegratio facilius datur ex hoc capite, ubi res est integra, difficilius, ubi Beneficium jam collatum est.

25 Renunciatio Beneficii facta ad favorem Carcerantis non tenet, limita ad favorem tertii, & num. 26 Præsertim si facta sit coram Ministris Episcopi, & num. 2[7].

28 Limita, si renunciatio facta sit ex causa criminum, ubi quod resignatione vacat Beneficium.

29 An vacet Beneficium per obitum resignatarii post expeditas literas ante adeptam possessionem. Prima sententia affirmat, secunda negat, & num. 30. Tertia distinguit inter collationem *in forma gratiosa, & forma dignum*, & num. 31. & 32.

33 Temperatur distinctio quoad primam partem ex contraria voluntate resignantis.

34 Vacat Beneficium per obitum provisi habentis simplicem datam, sed in resignatione vacat post præstitum consensum in Camera, aut Cancellaria.

35 Beneficium ante formalem consensum vacat morte resignantis, non renunciatione.

36 De stylo Datariæ post mortem resignantis extenditur consensus favore resignatarii, at hujusmodi consensus eidem non prodest, si Episcopus jam contulit Beneficium, quod in suo mense vacavit.

38 Collatio Episcopi præfertur provisioni Papæ, dummodò de antidata suspecta non sit.

39 Resignatio Beneficii Patronalis, non habito Patroni assensu, non valet, & Patronus post obitum resignantis potest alium præsentare, non obstante annali, seù triennali possessione.

40 Ampliatur, si Patronus assensum præstare renuerit, & resignans in possessione permanserit, ubi quod Beneficium vacat morte, non renunciatione.

41 Beneficia permutata vacant.

42 In permutatione Beneficiorum de Jurepatronatus laicalis requiritur assensus patroni, ubi quod Beneficium permutatum sine assensu vacat absque spe regressus, quod declaratur ibidem in fine.

43 Beneficium permutatum contra legem fundatoris vacat.

44 An Clericus sic permutans regressum habeat ad Beneficium, distinguitur.

CAPUT II.

1 SEquitur, ut videamus de vacatione per renunciationem, quæ valde differt ab ea, de qua in capite antecedenti; aliud enim est vacare per obitum, aliud per renunciationem *cap. Susceptum de rescript in 6.*

2 Notandum est primo, quod per liberam renunciationem, seu dimissionem factam in manibus Episcopi acceptantis vacat ipso jure beneficium, quod deinde potest libere ab eodem, seu ab alio, cui id de jure competit, idoneo clerico conferri *Clementina unica de renunciat. Rebuff. prax. benefic. par. 3. tit. de resignat. Azzor. oper. moral. lib. 7. cap. 18. num. 1. Rot. decis. 325. num. 2. par. 16. recen.*

3 Nec amplius ad illud, quod semel dimissum est beneficium, datur regressus *cap. ex transmissa de renunciat. Hostien. in summa num. 6. eod. tit.*, licet possit Ordinarius loci eidem renuncianti illud conferre; nam ita dimittens non est illius beneficii incapax perpetuo, sed tantum ex primævo jure, quod jam per spontaneum renunciationis actum a se abdicavit *cap. 2. de renunciat. ibique Innocent. num. 1. versic. alii dicunt.*

4 Quæres, an minoris Beneficium ob liberam renunciationem factam coram Ordinario acceptante ipso jure vacet? Respondeo vacare ex eisdem juribus, quibus sinè dubio vacat Beneficium majoris de licentia Episcopi liberè
5 renunciatum; sed, an minor sit in integrum restituendus, discrepant inter se Jurisconsultorum, & Beneficialistarum sententiæ. Affirmant nonnulli ex legibus, quæ editæ sunt pro minoribus in integrum restituendis, sive res integra sit, sive non; minor enim renuncians Beneficium reipsa patitur damnum, prout qui suum sponte donat; quæ ratio exuberare videtur, ut minor sic renuncians in integrum restitui debeat *Paris. de resign. lib. 3. quæst 7. n. 45. & 51. Covarruv. lib. 1. cap. 5. n. 3. 8. Vivian. de jurepatronat. lib. 13. cap. 10. num. 47.*

6 Contrariam sententiam, uti veriorem tenent alii; minor enim in Beneficialibus habetur pro majore *Cap. si annum de judic. in 6. Cap. ex parte verb quamvis minor, versic. Sed si minor, ibique Abbas num. 14. de restitut. Spoliator. Gloss. singularis in l. ait Prætor. versic. quid aliud ff. de minor. decis. 483. num. 7. cor. Buratt.* Ideoque, si clericus minor pro majore habetur quoad beneficium, restitutio in integrum non competit, sicut majoribus non datur: Deinde restitutio nec danda est, immo data non relevat, quia directe infert præjudicium alii, qui per canonicam institutionem beneficium est essecutus *Gloss. communiter recepta in cap ex parte versic quamvis in fin. de restitut. Spoliat. Jason. in l. Gallus §. & quid si tantum num. 72. ff. de liber. & posthum; & in cons. 192. num. 25. lib. 2; Cravett. cons. 90. num. 4. lib. 1. Put. decis. 9. num. 1. lib. 3. decis. 10. num. 2. cor. Achill. de restitut. in integr.*

7 Tertia sententia distinguit; Aut res est integra, aut non; primo casu minori danda est restitutio in integrum, secus in secundo casu; & ratio disparitatis est, quia ubi res est integra, ætas minoris attenditur; ubi vero res non est integra, prævalet præjudicium, quod alii, cui beneficium valide collatum est, irrogaretur *Garz. de Benef par. 11. cap. 3. n. 60. cum sequen. ubi refert Sac. Rotæ resolutiones.* Quæ distinctio vera est, & in praxi communiter recepta *per Gloss. & DD. in cap. ex parte, versic. quamvis in fin. de restit. spoliat. cum adductis pro secunda sententia.*

8. Li-

8 Limitatur in simplici renunciatione præsentationis, aut nominationis, pro qua restitutionem in integrum non competere certi juris est; minor enim hic agit de lucro captando, non de damno vitando, & præsertim si res amplius integra non sit, *Franc. in cap dudum num.* 11. *de præben. in* 6. *Mandozz. de ætat. minor. quæst.* 11. *num.* 1. *Covarruv. var. resolut. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. *Tondut. quæst. benefic. cap.* 50. *num.* 11. *par* 1. *Rot. in Lauretana Canonicatus die* 4. *Febr.* 1733. *coram R. P. D. Crescentio.*

9 Notandum secundo, quod clericus renuncians beneficium sine assensu legitimi superioris, proprietatem ejusdem non amittit, antequam a superiore renunciatio acceptetur, ideoque in hoc casu beneficium de jure non vacat; nam vacatio adhuc completa non est, immo stat in pendenti, donec Ordinarii assensus accedat *Butr. in cap. quod in dubiis num* 9. *versic. est tamen verum ibique Imol. num.* 13. *de renunciat. Rot. decis.* 184. *num.* 14. *par.* 10 *recen.* Quod dictum ratione non caret, quia beneficiatus ob acceptationem beneficii obligavit se per quasi contractum ad exhibendum ecclesiæ servitium, à quo haud potest sine legitimi superioris assensu se eximere, *cap. admonet de renunciat.*

12 Cujus rei effectus est, quod interim electio Capituli, præsentatio Patroni, collatio Prælati inferioris nullam habent juris firmitatem, etiamsi deinde Episcopus renunciationem approbet, & acceptet *Cap. non firmatur, ibique Io: Andreas n.* 5. 6. 7. *de regul. jur. in* 6. *Calder. cons.* 8. *num.* 15 *versic. sed magis*. Et ratio clara est, quia tempore electionis Beneficium non vacabat, & quod non vacat conferri non potest *cap. detestanda de concess. præben. in* 6. *Imol. in d. cap. quod in dubiis num.* 13. *de renunciat; d. decis.* 184. *num.* 15 *par.* 10. *recen.*

13 Hæc tamen admittenda non sunt in Episcopo, qui sive approbet renunciationem, & deinde conferat, sive sine approbatione de beneficio provideat, ejus provisionem valere dubitandum non est; nil enim differt approbare renunciationem verbis, aut factis *Gloss. in l. reprabendenda versic. comprobasti Cod. de instit, & substit.* ibi: *facto datur voluntas intelligi Hostien. in cap. exore sedentis num.* 12. *de his, quæ fiunt à majori parte Capituli.*

14 Multo magis in Papa, qui beneficium sic renunciatum potest libere conferre, & præsertim si renunciatio facta sit in manibus Principis, aut Patroni laici; nam conferendo censetur spoliasse beneficiatum omni jure beneficii in pœnam excessus; Grave enim admodum est in manibus Principis, aut Patroni Laici, nullam habentium jurisdictionem super Juribus Ecclesiasticis beneficium dimittere *ad text. express. in cap. quod in dubiis, ibique Inoc. num.* 1. *Abb. & scribentes de renunciat, Geminian. cons.* 125. *per tot.*

15 Limitatur in renunciatione beneficii facta in manibus ecclesiastici, non habentis jurisdictionem recipiendi renunciationes beneficiorum. quippe quia talia renunciatio est nulla, & invalida, nec ullum jus à renunciante abdicatur; & consequenter sicuti beneficium sic renunciatum nullo modo vacat, ita collatio episcopi, tanquam de beneficio vacante non valet, & impetratio obtenta a Papa subreptitia censenda est *Bertrand. cons.* 133. *num.* 20. *lib.* 2. *& per tot; Spad. cons.* 85. *per tot. lib.* 2. *Rot. decis.* 1551. *num.* 5. *cor. Pen.*

16 Differt hic casus ab antecedenti; nam primo casu concurrit causa spoliandi renunciantem jure beneficii, nempe læsio jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ, & illius spretus subiiciendo rem spiritualem potestati Laicali, quæ ratio cessat in secundo casu, licet ob renunciationis nullitatem neutro casu vacet beneficium.

17 Notandum tertio ex coacta renunciatione beneficium vacare, saltem de facto, si alii collatum sit; sed quandoque vacat etiam de jure Vacat de facto si gravis metus in promissione renunciandi, & in renunciatione concurrat. *cap. ad aures, cap. ad audientiam de his quæ*

18 *vi, metusue causa fiunt*; Hoc sane casu renuncians ob defectum liberi consensus potest implorare officium judicis pro reintegratione ad beneficium *cap. ad aures, ibique Gloss. in fin; cap. Abbas. cap. ad audientiam de his quæ vi metusue causa fiunt, l.* 3. *ff. quod metus causa, Rot. decis.* 395. *per tot. cor. Bich.*

19 Sin vero gravis metus concurrat quidem in promissione renunciandi, sed non in ipsamet renunciatione, valde controversum est, an vacet beneficium de facto tantum, vel de jure, & facto simul. Prima sententia affirmat beneficium vacare utroque vacationis modo, quia renunciatio fuit libera, & spontanea ex parte renunciantis, ex quo gravis metus deerat in renunciatione, quæ ut præsupponitur facta fuit ex intervallo *Gloss. in cap. ad audientiam versic. ad resignationem, Gloss. in cap.* 1. *versic. postmodum de his, quæ vi metusve causa fiunt.*

20 Dixi ex intervallo, nam, si incontinenti renunciatio beneficii facta sit, in praxi communiter receptum est beneficium de jure non vacare, cum actus renunciationis coactus præsumatur, prout erat renunciantis promissio. Unde metus, qui interfuit promissioni, tacitè inest in ipso actu incontinenti expleto *l. lecta ff. de reb. credit* præsertim si duret causa metus, *ita ait. Gloss. in cap.* 1. *versic. final. de his; quæ vi metusve Alexand. cons.* 98. *lib.* 3. *Rot. decis.* 2207. *num.* 45. *cor. Coccin. decis.* 327. *n.* 15. *decis.* 395. *num.* 11. *coram Bich.*

21 At etiam in casu, quo renunciatio facta sit ex intervallo, contrariam sententiam mordicus substinent alii; quamvis enim actus, qui ex intervallo fiunt inter se distincti sint, nullamque habere videantur relationem ad antecedentem renunciantis promissionem factam per vim, & metum, ad differentiam, si fiant incontinenti, *ut explicant Jurisconsulti in d. l. lecta ff. de reb. credit.* nihilominus renunciatio beneficii facta etiam ex intervallo nulla, & invalida adjudicanda est, quippe quia de jure præsumitur, renunciantem ad actum dimissionis beneficii devenisse in vim promissionis meticulosæ, & consequenter semper durat cau-

causa gravis metus, ac urget violentiæ præsumptio, licet metus in renunciatione abfuerit, *ita sentiunt Jo. Andreas in cap. ad audientiam, ibique Abb. num. 3. de his, quæ vi, metusue causa fiunt.*

22 Ex his difficilis redditur utriusque opinionis resolutio super uno, vel alio vacationis modo; nam licet vera sit distinctio *utriusque Glossæ. & Jurisconsultorum* inter actus, qui incontinenti, & qui ex intervallo fiunt, ac per consequens videatur beneficium etiam de jure vacare, nihilominus sententia *Joannis Andreæ, & Abbatis* super nullitate renunciationis non est spernendæ auctoritatis, & sic beneficium vacat de facto tantum, non autem de Jure, etiamsi alii collatum sit. Utraque ergo sententia juridicis innititur fundamentis, ac proinde quænam ex his verior sit, pendet potius ex circumstantiis facti, quibus judex arbitrium interponere debet pro uno potius, quam alio vacationis modo, potissimum pro effectu restitutionis in integrum, vel non cum similibus. Nec id aliquam inuoluit repugnantiam, quia aliquando renunciatio beneficii etiam ex intervallo potest esse libera, & spontanea ex circumstantiis facti juxta primam sententiam, aliquando ex aliis coniecturis, præsumptionibus, & documentis potest esse coacta juxta aliam opinionem.

23 Verum prædictæ opiniones, ut veritas juris omnibus innotescat, sic possunt conciliari, ut prima procedat, quando cessavit causa metus, & iste purgatus fuit *l. 2. C. de his, quæ vi metusue* ibi= *nisi & in solvendo vim te passum dicas= l. si ob turpem ff. de condict. ob turpem causam, cap. accepta de restit. spoliat*; & ita loquitur utraq. Gloss. *in cap. 1. versic. postmodum, cap. ad audientiam versic. ad resignationem de his, quæ vi metusue causa fiunt*; Secunda vero locum sibi vindicat, quando metus in promissione incussus, illiusque causa durat, etiam de tempore renunciationis, quæ dicitur procedere ex metu antecedenter incusso *l. metum autem §. sed quod Prætor ff. quod metus causa, l. ex ea ff. de condict. ob turp. caus. cap. solicite de restit. spoliat*; ubi quod non est verisimile, quod sponte juri suo renunciaverit, qui renunciat spoliatus, & ita interpretanda est opinio *Ioannis Andreæ, & Abbatis*, quod etiam admittitur per Sac. Rotam *dec. 327. n. 15. decis. 395. num. 11. cor. Bicb.*

24 Hoc tamen discrimen in hac re omittendum non est, quod nempe, ubi res est integra, facilius judex annuere debet pro reintegratione ad beneficium, si metus concurrerit in promissione renunciandi, quamvis de eo non appareat in ipsamet renunciatione, quod si appareat, quæstio non est; Difficilius tamen sic renuncianti danda est restitutio in integrum, si ab ordinario servatis servandis beneficium alii collatum fuerit; quodammodo enim clericus tacite quidem, sed sponte beneficium renunciasse videtur *cap. extransmissa de renunciat; cap. accepta de restitut. spoliat.; Hostien. in Summ. num. 6. de renunciat.*

25 Notandum quarto, beneficium ecclesiasticum nullo modo vacare, si renunciatio facta fit ad favorem carcerantis, aut alterius ejus contemplatione; nam sic renuncians propter odium, & malevolentiam adversus eum, qui fuit causa justæ, vel injustæ carcerationis, solet esse invitus, eique deest liber consensus, sine quo renunciatio beneficii non valet *Text. est express. in l. qui in carcerem ff. de eo, quod met. caus. Rot. decis. 327. decis. 395. cor. Bicb. decis. 132. par. 10. decis. 172. n. 12. par. 16. rec.*

26 Non item, si renunciatio beneficii facta sit favore ejus, qui carcerationis particeps non fuit, nam dispositio *Text. in d. l. qui in carcerem* edita est in odium ejus, qui beneficiatum in carcerem juste, vel injuste conjecit, ideoque ratio non patitur, ut ea extendatur ad alium, qui carcerationis causa non fuit *Gloss. in d. l. qui in carcerem, ibiq. Bart. n. 1. ff. de eo, quod met. caus. Tondut. quæst. benefic. cap. 145. num. 6.* Deinde stat bene simul, quod quis maneat in carcere, ac libere, sponte, & pleno consensu alii sibi benevolo resi-

27 gnet beneficium: Potissimum quia resignans solet constitui quodammodo extra carcerem, ac in plena libertate, prout quando resignatio fit coram Vicario, & ministris episcopi, per quorum præsentiam vere dicitur purgatus metus *Tondut quæst. benefic. cap. 145. num. 8. lib. 2.*

28 Non item, si justa fuit carceratio ex gravibus forsan delictis, quæ mereantur beneficii privationem, & adsint hic, & nunc talia indicia, quibus ea saltem semiplene probentur. Sane communiter receptum est, resignationem, seu dimissionem beneficii de jure substineri, quia metus tunc dicitur juste incussus *per Text. in l. 3. §. 1. ibiq. Glost. versic. jure licito ff. quod met. caus.* ibi = *Juris executio non habet injuriam Bart. in l. qui in carcerem ff. eod. Rot. decis. 172. num. 30. par. 16 rec. dec. 25. num. 14. cor. Cels.* ubi dicitur, quod, ut valeat resignatio beneficii, satis est conscientia patrati criminis, & clamosa, seu scandalosa diffamatio; Ideoque in his duobus casibus renunciatione beneficium vacare censetur *Clementin. 1. ibiq. Gloss. de renunciat.*

29 Disputant Canonistæ de resignatario decedente post expeditionem literarum Apostolicarum, ante tamen adeptam beneficii possessionem, an nempe per ejus obitum vacet beneficium, seu potius resignatio ipsa resolvatur. Prima sententia affirmat beneficium vacare per obitum resignatarii, nam post expeditas literas, plenum jus in beneficio obtinuit, & præsertim cum non resignans, sed Papa conferat beneficium; Ergo, si omne jus in resignatarium translatum est, per ejus obitum beneficium ipso jure vacare censetur *Clement. Unic ibiq. Gloss. de renunciat. Gratian. discept. Forens. cap 814. num. 1. Lotter. de re benef. lib. 3. quæst. 14. num. 71.*

30 Secunda sententia negat, nam resignatio admissa censetur à Papa juxta mentem resignantis, quæ talis est, aut talis omnino præsumenda est, ut nempe resignatarius integre, ac plene beneficium acquireret, percipiendo

B fru-

fructus, administrando ecclesiam, cum similibus. Deinde hujusmodi resignatio habat tacitam conditionem, quæ non abdicat jus à resignante, nisi plenum sortiatur effectum favore resignatarii: Cum igitur per ejus obitum effectum habere nequiverit juxta voluntatem resignantis, sequitur omne jus beneficii obdefectum conditionis pænes ipsum remansisse, perinde ac si resignatio vere facta non fuisset *Gloss. in cap. Olim. versic. traditum de restitut. spoliat. Gratian discept. Forens. cap. 746. n. 15. ibiq. Ant. de Luc. num. 7. & 8. Rot. dec. 3. n. 27. cor. Falconer. tit. de pension.*

31 In hac autem opinionum varietate placuit *Sac. Rotæ* utramque conciliare opinionem, distinguendo inter resignationem expeditam *in forma gratiosa*, & conceptam *in forma dignum*: Primo casu per obitum resignatarii vacat ipso iure beneficium, quia per hujusmodi resignationem plenum jus in beneficio resignatarius obtinuit *in puncto Rot. decis. 33. num. 7. cor. Dunozett. jun. decis. 270. num. 2. & 3. par 15. recen; plene in Corduben. præstimonii 21. Jan. & 27. Novembris 1724. & 18. Martii 1726. per tot. coram R. P. D. Corio.*

32 Econtra autem resignatio ipsa concepta *in forma dignum* resoluitur, quia vis hujus clausulæ ea est, ut tantum præsferat mandatum de providendo, quod tribuit jus ad rem, remanente omni jure beneficii pænes resignantem, donec conditio purificetur *cap. final. § sane de concess. præben. in 6. Rot. decis. 227. num. 24. cor. Cerr. & in Corduben. præstimonii, de qua supra.*

33 Hæc sane distinctio vera, & juridica est; sed quo ad primam partem temperamento indiget ex contraria voluntate resignantis; si enim ex mandato, supplicatione, aliisque conditionibus in ipsamet resignatione appositis constaret resignantem noluisse à se abdicare jus beneficii, nisi plenum effectum resignatio sortiatur favore resignatarii, non est amplius inquirendum, an sub una, vel sub alia clausula resignatio expedita sit, sed unice attendenda est voluntas resignantis, quæ si effectum non habuit ob resignatarii præmorientiam, sicuti non abdicatur jus à resignante, ita resignatio ipsa resoluitur *Rot. decis. 48. num 9. decis. 830. num. 3. & 4. cor. Buratt; decis. 90. num. 11. cum seq. par 9. rec.*

34 Dictum est in capite antecedenti, quod per obitum provisi habentis simplicem datam vacat ipso jure beneficium, etiam literis non expeditis; sed hoc non procedit in resignatione, quæ fit ad favorem certæ personæ; non enim beneficium vacat per paruam datam, sed post præstitum consensum à resignante in Camera, aut Cancellaria, & sic vacat post datam magnam, quæ gratiam, quæ antea erat veluti informis, perficit *Gratian. discept. forens. cap. 191 num. 5.* Unde si interim resignatarius

35 decedat, nil vacat, si vero moriatur resignans ante consensum, ut supra, beneficium ejus morte vacat, non renunciatione *Gloss. in Clementin. unic. de renunciat; Rot. decis. 1149. num. 1. cor. Emerix. jun.*

36 Solet tamen ex stylo Datariæ post obitum resignantis extendi consensus à procuratore, ut resignatio sortiatur effectum juxta ejusdem resignantis votum *d. decis. 1149. num. 23.*

37 *cor. Emerix.* sed hujusmodi consensus extensio nil prodest resignatario, si Episcopus jam contulisset alii beneficium, quod in suo mense, ut supponitur, vacavit; Procurator enim habita notitia obitus resignantis per hujusmodi consensus extensionem juribus episcopi, & provisi, præjudicium nequit irrogare *Gloss. in d.*

38 *Clement. unic. de renun. d. dec. 1149. n. 22. cor. Emerix.* Et consequenter collatio Episcopi, seu alterius collatoris, dummodo de antidata insuspecta non sit, quod præsumendum non est; præfertur provisioni Apostolicæ, quam deinde resignatarius cum clausula *perinde valere* à Papa impetravit *Rot. in Hidelsimen. Canonicatus die 1. Julii 1729. & quidquam cum seq. Cor. Eminentiss. Cinc. confirmata die 16. Maii 1732. coram R. P. D. Crescentio, & die 27. Febr. 1733. §. ex quo in fin. coram Eminentiss. Aldrovando.*

39 Notandum quinto resignationem beneficii de jurepatronatus laicalis factam ad favorem certæ personæ non valere, si Patroni assensus, prout in literis Apostolicis exprimebatur, petitus non sit, & in sequelam beneficium non per resignationem, sed per obitum resignantis vacare censetur, itaut, defuncto Titulari, possit libere Patronus alium præsentare, non obstante quacumque regula de annali, & triennali, quæ non prodest resignatario habenti titulum notorie infectum *Rot. dec. 866. dec. 915.*

40 *per tot. cor. Molin.* Quod potissimum procedit, ubi Patronus assensum præstare renuit, & resignans in possessione Ecclesiæ usque ad obitum remansit, tunc enim resignatio tanquam ineffectuata resolvitur, & beneficium vere vacat morte, non resignatione *Rot. dec. 30. num 14. & 15. cor. Molin.*

41 Notandum ultimo, quod Beneficia permutata ipso jure vacant, nam permutantes auctoritate Superioris, omne jus, quod ipsis de jure competebat, sibi invicem cedunt *Cap. 1. ibique Gloss. in verb. Collationem de rerum permutat. in 6. ibi = per permutationem negare non possumus, quin vacent Beneficia =.* Hoc ta-

42 men adiecto, quod ubi agitur de Jurepatronatus laicali assensus Patroni necessario est petendus; alioquin, si permutatio fiat inconsulto Patrono, Beneficium statim vacat, & in pœnam excessus Clericus non habet regressum ad Beneficium, si scivit qualitatem Beneficii patronalis, secus si ignoravit, *juxta distinctionem, de qua infra.* Et ratio est, quia culposa permutatio perpetuam parit vacationem Beneficii absque spe regressus, si Patronus velit; Imputet enim sibi Clericus, si contra Jus Patroni beneficium permutavit, *in puncto Rota dec. 152. n. 5. 6. part. 5. recen. tom. 1.* E contra permutatio sine culpa huic pœnæ non subjacet, idcirco Clerico sic permutanti datur regressus, obtenta tamen nova collatione, quæ ex æquitate debetur *Francus in cap. 1. n. 11. de rer. permutat. in 6. Garz. de Benef. lib. 11. cap. 3. n. 19. 29. cum seq.* Quod ra-

ratio ſuadet, nam ubi culpa non eſt, ibi ceſſat & pœna.

43 Idem ſimiliter dicendum eſt de clerico, qui de aſſenſu Patroni beneficium quidem permutavit, ſed tamen contra legem Fundatoris, qui permutationem, niſi cum certo genere perſonarum, fieri vetuit. Hoc ſane caſu beneficium ſic permutatum ipſo jure vacat, prout in permutatione facta inconſulto Patrono; paria enim ſunt permutare Beneficium, Patrono invito, ac contra legem Fundatoris. Sed an cle-

44 rico ſic permutanti competat de Jure regreſſus, *diſtingue ut ſupra*; Aut enim clericus permutans ſcivit conditionem Fundatoris prohibentis, ne beneficium, niſi eum certo genere perſonarum, permutaretur, tunc beneficium vacat abſque ſpe regreſſus, Patrono volente; nam clericus legi Fundatoris contravenit *Geminian.in cap.*1. *n.*2. *de rer. permutat. in* 6. *Rot. dec.*68 *num.*23. *par.*10. *recen.* Si vero clericus ignoravit, omnis æquitas ſuadet, ut ſic permutanti detur regreſſus, obtenta tamen nova collatione, ut ſupra, ne alias abſque culpa beneficio privetur *Rot.dec.*249 *n.*5. 6. *par.*10. *rec.*, *& in Gerunden. permutationis Beneficiorum relat. per Garz. de Benef.par.*11. *cap.*3. *n.*19. *ubi concordantes*.

A D D I T I O

SUMMARIUM.

1 Penſio per remiſſionem gratis factam extinguitur:
2 Item extinguitur, ſi anticipatis ſolutionibus, & abſque conſenſu Apoſtolico remiſſa ſit, ubi de ratione.
3 Limita, ſi commoditas penſionis, anticipata ſolutione a Penſionario ceſſa ſit titulari.
4 Penſio differt à Beneficio quoad remiſſionem, & aſſignatur ratio diſparitatis. 5.
6 Clericus minor ætate non reſtituitur ad penſionem gratis remiſſam.
7 Penſio ſemel extincta, amplius non reviviſcit.
8 Penſio extinguitur per regreſſum ad beneficium, ubi rationes.
9 Uſusfructus repugnat cum proprietate, & penſio cum beneficio
10 Declaratur primo, ſi Penſionarius irrevocabiliter beneficium ſit aſſequutus, ſecus ſi revocabiliter.
11 Penſio, evicto beneficio, reviviſcit.
12 Declaratur ſecundo, etiamſi Penſionarius beneficium, in quo impoſita eſt penſio, injuſte impetraverit *contra opinionem Gigantis*.
13 Uſusfructus indiſtincte re evicta reviviſcit.
14 An penſio Cardinali reſervata per renunciationem dignitatis extinguatur, diſtinguitur.
15 An penſio reſervata Militi, ſeu Officiali, ceſſante Militia, ſeu Officio extinguatur, diſtinguitur.

1 Renunciatione, ſeu remiſſione, dummodo hæc gratis fiat, penſio quoque vacat, ſeu potius extinguitur. A pari in hoc procedit cum beneficio *Cap. ex tranſmiſſa de renunciat. cap. quamvis de pact. in* 6. *l. quæritur* §. *Remittentibus ff. de ædilic. edict.* Sed ſi anticipa-

2 tis, ſeu anticipandis ſolutionibus, & abſque aſſenſu Apoſtolico remiſſio facta ſit, non tam remiſſione, ſeu renunciatione, quam ex capite Simoniæ penſionem extingui recepti Juris eſt, dummodo tamen Ius penſionis per contractum in alium translatum ſit; ſecus ſi ejus commo-

3 ditas, anticipata ſolutione à penſionario ceſſa ſit titulari ad ejus vitam: Non enim hoc caſu extincta eſt penſio, ſed anticipate potius exacta, quod in commoditate fieri omni Iure permiſſum eſt: Unde defuncto titulari, penſionarius redit ad primæva Iura contra ſucceſſorem beneficii *Rot. in Romana penſionis* 4. *Decembris* 1684. §. *Nec ſecunda cor. Matthæja.*

4 Differt tamen penſio, a beneficio; nam penſio poteſt renunciari, ac gratia remitti ſine Ordinarii aſſenſu, niſi ad ejus titulum penſionarius ad ordines promotus ſit, tunc enim fruitur privilegiis patrimonii, quod eſt inalienabile, abſque Epiſcopi licentia *ex Tridentin. Seſſ.*21. *Cap* 2. *Rot. dec.*561. *num.*4. *part.*19. *rec.* At beneficium Eccleſiaſticum, a Clerico non poteſt dimitti, niſi accedente Ordinarii conſenſu *Cap. admonet de renunciat.* Et ratio

5 diſparitatis eſt, quia beneficiatus poteſt Eccleſiæ prodeſſe, ideoque de neceſſitate Ordinarii aſſenſus eſt petendus. E contra penſionarius infert damnum, & gravamen, quod ſubſtinet Eccleſia, ſolvendo ipſi annuam penſionem; Unde propterea, ſicuti facilius admittitur reditus rei ad ſuam primævam naturam, ita poteſt penſionarius per remiſſionem, ſeu renunciationem penſionis Eccleſiam ab hoc onere eximere, & reſtituere ad primævam libertatem.

6 Quæ vera quoque ſunt in Clerico minoris ætatis: nam licet in beneficio ſatis controverſum ſit, an minori renuncianti ſit ad illud danda reſtitutio in integrum *ex juribus jam dictis*, nihilominus in renunciatione, ſeu remiſſione penſionis hæc non applicantur, prout vere diſtinctio de re integra, ſeu non integra, penſioni non congruit: nam, ubi penſio ſincere, ac palam remittitur, res amplius integra non eſt, cum Eccleſia, & libertatem acquiſierit, & titularis ab onere ſolvendæ penſionis ſta-

7 tim liberatus ſit: Et juſta quidem ratione, quia reſtitutio dari haud poteſt ad Jus, quod ſemel extinctum eſt *l. quid tamen* §. *non tantum ff. quib. mod. uſusfruct. amitt. Caſtill. de uſusfruct. quæſt.* 72.*n.*6.; ubi, quod uſusfructus ſemel extinctus amplius non reviviſcit *Torr. var. reſolut. lib.*3. *cap.* 8. *num.* 52., *ubi idem dicitur de penſione*.

8 Ruſſus vacat, ſeu extinguitur penſio, ubi penſionarius ad beneficium, in quo ea erat impoſita, regreſſum obtinuit: repugnant enim

actio, & passio in eodem subiecto *l. Uranius ff. de fidejussor. l. in omnibus ff. de solution.*; Repugnat insuper, quod pensionarius capiat pensionem à seipso, sicuti quis non potest eodem tempore esse hæres, ac legatarius sui ipsius *l. legatum 1. hæredi*, *l. plane §. si duobus ff. de legat.* 1. 9. Repugnat demum ususfructus cum proprietate, nam ususfructus à proprietate distractus jure servitutis debetur, conjunctus cum proprietate jure dominii percipitur, ideoque sicuti proprietas, quæ redit ad ususfructuarium, usumfructum extinguit *l. si tibi ff. quib. mod. ususfruct. amittutur*, ita idem in pensione dicendum est, nam pensionarius est Ususfructuarius vi quotæ, seu partis fructuum beneficii: Et consequenter per accessum, seu regressum ad Beneficium, pensio extinguitur *Gigas de pension. cap.* 49. *per tot.*, *Tondut. eod. tract. cap.* 52. *num.* 27., *& cap.* 74. *num.* 13. *ad* 21., *Torr. de pact. futur. success. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 72. *Adden. ad Baratt. decis.* 528. *num.* 4., *Rot. apud Marchesan. de Comiss. lib.* 1. *fol. mihi* 568.

10 Quod dupliciter declaratur, primo, ut jam dicta procedant, si pensionarius irrevocabiliter beneficium assecutus fuerit, secus si revocabiliter, nam ususfructuarius acquirens irrevocabiliter proprietatem desinit habere usumfructum, eo titulo, quo prius utebatur: si verò revocabiliter, & ad certum tempus proprietatem adeptus sit, proprietate amissa, usumfructum priori titulo, qui adhuc durat, percipit *Cagnol. in l.* 2. *num.* 192. *C. de pact. inter emptor. & venditor.*, *Tiraquell. de retract. lignag. §* 1. *gloss.* 7. *num.* 62. *cum seqq.* *Cancer. var. resol. par.* 3. *cap.* 3. *num.* 309, *Cyriac. controv.* 500. *num.* 22. *Gratian. discept. forens. cap* 203. *num.* 39., *Coradin. de prelat. quæst.* 30. *n.* 10., *Surd. decis.* 51. *n.* 23., *Giurb. decis* 63 *num.* 3.; Ita à pari pensio extinguitur, si beneficium irrevocabiliter, secus si revocabiliter per pensionarium obtentum sit *Tondut de pens. quest.* 74. *num.* 13., ubi di-
11 cit, obtinentem beneficium, in quo ejus favore pensio erat reservata, dimisso voluntarie beneficio, non habere regressum ad pensionem jam extinctam, secus si coactus illud dimiserit, tunc enim pensio veluti à somno excitata, iterum reviviscit, quod quoque habetur *in Romana pensionis* 4. *Decembris* 1684. §. *Nec quarta cor. Matthæio.*

12 Declaratur secundo etiamsi pensionarius beneficio, in quo sibi pensio erat reservata, impetraverit, sciens ad alium de jure spectare: Nam si fuerit inde spoliatus habet regressum ad pensionem *ex juribus jam dictis*. Et quamvis *Gigas de pension. quæst.* 49. *num.* 8. dicat, eum, qui minus juste impetraverit beneficium, pensionem sibi super eodem reservatam amittere, secus si ignorans illud obtinuerit *per ea, quæ notant Bald.*, *& Salicet. in l. Si maritus C. de Procurator.*, nihilominus hæc distinctio jure non probatur, nec ulla facienda est differentia inter scientiam, & ignorantiam, sed indistincte, sive quis sciverit, sive ignoraverit, jus sibi super beneficio competere, vel non, evicto beneficio, pensio reviviscit *in puncto Tondut. de pens. quæst.* 74 *num.* 20. *& seqq.*, quæ sententia vera est, & magis rationi consentanea *per ea, quæ notat Bald. in l.* 1. *num.* 2. *C. de inoffic. testam.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 203. *num.* 39. *cum seqq. lib.* 2. *per Text. in l. si Do-*
13 *minus ff. de usufruct.*, ubi usufructuarii jus, re evicta, integrum manet, sive sciverit posse retractari, sive ignoraverit: ita à pari in pensione, quæ regulatur juxta leges loquentes de usufructu *Rot. decis.* 448. *num.* 27. *&* 30. *cor. Duran.*

14 Demum non inutiliter potest inquiri, an pensio Cardinali reservata per renunciationem hujus dignitatis vacet, & extinguatur. Quæstionis resolutio pendet à verbis indulti, ad quæ recurrendum est, si casus in praxi disputandus occurrat: Non enim dari potest certa regula in iis, quæ omninò pendent à libera Principis voluntate. Breviter tamen dico, quod aut ex verbis indulti, seu reservationis constat contemplatam fuisse personam pensionarii, prout in dubio præsumitur, tunc pensio non vacat, nec extinguitur, quia non deest persona, cujus contemplatione pensio fuit reservata, dummodo tamen sic renuncians incedat in habitu, & tonsura, vel alias habeat indultum retinendi pensionem, etiam in statu laicali *Rot. dec.* 355., *dec.* 395. *per tot. cor. Cels.*. Aut ex verbis reservationis contemplata fuit dignitas, tunc, dimissa dignitate, pensionem extingui non est dubitandum, quia sicuti per renunciationem dignitatis vacat dignitas ipsa, ita etiam pensio, quæ dignitati cohæret *Cap. cum cessante de appellat.* *Rot. decis.* 70. *par.* 1. *divers.*, ubi quod privilegium concessum scriptoribus Apostolicis, ut sint Prothonotarii, cessare dicitur, dimissa scriptoria, cujus contemplatione illud fuit concessum, & habetur in voto cl. me. Cardinalis Pamphilii, & Cardinalis Millini in causa *Taurinen.*, *seu Augustana pensionis* 18. *Maii* 1601., quod refert, & sequitur *Rot. decis.* 733. *num.* 5. *par.* 2. *recen.*, sicuti indultum percipiendi fructus, & distributiones concessum clerico intuitu officii, quod certis diebus, & horis præpediebat divinis interesse, mutato officio expirat, *Sacra Congregatio in Romana indulti* 29. *Novembris* 1681. *lib. decret.* 32. *fol.* 43., *&* 13. *Martii* 1683. *lib. decret.* 33. *fol.* 71., Aut demum contemplata fuit dignitas, & persona: hoc casu pensio nunquam extinguitur, quia, adempta dignitate remanet persona, in qua tota veluti per jus non decrescendi pensio consolidatur, *ut in dictis decis.* 355. 395. *cor. Cels.*

15 Et cum hac juridica distinctione procedendum est in pensione reservata militi, aut officiali: nam si intuitu militiæ, seu officii reservata sit, dimissa militia, seu officio, pensionem extingui certum est. Secus si contemplatione personæ *Tondut. de pens. quæst.* 38. *num.* 28. *cum seqq.*, *Rocc. disp.* 191. *num.* 1. *cum sequen.*, *Rot. d. decis.* 773. *per tot. par.* 2. *recen.*

AR-

ARGUMENTUM

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob matrimonium *ad ornatum Text. in Cap.* 1., *& 2. Cap. quod à te, Cap. diversis de Cleric. Conjugat.*

SUMMARIUM.

1 CLericus non potest eodem tempore laicus esse, uxorem habere, & beneficia retinere.
2 Beneficia, officia, & dignitates vacant per matrimonium.
3 An vacet beneficium per matrimonium contractum coram Sacerdote nullam habente auctoritatem interessendi matrimoniis, affirmant, & negant ibidem 4.
5 Sententia affirmativa *ab Auctore* recipitur.
6 Ampliatur in Sacerdote, & quare.
7 An vacet beneficium, si clericus contraxerit matrimonium cum impubere; Prima opinio indistinctè negat.
8 Distinguit *Suarez*, si clericus sciret, vel ignoraret puellam impuberem.
9 Impugnatur distinctio.
10 Declaratur *Rota decis.* 1. *de sponsalibus in antiquis, & antiquioribus.*
11 Impugnatur ratio deesse consensum clerici in matrimonio contracto cum puella impubere.
12 Verior sententia est indistinctè vacare beneficium per matrimonium contractum cum impubere, ubi de ratione 13.
14 Vacat beneficium per matrimonium contractum inter consanguineos *contra Decium*.
15 Limitatur in matrimonio contracto per vim, & metum.
16 Beneficia vacantia per matrimonium possunt conferri ab Episcopo prout de jure, seu impetrari à Papa.
17 Beneficium ipso jure vacat, si ante signatam gratiam à Papa, resignans matrimonium contraxerit, & vacat apud sedem, si matrimonium contractum sit in mense Apostolico ibidem.
18 An vacet beneficium per resignationem, seu potius per matrimonium, si post signatam gratiam, ut supra, & ante præstitum consensum resignans matrimonium contraxerit, & beneficium fuerit impetratum.
19 Defenditur impetrans, ubi rationes.
20 Defenditur resignatarius, ubi fundamenta.
21 Consensus formalis retrotrahitur ad diem supplicationis signatæ.
22 Explicatur differentia inter supplicationem, præsentatam consensum parvum, & consensum formalem, ubi quod ante consensum valet impetratio beneficii vacantis per matrimonium, ibidem in fine.
23 Limita, si consensus per notarium à tergo supplicationis extensus sit, resolvitur quæstio ibidem, & respondetur objecto 24.
25 Post parvum consensum per notarium, ut supra, extensum, beneficium vacat renunciatione, si resignans interim moriatur.
26 An Capellaniæ, & administrationes Ecclesiasticæ, seu laicales vacent per Matrimonium, distinguuntur casus ibidem 27. 28. 29.
30 An beneficium vacans per matrimonium in Urbe contractum vacet in Curia, vel apud sedem. Affirmant *Ambarum. & Vitalin.*
31 Impugnatur hæc opinio.
32 Papa conferens beneficia vacantia per matrimonium contractum in Urbe non potest redargui de summo jure, & quare.
33 Temperatur sententia negativa, si Papa beneficia quomodocumque, seu qualitercumque vacantia, seu vacatura sibi in concordatis reservasset.
33 Beneficia de jure patronatus Laicorum vacantia per matrimonium in Urbe non sunt Papæ reservata.
35 Beneficia Patronalia vacantia per obitum in Curia solet ex stylo Papa pro una vice conferre.
36 Hujusmodi stylus nequit extendi ad eadem beneficia, quæ in urbe per matrimonium vacant.

CAPUT III.

1 SIcuti quis eodem tempore nequit esse clericus, & laicus, ita non potest eodem tempore Uxorem habere, ac retinere, seu assequi beneficia ecclesiastica: repugnat enim beneficium uxoris cum
2 beneficio ecclesiastico. Unde communiter receptum est omnes dignitates, canonicatus, officia, & beneficia, & quæcumque alia ministeria Ecclesiastica per contractum matrimonii ipso jure vacare: Clericus enim contrahens matrimonium assumpsit, quantum in se est, statum incompatibilem cum statu ecclesiastico, & sacerdotali, cùi, juxta canones Apostolicos, & antiquam Ecclesiæ consuetudinem, status conjugalis repugnat *cap.* 1. *& 2.*, *cap. quod à te, cap. diversis de cleric. coniugat. Gloss. in cap.* 1. *versic. clericalis eod. tit. in 6.*, *Rot. decis.* 166. *num.* 1. *coram Cavaler. decis.* 422. *num.* 7. *cor. Peutinger. decis.* 468., *decis.* 522. *per tot.*, *decis.* 630. *n.* 18. *par.* 19. *recen.*

3 Quæstio est, an ipso jure vacet beneficium clerici, qui coram sacerdote non habente auctoritatem, nec ordinariam, nec delegatam, matrimonium contraxit. Variant in hac controversia scribentes. Prima sententia est, quod per matrimonium etiam nullum vacat ipso jure beneficium, quoniam sicuti Clericus statum voluit mutare, ita facto ipso Beneficiis ecclesiasticis renunciasse videtur, sciens se in hoc statu non posse beneficia ecclesiastica possidere *cap.* 1. *ibiq. Gloss. de cleric. coniugat.*, *Tondut. de pens. quæst.* 75. *num.* 33., *Rot. decis.* 250. *n.* 21. *par.* 7. *rec.*

4 Alii verò contrariam propugnant sententiam, quia ubi matrimonium nullum est, perinde habetur, ac si contractum non fuisset, præsertim *ex decreto Tridentini sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.*, ubi matrimonium absque

que assistentia Parochi, vel alterius de cjus licentia, ipso jure nullum declaratur; Unde inferunt hujus opinionis assertores, Claricum privandum quidem esse, sed non esse ipso jure spoliatum *ex deductis per Garz. de Benef. par. 11. cap. 8. num. 14., & 15., Sanchez de matrim. lib. 7. cap. 43. num. 4., Marin. var. resol. lib. 1. resol. 60.*

5 Hsnc tamen opinionem non esse veram absque dubio censemus, prout non recipitur à Canonistis in praxi: & justa quidem ratione, quia jura simpliciter statuunt, per matrimonium vscare ipso jure beneficium, nec distinguunt, an matrimonium nullum sit, sen validum: unde nobis distinguere fas non est, maxime quia ex parte Clerici concurrit libera volnntss mutandi statum Ecclesiasticum in laicslem, quæ quidem deliberata voluntsa sufficit, ut vacstio beneficii censeatur inducta ex ratione *Text. in cap. cum qui de præben. in 6., Rot. d. dec. 250. num. 21. par. 7. recen.*

6 Amplistur suprsdicta conclusio eo msgis in clerico constituto in sacris ordinibus, aut Sacerdote, qui licet sit incspax omnino contrahendi matrimonium ob votum solemne ordini sacro snnexum, tamen si de facto contrahat, maximum redolet dedecus similitudinariæ poligamiæ in pœnam hujusmodi excessus, & ob gravem spretum utriusque sacramenti, quod involuit suspicionem hæresis, remanet ipso jure privatus beneficio, quod statim vacat *Barb. s. in cap. 1. num. 7. de cleric. conjugat.*; ubi utramque refert opinionem. In hac enim materia attenditur factum, non autem facti validitas pro effectu, de quo agitur *Rot. in Lucana de insula sancta coram Lancellot. relat. per Garz. de benef. par. 11. cap. 8. num. 13.*

7 Augetur difficultas in clerico contrahente matrimoninm cum puella impubere, quę ex defectu ætatis matrimonii cspsx non est; Unde dubitatur in hoc casu de vacatione Beneficii ipso jure. Prima opinio indistincte negat, nam propter inhsbilitatem ex psrte puellæ impuberis, quę nequit mstrimonio assentire, deest quoque consensus ex parte clerici habilis ad matrimonium contrahendum. Hoc est discrimen inter duos habiles, quamvis coram non Parocho matrimonium contraxerint, ut in quæstione antecedenti, & inter duos, quornm unus est capax, & alter incapsx matrimonii. Primo casu clericus ipso facto beneficiis renunciare censetur quia hsbet animum mutandi statnm, qusmvis per accidens matrimonium nullum sit: quæ ratio cessat in præsenti quæstinne, in qua contractus matrimonialis nequit claudicare. Porro si matrimonium nullum est ex defectu consensus pro parte puellæ impuberis, nullum quoque ex eodem cspite dicendum est pro parte clerici, qui pubertatem excessit *Bajoch. in cap. diversis num. 10. de cleric. conjugat., Riciull. de personis extra gremium Eccl. existen. lib. 7. cap. 2. num. 7., Vasq. de successiou. lib. 3. cap. 22. limit. 17. num. 47.*, ubi distinguit, si clericus sciret, vel ignoraret

8 puellam impuberem, inferendo in primo casu nullo modo vacare Beneficium, bene quidem in secundo csiu: idemque dicit *Adden. ad Roman. cons. 483.*

9 Hæc tamen distinctio rationi non innititur, nam vis non stat in scientia, aut ignorantia qualitatis puellæ impuberis, ac si sciens animum mutsndi statum non hsbuerit, sed stat in facto ipso, quod srguit deliberatum animum mutandi statum, & contrshendi verum matrimonium *ex juribus mox relatis.*

10 Nec contrarium innuit *Rot. decis. 1. de sponsal. in antiquit*, quia ibi pucila erat proxima pubertsti, itaut ne dubitatum quidem fuerit de matrimonio, *ut ibidem habetur*, quod etiam satis expressum est *in decis. 1. de sponsal. in antiquior.*

11 Nec verum est deesse consensum ex parte clerici, ex quo puella tanquam impubes matrimonii capsx non sit. Nam ex hoc ipso fortior arguitur voluntas mutandi statum, dum clericus contra canonem, & legum sanctiones, matrimonium contrahere conatus est *l. final. ibique Bald. ff. de reb. cor.*, ubi quod voluntas etiam ex actu invslido agnoscitur.

12 Firmiter igitur contraria sententia omnino tenenda est, matrimonium nullum, prętęrquam ex defectu consensus ex parte clerici parere ipso jure vscationem beneficii, ut in matrimonio contracto cum uxore alterius, sive scienter, sive ignoranter; nsm, ut habetur *in cap. eum qui de præben. in 6.*, non

13 debet esse melioris conditionis, qui contra canones, quam qui secundum cannnes contrahit *Abb. in cap. 1. num. 7. de cleric. conjugat. Gratian. discept. forens. cap. 5 num. 39. cum seqq. lib. 1., Lotter. de re benefic. lib. 3. quæst. 26. n. 76. cum seqq.*

14 Ita quoque matrimonium contrsctum cum consanguinea, quidquid sentiat *Decius cons. 165. num. 1.*, esmdem parit pœnsm ea ratione, quia non jus, sed factum ipsum sttenditur *Barbos. in cap. 1. num. 8. de cler. coniug. Roman. cons. 483. num 6. Oldrad in lib. magno quæst. disput. quæst. 54. & quæst. 72.*

15 Quo vero attinet ad matrimonium contractum a clerico per vim & metum quæstio non est, tùm quia consensus ab invito est extortus, tum etism quia injuste incusus est, & consequenter sicuti clericus non habet animum mutandi statum, ita per hujusmodi matrimonium nullam pænam privationis beneficii incurrit, *ita habetur in dicta Lucana, de qua supra*

16 In his itaque omnibus, aliisque similibus casibus, in quibus per matrimonium vacant ipso jure beneficia, potest episcopus, pront de jure, ea libere conferre, & à quocumque impetrari à Papa *cap. licet Episcopus de præben. in 6.*, dummodo tamen probetur vere contractum fuisse matrimonium, quod est impetrantis fundamentum *ex cap. 1. & 2. de cleric. conjugat. Rot. in d. Lucana relat. per Garz. de benef. par. 11. cap. 8. n. 13. in fin.*

17 Itidem

17 Itidem Beneficium ipso jure vacat, ubi resignans, ante gratiam à Papa signatam matrimonium contraxit, etiamsi per prius ad illud resignandum mandatum dederit, nam per matrimonium resignans amisit statim omne jus beneficii, quod in resignatarium amplius transferre non potuit *Rot. decis.* 468. *decis.* 522. *par.* 19. *recen.*, quæ sunt in hac materia magistrales, ubi etiam illud adiicitur, quod, si matrimonium contractum sit in mense Apostolico, Beneficium ax hoc eapite vacat in curia, seu apud sedem *d. decis.* 468. *num.* 10., *decis.* 522. *num.* 2. *par.* 19. *recen.*

18 Dubium, & quidem grave ex jam dictis potest excitari, an scilicet beneficium vacet per resignationem, seu potius per matrimonium, si resignans post gratiam signatam à Papa matrimonium contraxerit, & antequam ejus consensus in Camera, aut Cancellaria per procuratorem præstitus fit, alter idem beneficium, uti vacans per matrimonium, impetravit. Casus est singularis, & notatu dignus, sicuti est ad utramque partem disputabilis.

19 Et sane videtur, quod per matrimonium beneficium vacet, nam, *ut in cap. antecedenti* dictum est, beneficium resignatum non vacat per simplicem gratiam, sed post præstitum consensum in Camera, seu Cancellaria, sine quo gratia est informis, nec ullum jus resignatario tribuit *ex auctoritate Gratian. cap.* 191. *n.* 5. 6. Ergo si ante consensum præstitum, ut supra, resignans matrimonium contrahat, beneficium per matrimonium vacare censetur; nam hoc tempore omne jus beneficii erat adhuc penes ipsum, quod deinde per matrimonium extinctum est *Gloss. in cap.* 1. *de cleric. conjug. in* 6., Et consequenter consensus inde præstitus ab ejus Procuratore post jam contractum matrimonium, resignatario non prodest, quia res non est amplius integra, & beneficium iam per matrimonium vacavit, sicuti ante præstitum consensum in Camera, seu Cancellaria beneficium vacat morte, non renunciatione, si interim resignans moriatur *Glossa in Clementina unica de renunciatione, quod supra satis explicatum est*, ita à pari in hoc casu: Unde impetrator beneficii ex hoc capite præfertur resignatario in excquutione literarum Apostolicarum.

20 Sed non desunt pro resignatario validissima juris fundamenta: nam post signatam gratiam, acquiritur jus in beneficio, quo resignans censetur privatus, eo ipso quod Papa resignationem admisit: Unde sicuti post mortem resignantis extendi solet consensus ab ejus Procuratore, ut juxta ipsius mentem resignatio effectum sortiatur *Rot. decis.* 1149. *in fin. cor. Emerix jun.*, ita à pari.

21 Fortius, quia post signatam supplicationem, consensus ita præstitus in Camera, seu Cancellaria retrotrahitur ad diem supplicationis *Rot. decis.* 172. *cor. Cels. repetit. in decis.* 322. *num.* 22. *par.* 11. *recen.*, Sed hæc argumenta quæstionem non solvunt: adhuc enim veritas in tenebris latet, quæ non ita facile erui potest, nisi distinguatur inter antiquum, & novum stylum Datariæ.

22 Notandum itaque est valde differre inter se supplicationem, Præsentatam, consensum parvum, & consensum formalem: Sane supplicatio resignatario non prodest, acsi inferri posset consensus resignantis ex principio, quod uempe, qui supplicat, consentire videatur illa enim procedit de stylo antiquo, multoque minus Præsentata Subdatario supplere potest consensum, cum sit actus præparatorius ad rem perficiendam, nam Subdatarius in calce rescribit = *extendatur consensus Rot. decis.* 191. *num.* 9. *cor. Cels.*, *dec.* 1149. *cor. Emerix Jun.*. Idcirco si in his circumstantiis tertius impetraverit beneficium uti vacans per matrimonium, dubitandum non est de validitate impetrationis, nam gratia obtenta à resignatario adhuc est informis, cum nullo modo constet de consensu resignantis sive per se, sive per ejus Procuratorem, ut patet.

23 At si parvus consensus à tergo supplicationis per notarium ad id deputatum extensus sit, & deinde accidat à resignante contrahi matrimonium, quod deinde causam præbuit, ut tertius beneficium impetraret, tunc consensus formalis, qui deinde præstitus sit in Camera, seu Cancellaria, fatis est ad intentum resignatarii, cujus jura absque dubio prævalent impetrationi, quam medio hoc tempore tertius obtinuit, & ratio est quia per parvum consensum, ut supra adnotatum, jam constat de mente resignantis, qui jus beneficii à se jam abdicavit, & in resignatarium totaliter transtulit: præterea consensus formalis, qui inde extenditur in libris Cameræ, aut Cancellariæ retrotrahitur ad diem parvi consensus, etiam in præjudicium impetrantis, *in puncto Gratian. cap.* 191. *num.* 3., *Rot. decis.* 1149 *cor. Emerix jun. relat. per Piton. in suis discept. cap.* 5. *in fin.*, ubi erudite hujusmodi materiam discutit.

24 Nec obiiciatur consensum formalem post contractum matrimonium in Camera, seu Cancellaria præstari haud posse in præjudicium impetrantis *cap. quamvis de rescript. in* 6., *l.* 2. §. *Si quis ff. ne quid in loc. publ.* Respondetur, consensum formalem adnotandum in libria Cameræ, seu Cancellariæ prodesse resignatario, quia jam constat de parvo consensu resignantis adnotato per notarium à tergo supplicationis iam signatæ. Porro sicuti consensus formalis retrotrahitur ad diem parvi consensus in præjudicium provisi ab ordinario, ita à fortiori idem dicendum est contra odiosum Impetrantem.

25 Immo si post parvum consensum, ut supra, beneficium vacat renunciatione, non morte si resignans interim obierit *Garz. de Benef. cap.* 1. *par.* 2. *num.* 130. *in fin. Rot. decis.* 172. *num.* 8. *cor. Cels.*, ita idem dicendum est, si post parvum consensum adnotatum, ut su-

supra, resignans Matrimonium contraxerit; utrobique enim eadem Juris ratio militat.

26 De Cappellaniis, seu administrationibus Ecclesiasticis, aut laicalibus super earum vacatione per matrimonium firmum iudicium fieri non potest, id enim pendet ex fundatione, & ab observantia, quæ est optima cuiusque rei interpres: Ut autem iuridica in hac re habeatur resolutio, plures casus distinguendi sunt, quorum primus est, aut in fundatione cappellania, seu administratio ecclesiastica denominatur, & in administratores non deputantur, nisi Clerici; hoc casu cappellania, seu administratio Ecclesiastica ipso iure per matrimonium vacat; repugnat enim hanc possideri à laico tum ex voluntate fundatoris, tum etiam ex mente legis, multoque magis repugnat conjugato, qui, ut est incapax Beneficii *cap. cum adeo* 17. *de rescriptis*, *cap. ex literis* 6. *de transaction. cap.* 2. *de institut*, ita quoque est incapax Cappellaniæ, seu administrationis ecclesiasticæ *Abb. in cap. sane num.* 2. *de cleric. coniug. Rot. decis.* 3. *num* 7. *cor. Cæsar. de Graff. de præben.*, ac per consequens contracto matrimonio, ipso iure vacat, & potest libere conferri, aut alter clericus deputari in administratorem ab Episcopo, vel ab iis, qui habent nominandi facultatem juxta legem fundationis, immò preventivè uti vacans per matrimonium, impetrari potest à Papa, eo modo, quo ecclesiasticum impetratur beneficium, à quo Cappellania Ecclesiastica parum, vel nihil differre videtur *cap.* 1. & 2. *de cleric. conjugat.*, *Gloss. in cap.* 1. *eod. tit. in* 6.

27 Secundus casus est, quod licet cappellania, seu administratio perpetua, prout laicalis est, importet veram temporalitatem, itaut laici, & uxorati sint etiam capaces eam obtinendi in administrationem, nihilominus si dari soleat Clericis dicitur ecclesiastica, & huiusmodi qualitas eum parit effectum, ut deputari nequeant, nisi qui clericali tonsura insigniti sunt, ergo administratio Ecclesiastica, uti talis per contractum matrimonii eo ipso vacare censetur quia eius possessio ex ipsamet observantia ei, qui matrimonium contraxit, repugnat, *in puncto Cæsar de Graff. decis.* 3. *n.* 4. & 5. *de præben.*

28 Tertius casus est, aut Cappellania, seu administratio in sui erectione fuit mere laicalis, & talis reputatur in executione, quia laicus in administratorem cum facultate utendi, & fruendi deputari solet: Hoc casu per matrimonium non vacat ex lege fundationis, & dispositione Juris, ac etiam ex ipsamet observantia: Est enim mera temporalitas, cujus sunt capaces laici, milites, mulieres, & uxorati *Rot. decis.* 1. *num.* 7. *cor. Buratt.*

29 Quartus casus est, quando nempe versamur in dubio, & quandoque deputati fuerunt laici, quandoque clerici arbitrio Patronorum: Hoc sane casu quæstio à Judice dirimenda est iuxta facti, & temporum circumstantias, quibus induci potest vacatio, si qualitas ecclesiastica præponderat: aliàs, si laicalis, vacatio non intrat, quod pendet, an observantia assistat clericis, seu potius laicis, *juxta Text. in cap. consultationibus de Jurepa. ronat.*, *cap. querelam de elect.*

30 Hinc non levis oritur Juris disputatio, an beneficium vacans per matrimonium in urbe contractum vacet in curia, seu apud sedem *juxta Text. in cap.* 2. *de præben. in* 6., affirmant *Ancharan. in cap. præsenti n.* 3. *versic. vel. ibi ducant uxores eod. tit. in* 6. *Vitalin. in Clement.* 1. *num.* 70. *ut lite pendente.*

31 Verum hæc opinio non placet, nam *Text. in d. cap.* 2. procedit tantum in beneficiis vacantibus per obitum in curia, nec ulla patitur ratio, ut ea lex extendi debeat ad vacationem per matrimonium: Sunt enim diversa inter se, vacare propter deficentiam status, & propter status incompatibilitatem: deinde vacatio per matrimonium non tam vacatio est, quam pœna, quæ clericos, qui uxorem ducunt, inhabilitat, ne beneficia ecclesiastica licite, & valide in statu coniugii retinere valeant *cap.* 1. *ibique Gloss. versic. relinquenda de Cleric. coniugat.* Demum vacatio per obitum in curia est odiosa, ac irrogat præjudicium juribus ordinarii, cui sine dubio competit facultas conferendi Beneficia vacantia in suo mense, ideoque uti odiosa extendi haud potest ad vacationem, quę inducitur per matrimonium in urbe contractum.

32 Quamvis hæc opinio verior sit in puncto juris, nihilominus si Papa beneficia sic vacantia conferret, dummodo de eius voluntate sufficienter appareat, etiamsi de rigore juris collatio ad ordinarium pertineret, non esset redarguendus de summo iure: omnia enim beneficia, dignitates, officia, & ministeria ecclesiastica ab ecclesia romana, cujus caput est Papa, ortum habuerunt *Can. omnes distinct.* 22., ac etiam quia beneficia, quæ per matrimonium vacant in urbe, saltem lato modo vacant in curia, seu apud sedem, & sic quodammodo collatio beneficiorum vacantium per matrimonium in urbe contractum, ad Papam spectare videtur *Rot. decis.* 73. *num.* 8. *coram Benincas.*, *decis.* 599. *n.* 3. *par.* 18. *recen.*

33 Temperatur nostra sententia, ut locum non habeat, si Papa quomodocumque, seu qualitercumque vacantia, & vacatura sibi reservasset; hoc casu beneficia vacantia in urbe per matrimonium ibidem contractum non vacant in curia *ex cap.* 2. *de præben. in* 6. Sed potius *ob extravagantem ad regimen. eod. tit.*, ubi quod per privationem beneficia vacant in curia, seu apud sedem, & in hoc casu iuste, & fundatæ mihi semper visæ fuerunt resolutiones Sac. Rotę, quæ sunt impressæ apud *Benincas. decis.* 16., *decis.* 73. *per tot.*, ubi dictum fuit impetrationem be-

ne-

neficii vacantis per matrimonium in Urbe contractum de jure sustineri; quòd speciale est ob dictam extravagantem *ad regimen* impressam in Constitutione Nicolai V., qui itá edidit concordata cum natione Germanica, ut ibi.

34 Denique beneficia vacantia per matrimonium in urbe à Papa conferenda non sunt, si præsentatio competat Patronis Laicis ex fundatione, & dotatione; nam sicuti sub reservatione non veniunt beneficia patronalia, *ut ait Gloss. in d. cap. 2. de præben. in 6.* ita à fortiori non erunt comprehensa eadem beneficia, quæ va-
35 cant in urbe per matrimonium. Et licet Papa de his beneficiis etiam patronalibus vacantibus per obitum in urbe soleat pro una vice providere, prout extant exempla *apud Spad. cons. 11. lib 3.* ubi allegat *Mandoz; Staphil & alios*, quod satis videtur durum, & rigoro-
36 sum, nihilominus hujusmodi stylus nequit extendi ad eadem beneficia, quæ vacant in urbe per matrimonium, ne aliàs hujusmodi stylus nimium ultra literam, & mentem legis extendatur, *& ita sentit Staphil. de Jurispatronat. prærogativa num 11.* quod potius innuit, quam probet, ejus tamen sententia vera est

A D D I T I O.

S U M M A R I U M.

1 PEnsio extinguitur per matrimonium.
2 Limita in pensione laicali.
3 Limita in pensione pro benemeritis, & servitiis reservata.
4 An indultum retinendi pensionem in statu conjugali suffragetur etiam pro matrimonio cum vidua contracto.
5 Defenditur pensionarius ex rationibus ibidem adductis.
6 Sed contrarium concluditur, ubi de ratione 7.
8 Si vero indultum loquatur de Virgine, seu muliere promiscue, distinguitur; Aut indultum loquitur de muliere, seu virgine, aut è contrà: primo casu pensio extinguitur, 9.
10 Idem videtur dicendum in secundo casu.
11 Verbum *Mulier* simpliciter prolatum interpretatur de virgine, præsertim si in indulto fiat mentio de virgine, & muliere.
12 Papa non censetur dispensasse duplici Juris impedimento.
13 Sed contrà concluditur, ubi quod verbum *Mulier* in propria significatione intelligitur de corrupta.
14 In indulto verbum non debet esse otiosum.
15 Clericus conjugatus incapax est pensionis, prout bigamus.
16 Pensio extinguitur in reiteratione Matrimonii, non obstante indulto.
17 Indultum retinendi pensionem in statu conjugii, intelligitur de primo, non ulteriori matrimonio.
18 Pensio ob indultum effrenatum nubendi cum quacumque muliere non extinguitur per Matrimonium cum Vidua.
19 Facultas transferendi pensiones per matrimonium facilius extinguitur, ubi de ratione.
20 Ampliatur, etiamsi facultas transferendi concessa sit non obstante promotione ad Ecclesias Cathedrales, mutatione status.
21 Matrimonium non venit sub mutatione status, nisi expressè dicatur.
22 Mutatio status fieri potest, retento ordine clericali, ubi exemplificatur.
23 Facultas transferendi pensionem, non obstante indulto, ut supra, per matrimonium extinguitur.
24 limitatur, si ante matrimonium pensio vi indulti validè translata sit.

1 MAtrimonium per se est status incompatibilis cum obventionibus à clericatu provenientibus, idcirco pensio intuitu ordinis clericalis reservata, per matrimonium vacat, & extinguitur, nam pensionarius per hujus status electionem tacite pensioni renunciasse censetur, prout Canonicus Præbendæ *Cap. 1. & 2. de Cleric Conjugat. Gloss. in cap. 1. versic. Clericalis ord. tit. in 6. Pius V. Constit. 73. §. 2.* ibi = *& quas ipsos clericos habere contigerit per futurum contractum matrimonium hujusmodi extinctas esse, & in §. 3.* ibi *& eæ quoque per futurum contractum matrimonii extinctæ censeantur*, *Put. decis. 449. lib 2.*, ubi quod pensio vacat, quia per matrimonium expirat clericatus præterquàm quoad privilegia fori, & Canonis. *Rot. decis. 791. n. 8. cor. Buratt. decis 165. num. 1. par. 17. rec. decis. 30. num. 1. cor. Ansald. decis 259. per tot. cor. Reverendiss. Crisp. lib. 2.*

2 Limitatur in pensione laicali, quæ nihil aliud est, quam annua præstatio mere temporaria, cujus capaces sunt Laici uxorati, & milites *Gloss. in cap. Joannes in fin. de Cleric. conjugat; Oldrad. cons 226. per tot. Rot. decis. 1079. par. 3. diversor.*

3 Limitatur quoque in pensione pro benemeritis, & servitiis reservata; nam potius stipendium est, quam pensio, unde per contractum matrimonii non expirat. *Cardinal. in Clem. 1. num. 19. de reb. Eccles. non alienan. Gigas de pension quæst 54. n. 1. Rot. decis. 387. num 3. par. 2. rec. decis. 191. ibique Addent. num. 14. cor. Buratt.*

4 Disputatio quidem celebris est, an indultum retinendi pensionem in statu coniugali suffragetur etiam pro matrimonio cum vidua contracto, seu potius pensio ecclesiastica per hujusmodi matrimonium extinguatur. Resolutio pendet à tenore indulti apostolici, ad quod in hac materia semper recurrendum est. Sed, ut juridica habeatur resolutio, videtur dicendum, quod clericus vi indulti juste retinere valeat pensionem, quamvis in uxorem viduam duxe-
5 rit; nam uxor dicitur ea, quæ à Jure non est prohibita *l. Si rogatus § 1. ibiq. Bart. & Gloss. in verb. Matrimonii ff. de manumiss. vindicta*; item uxor etiam dicitur, quæ quondam fuit uxorata *L. Si quis §. idem.* ibique *Gloss. versic. jure uxor ff. de liberat. legat. l. 1. cod. de naturalib liber.* immò impropriè dicitur uxor, quæ nec est, nec unquam fuit *l. humilem Cod. de incestuos. nupt.* Si igitur Papa de uxore, prout de jure intellexit, pensio per matrimonium cum vidua non extinguitur.

6 Sed contra concludendum est, nam verbum *Uxor* in hisce privilegiis intelligitur de virgine, non de vidua *l. mulieris ff. de verbor. significat.* prout de virgine sumitur, si clericus frui velit

privilegio fori, & canonis cap. 1. de Cleric.
7 Coniugat. in 6. Deinde agitur de indulto odioso, quod strictè debet interpretari, agitur insuper de matrimonio cum vidua, per quod cotrahitur bigamia, cui Papa non censetur dispensasse cap. non potest. ibique scribentes de præben. in 6. Rot. decis. 233 num. 22. par. 1. diversor. Ergo pensio per matrimonium cum vidua contractum vacat, & extinguitur cap. 1. ibiq. scribentes de Cleric. conjugat., cui concordat regula 58. Cancellariæ. Hæc nullam admittunt dubitationem, si indultum loquatur simplicitèr de Uxore.

8 Si verò loquatur de Virgine, seù Muliere promiscuè, prout ex incuria extensorum interdum accidit, quod sæpe fiat mentio de Muliere, sæpe de Virgine, hoc casu distinguendum est. Aut indultum Papæ loquitur
9 de Muliere seù Virgine, aut è contrà. Primo casu, pensio ob Matrimonium cum Vidua contractum, absque dubio extinguitur, nàm verbum Mulier restringitur per verbum Virgo, sicuti genus per speciem Cap. generi de regul. Jur. in 6. l. in toto jure ff. eod. tit.

10 Secundo casu idem quoque videtur dicendum, nàm nuptiæ cum Viduæ sunt odiosæ, & Clericus fit bigamus, nulloque gaudet privilegio clericali, immò ut laicus reputa-
11 tur Cap. 1. de bigam. in 6. Item verbum Mulier simplicitèr prolatum interpretari debet de Virgine l. Mulieris ff. de verbor. significat. Ergò à fortiori idem dicendum est, ubi in indulto fit mentio de virgine, & muliere simul. Et quamvis verbum Mulier etiam de corrupta intelligatur, ut mox dicam, nihilominus verba in potiori significatione intelligenda sunt, & sic de Virgine, non de Vidua indul-
12 tum Papæ interpretandum est. Nèc aliter dici potest, quia aliàs Papa duplici dispensasset impedimento, quorum alterum Matrimonii est, alterum bigamiæ contrà Text. in cap. non potest de præben. in 6. Rot. dec. 233. num. 22. par. 1. divers.

13 At his non obstantibus, etiam in hoc casu contrarium verius est, nàm verbum Mulier in propria significatione de corrupta interpretatur, immò mulier idem sonat, ac vidua l. Si collectaneus ff. de manumiss. vindict., l. filii §. vidua ff. ad municipal., l. ex empto §. si quis virginem, ibique Gloss. versic. mu-
14 lier ff. de action. empt. Alioquin, si Papa in indulto de virgine tantùm intellexisset, verbum Mulier, quod indè sequitur remaneret otiosum, quod repugnat ex l. si quando ff. de
15 legat. 1. Deinde pensionis est incapax Clericus conjugatus, prout bigamus cap. 1. de Cleric. conjugat., Gig. de pension. quæst. 54. per tot., nec bigamia novum præstat impedimentum, & titularia non plus gravatur per matrimonium cum virgine, quàm cum vidua, ideoque in indulto etiam hoc habetur prò expresso Spad. consil. 73. num. 9. §. sexto cum seqq. lib. 3.

16 Ultrà quod bigamia suoa producit effectus in reiteratione Matrimonii, prò quo pensionem extingui, non obstante indulto, dubi-
17 tandum haud est; nam hujusmodi indulta de primo, non de ulteriori matrimonio juridicè interpretantur ad Text. in l. boves §. hoc sermone ff. de verbor. significat; Cap. non potest de præben. in 6. Pius V Constit. 73. §. 4. ibi si Rursus matrimonium contraxerint, eas omnes, quas nunc habent, per hujusmodi contractum amittant; quod, & latiùs habetur in Palentina pensionis 21. Novembris 1595. cor. Blanchetto.

18 Limitatur, si indultum amplissimum, & effrenatum sit, ac loquatur de matrimonio cum quacumque muliere contrahendo: nec enim casu Papa ob hujusmodi indultum cuicumque impedimento censetur dispensasse, adeoque pensio clericalis ob matrimonium cum vidua non amittitur Rot. dec. 352. decis. 367. par. 1. repetit. in decis. 311. par. 3. decis. 357. par. 2. recen. quæ circumferuntur in hac materia magistrales.

19 Ex his colligitur facultatem transferendi pensiones per matrimonium facilius extingui Cap. 1. & 2 de cleric. conjugat.; Gloss. in cap. 1. versic. & hoc est verum eod. tit in 6. nam per hujusmodi facultatem gravamen, & onus Ecclesiæ in longius differtur, & prorogatur.
20 Quod verum est, etiamsi facultas transferendi concessa fit, non obstante promotione ad Ecclesias Cathedrales, mutatione status cum similibus; nam licet matrimonium fit
21 mutatio status, non tamen sub mutatione status venit in hoc casu matrimonium, nisi expressè dicatur, quod patet; nam mutatio
22 status fieri potest retento ordine clericali, prout evenit, ubi clericus promovetur ad Episcopatum, seu Archiepiscopatum, & de hac mutatione status, in quo sine dubio durat transferendi facultas, indultum intelligitur; & ratio est, quia de Jure Episcopus pensionis capax est, & dumtaxat redditur inhabilis
23 ex Constitutionibus apostolicis. Sed clericus per matrimonium fit pœnitus inhabilis retinendi in hoc statu pensiones, ideoque facultas transferendi, indulto non obstante, per matrimonium extinguitur in puncto Spad. consil. 74. lib. 3., Rot. decis. 126. per tot. par. 18. recen.

Et quamvis per matrimonium contractum extinguatur pensio, & facultas etiam illam
24 transferendi, hoc tamen locum non habet, si ante matrimonium contractum validè pensio vi indulti translata fuerit, quia non obstante matrimonio, postea per transferentem contracto, firma remanet translatio, & pensio favore translatarii Cap. eam te de rescript; cap. si eo tempore ibique Gloss. de rescript. in 6. cap. dudum 1; ibique Gloss. & DD. de elect; Gig. de pension. quæst. 22. n. 16.

ARGUMENTUM.

AN Episcopus possit Clerico Conjugato conferre beneficium simplex; Quid in pensionibus, quæ magnatibus uxoratis interdum à Papa reservantur, & in quibus casibus beneficia, & pensiones vacent, & extinguantur *ad intelligentiam textus in Cap. Joannes, ibiq. Gloss. de Cleric. Conjugat.*

SUMMARIUM.

1 PRima opinio affirmat ab Episcopo posse conferri beneficium simplex clerico conjugato, secunda negat num. 2., distinguitur num. 3.

4 Beneficium simplex ab Episcopo collatum Clerico conjugato vacat ob reiterationem matrimonii, ubi de ratione.

5 Item vacat ob militiam, negotiationem, artem medicam cum similibus.

6 Papa potest conferre beneficium clerico coniugato sive in titulum, sive in commendam.

7 Papa facilius dispensat clerico uxorato in simplici, quam in Canonicatu, & confert potius in stipendium, & administrationem, quam in titulum, & quare.

8 Laicus est capax præbendæ, sed non Canonicatus.

9 Beneficium à Papa collatum in titulum vacat, si clericus uxoratus defuncta prima uxore aliud contrahat matrimonium.

10 Dispensatio retinendi beneficium in statu matrimoniali intelligitur de primo, non ulteriori matrimonio.

11 Papa non censetur dispensasse impedimento bigamiæ.

12 Item vacat ob militiam, negotiationem, ubi de ratione.

13 Quid si beneficium à Papa datum sit clerico conjugato in stipendium, administrationem, seu commendam, distinguitur num. 14.

CAPUT IV.

1 DUplex est in hac quæstione sententia, quarum prima affirmat Episcopum posse quoad simplex beneficium clerico conjugato dispensare, id enim non obscurè colligitur *ex cap. Joannes de clericis conjugatis*, in quo Papa mandavit Episcopo, ne clericum conjugatum molestet super delatione tonsuræ, si nullum possideat ecclesiasticum beneficium, inferentes ex hoc huius sententiæ assertores, quod clericus conjugatus potest habere beneficium simplex ex dispensatione Episcopi, & propter hoc cogitur deferre tonsuram *Hostien. in cap. cum ad decorem de cleric. conjugat.* ibi = *simplex verò potest habere ex dispensatione Episcopi, Joannes Andreas in d. cap. Joannes num. 12. eodem tit. Ancharan. ibidem num. 5. Butrius ibidem n. 5. 6, & in cap. diversis n. 7. eodem tit.*

2 Secunda sententia negat hanc in Episcopo potestatem, quia de jure clericus conjugatus est incapax beneficii *cap. cum adeo de rescript.* idcirco sicuti Episcopus non potest dispositioni juris derogare *cap. 1. de Constit.* ita ne dispensative quidem potest clerico conjugato conferre beneficium etiam simplex. Hanc opinionem latè tuetur *Abbas in d. cap. Joannes n. 7. de cleric. conjugat.*, *Imola ibidem n. 9*, ubi refert opiniones.

3 Ego autem in hac quæstione, ne quid videar detrahere tum dispositioni Sacrorum Canonum, tum etiam auctoritati Episcopi, quæ in ecclesia magna est, distinguendum censerem, posse scilicet ab Episcopo conferri Clerico conjugato simplex beneficium, duobus tamen concurrentibus: primo, ut justa causa servitii ecclesiæ concurrat: secundo, ut ex hujusmodi beneficii collatione nullum in ecclesia scandalum oriatur, quorum unum si desit, cessat quoque potestas in Episcopo dispensandi cum Clerico conjugato; & ratio est, quia sicuti ex causa licet Episcopo in aliquo casu particulari sacras transgredi leges *Innocen. in cap. 1. de constit.* ita multo magis idex causa poterit fieri in hoc casu, in quo Episcopus quodammodo videtur habere prò se dispositionem juris *ita Hostien. summ. de Cleric. conjugat.* ibi = *Utrum autem possit habere simplex beneficium, distingue, aut habet spem redeundi ad clericatum, & regulariter vivit, & utilis est ecclesiæ, in quo casu ex dispensatione Episcopi potest habere simplex beneficium, & tunc debet deferre tonsuram, & ire ad ecclesiam, & gaudebit omni privilegio clericali; vel non habet spem, nec vult vivere regulariter, & hoc casu non potest habere beneficium ecclesiasticum, etiamsi Episcopus ei scienter conferat*, idem dicit *Imola in d. cap. Joannes 9. in fin. de Cleric. conjugat.*

4 His positis dico primo beneficium simplex obtentum ab Episcopo ex causa servitii, vel utilitatis ecclesiæ ipso jure vacare, si Clericus conjugatus prima uxore defuncta aliud contrahat matrimonium *cap. 1. & 2.*, *cap. quod à te, cap. diversis de Cleric. conjugat.*, nam Clericus conjugatus ob reiterationem matrimonii statim incurrit bigamiam, cui Episcopus non potest dispensare *cap. 1. ibique Gloss., & DD. de bigam., cap. 1. de bigam. in 6. Can quisquis distinct 84.* ibi = *quisquis Clericus aut viduam, aut secundam duxerit uxorem*

omni ecclesiasticæ dignitatis privilegio mox denudetur Butrius in cap. diversis num. 7. de Cle ic. Conjugat.

5 Dico 2. ipso jure vacare beneficium simplex Clerici conjugati, qui artem militarem, Mercatoriam, Medicam, aut aliud inhonestum, & characteri clericali indecorum exercet, quippe quia in hisce casibus similiter cessat in episcopo dispensandi potestas *cap. ult. de vit. & honestat. cleric. cap. 1. ubi omnes ne Cleric., vel Monach.*

6 Dixi in hac quæstione de potestate Episcopi dumtaxat, nam Papa beneficium simplex, & compositum Clerico conjugato, sive in titulum, sive in commendam conferre potest *Gloss. in d. cap. Joannes in fin de Cleric. conjugat.* ibi = *Clericus conjugatus ex dispensatione Papæ potest beneficium habere* = *Abbat ibid. n. 7.* ibi = *Alii verò dicunt, quod tantum Papa dispensare potest* = *Imola ibidem n 9., Butrius in cap. diversis n 6. eodem tit.*

7 Verumtamen est, quod Papa facilius dispensat in simplici beneficio, quam in Canonicatu, & Dignitate, eo quod Clerici uxorati habentes simplicia beneficia nullam figuram faciunt in ecclesia, sicuti facilius confert beneficium in stipendium, & administrationem, cujus Clericus uxoratus capax est, quam in titulum, qui Clerico uxorato de jure repugnat *cap. cum adeo de rescript.* Ultra quod

8 laicus de jure potest esse præbendatus in ecclesia, non tamen potest esse Canonicus *Gloss. in cap. Cum M. Ferrariensis. vers. receperunt de constit.* ibi = *Unde & laicus potest habere præbendam, & potest esse prævendatus, sed non potest esse Canonicus*, sola enim perceptio salarii non facit decurionem *l. sola salaris ff. de decur.*, & facit ad casum *una Civitatis Plebis 19 Augusti 1690. lib. decr. 40. fol 566.* in qua Sacra Congregatio censuit capellaniam, de qua agitur, esse laicalem, & per laicos posse possideri, & administrari.

9 Ex his infero iterum vacare beneficium obtentum in titulum à Clerico conjugato ex dispensatione Papæ ob reiterationem Matrimonii *cap. 1., cap. diversis de Cleric. conjugat.*,

10 quoniam omnis dispensatio retinendi beneficium in statu matrimoniali intelligitur de primo, non ulteriori matrimonio *l. boves §. hoc sermone ff. de verbor. signif.*; Deinde clericus conjugatus ob novum contractum matrimonium, novum quoque contrahit im-

11 pedimentum bigamiæ, cui Papa non censetur dispensasse, nisi aliud exprimat *cap. non potest de præben. in 6.*

12 Infero insuper beneficium Clerici conjugati obtentum à Papa vacare ob militiam, negotiationem *cap. ult. de vit., & honest. clericor., cap. 1. ne Cleric., vel Monach.*, quot enim impedimenta, tot dispensationes *cap. cum pro causa. ibique Gloss. vers. tamquam de senten. excommunicat.*

13 Quid ergo, si Clericus conjugatus obtinuit à Papa beneficium in stipendium, administrationem, & commendam? Respondeo, aut Papa contulit beneficium, ut clericus uxoratus in eo statu matrimonii, in quo reperitur, fructus beneficii usque ad vitam commodè percipere posset, hoc casu beneficium quocumque modo collatum iterum vacat ob reiterationem matrimonii ex clara mente Papæ conferentis, qui primo non ulteriori matrimonio dispensavit *l. bover §. hoc*

14 *sermone ff. de verbor. signif.*; aut Papa contulit beneficium, ut in statu conjugii in genere clericus uxoratus illud posset retinere in stipendium, administrationem, & commendam, tunc secus; quoniam stipendium, administratio, seu commenda ob reiteratum matrimonium non cessant *Gloss. in d. cap. Joannes in fin.*, ubi quod Clericus conjugatus potest habere stipendium ab ecclesia *Gloss. in cap. cum M. ferrariensis vers. receperunt de constit.*, ubi quod præbendæ laicalis capaces sunt milites, uxorati, bigami, & mulieres, & notat *Gonzalez. ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 5. §. 5. num. 25.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 An Papa clerico conjugato possit reservare pensionem, ubi casus in Principe.
2 Rex non potest reservare pensiones.
3 Laicus est incapax beneficii.
4 Pensio Principi uxorato, si velit retinere beneficia, non est reservanda.
5 Clericus per contractum matrimonii perdit privilegium clericale.
6 Beneficium simplex potest conferri clerico conjugato ex dispensatione Episcopi, & Papa potest dispensare cum pensionario, ibidem.
7 Ut dispensetur clerico conjugato super pensione, requiritur utilitas Ecclesiæ, quod explicatur ibidem.
8 Causa subest, quando in aliquo est utilis Ecclesiæ.
9 Princeps semper Catholicus potest posthac dici benemeritus.
10 Modus reservandi pensionem Principi uxorato.
11 Magna gratia est concedere pensionem laico uxorato, & habet dubium ex sententia *Gambari*.
12 Per matrimonium omnes pensiones extinguuntur.
13 Pensiones intuitu dimissionis beneficiorum laicis non reservantur, & de stylo, nonnisi habitum habentibus alicujus religionis.
14 Modus reservandi pensionem, ut supra, Principi uxorato non placet, & quare num. ts.
16 Magna gratia est reservare pensionem laico uxorato, de qua dubitat *Gambarus*, sed contra ibidem.
17 Pensio non est reservanda laico occupanti beneficia, secus si ab alio obtinuit, licet nullitèr.
18 Habitus alicujus religionis non requiritur in pensione oxorato reservanda, ubi de ratione.
19 Resolutio Sacræ Congregationis super hoc dubio.
20 Pensio reservata ab Innocentio XI militi oxorato, & indultum Innocentii XII retinendi pensionem in statu conjugii.
21 Differentia quoad extinctionem inter pensionem laicalem, & clericalem.

Ex

1 EX dictis sequitur quæstio, an Papa clerico conjugato pensionem possit reservare; casus accidit die 12 Martii 1609. in Comite, & Principe, qui, ut ipse asserit, à Rege etiam de consensu titularium obtinuit, ut fructus trium beneficiorum usque ad summam scutorum 10000 non obstante, quod uxorem haberet, loco pensionis percipere posset, & deindè tres Abbatias à Rege de facto obtinuit absque titulo, quarum fructus etiam defunctis titularibus percipere continuavit; idque factum fuit, eo quod idem Comes non haberet unde decenter vivere posset; Demum stimulis conscientiæ tactus idem Comes in hoc verè catholicus supplicavit sanctissimo non solum pro absolutione fructuum perceptorum, verum etiam pro dispensatione, quæ secreto expediatur, ut ex dictis beneficiis ecclesiasticis usque ad scuta 3000 annua percipere possit; Remissis his precibus Sacræ Congregationi Concilii, is forte, qui gerit officium à secretis, edidit votum, ut infra.

Pensiones, quas Comes obtinuisse dicit in literis sibi fuisse reservatas à Rege, de Papa
2 nihil dicit, & non possunt à Rege reservari; obtinuit postea de facto tres Abbatias sine ti-
3 tulo, nam tamquam laicus erat incapax *cap. cum adeo de rescript.* sic, ut arbitror, & pensiones, & fructus Abbatiarum indebitè percepit. Papa istos fructus concedere vult, quod æquitas suadet in Principe paupere, sed Comes nunc petit dispensationem, ut possit obtinere, tam super dictis Abbatiis, quam aliis beneficiis usque ad summam scut. 3000., etiam quod uxorem habeat; si intelligit re-
4 tinere Abbatias, & beneficia nullo modo est annuendum, nam quodammodò titularis esset, si beneficiorum retentio permitteretur, quod non licet; deindè licet esset clericus,
5 quod ignoro, tamen per contractum matrimonii perdidit privilegium clericale, & non potest obtinere beneficia, *ita omnes in cap. 1.*
6 *& 2. cap. diversis de cleric. conjug.* ubi tantum quoad simplex posse fieri etiam per episcopum ex dispensatione dicunt, ax quo *Gigas de pensionibus quæst. 54. num. 12* dicit clarum esse, quod Papa potest facere dispensationem cum pensionario.
7 At videtur, quod in ista dispensatione causa requiratur, & DD. in dictis locis volunt eam esse utilitatem ecclesiæ, quam etiam ponderavit *Oldrad. conf. 226.*, ubi considerat defensionem ecclesiæ, & bonorum; *Bu-*
8 *trius in d. cap. diversis* dicit, quod causa subest, quando in aliquo est utilis ecclesiæ.
9 Iste Princeps semper Catholicus potest dici posthac benemeritus, & ideo crederem rem
10 posse in hunc modum componi, ut dimittat Abbatias, & concedantur habili, sed super dicta portione assignet Comiti pensionem super fructibus, & quando casus evenerit, similiter poterunt assignari super fructibus aliorum beneficiorum, nam isti fructus videntur consistere in temporalitate *Archidiac., & alii in cap. quamvis de præben. in 6.*
11 Et erit magna gratia, quia conceditur laico, quod habet dubium, *ut latè per Gambar. de legat. lib. 6. tit. de pens. num. 319.* ubi dicit hanc opinionem esse verissimam, quamvis videatur repugnare auctoritatibus tantorum Patrum, & esse tenendam, ne aperiatur via ad convertendos fructus ecclesiasticos in profanos usus, & ad intitulandos laicos in
12 redditibus beneficiorum, quia conceditur uxorato, eum per matrimonium extinguantur omnes pensiones, & conceditur super be-
13 neficiis, quorum iste erat incapax, & quorum dimissione numquam reservantur, & ex stylo communi numquam solitæ sunt concedi pensiones, nisi habitum habentibus alicujus religionis.
14 Verum hic modus componendi rem, & reservandi pensionem non placet, nam Princeps non instat, ut sibi reservetur pensio clericalis, sed tantum pro pensione in genere, & sic pensio clericalis, quatenus sit clericus, vel laicalis, quatenus non sit, assignari potest, sicuti Clerico conjugato ex dispensatione conferri potest beneficium vel in titulum, vel in stipendium *Gloss. in d. cap. Joannes in fin. de Cleric. conjugat.*; Neque hic convertuntur fructus ecclesiæ in profanos usus, nec intitulantur laici in redditibus beneficiorum juxta opinionem *Gambari*, sed intuitu alimentorum reservatur Principi pensio laicalis, quæ consistit in temporalitate *cap. quamvis ubi Franch. n. 2. de præben. in 6.*
15 Multo minus placet, quod debeat inde assignari portio super fructibus aliorum beneficiorum, quando casus evenerit: agitur enim de reservanda pensione Principi contemplatione alimentorum, idcirco expectatio videtur nimium serotina, quia venter dilationem non patitur *Rot. decis. 230. num. 5. par. 6. recen.*
16 Fateor magnam esse gratiam reservare laico uxorato pensionem super beneficiis ecclesiasticis, de qua licet dubitet *Gambarus loco citato*, nihilominus ejus opinio est contra communem in eo, quod ipse probare nititur, pensionem scilicet esse beneficium ecclesiasticum, sed potius clara est sententia *Gigantis d. quæst 54. num. 12.* super potestate Papæ reservandi pensionem etiam uxorato.
17 Fateor insuper non esse reservandam pensionem laico intuitu dimissionis beneficiorum, sed hoc procedit, quando laicus temerè occupasset beneficia, ut possessione tutus pensionem obtineret, hoc enim modo esset reportare lucrum ex proprio delicto, quod non licet, at ubi iste Comes possidet beneficia sibi collata à Rege ob alimenta, licet nulliter, & modo vult ea dimittere juxta Papæ voluntatem, non videtur inconveniens, ut ei annua fructuum portio assignetur juxta qualitatem personæ.
18 Neque verum est, quod pensiones de stylo reservari non soleant, nisi habitum habentibus alicujus religionis; pensio enim laicalis potest reservari militi, uxorato, & mulieribus, eujus sine dubio sunt capaces, cum in

19 in mera temporalitate consistat. *Et ita Sacra Congregatio, prout ex libro memorialium 157. fol 1, super hoc dubio censuit, si Sanctissimus annuat, huic Principi de Catholica religione benemerito concedendam esse pensionem super fructibus dictorum beneficiorum, quæ ipse antea dimittat*, sed postea re ad Sanctissimum delata, Sanctitas Sua visa est subsistere propter exemplum.

20 Hæc admiratio Summi Pontificis poterat tunc temporis forte admitti, si exemplum deerat, hodie tamen non est ita, nam Innocentius XI. militi, & duci exercitus non obstante, quod esset laicus uxoratus, & nondum charactere clericali insignitus, pensionem scutorum 750. super fructibus mensæ Archiepiscopalis reservavit, *ut refertur in resolutione Sacræ Congregationis die* 18. *Decembris* 1688., ita quoque Innocentius XII. ejus Vexilliferum ad jus pensionis, quod per Matrimonium erat extinctum, restituit, ac pensiones in præteritum perperam perceptas condonavit, *ita habetur in Romana indulti* 20 *Junii* 1693.

21 Differt in hoc pensio laicalis á clericali, quod illa segregata est à spiritualitate, & consistit in mera temporalitate fructuum percipiendorum, hæc beneficio adnexa est, & ab eo pendet, ac consistit in jure percipiendi fructus: illa non cessat ob matrimonium, ejusque reiterationem, militiam cum similibus, stipendium enim est, non pensio. Hæc autem etiam clerico uxorato reservata ob bigamiam, militiam, artem mercatoriam, & medicam extinguitur *cap.* 1. & 2. *de Cleric. conjugat.*, *cap. ult. de vit. & honest. Cleric.*, *cap.* 1. *ne Cleric. vel Monach.* nisi aliud habeatur in literis, quibus potest accidere casus, ne extinguatur ob bigamiam, militiam cum similibus ex contraria mente Papæ reservantis.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis per assumptionem ad militiam, per feudi investituram, per electionem ad gubernium, & admissionem in Comitiis Principum, per officium Tabellionatus, ob non incessum in habitu, & tonsura *ad ornatum Gloss. in Cap. final. de Cleric. non residentib. & Constit.* 92. *Sixti V.*

SUMMARIUM.

1 MIlitia repugnat statui clericali.
2 Per militiam vacant Beneficiu Ecclesiastica.
3 Ampliatur, sive clericus actu, vel habitu sæva exerceat *contra Carenam*.
4 Clericus ut miles ob status incompatibilitatem, beneficio privatur.
5 Argumentum *Carenæ* à privilegiis clericalibus non valet.
6 Clericus coniugatus gaudet privilegiis clericalibus, si nupsit cum virgine, & servet requisita Juris, sed Beneficia retinere non potest.
7 Militia, & Matrimonium æquiparantur.
8 Limitatur in Clerico ad militiam simpliciter adscripto.
9 Beneficia ipso jure vacant per acceptationem feudi, intellige in feudo proprio. 10. secus in feudo improprio, quod exemplificatur 11.
12 Clericus per assumptionem ad gubernium privationem Beneficii incurrit, si exerceat, quæ repugnant statui clericali, secùs si infligat pœnas leves. 13.
14 Clericus monendus est, ut se abstineat ab officiis criminalibus sub pœna privationis Beneficii.
15 Clerici possunt interesse in Comitiis, & assembleis, quæ fiunt inter magnates, & proceres Regni.
16 An Clerici Principum consiliarii beneficiis ipso jure priventur? distinguitur.
17 Clerici exercentes officium tabellionatus in criminalibus vel civilibus, beneficiis privati, vel privandi sunt.
18 Clericus non incedens in habitu, & tonsura, Beneficium ipso jure amittit, ubi declaratur. 19.
20 Limita si incedat cum vestibus clericalibus, etiamsi Laici utantur, & assignatur ratio. 21.
22 Sixtina Constitutio quoad usum Vestium talarium non est usu recepta, idem dicendum videtur quoad vestes non talares ex auctoritate *Garziæ*, & *aliorum*. 23.
24 Constitutiones Apostolicæ, prout leges Imperatoriæ moribus utentium comprobantur.
25 Impugnatur opinio *Garziæ*, & *aliorum*, ubi differentia inter legem Pontificiam, & Imperatoriam.
26 Valet impetratio Beneficii contra Clericum non incedentem in habitu, & tonsura.

CAPUT V.

1 MIlitia prout præsefert servitium Supremi Principis ad bellum gerendum contra hostes actu, vel potentia repugnat statui clericali, & mansuetudini ecclesiæ, nam idem sunt miles, & uxora-
2 tus. Quapropter etiam per militiam vacant omnia officia, & beneficia ecclesiastica, nam eo ipso, quod clericus efficitur miles sæculi, desinit statim esse miles Christi, & ità tacitè officiis, & beneficiis propter status repugnantiam renunciare censetur *Gloss. in cap. final. versic. redierint de cleric. non residen.*, *Rocc. disp. select. cap.* 191. *num.* 15., *Rot. dec.* 69. *num.* 16., *dec.* 216. *num.* 7. *coram Cels.*

3 Idque

3 Idque verum est, sivè clericus actu, vel ha-
bitu sæva exerceat contra opinionem *Carenæ
resol.* 11. *per tot.*, cuius fundamenta facilè
diluuntur; nam ultrà auctoritatem *Gloss.* &
DD. concurrit etiam ratio, dum status mili-
4 taris repugnat statui clericali, ideoque cle-
ricus ob status incompatibilitatem beneficio
ipso jure privatur. Nec valet argumentum,
5 quo utitur *Carena* à privilegiis clericalibus;
6 quia stat bene simul, quod quis utatur pri-
vilegiis clericatus, & insimul beneficia amit-
tat, prout habemus in elerico conjugato,
qui gaudet quidem omnibus privilegiis cle-
ricatui competentibus, si servet requisita,
de quibus *in cap.*1. *de cleric. conjugat. in* 6.,
sed in statu conjugii beneficia retinere non
potest *cap.*1.& 2. *de cleric. conjugat. cum rela-
tis in cap. antecedenti*. Ita à pari in milite
7 idem dicendum est, nàm militia statui lai-
cali, & Matrimoniali æquiparatur *Gloss. in
cap. qualiter versic. quadriennium*, *Gloss. in
cap. final. versic. redierint de Cleric. non re-
sidentib.*
8 Limitatur in Clerico ad militiam simpli-
citèr adscripto; non enim simplex electio
militem facit, nisi etiam concurrat accepta-
tio, immò requiritur, quod in numero rela-
tus sit cum publico stipendio *l. ex eo ff. de te-
stament. milit.*; Nec id satis est, quoniam,
ut quis sit miles, opus etiam est, ut utatur
cinguio militari, & præstet juramentum fide-
litatis, cum aliis requisitis relatis *per Gloss.
in l. milites ff. ex quib. caus. major. restituan-
tur in integr.* Ultrà quod clericus simpliciter
adscriptus, ut supra, non sæva exercet, nec
actu, nec potentia, quæ sunt requisita ad
inducendam hànc pœnam, quibus deficienti-
bus Beneficium ex hoc capite non vacat *Ton-
dut. quæst. beneficial. cap.*174. *num.*15.
9 Feudum quoque clerico concessum à Prin-
cipe, militiæ adscribitur; unde per accepta-
tionem feudi beneficia ipso jure vacant, cle-
ricus enim per investituram feudalem fit mi-
les Principis, & desinit esse miles Ecclesiæ
Gloss. communiter recept. in cap 1. §. *qui cle-
ricus si de feudo defuncti*, *Gloss. in cap. unic.
de milit. qui arm. bellic. deposuit*, *ubi Feudi-
stæ communiter*.
10 Quod tamen patitur temperamentum,
tum propter varias feudorum species, tum
etiam, quia non ita cautum est de jure, ut
vacent beneficia per acceptationem feudi,
prout cautum est per assumptionem ad mili-
tiam. Unde conclusio jam dicta procedit in
feudo recto, & proprio, in quo feudatarius
retinet militiam armatam, vel tanquam ca-
put militum hie, & nunc sæva exereet, vel
paratus est mandato Domini eadem perpe-
trare; Et ratio est, quia hoc easu feudum
nihil differt à militia, immo juxta feudales
usus, & consuetudines, feudum nihil aliud
est, quam militia, & feudatarius miles dici-
tur. Et in hoc sensu propter investituram,
& acceptationem feudi, vacant ipso jure ec-
clesiastica beneficia *ex auctoritate Sac. Rot.
decis.*158. *num.*16. *par.*1. *rec.*

11 E' contrà autem, si feudum sit impro-
prium, francum, & liberum, in quo cleri-
cus serviat per substitutum, beneficia non
vacant, potissimum si recognoscat in Domi-
num supremum Principem cum obligatione
contribuendi expensas tantum, prout praxis
est in Statu ecclesiastico, in quo clerici possi-
dent beneficia ecclesiastica in statu clericali,
& insimul retinent feuda franca, & libera,
excepto alto dominio, quod remanet pænès
Papam.
12 Non est dissimilis casus clerici assumpti ad
gubernium civitatis. Si enim exercet ea,
quæ statui ecclesiastico omninò repugnant,
prout est infligere pœnam sanguinis, seù mu-
tilationis membrorum, incurrit statim pri-
vationem beneficii, dum clericatui, & be-
neficiis per hos actus tacitè censetur renun-
ciasse *Rot. dec.*279. *num* 4. & 5. *par.*16. *rec.*
13 Non item, si clericus contraria ordini cleri-
cali non exerceat, nec habeat potestatem in-
dicendi pœnas atroces, sed tantum leves,
& ratio clara est, quia jurisdictio exercendi
actus leves in criminalibus non repugnat Sta-
tui Ecclesiastico, dummodo ad mutilationem
membrorum deventum non sit *cap. in Ar-
chiepiscopatu de raptorib.*, *Abb. in cap. Cleri-
cis num.*3., *ibique Jo. And. num.*4., *ubi
Interpretes nè Clerici, vel Monaci*. Prius
14 ergo in hoc casu clericus monendus est ab
Ordinario, ut se abstineat ab his officiis cri-
minalibus, in quibus ad mutilationem mem-
brorum potest deveniri; quod si renuerit,
beneficio privari poterit *Card. de Lug. resp.
moral. lib.*5. *dub.*22. *num.*8. *d. decis.*279. *n.*6.
*part.*16. *rec.*
15 Controversia non est de clericis, aliisque
Prælatis admissis in assembleis, & comitiis,
quæ fiunt inter Barones, & Proceres Regni.
Valdè enim decet ordinem ecclesiasticum, ut
clerici tanquam consiliarii hisce comitiis in-
tersint, dum de jure magis habiles in consiliis
proferendis præsumuntur. Idcirco beneficia
ecclesiastica non vacant per admissionem, seu
electionem clerici in consiliarium Supremi
Principis *authent. habita ibique Gloss. margi-
nal. cod. ne filius pro patre*. *Rot. decis.*172.
16 *num.*12. *par.*19. *rec.* Verum si in his assem-
bleis agatur de pœna sanguinis, & mutila-
tione membrorum, & ad actus atroces de-
ventum sit, quod tamen concludenter pro-
bandum est, clericus remanet beneficio ipso
jûre privatus, quia ob pœnam sanguinis, &
mutilationis membrorum, clericatui, & be-
neficiis tacitè renunciavit: alioquin, ubi po-
test infligi pœna sanguinis, prius clericus mo-
nendus est, ut supra, antequam beneficio
privetur *Rot. d. decis.*279. *num.*4. *part.*16.,
*decis.*172. *num.*12., *decis* 253. *num.*9. *cum
seqq. par.*19. *rec.*
17 Insuper officium Tabellionatus vile est, ac
mecanicum, & clericis interdictum sub pœna
privationis beneficiorum ipso jure, vel per
sententiam. Et quidem per sententiam, si
in foro laicali recipiunt acta civilia, edunt
instrumenta publica *cap. sicut*, *ibiq. Gloss.*,
Innoc.

Innoc., *Abb. num.4.*, *Fagnan. ibid. nè clerici vel monaci d. decif.279. num.6.par* 16. *rec.* Item ipso facto privantur, si clerici officium tabellionatus in criminalibus exerceant, cum clericatui, & in sequelam Beneficiia censeantur, ut supra renunciasse, *ut optimè explicat Io: Andr. in d. cap. ficut num.9. ne cleric. vel monac.*

18 Denique ob non incessum in habitu, & tonsura Clericus ipso facto amittit beneficium; Censetur enim habuisse habitum clericalem pro derelicto, & vere mutasse statum, *ita Sixt. V. constit.92.*, quod etiam resolvit *Sacra Congregatio Concilii die 6. Octobris* 1612. & eo fortius, ubi nunquam clericus habitum clericalem indutus, more laicorum incessit *Rot. decif.*158. *n.*16. *par.*1. *recen*; *decif.* 899.

19 *num.4. cor. Molin.*; Verum, ubi Clericus per aliquot dies habitum dimisit, quem paulo post iterum reassumpsit, sixtina constitutio locum non habet *Sacra Congregatio die* 1. *Decembris*. 1612. nam mora paucorum dierum de æquitate canonica potest purgari, prout de jure civili id receptum est *ex Gloss.in l.si pacto in fin. cod. de pact.*

20 Multoque minus si indutus sit vestea clericales statui convenientes, licet his quoque

21 laici uterentur; Cautum enim jure non est, quibus vestibus clericus incedere debeat nec quoad colorem, nec quoad formam, cum totum à consuetudine pendeat, & ordinationibus Episcoporum *Gloss. in clement.* 1. *versic secularis in fin. ibi = posset etiam dici, quod clerici seculares non habeant certum habitum, cum non sit expressum in jure de colore, vel forma Clement.quoniam de vit. & honest. clericor.*, *Concil. Trid. sess.*24. *cap.*6., *Cherubin. in constit* 92. *Sixt. V.*

22 Illud tamen pro certo tenendum est Sixtinam constitutionem quoad incessum in vestibus talaribus non esse usu receptam. Unde satis est, quod clericus incedat iis vestibus, quæ ordinem clericalem decent juxtà loci consuetudinem, & Ordinariorum statuta. Sed quoad vestea etiam non talarea idem videtur dicendum *ex auctoritate Garziæ de benebenefic. par.7. cap* 1. *n.*23., *Toudut.*, *Salgad. & alior.*, quos refert *Corziad.decif.*128. *n.*11. asserentium Sixtinam constitutionem uti nimium rigorosam in Hispaniis, & Galliis non esse usu receptam ea ratione. quia constitu-

24 tionea Apostolicæ moribus utentium comprobantur *Can.3. distin.4.*, prout in legibus Imperatoriis receptum est *ex leg. de quibus §. inveterata ff.de leg.*, *Toudut.quæst. beneficial.. cap.* 125. *num.*16.

25 Hæc tamen opinio communiter reiicitur ob maximum discrimen, quod intercedit inter legem Pontificiam, & Imperatoriam. Hæc enim pendet ab usu Populorum, illa verò immediatè provenit à Deo, nec contrario usu potest aboleri: Et si quid rigoris habet constitutio Sixtina, id verum est quoad vestes talarea, & quoad hoc veré usu recepta non est, sed quoad vestes clericales honesta est, & necessaria, ut ità clericus à laico distinguatur; Idcirco contra clericum non incedentem in habitu, & tonsura, locum habet pœna vacationis, seu privationis beneficii ipso jure, ut reprobato *Garz.*, & aliis firmat *in puncto Rot. decif.*899. *num.5.cum seqq. cor. Molin.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

2 Clericus per militiam amittit pensionem ecclesiasticam, etiamsi gerat bellum contra Turcas. 2.

3 Clericus feudatarius Principis pensionem amittit.

4 Limita in statu Ecclesiastico, ubi declaratur. 5.

6 Limita in feudo dato in titulum tantùm.

7 Clericus emens officium Tabellionatus, etiamsi illud per alium exerceat, pensione privatur, non obstante locali consuetudine in contrarium.

8 Pensio extinguitur. si Clericus habitum clericalem dimiserit, ubi declaratur.

9 Pensio extinguitur, etiamsi clericus in habitu clericali numquam incesserit.

10 Privatio supponit habitum.

11 Ususfructus etiam dicitur desinere, quamvis non inceperit.

12 Clericus acquirit Jus in pensione, licet tempore reservationis non incederet in habitu, & tonsura, & de ratione, ubi quod pensio ex hoc capite extinguitur. ibidem.

1 Militia sine dubio status laicalis est, & proprie laicis convenit, non clericis, quibus de jure interdicta est belligerandi potestas *Canon. nimium* 23. *quæst.*8. unde clericus effectus miles cum obligatione residendi in fortalitio, ac peragendi ea, quæ militea decent, ipso jure pensionem amittit *Gloss. in cap. qualiter*, *Gloss. in cap final. de Cleric. non residen.* Nec interest, an clericus effectus sit miles Papæ, aut alterius Principis secularis; utrobique enim cingulo militari qualitas ecclesiastica, & clericalis excluditur *Rot. decif.*1 *num.*22. *cor. Herrer.* Fortius, si militiam actu exerceat *Rot. decif.* 158. *num.* 16.

2 *par.*1. *recen.* Quod etiam verum est in bello contrà turcas auctoritate Pontificia per clericum gesto; licèt enim Religionis ratio summa sit, attamèn status incompatibilitas prævalet *per Text.in Can.quicumque ex clero* 23. *quæst.*8., *Rot. decif.*69., *decif.* 216., *decif.*338. *per tot. cor.Celso*, *& pluriès* resolvit *Sacr. Congregatio Concilii in Nicien.* 19. *Decembris* 1648., *ut in lib.*18. *decretor. pag* 563; *& in Romana Indulti* 7. *Decembris* 1720. *lib.*70. *decretor. pag.*532., *& in Ulyxipon.n. Orientalis pensionis die* 23 *Novembris* 1737., nisi obtineatur indultum, quod juxtà facti, & temporum circumstantias conceditur, quandoque etiam denegatur à Sacra Congregatione Concilii, quæ in hoc verè est Jurisprudens, *ut quoad primam partem habetur in Romana* 10. *Junii* 1693. *libr. decretor.*43. *pag.*320.,

pag. 320., *& quoad secundam in d. Romana indulti, & d. Ulysiponen. de quibus supra.*

3 Militiæ feudum æquiparatur, imò feudum dicitur militia in usibus feudorum; clericus enim feudatarius Principis tenetur præstare juramentum fidelitatis, tueri Dominum in bello, assumere cingulum militare, & his similia peragere, quæ important proprium, & rectum feudum, ideoque clericus per investituram proprii feudi ipso jure pensionem ecclesiasticam amittit *Gloss. in cap.* 1. §. *qui clericus si de feudo defuncti, de Luc. de feud. disc.* 54. *num.* 9., *Rot. decis.* 109. *num.* 20. *cor. Caprar.*

4 Aliud servatur in statu ecclesiastico, nam clericus per feudalem investituram non efficitur miles seculi, sed retinet qualitatem militis, & clerici insimul, dummodò tamen incedat in habitu, & tonsura, & cum hac qualitate servitia Papæ impendat *Fagnan. in cap. quæ in ecclesiarum num.* 102. *cum seqq. de Constitut.*, *Jason. cons.* 117. *lib.* 4., *Mediolanen Pensionis* 28. *Junii* 1666 *cor. Ottalora*, *Rot. decis.* 109. *num.* 21. *cum seq. cor. Capraru.*
Deinde quia juramentum fidelitatis clerico
feudatario in Statu Ecclesiastico est conna-
turale ratione subjectionis, quæ per cleri-
cum in temporalibus subditum necessario Pa-
pæ præstari debet. Demum in hoc Princi-
patu omnia feuda, ut bona allodialia repu-
tantur; Unde per investituram feudalem
5 pensio non extinguitur, quia clericus statui
clericali non censetur renunciasse, nisi ha-
beat in feudo merum, & mixtum imperium,
ac judicet causas criminales, quæ ordini ec-
clesiastico repugnant, prout de Prælatis, seu
clericis admissis in assembleis, & comitiis
Principum secularium dictum est supra, quod
tamèn probandum est concludentèr ex parte
titularis, qui pensionem solvit; alioquin
trina monitio requiritur, ut clericus feuda-
tarius Papæ ecclesiastica pensione privetur
Rot. decis. 279. *num.* 4. 5. *par.* 16., *decis.* 172.
n. 12. *par.* 19. *rec.*

6 Fortiùs, si clericus, tùm in statu ecclesiastico, tùm etiam alibi feudum in titulum tantum possideat, nàm simplex titulus cum clericatu compatibilis est. Sanè clericus habens feudum in titulum denominatur quidem Marchio, seù Comes, sed non præstat fidelitatis juramentum, nec tenetur uti cingulo militari; undè ex hoc capite pensio non extinguitur; aliud enim est titulus, & aliud feudum *de Luc. de feud. disc.* 45. *num.* 8. *circa med.*, *Boscul. in sua controversia feudal. apud eundem impress. art.* 3. *n.* 111.

7 Similis ratio est in officiis secularibus, quæ cum clericatu repugnant; nàm clericus emens officium Tabellionatus pensione statim privatur, quamvis per alium officium exerceat, non obstante locali consuetudine in contrarium; nàm hujusmodi officium vile est, ac cum statu clericali incompatibile, immò quodammodò videtur turpè, quia præsefert in Tribunalibus laicis quandam negotiationis speciem clericis de jure prohibitam *de Luc. de pension. disc.* 45. *n.* 2. *ubi testatur ità fuisse resolutum.*

8 Demum apud omnes receptum est pensionem ipso jure, & absque ulla citatione, & decreto Judicis extingui, si clericus in habitu seculari, & laicali, dimissa clericali tonsura incesserit *juxtà Constitutionem* 92. *Sixti V*; *Rot. decis.* 158. *num.* 16. *par.* 1. *rec.*, *decis.* 382. *num.* 1 *coram Merlin.*. Requiritur tamèn pro hujusmodi effectu aliquod tempus considerabile, quod arbitrio Judicis remittitur, nam pensio ex hoc capite momento temporis non extinguitur; alioquin clericus per horam, & diem non incedens in habitu, & tonsura, pensionem amitteret, quod est absurdum.
9 Quid ergo si clericus, cui fuerat reservata
pensio, nunquam in habitu clericali inces-
10 serit? Respondeo pensionem extingui, nam
licet privatio supponat habitum *l. decem ff.*
de verbor. obligat. cap. ad dissolvendum de de-
sponsat. impuber., nihilominus jus, quod
non incæpit, etiam de jure amittitur *l. om-*
11 *nes ff. usufructuarius quemadmodum caveat*,
ibi = *desinere pertinere usumfructum accipie-*
mus, etiamsi nec cæperit pertinere, & con-
mittitur nihilominus stipulatio, quasi desinat
pertinere, quod non cæpit =. Ultra quod
12 clericus per reservationem jus in pensione
obtinuit, poterat enim inde factus conscius
pensionis sibi reservatæ habitum reassumere,
ideoque, si per considerabile tempus, ut su-
pra, in habitu, & tonsura non incesserit,
pensionem extingui certi juris est *Rot. de-*
cis. 158. *num.* 16. *par.* 1. *rec. decis.* 32. *par.* 3. *co-*
ram Ubaldo.

ARGUMENTUM

De vacatione Beneficii, & Pensionis ob incompatibilitatem *ad ornatum Text. in cap. de multa de Praben. & Tridentin. Sess.* 24. *cap.* 17.

SUMMARIUM.

1 Per assecutionem Beneficii jure antiquo primum ipso jure non vacabat, sed erat in optione provisi unum, vel aliud retinere.

2 Vacatio primi Beneficii per assecutionem alterius, in quibus Beneficiis inducta sit.

 3 Ca-

3 Canonicatus de jure non vacat per assecutionem simplicis Beneficii.
4 Ratio non ita facile erui potest in iis, quæ pendent à voluntate legislatoris, assignatur tamen. & num. 5.
6 Fallit ex Tridentino.
7 Hodie per assecutionem Beneficii vacat aliud incompatibile.
8 Intellige, si provisus nactus fuit possessionem secundi Beneficii, vel per ipsum stet, quominus acquiratur, & num. 9.
10 Provisus non habet integre Beneficium, nisi pacificam habeat possessionem cum pleno jure administrandi, & percipiendi fructus.
11 Provisus de secundo, si ab alio impediatur, ne ejus possessionem capiat, habet regressum ad primum Beneficium, & quomodo.
12 Clericus non privatur primo Beneficio, etiam adepta possessione secundi, si ejus fructus spectent ad Capitulum, seu Monasterium, vi Statuti, aut indulti.
13 Tempus dimittendi primum Beneficium intra duos menses incipit à die captæ possessionis secundi, sed ubi fructus spectant ad Capitulum tempus metiendum est a die, quo fructus secundi percipiuntur.
14 Vacatio non datur in Beneficiis dignitati, aut præbendæ unitis, ubi quod Clericus provisus de dignitate, seu præbenda censetur quoque provisus, seu institutus in Ecclesia unita.
15 Impetratio Ecclesiæ Parochialis ob incompatibilitatem non valet, si cura Ecclesiæ Parochialis exerceatur per alium.
16 Vacatio regulariter procedit in omnibus Beneficiis sive uniformibus, sive difformibus cum differentia, de qua infra.
17 Consuetudo retinendi duo Beneficia uniformia non impedit, quo minus inducatur vacatio, secus in Beneficiis difformibus, & num. 18. ubi exemplificatur.
19 Dignitas honoraria non est incompatibilis cum alio Beneficio.
20 Rex potest esse Canonicus, ubi de Rege Franciæ.
21 Dignitas honoraria causat incompatibilitatem, & vacationem, si habeat jurisdictionem temporalem, & spiritualem.
22 Beneficia alia requirunt præcisam residentiam, alia causativam, & vacatio non habet locum in Beneficiis habentibus residentiam causativam, nisi aliter cautum sit in fundatione, vel Statuto. 23.
24 Per assecutionem Commendæ non vacat de jure Beneficium Ecclesiasticum.
25 Fallit ex Tridentino.
26 Limitatur, si Beneficium soleat commendari.
27 Pluralitas Beneficiorum simplicium tenuis redditus de Jure non inducit vacationem.
28 Episcopus ex Tridentino clerico habenti beneficium simplex, quod est insufficiens, potest aliud sufficiens conferre.
29 An valeat collatio tertii facta ab Episcopo; variæ sunt opiniones, & num. 30. & 31. distinguitur 32. Resolvitur quæstio, num. 33. & assignatur ratio differentiæ inter dispositionem juris, & tridentinum, & num. 34.
35 Vacant duo priora Beneficia vel simplicia, vel composita obtenta ex dispensatione Apostolica, si provisus absque dispensatione aliud assequatur Beneficium.
36 Provisus de tertio Beneficio, si temere duo priora retinere præsumat, etiam privatur tertio, & priora Beneficia possunt impetrari.
37 Limitatur, si obstet præscriptio decem, vel viginti annorum in iis locis, in quibus Papa solet dispensare.
38 Vacat Coadiutoria per assecutionem alterius Beneficii residentialis.
39 Ampla etiamsi Coadiutoria intuitu personæ concessa sit.
40 Jus ad rem, seu in spe facilius extinguitur, quàm jus in se.
41 Literæ expectativæ per assecutionem Beneficii resolvuntur.
42 Coadiutoria parum differt à literis expectativis.
43 Acceptatio secundi, vel tertii beneficii facta animo deliberato inducit vacationem primi, & secundi, secus in calore iracundiæ, ubi de ratione ibidem in fine.
44 Quod intellige, si incontinenti Clericus possessionem secundi Beneficii adeptus sit, secus ex intervallo, & num. 45.

CAPUT VI.



1 Olim per assecutionem secundi Beneficii ipso jure non vacabat primum, sed erat in optione provisi unum, vel aliud retinere, & ad id juris remediis compellebatur *cap. referente*, *cap. præterea de*
2 *præben.* Nam vacatio primi beneficii per assecutionem alterius specialiter de jure inducta fuit contra clericos obtinentes duas dignitates, duos canonicatus, duas ecclesias parochiales *cap. de multa de præben.*, *Clement. execrabilis eod. tit.*, quod deindè ob eandem identitatis rationem ad duas ecclesiarum parochialium vicarias meritò fuit extensum *Clementin. unica in princip.* *ibique Gloss. in fin. de offic. Vicar.*, ubi quod vacat Vicaria per aliam similem, seu per provisionem dignitatis, aut personatus, *Abb. in cap. 1. num. 1. de offic. Vicar.* Item in duobus canonicatibus, & duabus præbendis *cap. literas de concess. præben.*, ubi vacat canonicatus per provisionem alterius, vacat præbenda propter aliam. Item quoque in canonicatu, & dignitate, & in dignitate, & officio *cap. 1. ibique Gloss. in fin. de consuetud. in 6.*, ubi, quod canonicatus propter dignitatem, & dignitas propter officium vacat, & primum per assecutionem secundi, immo promiscue, & inter se; Quod dictum referas ad omnia,
3 de quibus supra. At in canonicatu, & beneficio simplici id non reperitur expressum, ergo canonicatus non vacat per assecutionem beneficii simplicis *Cardinal. in cons. 3. per tot.*
4 Ratio, cur ita à jure sancitum sit, non ita facile erui potest in iis, quæ pendent à voluntate ecclesiastici legislatoris *l. non om-*
5 *nium ff. de legib.*, ea tamen, quæ mihi videtur probabilis, assignatur, idcò ità fuisse dispositum in dignitatibus, personatibus, canonicatibus, ecclesiis parochialibus, aliisque officiis perpetuis, quia majus scandalum oriebatur in populo ex dignitatum, personatuum, & officiorum &c. pluralitate, dum ita provisi majorem gerunt figuram in ecclesia, quam simplices beneficiati, deinde quia majus imminebat ecclesiis detrimentum, si dignitates, personatus, & ecclesiæ Parochiales, ut supra, diutius vacarent, ideoque ad consulendum indemnitati ecclesiarum, potius in istis, quam in beneficiis simplicibus meritò inducta fuit vacatio.
6 Id tamen fallit *ex Trident. sess. 24. cap. 17.*, ubi

ubi pluralitas beneficiorum, cujuscumque tituli, & qualitatia existant, indistinctè damnatur. Undè canonicatus vacat per simplex beneficium, dummodo sufficiat ad vitam honestè substentandam; nec majus scandalum, aut præjudicium diversificant rationis identitatem, nè dispositum in uno, locum habeat in alio casu, & ita decrevit Tridentinum, ut vacatio extenderetur etiam ad Beneficia simplicia, de quibus jura jam dicta non lo-
7 quebantur. Unde propterea per provisionem beneficii hodie statim vacat aliud incompatibile *cap. de multa de præben., elementin. execrabilis eod. tit., Garz. de benef. par.11. cap.5. Seraphin. decis.1256. num.3. decis.235. num.5. cor. Pen., decis.497. decis.524 utrobique num 1. par.1. rec., decis.607. decis.608. decis.609. par.4 diversor., decis.336. num.5. par.17. recen., decis.9. num.3. cor. Falconer. de Benef.*

8 Verum utraque dispositio juris, & Tridentini procedit, ubi provisus nactus fuit possessionem secundi beneficii, pacifice percipiendo fructus, vel majorem eorum partem *cap. si tibi concesso, ibiq. Glos. in verb. vacare, ubi Jo Andr. num.5. & 6. de præben.in 6., Clement. si plures eod tit., Piton. discept.118. num.10., Rot. decis.60. num 16. cum seqq. decis.281. num 2. par.19 rec.* Vel
9 saltem per ipsum provisum stet, quominus possessio secundi beneficii acquiratur, utroque enim jure tam canonico, quam civili in odium ipsius habetur pro capta ad inducendam vacationem primi beneficii *Glos. in cap. de multa verbo post receptionem de præben., Extravag. execrabilis verbo qui vero d. inceps eod tit., l. jure civili. ff. de cond t. & demonstrat., l. si post diem § item si qua ff. quando dies legati cedat Garz. de benef. part.11. cap 5. num.100., Rot. decis.357. num.1. cum seqq. par.15. rec.*
10 Et ratio est, quia provisus non habet integrè beneficium, nisi quoque pacificam obtineat possessionem cum pleno jure administrandi ecclesiam, percipiendi fructus, & his
11 similia. Qua de re si ita provisus, ne possessionem secundi beneficii apprehendat, ab alio impediatur, seu ejus collatio impugnetur, habet de jure regressum ad primum, sed statim id facere oportet, quoniam prosequendo judicium adversus oppositorem secundi beneficii, nequit deinde ad primum redire, maxime ubi res amplius integra non est, eum vacatio de jure jam inducta sit *cap. si beneficia de præben. in 6., Rot. decis.585. num.1. cum seqq. cor. Cerr.*
12 Pariformiter clericus non privatur ipso jure primo beneficio, etiamsi possessionem secundi pacifice adeptus fuerit, ubi ejus fructus spectant pro certo tempore ad Capitulum, seu Monasterium ex indulto, statuto, aut consuetudine, quod æquissimum est, Nam, ut primum beneficium vacet, necesse est, ut provisus integrè fructus secundi percipiat. vel saltem in majori parte *cap. si tibi concesso, ibique Glos. verbo vacare de præben in 6., ibique Pasterin. num.3., Garz. de benefic. par.11. cap.5. num.131., Rot. decis.281. num.2. par.19. recen.*

13 Ex dictis meritò illud inferendum est, quod sicuti vacatio primi beneficii de jure inducta est cum onere, ut intra duos menses à die captæ possessionis secundi teneatur clericus primum dimittere *Clement. execrabilis de præben., extravag. ut quos de offic. ordinar.*, ità, ubi fructus spectant ad capitulum, tempus dimissionis, seù plenæ vacationis metiendum erit à die, quo fructus secundi beneficii integrè, vel in majori parte per provisum percipiuntur, ut ita congrua congruis referantur; possessio enim sine fructuum perceptione veluti inefficax effectum Juris non parit *cap. si tibi concesso, ibique Gloss. verbo vacare de præben. in 6., Piton. discept.118. num.11.*, ubi refert resolutionem Sac. Congregationis Cardinalium Sac. Conc. Trident. interpretum.
14 Vacatio tamèn, de qua agitur, non datur in beneficiis unitis dignitati, personatui, aut præbendæ ecclesiæ cathedralis, aut collegiatæ; quod patet in clerico, qui præbendam obtinuit, cui pleno jure unita erat ecclesia parochialis; nàm provisus de præbenda censetur quoque institutus in ecclesia parochiali cidem annexa *cap. super eo de præben. in 6. Francus in cap gratia num.6. de rescript.*
15 *in 6.* Et consequentèr non valet impetratio, seù collatio ecclesiæ parochialis tanquam vacantis ob incompatibilitatem plurium beneficiorum, potissimum si in ecclesia parochiali per Vicarium cura animarum exerceatur *cap super eo, ibique Gloss. in verbo annexæ de præben. in.6., Rot. decis.57. n.5. & 6. par.13. rec.*
16 Prætereundum non est, quod regularitèr vacatio ex hoc capite procedit in omnibus beneficiis, sivè sub eodem tecto, sivè extrà posita sint, sivè sint uniformia, sivè difformia, cum hoc discrimine, quod, ubi agitur de duobus beneficiis uniformibus, consuetu-
17 do non impedit, quominus ipso jure inducatur vacatio primi beneficii per assecutionem secundi; repugnant enim in clerico duo canonicatus, duo officia, duæ dignitates, duo personatus in eisdem, vel diversis ecclesiis,
18 quæ quidem repugnantia non militat in beneficiis difformibus ejusdem ecclesiæ, si ità se habeat consuetudo. Unde sæpissime videmus, quod clerici obtinent in eadem ecclesia canonicatum cum dignitate, officium cum personatu, & ita eodem tempore quis est Archidiaconus & Canonicus, Archipresbyter, & Præbendatus: aliquando quis duas percipit portiones, quarum una competit uti Archidiacono, altera uti Canonico, & ita nos docet plurium ecclesiarum consuetudo. Unde in his vacatio vi consuetudinis non datur *cap. eam te ibi = Archidiaconus, & Canonicus ejusdem ecclesiæ de rescrip., cap. à collatione, ibique Gloss. de appellat. in 6. cap. postulastis de concess. præben., cap. cum in ecclesia de præben. in 6.*, ubi quod Episcopus

 est

est etiam canonicus *Rot. decis.524. num.3.*, *decis 497. num.4. par.1. recen.*, ubi requiritur consuetudo, seu præscriptio quadraginta annorum, & assensus Capituli, ut clericus dignitatem cum canonicatu retinere licitè valeat, quod etiam habetur *in dec.298.p.14.rec.*

19 Multo minus dari potest in dignitatibus ho-
norariis, in quibus cessat penitus incompati-
bilitas. Potest enim quis esse Archidiaconus,
& insimul Thesaurarius, Archipresbyter,
& custos, Decanus, & Præcentor. Sane
Archidiaconatus de jure est dignitas cum re,
Thesauraria potest esse de consuetudine titu-
lus sine re, & sine præbenda. Discursus nul-
20 lam habet dubitationem, nam etiam Rex
vi tituli potest esse canonicus *Alberic. in suo*
dictionario in verbo Rex, ubi quod Rex Fran-
ciæ est canonicus in pluribus ecclesiis. Ergo
à fortiori dignitas merè honoraria competere
potest ecclesiasticis, absque eo quod beneficii
vacatio inducatur *Hojed. de incompatib. be-*
nefic par.1. cap.13. num10. & 53., *Rot. de-*
cis 331. num.8 par.4. rec. tom.1., ubi quod
21 dignitas honoraria causat incompatibilita-
tem, & respectivè vacationem alterius be-
neficii, ubi habet jurisdictionem tempora-
lem, & spiritualem.

22 Inter beneficia difformia, alia requirunt
præcisam residentiam, alia causativam tan-
tum, exemplum est in canonicatu, & cap-
pellania; itaque dispositio juris, quæ parit
ipso jure vacationem, seu privationem inter
23 duo beneficia, quæ exigunt præcisam resi-
dentiam, extendi nequit ad alia, quæ ha-
bent temporalem, vel causativam dumtaxat
Gloss. in cap. final. versic. ex vi juris de jure-
patronat. Rot. decis.179. num.5., *decis 489,*
num.2. 3. par.2. rec., *decis.9 num.12 cor.*
Falconer. de benef., nisi aliud cautum sit in
fundatione vel ratione onerum, vel ex spe-
ciali constitutione apostolica, ut quoad pri-
mam partem docet *Navarr. cons.16. de præ-*
ben., *& habetur in Casalen. beneficii 28. No-*
vembris 1687 cor. Caccia, & quod secundam
auctoritas Sac. Rotæ extat *in decis.631. n.3,*
in fin. per tot. par.3. rec.

24 Quæstio non est, inspecto jure antiquo, inter commendam, & beneficium ecclesiasticum, nam clericus, qui obtinuit commendam, non privatur à jure beneficio, quod possidet in titulum; commendatarius enim non est titularis, sed tantum administrator ecclesiæ in temporalibus. Vacat quidem commenda per assecutionem commendæ, sicut beneficium per collationem alterius, sed per assecutionem commendæ beneficium non vacat, nec è contra: nam duplex titulus facti, prout duplex titulus juris repugnat in clerico, sed duplex titulus, quorum unus facti est, & alter juris, non repugnat *Canon. qui plures 21. quest.1.*, *Gloss in cap. dudum versic. intitulata de electionib.*, *Gloss. in Can. sanctorum versic. in duobus distinct.70.*, *Gloss. in capit. nemo deinceps versic. unam*, *ibique Monachus*, *& Archidiaconus de elect. in 6.*

25 Quod fallit *ex Tridentino Sess. 7. cap.4.* ubi pluralitas beneficiorum, & commendarum indistinctè improbatur, ergo commenda vacat per assecutionem Beneficii, & è converso, potissimum quia commendæ hodiernis temporibus sunt perpetuæ, & commendatarii veluti titulares percipiunt fructus, & peragunt ea omnia, quæ veris titularibus de jure competunt *ex deductis in cap. 1. in fin. de vacat. per obit.*

26 Limitatur, si beneficium soleat commendari possidenti aliud absque nota pluralitatis; nam ratione usus, & consuetudinis commenda non vacat, si commendatarius de alio beneficio in titulum provideatur, & præsertim si commenda non obliget ad personalem residentiam, vel ibi per alium, si Ecclesia Parochialis sit, cura animarum exerceatur. *Cap. Super eo*, *ibique Gloss. in verbo annexæ de præben. in 6. Rot decis.37. num.4. cum seqq. par.13. rec.*

27 Denique pluralitas beneficiorum tenuis redditus non parit vacationem, de qua sermo est, si fructus plurium beneficiorum simplicium non sufficiant ad congruam substentationem, ideoque clericus, qui habet unum beneficium simplex, quod non est sufficiens pro alimentis, potest obtinere secundum, tertium, & quartum, & plura alia, usque quo ex pluribus modicis quid satis fiat, quo possit provisus decenter se substentare *Cap. cum te*, *ibique Gloss in verb. tenues de ætat.*, *& qualitat. Rot. decis 341. num 9. par.15. rec.*

28 Difficultas oritur *ex Tridentino Sess. 24.*
cap 17, ubi statuitur unum tantum etiam sim-
plex beneficium singulis clericis esse conferen-
dum, quod si insufficiens sit, aliud simplex,
29 & sufficiens ab Episcopo adjungatur. Du-
plex ex Tridentini decreto emergit quæstio,
quarum prima est, an collatio tertii beneficii
simplicis facta ab Episcopo valeat, secunda
vero, quodnam ex duobus beneficiis jam
collatis vacet, an nempè primum, vel secun-
dum, seu ambo insimul, vel potius detur
optio dimittendi unum, vel aliud arbitrio
provisi.

30 Variant super hoc puncto Beneficialistæ, alii enim negant potestatem in Episcopo conferendi tertium beneficium simplex, quia Tridentinum concedit Ordinariis facultatem providendi de duobus simplicibus dumtaxat, ergo collatio tertii non valet, etiamsi duo priora beneficia non habeant sufficientes redditus per *Text. in cap. ordinarii versic. in conferendis de offic. ordinar. in 6. Piton. discept. Eccles. cap 118. ubi in additione per tot.*, & hanc opinionem defendit etiam *Amayden. de stylo datariæ lib.1. cap.16. §.3. quæst.18. n.12. & 13. per text. in cap. is cui in fin. de preben. in 6.*, ubi si Papa mandat provideri clericum jam provisum, provisio ad duo beneficia sinè cura tantum restringitur. Si vera esset hæc opinio, valeret quidem impetratio tertii vacantis, ut prius, per obitum, seu alio modo, sed non possent duo priora impetrari, quia nulla est collatio tertii ex mente Tridentini.

31 Alii

31 Alii vero contrariam sententiam in puncto juris putant esse veriorem, nam Tridentinum statuens, ut aliud simplex ab Ordinario adjungatur, non aufert ei potestatem conferendi tertium, nec tertii collationem annullat, idcirco valet collatio tertii, & in sequelam ob incompatibilitatem vacant ipso jure duo priora beneficia, quamvis unum, vel ambo essent de jurepatronatus laicorum *Barbos. in d. cap 17. num.8. sess.24. Tridentin. de Luc. de benef. disc.* 119 *num.*2. *Rot. dec.*532. *num* 17. 18. *par.*19. *rec.* Et ratio est, quia si post tertii beneficii collationem clericus duo priora beneficia etiam non sufficientia de jure posset retinere, inanis, & supervacanea esset dispositio conciliaris, & casus reduceretur ad jus commune, quod non prohibet pluralitatem beneficiorum etiam ultra tria, si sufficientem congruam non suppetunt, immo daretur occasio, quod provisus ultra possessionem primi, & secundi, etiam tertium teneret, quod est contra mentem Tridentini.

32 In hac itaque opinionum discrepantia veritas pendet à sequenti distinctione. Aut tertium simplex beneficium sufficiens est pro alimentis clerici, aut non: Si sufficiens, clericus habet intentum, & lex ipsa sortitur effectum, nam singula singulis beneficia sunt conferenda, idcoque per assecutionem tertii sufficientis absque dubio vacant duo priora beneficia *Rot. decis.*532. *num.*23 *cum seqq. par.*19. *recen.* Aut tertium non est sufficiens, tunc unum ex prioribus beneficiis clericus tenetur dimittere juxta resolutionem Sacræ Congregationis Concilii, de qua testatur *Garz. de Benef. par.* 11. *cap.*5. *num.*310., vel
33 vacat primum juxta aliam resolutionem ejusdem Congregationis relatam *per Barbos. de potest. Episc. alleg.* 62. *num.*6. *versic. Verum*; quæ sane resolutio mihi probabilior videtur rejectis penitus ratiociniis *Pitonii discept.* 118 *in additione num.* 20. *lib.* 4. Et ratio est, quia si per assecutionem secundi, statim vacat primum, multo magis vacat primum per assecutionem tertii. Deinde in-
34 tacta servatur dispositio Tridentini, quæ ultra duo prohibet clericis posse retinere plura beneficia simplicia, Nec obstant jura, quibus fundatur prima opinio, nam *Text. in cap. ordinarii* §. *in conferendis de offic. ordin. in* 6. annullat provisionem ultimi contra clericum, qui ex dispensatione apostolica plura possidet Beneficia, quod etiam habetur *in cap it cui in fin de præben. in* 6. ubi provisio tertii etiam nulla declaratur; quæ ratio cessat in Tridentino, à quo tertii collatio non infirmatur. En tibi disparitas inter dicta jura, & Tridentinum, quæ, ni fallor, mihi vera videtur.

35 Hic additur vacare duo priora beneficia vel simplicia, aut composita obtenta ex dispensatione apostolica, si deindè provisus absque ulla dispensatione aliam obtineat dignitatem, seù aliud beneficium ecclesiasticum, & cum effectu percipiat omnes fructus, vel majorem eorum partem *Clementin. si plures de præben. extravag. execrabilis eod. tit. Compostellan in cap dudum in fin de election. Monach. in cap. ordinarii de offic. ordinar. in* 6., *Rot. decis.*281. *num.*18. *par* 19. *rec.* Et ratio à fortiori est, quia si obtento secundo beneficio, quod residentiam requirit, vacat statim primum, multo magis vacare debent plura beneficia, quæ à clerico contra dispositionem juris possidentur: Quinimmò ita lex canoni-
36 ca rigorosa est, ut etiam tertio privetur, qui provisus de tertio etiam duo priora beneficia temere retinere præsumit *cap. de multa de præben. Clementin. execrabilis versic. alioquin. eod. tit.* præsertim si beneficia essent conformia, & sub eodem tecto; undè merito Sacra Congregatio Concili, cum fuisset ab ea quæsitum an, si quis tres capellanias sub eodem tecto uniformes per annum ex collatione Episcopi retinuerit incidat in privationem omnium ipso jure, non obstante Episcopi dispensatione? *In una Caurien* respondit incidere, *prout refert Nicol. verb. beneficium n.*16. *vers. sed prædicta*. Porrò omnia priora beneficia vacantia per assecutionem tertii
37 possunt libere impetrari, nisi obstet præscriptio decem, vel viginti annorum in iis potissimum locis, in quibus Papa, justis de causis, solet dispensare, ut in Germania, Polonia, & alibi, *Rot. in Cracovien. canonicatus* 26. *Junii* 1682. §. *Immò quatenus coram Paulutio, & in Varmien canonicatus* 29 *Januarii* 1685. §. *Eoque magis coram Rovauld.*

38 His positis dubitandum haud est, quod per collationem beneficii residentialis vacet, seù resolvatur coadjutoria, si enim vacat beneficium, in quo clericus habet jus in re, multo magis coadjutoria, in qua acquiritur tantum jus ad rem. Ultrà quod Coadjutor nequit pro coadjuto divinis perfungi officiis, & insimul jure proprio ecclesiæ, cui præest, inservire; Id sanè repugnat menti Sacrorum Canonum, & oneribus coadjutoriæ, quæ à jure inventa est, nè ecclesia debitis defraudetur obsequiis *Garz. de benef. par.*4 *cap.*5. *num.*123., *Ventrigl. in prax. par.*1. *annot.*17. §.1. *num.*19. *Remoscamp de coadjutoriis cap.*12. *num.*37., *Barbos. vot. decisiv.*28 *num.*45. Et consequenter si moriatur coadjutus, beneficium, uti vacans per obitum, conferendum est à Papa, seù ab Episcopo, prout de jure, & ratio est, quia Coadjutor per provisionem alterius beneficii residentialis desinit esse talis, perindè ac si coadjutoria à Papa admissa non fuisset.

39 Nec inspiciendum est, quod Coadjutor ex speciali privilegio non teneatur ad residentiam, ac si in hoc casu coadjutoria vacare non debeat ex assecutione alterius beneficii; quoniam responsio clara est, coadjutoriam tribuere Coadjutori jus ad rem, quod est incompatibile cum alio beneficio, quod tribuit
40 jus in re; ergo coadjutoria vacat per aliud beneficium residentiale, nam jus ad rem, seù in spe facilius extinguitur, quam jus in re *cap. fin. de præben.*, *cap. fin. de concess. præben*;

cap.

cap. si is , cui , cap. quodam de praeben. in 6., *Tondut. quaest. benefic. cap.* 189. *num* 2. *lib.* 2.

41 Ad instar literarum expectativarum, quae quandoque dantur pauperibus Clericis ad Beneficia vacatura, si enim deinde Clericus provideatur de beneficio, apprehendat possessionem, & exerceat omnes jurisdictionis actus, statim amittit jus, quod ex literis expectativis obtinuit, non obstante, quod collatio inde à Judice nulla, & invalida declaretur, & ratio est, quia Clerico ex dictis literis tribuitur tantum jus ad rem, quod est incompatibile cum Beneficio *Clementin. gratiae*, *ibique Vitalin. de rescript.*; Ita

42 à pari in coadiutoria, quae nihil differt à literis expectativis, utrobique enim jus ad rem acquiritur.

43 Hucusque dicta procedunt, si acceptatio secundi, vel tertii beneficii facta sit per clericum animo deliberato, alioquin, si clericus in calore iracundiae secundum beneficium acceptaverit, primum non vacare recepti juris est, dummodo tamen incontinenti petat primum *Abb. in cap. de multa num* 13. *de preben. Cardinal. in Clement.* 1. *in prim oppos. de offic. vicar.*, *Felin in cap. sicut ex literis column. ultim. ibique Dec. & alii de jure jurand.* & ratio est, quia acceptatio secundi beneficii non est libera, ideoque ex defectu consensus non producit effectum juris, quod patet, nam renunciatio beneficii facta in calore iracundiae non tenet ex defectu consensus in praejudicium renunciantis, ergo nec acceptatio secundi beneficii *per Text. in l si filiam, ibiq. Gloss. cod. de inoffic. testam*, ubi quod actus gesti in calore iracundiae non valent *l. quidquid ff. de regul. jur.*

44 Haec tamen vera sunt, si incontinenti clericus possessionem secundi beneficii nactus sit, nam calor iracundiae adhuc praesumitur du-

45 rare in actu possessionis; Secus si possessio secundi ex intervallo capta sit *ad notata per DD. in l. lecta ff. de reb. credit*. Et ratio est, quia possessio secundi beneficii libere capta purgat omne vitium, quod calor iracundiae in actu acceptationis secundi beneficii pepererat juxta distinctionem *Gloss. in cap.* 1. *versic. postmodum*, & *in cap. ad audientiam versic. ad resignationem de iis, quae vi metusve causa fiunt*, & consequenter possessio secundi beneficii capta ex intervallo non obstante ejus acceptatione in calore iracundiae, inducit vacationem primi *cap. de multa de preben.*, *Clement. si plures*, *extravagant execrabilis eod. tit.*

A D D I T I O

1 Pensio non repugnat cum beneficio etiam sub eodem tecto.
2 Pensio non est beneficium ecclesiasticum.
3 Pensio per assecutionem beneficii non extinguitur.
4 Limitatur in pensione reservata in titulum.
5 Limitatur, si in reservatione aliter cautum fit.
6 Pensio reservata clerico intuitu alimentorum, adepto beneficio, extinguitur.
7 Pensio reservata pro alimentis non censetur reservata contemplatione alimentorum, quod exemplificatur ibid.
8 Pensio reservata clerico pauperi, & intuitu paupertatis per assecutionem beneficii extinguitur.
9 Idem in mandato de providendo pauperem clericum.
10 Amplia, si pensio reservata sit intuitu ordinum suscipiendorum, & donec pensionarius assequatur beneficium.

1 Non repugnat, quod clericus eodem tempore sit beneficiatus, & pensionarius, resideat in ecclesia, percipiat fructus praebendae, & insimul ab uno, vel alio beneficio, etiam sub eodem tecto exigat pensionem, vel in pecunia, vel in fructibus *contra Rebuff prax. benefic. tit. de dispensat ratione aetatis* §. *etiam si sint sub eodem tecto in fin.*

2 Pensio enim beneficium non est, & appellatione beneficii non venit, *cap. ad audientiam* 2. *de rescript.*, *cap. quamvis de praebendis*

3 *in* 6., & consequenter per assecutionem beneficii non extinguitur *Gig de pension. qu.* 32; *Mandoz. de signat. grat. tit. de dispensat. ad benefic. sub eod. tect. versic. an autem pensio*, *Hojed. de incompatibilitat. par.* 1. *cap.* 20. *n.* 18. & 22.

4 Limitatur primo in pensione reservata in titulum, quae ita est incompatibilis cum beneficio, sicut praebenda cum alia; idcirco pensio ecclesiastica, adepto beneficio, statim vacat, & extinguitur *Gloss. in extravag. execrabilis versic. beneficium de praeben. inter commun.* ibi = *verbum istud nedum comprehendit canoniam*, *praebendam &c. immò & praestimonium*, & *pensionem pro titulo ad vitam assignatam* =, *Innoc. in cap. postulasti in fin. de rescript.*

5 Limitatur secundo, si in reservatione pensionis aliter cautum sit; casus est in Papa, qui potest clerico reservare pensionem ea lege, ut per assecutionem beneficii ipso jure extinguatur, & vacet; haec est incompatibilitas, seu extinctio pensionis inducta ab homine, quae rationi innititur, & fit, ne clericus duplici perfruatur stipendio, pensione scilicet, & beneficio ità *Spad. conf.* 115. *num.* 1. *lib.* 2., *Rot. decis.* 390. *num* 4. *cor. Manzaned.*

6 Quae quoque ratio militat in pensione reservata clerico contemplatione alimentorum, nam sicuti obtento beneficio cessat ratio, pro qua pensio fuit reservata, ita cessante causa, cessat, & expirat *cap. cum cessante de appell.*, *Gig. de pens. quaest.* 50. *in fin.*

7 Et quamvis regulariter pensio reservari soleat pro alimentis, non tamen omnis reservatio pro alimentis censetur facta contemplatione alimentorum: Sane pensio reservata Clerico diviti, & nobili, ut nempe decentius vivere valeat, reservata quidem est vi hujus clausulae pro alimentis, sed non est reservata intuitu alimentorum; dives enim alimen-

alimentis non indiget, unde hujuſmodi reſervatio penſionis præciſè intelligenda non eſt pro alimentis, ſed pro quadam majori honorificentia debita qualitati perſonæ, cui ea reſervatur, & dicitur quædam penſio reſervata uni ex jure ſpeciali, quæ proindè non ceſſat per aſſecutionem Beneficii, cum quo benè compatitur *Jo. Monach.*, & *Archidiacon. in cap. ſi pauper de præben. in 6.*

8 Requiritur itaque, quod clericus, cui reſervatur penſio, ſit verè pauper, nec id ſatis eſt, nam etiam opus eſt, ut intuitu paupertatis, & alimentorum pauperi clerico reſervetur, hoc caſu verum eſt per adeptionem beneficii penſionem ipſo jure extingui, ſicuti mandatum de providendo clericum pauperem, per proviſionem beneficii expirat
9 *cap. ſi pauper de præben. in 6.*, *Clementin. gratiæ de reſcript.*

10 Ampliatur, ſi penſio reſervata ſit pro ſuſcipiendis ordinibus, & ſub conditione, donec ſcilicet penſionarius eccleſiaſticum aſſequatur beneficium, quo obtento, penſionem extingui dubium non eſt, & quia ceſſat cauſa paupertatis, & quia purificata eſt conditio, ſub qua ea fuit reſervata *Vitalin. in Clementin. gratiæ num. 33. de reſcript.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, ac Penſionis ob incompatibilitatem, Matrimonium, Militiam, & his ſimilia juxta varia decreta Sacræ Congregationis *ad interpretat. Tridentini Seſſ. 7. cap. 4.*, *& Seſſ. 24. cap. 17.*

SUMMARIUM.

1 AUctoritas Sacræ Congregationis maxima in interpretanda mente Patrum Tridentini.

2 An Epiſcopus Clerico habenti duo beneficia ſimplicia, quæ non ſufficiunt ad congruam ſubſtentationem, poſſit conferre tertium, & quodnam ex prioribus vacet; variæ reſolutiones ibidem num. 3. 4. & 5.

6 Vera reſolutio eſt vacare primum, ſi tertium beneficium eſt inſufficiens, ubi de ratione. num. 7.

8 Si duo priora eodem contextu ab Epiſcopo collata ſunt, proviſus de tertio inſufficienti tenetur unum dimittere, conciliantur opiniones, ibidem.

9 Epiſcopus non poteſt conferre tertium ad effectum retentionis, ſecus ad effectum vacationis primi, vel utriuſque, vel unius tantum arbitrio Proviſi.

10 Amplia ſive beneficia ſint libera, ſive patronalia.

11 Clericus obtinens beneficium ſufficiens non poteſt retinere ſecundum, imò nec tertium, nec quartum abſque diſpenſatione Apoſtolica.

12 Temperamentum prudentiale Sacræ Congregationis in hac re.

13 An primum inſufficiens retineri poſſit cum alio beneficio ſufficienti, vel potius beneficiarius eo ſit privandus, duplex opinio. ibidem.

14 Vacat primum ſimplex, & ſufficiens per aſſecutionem parochialis non ſufficientia.

15 Epiſcopus habenti parochialem, ſeu canonicatum non ſufficientem poteſt conferre aliud ſimplex, dummodo utrumque per ſe ſufficiens non ſit.

16 Epiſcopus poteſt ex cauſa diſpenſare, ut quis retineat duo beneficia difformia, dummodo quodlibet per ſe non ſit ſufficiens.

17 Dignitas cum canonicatu in eadem eccleſia de conſuetudine obtineri poteſt.

18 Conſuetudini retinendi duo beneficia difformia in eadem eccleſia per Tridentinum non intelligitur derogatum, dummodo unumquodque beneficium per ſe ſufficiens non ſit.

19 Per aſſecutionem ſecundi ſufficientis indiſtinctè vacat primum.

20 Beneficium, ad quod clericus fuit ordinatus, vacat per aſſecutionem ſecundi ſufficientis.

21 Parochialis habitu non vacat ob impetrationem Canonicatus ſtante diſpenſatione, ſecus parochialis actu.

22 Beneficia difformia ſub eodem tecto, & tenuis reditus non vacant.

23 Tria beneficia ſimplicia, etiamſi non ſufficiant ad congruam, ſub eodem tecto retineri non poſſunt.

24 Tridentinum habet locum in beneficiis patronalibus.

25 Utrumque beneficium ſufficiens vacat, ſi clericus temerè utrumque retinere præſumpſit, quamvis ſecundum ſit de jurepatronatus laicorum.

26 Regula de Triennali non habet locum contra decreta Sacræ Congregationis.

27 Poſſeſſio decennalis inducit præſumptionem impetratæ diſpenſationis ſuper pluralitate beneficiorum incompatibilium.

28 Talis diſpenſatio non eſt ſublata per decreta Sacræ Congregationis.

29 In beneficiis uniformibus præſumpta diſpenſatio, quæ oritur ex poſſeſſione decennali, non admittitur.

30 Regula de trienneli, & poſſeſſio decennalis non ſuffragantur Clerico habenti duas Capellanias etiam tenuis reditus ex diſpenſatione Epiſcopi.

31 Incompatibilitas, & vacatio habet locum in eccleſia parochiali cum capellania exigente celebrationem miſſarum per ſeipſum in alia eccleſia ſecus ſi tale onus injunctum non ſit, ibidem num. 32.

33 Tertulæ beneficiales non comprehenduntur ſub decreto Tridentini, nec ullam inducunt incompatibilitatem, ibidem in fin.

34 An Capellania ſit incompatibilis cum beneficio reſidentiali, ſi onus injunctum ſit, ut Capellanus non debeat diſcedere à loco capellaniæ, reſolutiones difformes, ibidem num. 35.

36 Utraque reſolutio explicatur, & conciliatur, ibidem num. 37.

38 Ceſſat incompatibilitas in beneficiis unitis, ſi ex duobus unum fiat, ſecus, ſi de unione non conſtet.

39 Beneficia unita, ſi primævam retinent naturam, ſunt incompatibilia, ſi unum ſufficit per ſe.

40 Duo beneficia, quæ præciſam reſidentiam requirunt, ſunt incompatibilia abſque diſpenſatione Apoſtolica.

41 An canonicatus conſiſtentes in diſtributionibus quotidianis, ſint incompatibiles cum parochialibus ejuſdem loci, ubi reſolutio Sacræ Congregationis. num. 42. rationes. num. 43. 44. 45.

46 An conſuetudo non reſidendi in eccleſiis Collegiatis ſit ſublata per Tridentinum, & canonicatus ſit incompatibilis cum alio eccleſiæ collegiatæ diſtinguitur. num. 48.

47 Conſuetudine fieri poteſt, ut quis percipiat fructus in abſentia.

49 Præpoſitura ad Scalas Sanctas erecta à Sixto V. eſt in-

incompatibilis cum episcopatu, ibidem resolutio Sacræ Congregationis.

50 Casus singularis de vacatione beneficii ex lege fundationis, ibidem resolutio num. 51. & rationes num. 52, 53.

54 Indulta retinendi duo beneficia incompatibilia regulariter denegantur à Sacra Congregatione, ubi exempla.

55 Multo minus impartiri debent contra expressam legem fundationis.

56 Indulta retinendi duo beneficia conceduntur ex causa tenuitatis redituum.

57 Facultas concessa à Sacra Congregatione retinendi beneficium, & Capallaniam residentialem.

58 Dispensatio a Papa concessa retinendi capellaniam cum Archidiaconatu in eadem ecclesia.

59 Capellania, quæ non requirit residentiam, nec habet curam, de jure non est incompatibilis cum Canonicatu, & diaconia cum parochiali.

60 Indultum retinendi duo beneficia tenuis reditus.

61 Indultum retinendi duas parochias tenuis reditus.

62 Indultum retinendi duas portiones ejusdem ecclesiæ.

63 Vinculum legis quandoque expedit relaxare, & quare.

C A P U T VII.



Oherenter his, quæ huc usque dicta sunt, Sacræ Congregationis Concilii accedunt declarationes, & decreta, quibus materia beneficiorum, ac pensionum ob incompatibilitatem vacantium plenè confirmatur,
1 maxima enim huius sacri Tribunalis impartitur auctoritas interpretandi mentem Patrum Tridentini ex *Constitutione Sixti V.*, *& aliorum*.

2 Et quidem illud grave oritur dubium, quod alias, & sæpè disputatum est, an Episcopus clerico habenti duo beneficia simplicia, quæ non sufficiunt ad congruam sustentationem, Tertium etiam simplex conferre possit, & quatenus possit, an vacent duo priora, vel primum tantum, seu unum ex illis provisus ad ejus electionem dimittere teneatur; variæ super hoc puncto resolutiones Sacræ Congregationis emanarunt.

3 Prima resolutio est *Episcopum posse conferre tertium, sed habita possessione tertii, duo priora vacare, ita habetur in Alatren. die Augusti* 1587., Hæc resolutio non satis rem explicare videtur, procederet enim, si tertium esset sufficiens pro congrua, sed ubi hoc est incertum, multo magis ubi tertium non sufficit, mihi semper dura visa est sententia, quod vacent duo priora, hoc enim modo spoliaretur clericus duobus beneficiis insufficientibus, ut unum insufficiens retineret, quod rationi repugnat; unde hæc resolutio clariori indiget explicatione.

4 Secunda resolutio est *Episcopum non posse conferre tertium, sed habita pacifica possessione tertii unum ex prioribus vacare, ut in Zamoren. die* 8. *Octobris* 1587., Hæc resolutio videtur habere aliqualem contradictionem, nam prius tollit potestatem Episcopo conferendi tertium, & deinde dicit unum ex prioribus vacare post adeptam pacificam tertii possessionem, quod supponit collationem tertii esse validam; ultra quod incertum est, an tertium sit sufficiens, vel non, quod scitu necessarium est in hac re, ergo hæc quoque resolutio ad aliud maturius judicium remittenda videtur.

5 Tertia resolutio est *collationem tertii validam esse, sed si tertium sit sufficiens vacare duo priora, sin minus teneri provisum unum ex illis dimittere, ita quoque habetur in Hyspalen.* 10. *Junii* 1593. Hæc resolutio quoad primam partem plenè satisfacit, quia singula singulis beneficia sunt conferenda, si sufficiunt pro congrua. Nec displicet quoad secundam partem, nam obtinens tertium insufficiens, non ex duobus prioribus dimisso, non potest nisi duo beneficia simplicia retinere, quod est conforme decreto Tridentini *sess.* 24. *cap.* 17.

6 Quarta demum resolutio est, *quod, ubi tertium est sufficiens, vacant duo priora, aliter vacat primum ex illis duobus ante obtentis* Sacra Congregatio, dubio semel, bis, & ultra discusso, respondit *sub die* 13. *Novem-*
7 *bris* 1627. Hæc postrema resolutio mihi semper placuit, tum quia conformior videtur menti Tridentini, quo pluralitas beneficiorum etiam simplicium ultra duo damnatur, & improbatur, tum etiam quia vacationis primi ex duobus ante obtentis punctum ad tramites juris resolvit; Quapropter hodie cum hac resolutione in praxi proceditur, in reliquis tota quæstio facti est, an tertium sit sufficiens, ut vacent priora, vel insufficiens, ut vacet primum.

8 Superest discutiendum, quid dici debeat, si duo priora beneficia simplicia essent ab Episcopo eodem contextu clerico collata, nam tunc non videtur satis provisum ex hac ultima resolutione, quodnam ex prioribus vacet, cum in eadem collatione duorum beneficiorum eodem tempore facta non detur prius, & posterius, nisi dicas attendi debere ordinem scripturæ, quod in hac re patitur dubitationem ex ratione jam dicta; attamen in hoc casu censerem provisum de tertio teneri unum ex illis ad ejus electionem dimittere, si tertium sufficiens non sit, & ita conciliantur omnes resolutiones, nam si tertium est sufficiens, vacant duo priora, *ut in Alatren.* si non est sufficiens vacat primum ex duobus *juxta ultimam resolutionem*, si eodem contextu duo priora collata sint, erit in arbitrio provisi post adeptam possessionem tertii unum vel aliud ex duobus dimittere, *ut in Zamoren.*, *& Hyspalen.*

9 Et quamvis in proposito hujus materiæ Sacra Congregatio alias censuerit Episcopum habenti unum sufficiens non posse conferre tertium *Placentina* 12. *Decembris* 1591. prout habenti duo simplicia, quæ non sufficiunt ad congruam sustentationem, auctoritate ordinaria tertium conferre non posse dice-

dixerit *in Vercellen.* 31. *Julii* 1621. & constat ex dictis *in Zamoren ad primum*; Nihilominus id intelligendum est ad effectum retinendi, ita ut unum tantum, si sufficiens sit, & ultra duo, si non sufficiant, ordinarius conferre non possit absque dispensatione apostolica *Cajetana* 26. *Julii* 1606. *Squilliacen.* 11. *Maii* 1607. *& in Sulmonen*, 3. *Decembris.* 1659. quoniam quoad retentionem plurium simplicium ultra duo insufficientia obstat ex-
10 pressè Tridentini Decretum, quod indistinctè comprehendit omnia beneficia simplicia, sive ad liberam collationem, sive ad præsentationem alterius, ita quoad primum dubium habetur *in Aquilana* 14. *Augusti* 1632. *ubi ad secundum dicitur idem, quod superius de beneficiis liberis, judicandum esse de beneficiis jurispatronatus laicalis*, quæ resolutio refertur *in Abulens.* 12. *Januarii* 1732. ubi etiam differitur de sufficientia, vel insufficientia beneficii ad congruam substentationem;

11 Undè hodie praxis est, quod clericus obtinens primum beneficium sive liberæ collationis, sive de jurepatronatus laicalis ad sui substentationem sufficiens non potest retinere secundum absque dispensatione apostolica quavis consuetudine in contrarium non obstante *Bitetten* 6 *Decembris* 1721 *ad primum libro decretorum* 71, Immo obtinens duo licèt insufficientia sive liberæ collationis, sive de jurepatronatus nequit absque dispensatione apostolica retinere tertium, & quartum *Bitetten. ad secundum.*

12 Verum eadem Sacra Congregatio ibidem prudenter adjecit, quod habentes prædicta beneficia ipsa inconsulta non debeant molestari ab Episcopo, ne clerici ab ordinario beneficiis injustè priventur, quod fortè accidit, & quandoque Sacra Congregatio id in praxi experta est ob recursus ad eamdem habitos à clericis beneficiorum simplicium possessoribus.

13 Hinc quæstio est, an, si primum beneficium sit ad congruam substentationem insufficiens, retentio illius à Tridentino vetita sit cum secundo, quod per se est sufficiens, ita ut per retentionem secundi vacet primum, vel sit beneficiarius eo privandus; *Garzias de benef. cap.* 5. *part.* 11. *num.* 302. *cum seq.* ex mente Sacræ Congregationis sentit primum etiam insufficiens ipso jure vacare ex ea ratione, quia mens Tridentini est, ne quis habeat plura beneficia, quorum unum sufficit ad congruam substentationem; Idemque, sed clarius repetit *Fagnan. in cap. jamdudum num.* 55. *de preben.*, ubi refert hinc inde opiniones, quarum prima est, quod ipso jure vacet primum, secunda, quod clericus sit eo privandus; utrumque probabile, sed prima opinio mihi verior videtur ex ratione iam dicta, quæ menti Tridentini magis adhæret.

4 Quid ergo, si clericus habens beneficium simplex, quod sufficit ad congruam, inde provideatur de parochiali, cuius fructus per se non sufficiunt? *Respondit* Sacra Congregatio *In Feretrana* 25. *Januarii* 1620. *ad secundum Episcopum habenti simplex beneficium posse conferre ecclesiam parochialem, cuius fructus per se non sufficiunt, sed habita possessione secundi primum vacare, tametsi secundum non sit sufficiens*; sibique imputet clericus, qui habens beneficium simplex, & sufficiens acceptavit aliud cum cura non sufficiens; scire enim debuerat incompatibile esse beneficium simplex cum alio, quod curam habet, & residentiam requirit *cap. de multa de præben. extravag. execrabilis eodem titul.*, *Feretrana ut supra ad secundum.*

15 Similiter Episcopus clerico obtinenti parochialem, seu canonicatum non sufficientem ad eius substentationem potest conferre aliud simplex beneficium, quod ei sufficiens non sit, sed plura conferre non potest absque dispensatione apostolica *Marsicana* 5. *Februarii* 1593., *Nepesina* 11. *Januarii* 1594., *ubi*
16 *quod Episcopus ex causa potest, ut quis obtinere valeat duo beneficia difformia sub eodem tecto, dummodo quodlibet per se non sit sufficiens ad substentationem*, *Caluen* 12. *Maii* 1594, *ubi etiam dicitur Episcopum scire debere, quod licet ex causa ipse possit dispensare, ut quis valeat retinere dua beneficia differentia sub eodem tecto, dummodo quodlibet non sit sufficiens per se, non tamen conferre potest ultra duo, super quo omnis consuetudo etiam immemorabis sublata est*, sicut etiam in Squilliacen 21. Januarii 1612. *declaratum fuit duo beneficia difformia canonicatum scilicet, & dignitatem obtineri, & retineri posse ex dispensatione Episcopi Neocastren* 3 *Februarii* 1629, *ubi quod ordinarius super duobus dissimilibus sub eodem tecto dispensare potest, dummodò quodlibet per se non sit sufficient*;
17 præsertim si ita se habeat loci consuetudo *Cavallicen Augusti* 1587, *ubi quod dignitas cum canonicatu in ea ecclesia, in qua viget consuetudo, obtineri potest*; & ratio clara est, quia consuetudini, ut in eadem ecclesia
18 dignitas cum canonicatu obtineri, & retineri possit *ad notat. in cap.* 1. *de consuetud in* 6. non intelligitur derogatum per decretum Tridentini *sess.* 24. *cap.* 17., dum, cum primum non est sufficiens, detur alterum *ita pluries resolutum fuit à Sacra Congregatione in Squilliacen Septembris* 1588., *Squilliacen* 27 *Maii* 1591; *Hyspalen in libro* 73. *memorialium fol.* 296., *Valentina* 13 *Januarii* 1594, *Vassen* 18 *Martii* 1598 *Alexandrina* 17 *Junii* 1630, *Cessenaten* 20 *Decembris* 1631, *& in Burgi Sancti Sepulchri* 28 *Aprilis* 1632

19 Alioquin, si utrumque beneficium sufficiens sit, indistinctè vacat primum ob pacificam assecutionem secundi. *Camaien.* 14. *Februarii* 1594., *ubi quod, si habenti unum beneficium sufficiens, aliud sufficiens ab Episcopo collatum fuerit, habita pacifica possessione secundi vacat primum, & in nullius* 28. *Februari* 1598., Quod etiam clarius habetur *in Feretrana die* 25. *Januarii* 1620., in qua

Sacra Congregatio *censuit episcopum habenti beneficium sufficiens posse conferre secundum, sed habita pacifica possessione secundi vacare ipso jure primum Fessulana 19. Decembris 1648,*
20 *ubi quod primum beneficium, ad quod clericus fuit ordinatus, ipso jure vacat ob assecutionem secundi sufficientis ad congruam sustentationem.*
21 Undè propterea *censuit* Sacra Congregatio *in hac re scribendum esse ad Episcopum obtinentem parochialem, quam in impetratione canonicatus habita tantum curatam expressit, non ideo possessionem canonicatus esse denegandam quod parochialis esse actu prætendatur; Si enim curatam esse actu compertum fuerit per adeptionem canonicatus vacabit ecclesia parochialis, nec licebit utrumq. retinere; Si vero parochialem esse habitu curatam constiterit, utique poterit utrumque ex causa sibi concessæ dispensationis obtinere ita in Nepesina* 11 *Maii* 1595.
22 Cæterum duo beneficia difformia sub eodem tecto, & tenuis reditus non vacant, etiamsi obtenta sint absque dispensatione apostolica, unde Sacra Congregatio ad dubium, an clericus posset ea retinere, remisit hoc ad episcopum *Camerinen. dispensationis* 14 *Novembris* 1716. *Decretorum* 66. ubi citantur alia decreta *in Neocastren.* 3. *Februarii* 1629. *Alexandrina* 11. *Junii* 1630. *Assisien.* 12. *Januarii* 1697. *Decreto* 47. *fol.* 9. *Assisien.* 18. *Maii* 1697. *Decret.* 47. *fol.* 27.
23 Rursus eadem incompatibilitatis ratio militat etiam in beneficiis de jurepatronatus laicorum, in quibus non fit libera collatio, sed Institutio, quæ est actus necessarius; Et ita Sacra Congregatio ad dubium, an ab Episcopo absq. dispensatione apostolica permitti posset retentio trium beneficiorum simplicium de jure patronatus laicalis sub eodem tecto non existentium, & quod reditus non sufficiant ad congruam sustentationem, *optime respondit Episcopum permittere non posse, ut in Cursolen.* 13. *Maii* 1651. *libr.* 119. *Decret. fol* 126 *Alexanen.* 14. *Novembris* 1659.
24 Quæ resolutio rationi innititur, quoniam dispositio conciliaris super damnata beneficiorum pluralitate habet etiam locum in beneficiis de jurepatronatus laicorum, *Nulliu* 16. *Januarii* 1596., *Januen.* 24. *Martii* 1604., *Idem* Sacra Congregatio respondit *ad dubium incompatibilitatis* 20. *Januarii* 1680.
25 Quid ergo, ubi clericus ecclesiasticum beneficium obtinuit sufficiens ad se honeste sustentandum, & deinde ab Episco fuit institutus in alio beneficio juris patronatus ad præsentationem patroni laici, & utrumque beneficium retinuit, eorumque fructus percepit per duos annos? Respondeo utrumque ipso jure vacasse *ut in Aquilana* 14. *Augusti* 1612. *lib.* 14. *Decr. fol* 653 *relat.* 11. *Abulen.* 12 *Ja-*
26 *nuarii* 1732., rejecta præsumpta dispensatione, quæ oritur ex regula de Triennali, quæ non habet locum contra decreta Sacræ Congregationis, *ut in Nullius* 19. *Novembris* 1596., *& in d. Aquilana*, ubi etiam notatum legitur = *qua declaratione ad Sanctissimum delata, Sanctitas sua dixit bene Congregationem censuisse, atque ita exequendum esse.*
27 Sunt tamen, qui putant ex decemnali retentione beneficiorum ob pluralitatem, vel aliam causam incompatibilium induci præsumptionem impetratæ dispensationis *Azonell. de jur. Cleric. par.* 3. *cap.* 27. *num.* 34. *Barbos. de Episcop. allegat.* 62. *num* 30. *Formosin. ad cap. final. de filiis illegit. quæst.* 3.
28 *num.* 20., Quapropter hæc præsumpta dispensatio, quæ oritur ex decemnali retentione non censetur sublata per decreta Sacræ Congregationis in iis potissimum locis, in quibus Papa solet dispensare, nisi aliter caveatur *l. præcipimus in fin. Cod. de appellat.*, nihil enim regula de triennali commune habet cum possessione decemnali, *l. Papinianus ff. de minor.*
29 Verum hæc præsumpta dispensatio non est admittenda in beneficia uniformibus, quibus juris dispositio directè resistit, *Narsicen* 11 *Martii* 1604, in qua Sacra Congregatio expressè *resolvit duas dignitates esse incompatibiles tam vigore Sacrorum Canonum, quam decreto Tridentini, neque regula de triennali, neque longiori tempore absque dispensatione sedis apostolicæ possidentem se tueri posse.*
30 Sicuti regula de triennali, & possessio longi temporis non suffragantur clerico, qui ex dispensatione Episcopi possidet duas Cappellanias sub eodem tecto, tametsi cuiuslibet illarum fructus non sint sufficientes ad sustentationem provisi, & compatibiles ratione servitii, & onerum, quia Episcopus in hoc dispensare non potest *Albiganen* 10 *Decembris* 1639; Porrò dignitas per provisionem alterius vacat, sicuti Cappellania per alterius assecutionem, imo vacat utrumque, si quis temere utrumque retinere præsumpserit, rejecta quacumque præsumpta dispensatione triennali, & decemnali ex decreto Sacræ Congregationis *in d. Narsicen.*
31 Hanc quoque incompatibilitatem, & respectivè vacationem insimul ecclesiæ parochialis cum Cappellania exigente celebrationem missarum per seipsum in diversa ecclesia ob rationis identitatem extensam comperimus *in Squilliacen* 16. *Februarii* 1609., *ubi dicitur ad satisfaciendum usque adhuc legi fundationis requirenti, ut Capellanus celebret missas per seipsum, non licere tales Capellanias, nec aliquam ipsarum retineri cum parochiali ecclesia Taurinen. capellaniæ* 14 *Januarii* 1690, ubi quod Capellanus, qui tenetur celebrare missas ad certam horam a Testatore injunctam, ac interesse divinis officiis, prout canonici d. ecclesiæ facere solent, alioquin privari possit, nequit retinere canonicatum alterius ecclesiæ, quia capellania cum onere inserviendi in choro, ac celebrandi missas, ut supra, dicitur præcisè residentialis *Cremonen capellaniæ majoris* 26 *Septembris* 1699 *libro decretor.* 49 *fol.* 34, ubi quod capellania cui-

exigens residentiam in loco cum onere celebrandi missas per seipsum est incompatibilis cum alia pariter residentiali, & existente in alio loco *Neapolitana capellaniarum 14 Aprilis 1725 ad primum libro 75 decret. fol.171. Romana 17 Januarii 1728 libro 78 decret.*
32 *fol.1.*; Aliter cappellaniam, cui non inhæret conditio celebrandi missas per seipsum in alia ecclesia, non esse incompatibilem cum beneficio parochiali respondit Sacra Congregatio *in Novarien. 12. Decembris 1705. libro 55. decret. fol.437., & in Civitatis Castelli legatorum Piorum 19. Maii 1708. libr.58. decret. fol.177.*; Ut ergo in legatis piis, Ita in Capellaniis mere laicalibus de jurepatronatus cessat incompatibilitas *Bitecten ut supra ad Tertium, Burgen 29 Januarii 1649*, ubi Sacra Congregatio dubio bis maturè discusso *censuit Capellanum pro tempore existentem non teneri personaliter residere, & consequenter capellanias ibidem erectas non inducere incompatibilitatem, & per substitutum posse onus celebrationis missarum implere, cum non sit expressum, ut per seipsum celebret.*
33 Communiter etiam receptum est sub decreto Tridentini non comprehendi Terrulas beneficiales, seu pia legata cum onere missarum, & alia divina officia celebrandi, licet conferri soleant clericis ad præsentationem Patronorum *Signina Junii 1587. Squilliacen. Septembris 1589., & in Neroten 13 Junii 1628., ubi quod, si sunt simplicia legata, neque conferantur in titulum, & possessor satisfacere queat oneribus, utique possunt retineri sub eodem tecto absque dispensatione apostolica Neocastren 3. Februarii, & 28. Aprilis 1629, ubi dicitur neminem posse absque dispensatione Apostolica plura simplicia beneficia etiam de jurepatronatus sub eodem tecto retinere simul, exceptis beneficiis, seu legatis altare, seu Capellam non habentibus Brundusinen 3 Julii 1606, ubi quod Terrulæ beneficiales, seu legata nullam inducunt incompatibilitatem*, & consequenter ob pluralitatem non vacant, sive extent sub eodem tecto, sive extra.
34 Hinc dubium grave oritur, an Capellania sit incompatibilis cum alio beneficio residentiali etiam curato, si injunctum sit onus, quod Capellanus non debeat discedere à loco Capellaniæ. Videtur super hoc puncto Sacram Congregationem variasse, nàm censuit hujusmodi Capellaniam non esse incompatibilem, & in sequelam beneficium residentiale etiam Curatum ob illius assecutionem non vacasse, *ita habetur in Interamnen. Capellaniæ die 3. Februarii 1685.*
35 Contrarium deinde resolvit *in Romana Capellaniæ 17 Februarii 1685*; Mihi tamen abstracte loquendo placet hæc secunda resolutio, quia onus injunctum, ne Capellanus discederet à loco Capellaniæ, videtur præseferre Capellaniam esse residentialem, prout de jure sunt omnia beneficia, quæ præcisam in loco residentiam requirunt. Deindè non discessus à loco Capellaniæ videtur à Testatore volitus, ut Capellanus ibidem sedulò inserviat, quod fieri non potest, si Capellanus in eo, vel alio loco ratione alterius beneficii præcisè residere teneatur, ergo hæc Capellania uti incompatibilis cum alio beneficio residentiali vacat post habitam possessionem alterius beneficii in eo loco, vel alibi existentis, & è contra, *cap. de multa de præben, Tridentinum sess.7. cap.4.*
36 Verum utraque resolutio non est contraria, sed potius diversa, & conciliatur ex circumstantiis, de quibus infra, nam *in d. Interamnen* testatrix mandavit Capellano, ne discederet, sed discedenti non aliam, quam privationis fructuum pænam dietim incurrendam imposuit; Unde residentia hujus Capellaniæ erat tantum causativa, quod etiam habetur *in Sabinen. Capellaniæ 18 Martii 1684. ad tertium lib. Decret.34 fol.80., Rot. decis.13. coram Bich. per tot.*; Deinde Capellanus commorabatur in eodem loco, & civitate, ibique possidebat parochialem, idcircò verificabatur, quod à loco non discessit, imò tenebatur ibidem ob parochialem ante obtentam permanere, ergo hujusmodi Capellania non erat incompatibilis cum beneficio curato ibidem existenti.
37 E' contra *in Romana Capellaniæ* testator voluit, ut missæ in ecclesia sanctissimæ Trinitatis Urbis celebrarentur, & solummodo in casu necessitatis, & absentiæ ab urbe, seu servitii apud Cardinalem, aut Prælatum in curia mandavit missas per alium celebrari; Ultra quod in hoc casu Capellanus fuit provisus de beneficio residentiali extra Romanam Curiam; Unde jure merito Sacra Congregatio respondit Capellaniam per assecutionem alterius beneficii alibi existentis ipso jure vacasse; Demum etiam in hac causa sciendum est, quod Sacra Congregatio *sub die 17. Julii 1685* assignavit terminum duorum mensium ad eligendum alterutrum, ex quo patet, quod incompatibilitas Capellaniæ erat dubia, & vacatio incerta, & revera Capellania non vacavit, nisi post terminum duorum mensium ad eligendum, si verè intra d. tempus Capellanus non elegerit.
38 Illud etiam prætereundum non est, quod Capella accessoriè unita ecclesiæ, & ita sit subjecta, vel ab ea dependens, ut unicum beneficium effectum sit, non continetur sub decreto Tridentini in *in d. cap.17.* in ea parte, in qua loquitur de obtinentibus duas parochiales *feretrana die Augusti 1587.. ubi quod Tridentinum de dimittendis unam ex duabus parochialibus non habet locum in duabus parochialibus unitis vel simplici beneficio, vel ecclesiasticæ dignitati Teruisen.7. Aprilis 1592. Clunen 28. Julii 1605.*, in qua pariter Sacra Congregatio *respondit duas parochiales ita demum posse ab una, eademq. persona retineri, si fuerint ad invicem unitæ; cæterum, si de unione non constat, & absque dispensatione fuerint obtentæ, indactam esse vacationem utriusque.*

39 Non item, si ambo beneficia accessoriè unita eorum pristinam naturam retineant, ita ut duo, non unum beneficium censeantur, tunc enim retentio utriusque vetita est à Tridentino, si unum sufficit per se *Vicen 7 Maii 1592, ubi quod beneficium simplex, cui perpetuò, & accessoriè unitum fuerit beneficium curatum, retinet naturam simplicis, & quamvis incompatibilitas cessare videatur, utrumque tamen retineri non potest, si ab ordinario collata fuerint, & alterum per se est sufficiens ad obtinentis substentationem.*

40 Duo tamen beneficia, quæ præcisam residentiam requirunt, aut alias sunt incompatibilia de jure retineri non possunt absque dispensatione apostolica *Bambergen, seu nullius Fulden incompatibilitatis 30 Septembris 1713, 28 Aprilis 1714, & 23 Februarii 1715;* Sed quandoque ex circumstantiis facti de re-

41 tentione duorum disputatum fuit; Olim Canonici Syracusanæ Ecclesiæ, quorum canonicatus consistunt in distributionibus quotidianis, plura proposuerunt dubia in hac Sacra Congregatione; primo, an ipsi possint retinere canonicatum, ac parochialem intra civitatem existentem absque dispensatione apostolica; secundo, an iidem possint retinere canonicatum, ac parochialem extra civitatem; tertio, an si ipsi retineant, uterque vacet, vel alter eorum ob assecutionem secundi; quarto, an debeant moneri ad dimittendum alterum ad eorum electionem.

42 Sacra Congregatio *respondit ad primum, & secundum non posse; ad tertium si quis utrumque beneficium retinere præsumpserit, utrumq. vacare post adeptam possessionem secundi; ad quartum nulla opus esse monitione, ita habetur in Syracusana.*

43 Hæc resolutio in omnibus suis partibus mihi visa est justa, & satis in jure fundata, nam quoad primum, & secundum dubium certum est Canonicatus, qui consistunt in distributionibus quotidianis, verè esse beneficia, sicuti nemo dubitat distributiones quotidianas esse proventus ecclesiasticos *ita habetur in cap. unic. extravag. Comm. §. & quia de decimis,*& in hisce distributionibus jus percipiendi reditus ecclesiasticos consistere, quod sine dubio importat beneficium *cap. 1. de reg. jur, in 6.*; Item omnes distributiones, quæ percipiuntur à Canonicis Syracusanæ Ecclesiæ stant loco præbendarum, ut praxis docet in ecclesiis patriarchalibus urbis, & alibi. Item hujusmodi canonicatus obligant præcisè ad residentiam, prout cæteri alii habentes præbendam distinctam *cap. 1. & tot. tit. de cleric. non residen*; Ergo Canonicatus hujusmodi sunt incompatibiles cum parochiali intra, vel extra civitatem existente; nullus enim debet occupare plura officia, & in duabus ecclesiis conscribi ex Tridentino *sess. 24. cap. 17.*

44 Quovero ad tertium res nullam admittit dubitationem, nam si quis utrumque temerè retinere præsumpserit, utrumque ipso jure amittit *cap. de multa de præben extravag. execrabilis eodem tit.* & ita alias Sacra Congregatio *die 20 Julii 1602 lib. decret fol. 42. censuit decretum Tridentini sess. 7. cap 4. inducens vacationem ipso jure nedum comprehendere ecclesias parochiales, & dignitates, sed etiam quæcumque beneficia ex decretis ejusdem Concilii effecta incompatibilia Gandaven 23 Julii 1606, de qua infra.*

45 Quo vero ad quartum res etiam per se clara est, nam ubi lex ipsa decretum vacationis addit, nulla amplius requiritur monitio hominis, ut ob incompatibilitatem beneficium vacet *Gloss. in extravag. execrabilis vers. ipso jure de præben.*

46 Verum in collegiatis ecclesiis adsunt canonicatus, qui ex antiqua consuetudine non obligant ad residentiam, prout talis consuetudo viget in Ecclesiis collegiatis civitatis, seu diæcesis Gandavensis; Unde dubitatur, an hujusmodi Canonicatus sint compatibiles, aut non cum canonicatibus aliarum ecclesiarum Collegialium, & vacent, vel non ob assecutionem alterius residentialis; Consulta super hoc puncto Sacra Congregatio *sub die 23 Julii 1606 lib. decret. 11. fol. 179. respondit, si consuetudo non residendi in ecclesia collegiata non insigni sit immemorabilis, non esse à Concilio sublatam, ac propterea illius canonicatus censeri veluti simplicia beneficia, nec esse incompatibiles cum canonicatibus alterius ecclesiæ; Quod si consuetudo sit minoris temporis, aut ecclesia collegiata sit insignis hujusmodi Canonicatus esse incompatibiles cum canonicatibus alterius ecclesiæ collegiatæ pariter insignis, ut i personalem residentiam requirentis, ac proinde primum ipso jure vacare per assecutionem secundi; quod si provisus utrumque retinere præsumpserit, vacare utrumque ex decreto Tridentini cap. 4. sess. 7.*

Placet hic modus respondendi cum distinctione, quando facti certitudo non habetur, hoc enim in decretalibus passim invenitur, sed multo magis placet resolutionis ratio, nam

47 sicuti de consuetudine quis potest non residendo percipere fructus in absentia *cap. cum omnes ibique Gloss. in fin. de constit.* ita potest quis ratione consuetudinis retinere in ecclesia collegiata non insigni canonicatum, qui non sit incompatibilis cum canonicatu alterius ecclesiæ collegiatæ insignis, in qua residentia de jure requiritur.

48 E contra canonicatus ecclesiæ collegiatæ insignis sunt incompatibiles cum canonicatibus alterius collegiatæ pariter insignis pro effectu vacationis unius beneficii ob assecutionem alterius; In hisce enim ecclesiis collegiatis insignibus quæcumque consuetudo non residendi à Tridentino sublata est *ex cap. 12. sess. 24. §. præterea; Vercellen Octobris 1569.*

49 His additur casus singularis, ex cujus circumstantiis resultat incompatibilitas, & respectivè vacatio beneficii ob assecutionem alterius; Itaque Sixtus V erexit Præposituram ad Scalas Sanctas cum officio sacristæ, quatuor capellanos, & quatuor alia beneficia eccle-

sia-

siastica clericatus nuncupata, adjecitque, quod
præpositus esset caput capellanorum, & cle-
ricorum, quibus dicitur præesse debere; Item
præposito, sacristæ, & capellanis injungitur
onus celebrandi missas per se ipsos; Item præ-
posito datur facultas concedendi licentiam
capellanis celebrandi missas per alios, si im-
pediti fuerint, subdendo, quod illi debeant
præposito obedire tamquam membra capiti;
Denique institutio præposituræ reservatur
Eminentissimo Urbis Vicario, & collatio ca-
pellaniarum ipsismet præposito; Unde cum
annis retro elapsis dubitatum fuerit, an hu-
jusmodi Præpositura esset incompatibilis cum
episcopatu non obstante indulto de retinendis
beneficiis residentiam non requirentibus; Sa-
cra Congregatio *respondit, affirmative, &
amplius, ita habetur in Romana præposituræ
prima Aprilis* 1719., & ratio resolutionis est,
quia hæc præpositura exigit residentiam præ-
cisam in loco pro bono regimine missarum ce-
lebrandarum, quod spectat ad præpositum
tamquam caput; Deindè missæ celebrandæ
sunt per ipsum præpositum, sacristam, &
capellanos; ergo hæc præpositura est incom-
patibilis cum episcopatu ex utroque capite
residentiæ, & celebrationis missarum per sei-
psum *ut in Squilliacen, Taurinen, Cremonen,
de quibus supra*.

50 Accedit quoque alter casus notatu dignus,
quod Pius vir fundavit beneficium ecclesiasti-
cum sub invocatione Sanctæ Catherinæ, vo-
luitque, quod persona præsentanda actu
sit Præsbiter, aut saltem talis, quod possit
intra annum in Præsbiterum ordinari, quod
nullum beneficium ecclesiasticum possideat,
quodque omnibus diebus dominicis, aliisque
festis, nisi aliquo probabili impedimento pro-
hiberetur, divinis officiis in ipsa parochiali
ecclesia interesse debeat; Addidit insuper,
quod si à personali residentia ultra duos men-
ses sine licentia abstinuerit, novem dierum ca-
nonica monitione præmissa cadat à jure suo,
& ex tunc vacet altare, seu beneficium; De-
nique cavit, ut omnes, qui ejusdem benefi-
cii possessionem essent adepturi, juramento
promitterent se diligenter servaturos leges
fundationis, nec suscepturos officium capel-
lani in eadem ecclesia parochiali; Possessor
hujus beneficii, qui etiam juramentum à fun-
datore injunctum emiserat, nominatus ad
parochialem ecclesiam, quæ spatio sex mil-
liarium distat ab ecclesia parochiali, in qua
est fundatum beneficium Sanctæ Catherinæ,
petiit declarari.

Primo, an beneficium Sanctæ Catherinæ
sit incompatibile cum ecclesia parochiali, de
qua agitur.

Secundo, an & quatenus negativè, sit con-
sulendum Sanctissimo pro dispensatione ad ef-
51 fectum retentionis utriusque in casu &c.; Sa-
cra Congregatio *in Colonien. beneficii 6. Fe-
bruari* 1634. *respondit ad primum affirmativè,
ad secundum negativè, & amplius*.

52 Quandoquidem quoad primam partem ju-
ridica est hujusmodi resolutio, si enim hujus-
modi beneficium erat incompatibile cum alio
officio, imo cum capellania in eadem ecclesia
parochiali ex lege fundationis, multo magis
cum alia ecclesia parochiali, quæ spatio sex
milliarium distabat ab ecclesia, in qua erat
situm hoc beneficium; Deinde possessor hujus
beneficii tenebatur diebus dominicis interesse
divinis officiis in ecclesia parochiali peragen-
dis; ergo beneficium erat incompatibile cum
parochiali deinde obtenta *cap. de multa de
præben, extravag. execrabilis eodem tit*.

53 Sed justa quoque est resolutio quoad se-
cundam partem, nam indulta, & dispensa-
tiones super retentione duorum incompatibi-
lium contra dispositionem sacrorum canonum,
& Tridentini non solent à Sacra Congregatio-
ne impartiri, imo regulariter denegantur;
54 Ita indultum retinendi duo incompatibilia
denegatum fuit *in Bambergen* 23. *Februarii*
1715. *Casertana indulti* 8. *Augusti* 1716.
*lib.66. Decret. fol.*343. *Polignanen* 19. *Junii*
55 1717. *lib.67. Decret. fol* 251., multo minus
talia indulta concedenda sunt contra ex-
pressam legem fundationis, *ut in d. Co-
lonien*.

56 Quandoque tamen Indulta retinendi plura
conceduntur ex causa tenuitatis fructuum
tam in similibus, quam in dissimilibus bene-
57 ficiis; ita concessa fuit à Sacra Congregatio-
ne facultas retinendi beneficium, & capella-
niam residentialem sub eodem tecto ecclesiæ
cathedralis *Ebroicen* 14. *Martii* 1682; Idem
habetur quoad capellaniam, & canonicatum
in Abringen. 13. *Martii* 1683. *Sarzanen. incom-*
58 *patibilitatis* 25. *Januarii* 1681., *ubi decla-
ratum fuit stante dispensatione Capellaniam
non esse incompatibilem cum Archidieconatu
in eadem ecclesia*.

59 Verum tamen est, quod simplex capella-
nia, quæ residentiam non requirit, nec ha-
bet curam, aut onus aliquod spirituale, quod
exigat præsentiam in loco, nullo modo est
incompatibilis cum canonicatu, nec compre-
henditur sub decreto Tridentini *cap.4. sess.7.*
nec vacat ob assecutionem canonicatus ita Sa-
cra Congregatio in nullius Decembris 1587
salernitana 11. *Januarii* 1585., *ubi quod
diaconia, quæ non obligat ad residentiam in
cathedrali ecclesia, non est incompatibilis cum
ecclesia parochiali*.

60 Simile Indultum retinendi duo beneficia
difformia tenuis reditus habetur *in Aquilana*
24. *Aprilis* 1691. *lib. Decret.*44. *fol.*187.,
*ubi resolutum fuit, ut canonicatus, qui cum
distributionibus non excedit ducatos* 15. *auri
de camera, posset retineri cum parochiali,
cujus fructus non excedebat cum incertis duca-
tos* 12. *auri de camera, & ad quam per duas
vices in d. concursu nemo comparuerat præter
eum, qui indultum obtinuit*; Auxitana 28
Februarii 1696 *lib. decret.*46. *fol.*38 *ubi etiam
conceditur dispensatio retinendi insimul duo
beneficia incompatibilia attenta tenuitate fru-
ctuum utriusque*.

61 Et quamvis quoad beneficia similia magis
obstet dispositio juris, attamen causa tenui-
tatis

tatis redituum prævalet ad obtinendum in-
dultum, ita quoad retentionem duarum pa-
rochialium tenuis reditus videri potest *in Ba-
jocen* 13 *Martii* 1683, & quoad duas portio-
62 nes ejusdem ecclesiæ parochialis *in Sagien* 30
Septembris 1684; Idque ex causa in praxi
63 receptum est, & fieri potest de jure, quo-
niam quandoque publicè expedit legis vincu-
lum relaxare, ut plenius evenientibus casibus,
& necessitatibus pro communi utilitate satis-
fiat, *inquit Tridentinum sess.* 25. *cap.* 18.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Mercatura clericis repugnat, & quare.
2 Pensio ob mercaturam extinguitur.
3 Mercatora ex justa causa clericis permitti potest.
4 Indultum retinendi pensionem clerico exercenti mercaturam
5 Ars medica non decet statum clericalem.
6 Clericus exercens artem medicam pensionem amittit.
7 Ars medica utilis.
8 Indultum retinendi pensionem, & exercendi artem medicam.
9 Equites levis armaturæ habentes officium custodiendi corpus summi Pontificis non possunt in hoc statu pensiones retinere.
10 Indultum retinendi pensionem in hoc statu non valet, non facta mentione officii, conceditur tamen sanatoria, ibidem.
11 Dispensatio Innocentii XII concessa clerico ejus vexillifero retinendi pensionem in statu conjugii.
12 Reservatio pensionis facta ab Innocentio XI laico uxorato, & resolutio Sacræ Congregationis num. 13. 4
13 Indultum retinendi pensionem expeditum post contractum matrimonium, licet crederetur antea expeditum, non est revalidandum, ubi de ratione num. 16.
17 Dispensatio concessa clerico retinendi pensionem in statu matrimoniali non suffragatur pro statu militari.
18 Concilium Tridentinum quo ad pluralitatem beneficiorum non habet locum in pensionibus.
19 Consuetudine fieri potest, ut una pensio extinguatur per aliam.

Hinc quoque pro praxi Romanæ Curiæ quoad
laicos artes exercentes, uxoratos, & mi-
lites obtinentes pensiones ecclesiasticas præ-
1 notandum est, quod ars mercaturæ repugnat
clericis beneficia, & pensiones possidentibus
tum de jure, tum etiam ex constitutionibus
Apostolicis *cap* 1. *ne clerici vel monaci*,
Pius IV. constit. 19., mercatio enim parum
differt à militia, procuratione, & admini-
stratione, & vix sine peccato potest exerce-
ri *Gloss. in can. qualis hinc in fin. distinct* 26.,
Gloss. in can decimæ vers. negotio 16. *quæst.* 1.
ibi=*& tamen aliqua negotiatio sine peccato vix*
2 *potest expediri*; Idcirco dubium non est, quo
minus pensio ob negotiationem extinguatur,
clericus enim ob turpem lucri quæstum omni-
bus privilegiis clericalibus facto ipso renun-
ciare censetur *cap final ibique Gloss. de vit &
honest clericor. cap.* 1. *ibique omnes ne clerici,
vel monaci*.

3 Verum quandoque talis urget necessitas, ut
ita fiat, quod propriè locum habet in clericis,
qui soli remanserunt in familia, vel talia ha-
bent inchoata negotia, quorum omissio ma-
gnum afferret domui, & familiæ detrimen-
tum, tunc enim vel ad certum tempus, vel
etiam in perpetuum potest clericis negotiatio
permitti, ne incidant in pœnas sacrorum ca-
4 nonum; ita cum Joseph Bernabeus clericus à
Papa reportasset indultum retinendi pensio-
nem scutorum 31 auri de camera super cano-
nicatu ecclesiæ cathedralis sibi reservatam,
etiamsi matrimonium contrahat, & in habi-
tu, & tonsura non incedat, ac munia laica-
lia exequatur; quia vero tamquam unicus de
familia rebus domesticis, earumque directio-
ni præesse debet, petiit sibi indulgeri, ut ea-
dem pensione liceat frui, etiamsi mercatu-
ram exerceat, cujus precibus Sacra Congre-
gatio annuit *concedendo indultum retinendi
pensionem in hoc statu, dummodo nihil sordi-
dum, & characteri clericali indecorum per sei-
psum exerceat, ita habetur in Perusina* 8
Augusti 1693.

5 Similiter ars medica quantum ad illius exe-
cutionem statum clericalem non decet, imo
prohibetur clericis etiam minorum ordinum
tum de jure, tum etiam ex decretis Sacræ
Congregationis, *ut in Caven.* 29 *Martii* 1653,
6 unde clericus medicam artem exercens, quia
clericalibus privilegiis renunciare censetur,
pensiones in hoc statu obtinere non potest, &
si quas habet, ipso facto amittit *cap.* 1. *ne cle-
ric., vel monac.*

7 Verum ars medica utilis est, ac multos in-
struit, & inservit communi bono *l. professo-
res cod. de professor. & medic. lib.* 10.; Qua
de re indultum retinendi pensionem in hoc sta-
tu, non videtur posse denegari; & ita casus
8 accidit, nam Cajetanus de Bernardinis olim
Rector Capellaniæ sub titulo Sanctæ Mariæ
Montis Carmeli vallis cuppolæ cessit eamdem
capellaniam Joanni Baptistæ Jubileo cum re-
servatione pensionis annuorum ducatorum se-
ptem cum dimidio auri de camera, nunc in
medicina doctor, cupiens artem hanc exerce-
re, supplicavit pro dispensatione, ut non
obstante hujusmodi exercitio pensionem re-
tinere valeat; Sacra Congregatio censuit *id
indulgeri posse facto verbo cum Sanctissimo, ut
præfatam pensionem retinere possit, & facta per
secretarium de præmissis relatione Sanctitas
sua annuit, & benignè indulsit Albanen* 3.
Aprilis 1694.

9 Denique equites levis armaturæ habentes
officium custodiendi corpus Summi Pontificis
nequeunt in hoc statu tamquam incapaces
ecclesiasticas retinere pensiones *Romana in-
dulti* 16. *Novembris* 1720. *ad primum De-
cret.* 70., *&* 31. *Maii* 1721. *Decret.* 71, ita
10 ut indultum retinendi pensionem cum offi-
cio non expressa possessione officii in petitione
indulti obtinenti non suffragetur; Sed tamen
Sacra Congregatio in hoc casu censuit locum
esse

esse sanatoriæ *Romana indulti* 31. *Maii* 1721. *utrobique ad secundum*; Quandoque etiam à Sacra Congregatione conceditur indultum retinendi pensionem in statu conjugali, & militari; quandoque jam obtentum suffragatur; Utrobique casus singularis, & notatu dignus ponitur.

11 Quoad primum sciendum est, quod cum per JacobumSorbelongum clericum conjugatum supplicatum fuisset pro dispensatione retinendi nonnullas ecclesiasticas pensiones, ex quo à tribus ante annis per San. Mem. Alexandrum VIII. deputatus fuerat in Vexilliferum vulgoCornetta equitum levis armaturæ pro Summi Pontificis custodia,Sacra Congregatio Concilii respondit *oratorem esse dispensandum facto tamen verbo cum Sanctissimo, quo per ejusdem Congregationis Secretarium expleto Sanctitas Sua Sacræ Congregationis sententiam benigne approbavit, oratorem absoluit ad cantelam, in preteritum pensiones huc usque perceptas condonavit, ac in futurum cum eo dispensavit, ita ut durante servitio inter cohortes,& ad custodiam Summi Pontificis indultum in statu conjugali ampliandum,& extendendum sit ad hujusmodi statum militarem, ac proinde pensiones præfatas percipere, & retinere valeat, ac si militiæ adscriptus non esset, ita habetur in Romana indulti* 20. *Junii* 1693.

12 Quo vero attinet ad secundum casum etiam in facto præmittitur, quod San. Mem. Innocentius XI motu proprio, & cum derogatione regulæ de præstando consensu in pensionibus reservavit pensionem annuam scutorum 750 super fructibus cujusdam mensæ Archiepiscopalis laico uxorato per eum percipiendam non obstante, quod sit laicus uxoratus, & clericali charactere nondum insignitus, quodque Gubernator, & Capitaneus generalis Belli extiterit, & sævis ratione hujus muneris etiam ratione dominii quorumdam locorum, quorum ipse in temporalibus dominus existit, se immiscuerit; & denique arma tulerit, & bellicis actibus interessendo plures interfecerit, voluitque Sanctitas Sua, ut idem laicus uxoratus, præmissis, & irregularitate inde contracta non obstantibus, pensionem prædictam, quoad viveret, percipere posset, ita tamen, ut pensio prædicta in causam subventionis, & subsidii cederet, & non alias.

13 His stantibus quæsitum fuit, primo, an talis laicus possit in posterum absque pœna privationis d. pensionis castra sequi, & uti dominus plurium locorum ratione illorum dominii sævis se immiscere, vel an indigeat indulto Apostolico; secundo, cum d. laicus uxoratus sit eques velleris aurei, an ista qualitas in d. reservatione pensionis fuerit necessario exprimenda, itaut illius omissio vitiet re-

14 servationem; *Sacra Congregatio Concilii* 18 *Decembris* 1688 *respondit ad primum non indigere novo indulto, ad secundum negative*.

15 Ulterius indultum retinendi pensionem in statu conjugali expeditum post contractum matrimonium, licet crederetur expeditum ante illius celebrationem, non esse revalidandum, nec esse locum gratiæ perinde valere, respondit Sacra Congregatio Concilii *in Regien pensionis* 19 *Septembris* 1722 *lib. decret.*72., quæ resolutio vera est, non obstantibus in contrarium adductis *per Pitton. discept.*144. *per tot. tom* 4., ex ea satis solida ra-

16 tione, quis indultum post matrimonium à Papa obtentum non potest amplius operari, ut pensio, quæ semel per matrimonium extincta est, iterum resurgat *Gloss. in clement. gratiæ vers. resignaveris de rescript.* Ibi: *gratia ergo perempta non revivisçit l. quid tamen* §. *agri ff. quib. mod. ususfruct. amittat. l. cum servus ff. de adimen,& transferen. legat. Torr. var. resolut. lib.*3.*cap.*8.*num.*52.

17 Ita quoque dispensationem concessam clerico retinendi pensionem, etiamsi non incedat in habitu, & tonsura, vel matrimonium contrahat, non suffragari, si deinde clericus transierit ad militiam armatam censuit Sacra Congregatio *in Nicien* 19 *Decembris* 1648 *Ulyssipponen pensionis orientalis die* 23 *Novembris* 1737, *& in aliis*.

18 Denique illud in hac re prætereundum non est, quod Tridentinum prohibens pluralitatem beneficiorum simplicium ultra duo, si non sufficiant ad congruam sustentationem, non habet locum in duabus, vel tribus pensionibus clerico reservatis in eadem ecclesia, tametsi alterutra ex his per se sufficiens sit; Nam Tridentinum loquitur de pluribus titulis beneficiorum, & officiorum non occupandis, & de prohibita in duabus ecclesiis conscriptione, quæ non possunt verificari in pensionibus, in quibus titulus beneficii non datur, nec pensionarius loco conscribitur, cum ad residentiam non teneatur, ergo super pluribus pensionibus etiam sub eodem tecto obtentis cessat incompatibilitas, vacatio, & extinctio, *ita Sacra Congregatio in Hyspa-*

19 *len.*1588.Consuetudine tamen aliter fieri potest, ut una pensio vacet per aliam, si una per se sufficiens sit; consuetudo enim longissimi temporis parem legis auctoritatem habet *l.*1. *Cod. quæ sit long. consuetud.*, sed tamen exemplis juridicis probandum est ex parte titularis, quod provisus de una aliam ex facto Judicis dimiserit, nec exegerit, seu habuerit juxta consuetudinem pro extinctis, ita enim pensio vacat, & extinguitur ob reservationem alterius cum plena facultate percipiendi fructus, & non alias.

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii & Pensionis ob Religionis professionem *ad ornatum Text. in cap. beneficium de regularib. in 6.*

SUMMARIUM.

1 VAcat Beneficium per solemnem professionem religionis, nulla habita distinctione, an professio sit expressa, vel tacita 2.

3 Vassallus per religiosam professionem amittit feudum.

4 Per religiosam professionem vacat Imperium, Regnum. Papatus, & Episcopatus.

5 Non in omnibus religionibus per professionem datur Vacatio Beneficii, sed tantùm in iis, in quibus fit solemnis professio 6.

7 Per solemnem professionem vacant beneficia, tituli, gradus, coadjutoriæ, & literæ expectativæ.

8 Novitius est incapax beneficii *juxta Gloss. in cap. beneficium de regular. in 6.*

9 Impugnatur *Glossæ* opinio.

10 Novitius intrà annum probationis non amittit Jus ad rem, seù in spe, quod exemplificatur in literis expectativis, & coadjutoria.

11 Beneficium commendatum clerico seculari vacat per professionem regularem.

12 Commendæ equitum melitensium vacant per professionem in alia religione emissam.

13 Eques commendatarius per professionem religiosam, ut supra, desinit esse miles.

14 Per clericatum clericus desinit esse comes.

15 An commendæ S. Stephani, Calatravæ vacent per professionem religiosam, distinguitur 16.

17 Per professionem religiosam in religione capaci bonorum ususfructus non extinguitur.

18 Contrarium in his commendis defenditur.

19 Officia vacabilia Romanæ Curiæ per professionem religiosam in quacumque religione non vacant, & quare.

20 Beneficia non vacant in Congregatione Missionariorum, & Jesuitarum antè quartum votum.

21 Quod intellige de beneficiis simplicibus, secùs in iis, quæ præcisam residentiam requirunt. & quomodo.

22 Non professus recuperat beneficium alii resignatum.

23 Nullitèr professus recuperat bona consangoineis renunciata intuitu religionis.

24 Beneficium vacans in Urbe per solemnem professionem non vacat apud sedem.

25 Professio religiosa emissa in articulo mortis ante annum probationis non inducit vacationem beneficii.

26 Si novitius decedat intrà annum, per ejus obitum beneficium vacat, & qui illud impetravit uti vacans per obitum, præfertur ei. qui per professionem obtinuit.

27 Impetratio beneficii vacantis per obitum, ubi vacat per professionem, substinetur, præsertim si adjecta sit clausula *quovis modo*.

CAPUT VIII.

1 INter vacationes beneficiorum ipso jure ea quoque adscribitur, quæ fit per solemnem professionem in religione per Sedem Apostolicam approbata, nàm Monachus habetur pro mortuo, & licèt verè mortuus non sit, nihilominus mors civilis parit omnes effectus mortis naturalis, cum de hoc expressè in Jure cautum sit; undè professus amittit statim omnia, & quæcumque beneficia, sive simplicia, sivè residentialia, sive cum administratione tantum, sivè cum administratione, & jurisdictione simul *cap. beneficium de regular. in 6. Can. Gonzaluns 17. quæst.2. Rot. decis.440. num.7. coram Duran., Cephaluden. pensionis 3. Junii 1683 §. & quamvis cum seqq. coram Ursino*

2 Nec interest, an professio clerici beneficiati expressa sit, vel tacita; habetur enim pro solemniter professo elapso probationis anno, qui gerit habitum professorum *cap. consulti, cap. statuimus. cap. non solùm de regular. clement. eos eod. tit.*, quod etiam expressè innuitur *ex cap. beneficium, ibiq. Franch. de regular. in 6; Hondedeus con.78. per tot.*

3 Quemadmodum Vassallus ingrediens monasterium, ibique solemniter profitetur, feudo statim privatur, quia feudum retinere non potest, qui officium gerere non debet *cap 1. de Vassal. milit., qui arm. bellic. deposuit, ubi feudistæ communiter.*

5 Similitèr per professionem religiosam vacat Imperium, vacat Regnum, immò Papatus, & Episcopatus *Can. scripsit, ibique Gloss. in verb. dignitate 27. quæst 2.* ibi = *Monachus desinit esse Rex, Imperator, Papa, & Episcopus* =; Repugnat enim Imperium cum subjectione, Regnum cum paupertate, & cura animarum, seù superintendentia in spiritualibus cum quiete religiosa, ut patet.

5 Hæc conclusio textualis est, nec ulteriori indiget auctoritate, patitur tamen difficultatem ob varias religiones, quarum una, ut est perfectior altera, ità quoad unam datur quidem Vacatio beneficii, sed non quoad aliam; Undè pro faciliori omnium intelligentia, hæc non immerito adduntur, quæ notatu digna sunt, quia in praxi frequentèr disputanda occurrunt.

6 Dico igitur primo, quod in omnibus religionibus, in quibus fit solemnis professio, nedùm ipso jure vacant omnia beneficia, verùm

7 etiam officia, tituli, gradus, & honores ecclesiastici, immò & coadjutoriæ, & literæ expectativæ, quæ dant jus ad rem, sivè jus in spe *cap. beneficium, ibique Gloss. & omnes de regular. in 6.*

8 Cavendum in hoc *à Gloss. in d. cap. Beneficium versic. conferendum verbo numquid*, ubi dicit, quod novitius est incapax beneficii, ea ratione quia est in statu dubio, & potius reputatur religiosus, quam clericus, idcircò si-

sicuti statu dubius non potest promoveri ad militiam *l. qui status ff. de re militar*; ita novitius ad beneficium, seù dignitatem eccle-
9 siasticam. Sed glossæ opinio communitèr reprobatur per *Franch. in d. cap. Beneficium n. 1. in fin., ibiq. Gemin. num. 3. de regular. in 6.*. Sanè ex statu dubio inferri non potest incapacitas assequendi beneficia, & dignitates ecclesiasticas; Nam novitius dicitur religiosus qnoad privilegia religionis, sed qnoad alia est verè clericus secularis capax cujuscumque promotionis, & dignitatis ecclesiasticæ, dùm adhuc liber est. & potest statum religiosum deserere, & de religione egredi. Unde Jus quod ex canonica collatione obtinuit in beneficio, novitius non amittit.

10 Multoque minus intrà annum probationis amittit jus ad rem, seù jus in spe, nempè Jus ex literis expectativis, seù ex coadjutoria, quæ per ingressum religionis non vacat *Gloss. in d. cap. beneficium versic. conferendum verb. sed quid dices de regular. in 6.*, *Spad. consf. 51. num. 7. lib. 3.*

11 Dico secundo beneficium commendatum clerico seculari, seù regulari vacare per professionem regularem in illo ordine emissam *Lovet. in sua recollection. arest. lit. B. num. 12.*

12 Sic quoque commendæ equitum melitensium per solemnem professionem alterius religionis ipso jure vacant, cum nihil differant à beneficiis ecclesiasticis *Rot. decis. 5. num. 2.*
13 *cor. Falconer. de Benef.*; Deindè eques professus in religione Jesuitarum, seù Ordinis Prædicatorum desinit habere militiam, ità definit habere commendam, quæ contemplatione militiæ à Magno Magistro, seù Conventu confertur *cap. 1. de Vassal. qui arm. bellic. deposuit, cap. 1. versic. qui clericus si de feud. defuncti, cap. beneficium de regular. in 6. Can. præsens, ibiq. Gloss. versic. comi-*
14 *te 20. quæst. 3.* ibi = *desinit esse comes, qui citò factus fuerit clericus* =; Ergò definit esse miles, desinit esse eques sui ordinis, desinit esse commendatarius, qui effectus est Monachus, & sicuti comitatus repugnat cum clericatu, ità à fortiori militia cum Monachismo.

15 Quæstio gravis oritur in commendis S. Stephani, Calatravæ, & similinm, quæ verè beneficia ecclesiastica non sunt, an nempè per professionem religiosam ipso jure vacent. Hæc quæstio cum distinctione videtur posse resolvi; Aut enim Eques professus est religionem incapacem bonorum in communi, & particulari, aut professus est religionem capacem bonorum quidem in communi, sed non in particulari. Primo casu firmitèr tenendum est, commendas statim de facto vacare, & bona eisdem assignata devolui vel ad proximiores, vel ad ipsum ordinem juxtà ordinis leges, & statuta; Nàm Eques ita professus habetur verè prò mortuo quoad omnes Juris effectus *Clementin. Exivi de verbor. significat. Bart. in tract. minoric. lib. 4. distinct. 2. cap. 2. num. 6.*

16 Undè tota difficultas residet in secunda distinctionis parte, in qua videtur dicendum, equitem ità professum commenda non privari; nam religio est capax acquirendi bona fideicommissaria, seù primogenialia, saltem quoad usumfructum ex dispositione Juris. Ultra quod eques professus jura sanguinis, & agnationis conservat *Rot. decis. 392. n. 5. 12. ferè per tot. par. 14. rec.*. Ergò à fortiori potest eques retinere in religione commendam, cujus est usufructuarius, & administrator,
17 prout in similibus habemus usumfructum per professionem religiosam non extingui *Gloss. in auth. idem est Cod. de bon. quæ liber, Bart. in auth. ingressi, ibique Castren. utrobique num. 42. Cod. de Sacrosanct. Eccles., Gloss., & Archidiac. in can. si qua mulier 19 quæst. 3. Cotol. Tapia in auth. ingressi verb. sua cap. 17. num. 1. cum seqq.*

18 Contrarium tamen verius est in puncto Juris, & ipsamet ratio id suadet ex pluribus; primo quia in professo cessat ea qualitas equitis, sinèqua nequit commenda possideri; secundò quia commenda nihil aliud est, quam militia laicalis, ità quod ejus possessor dicitur miles ex constitutionibus ipsorum ordinum militarium, idcircò eques professus quia nequit exercere officia, quæ qualitati militis inseparabiliter annexa sunt, ob solemnem professionem commenda statim privatur *Cap. 1. de Vassallo milite qui arma bellic. deposuit, cap. beneficium de regular. in 6.*

19 Hæ autem rationes non militant in officiis vacabilibus Romanæ Curiæ, aut censibus vitalitiis, quia longè discrepant à beneficiis ecclesiasticis, & commendis; Undè nullo modo vacant per professionem emissam etiam in religione incapaci honorum tam in communi, quàm in particulari; & sicjus radicale, & nudum remanet quidem pænes professum, sed fructus durante ejus vita spectant ad hæredes vel ex testamento, vel ab intestato, quippe quia in hisce officiis, & censibus mors naturalis ex mente contrahentium dumtaxat attenditur, adeout mors civilis nullo modo suffragari possit prò hujusmodi effectu. Sanè hoc discrimen intercedit inter beneficia ecclesiastica, & officia vacabilia Romanæ Curiæ; nàm beneficia ecclesiastica extra commercium hominum sunt, & titulo lucrativo, immò institutione canonica obtinentur; è contrà vero officia vacabilia sunt in publico comercio, & titulo oneroso acquiruntur, immò proptèr lucrum, non proptèr exercitium concedi solent, *ut in puncto Rot. decis. 543. per tot. par. 2. recen.*

20 Dico tertio, quod in iis Religionibus, seù Congregationibus, in quibus emittitur professio votorum simplicium, & professi retinent dominium, sinè usu, & administratione, prout est Congregatio Missionariorum, & usum sinè dominio, prout est Religio Jesuitarum ante quartum votum, nullo modo vacant beneficia ecclesiastica: Non vacant in clericis Missionariis, quia propriè religiosi non sunt, sed veniunt appellatione præsbyte-

rorum secularium ex declaratione Alexandri VII, deindè quia justis de causis superiorum licentia ejici possunt è congregatione, & redire ad statum ecclesiasticum, seù laicalem, immò ordinantur ad titulum patrimonii sacri, quod beneficio, vel pensioni comparatur *ex Tridentin. sess. 21 cap. 2.*, Quæ rationes militant quoque prò Jesuitis, nam licèt, ante quartum votum verè, & propriè religiosi sint, & tales denominentur in constitutionibus Apostolicis, nihilominus ex licentia superioris statum secularem, seù ecclesiasticum amplectuntur *Rot. decis. 246. par. 4. rec. tom. 1.*, ubi habetur scholasticos, seu Religiosos Societatis Jesu post tria vota simplicia posse retinere beneficia, & possidere bona patrimonialia; quod etiam habetur *apud Posth. resolut. 141. num. 33. 34. cum seqq.*

21 Hæc tamen intelligenda sunt de beneficiis simplicibus, sed si agatur de aliis præcisam residentiam requirentibus, tenentur ità professi liberè in manibus ordinarii dimittere, vel alio modo resignare, quia rationi non congruit, ut per electionem status perfectionis Ecclesia patiatur detrimentum in spiritualibus, alitèr ordinarius potest sic professis, servatis servandis terminum competentem decernere, ut ad Ecclesiam redeant, seù beneficia dimittant, quo elapso potest ordinarius beneficium alii conferre, nam licèt non vacet ob professionem votorum simplicium, vacat tamen post præfixionem termini, perindè acsi non residerent, prout contrà clericos non residentes ità de Jure cautum est *per Text in cap. ex parte, cap. inter quatuor, cap. ex tuæ de cleric. non residen.*; *Tondut. questione beneficial. cap 42. Pignatell. consf. 4. tom. 2. Rot. decis. 131., decis. 163. part. 4. rec. tom 2.*, nam post præfixionem termini sic professi tacitè videntur renunciare beneficiis ecclesiasticis *Gloss. in cap. si tibi absenti versic. eo lapso de præben. in 6.*

22 Dico quarto, quod Clericus è religione, egressus, recuperat beneficium alii intuitu profitendæ religionis resignatum, & ad illud ob non factam professionem reintegrandus est ex decreto *Tridentin*; *de quo latè Rot. in Ferrarien Canonicatus* 10. *Januarii*,

23 *&* 5. *Martii* 1698. *cor. Pio*. Eo modo quo nulliter professus recuperat beneficium, & bona favore consanguineorum renunciata, *ut docet Hostien. & Jo: Andreas in cap. quod à te de Cleric: conj gat*; *quod sequitur* Abb. *ibidem num. 4. versic. si vero*, *Rovit. consf. 68. num. 9 lib. 2. Rot. decis. 217. num. 24. par. 15. recen.* sane sicuti professus per vim & metum cadentem in constantem virum retinet semper jus ad bona paterna, ita non professus sua in beneficio, non obstante quacumque præscriptione triennali, decennali, & ultra; & ratio est, quia possessor beneficii habet jus conditionale, si nempe sequatur professio, qua non sequuta, jus, quod in beneficio obtinuit, statim resolvitur, *ut in dictis decis. coram Pio*, *aliisque juribus mox relatis*.

24 Ex his sequitur, si professio religiosa sequatur in urbe, beneficium vacans per solemnem professionem non esse Papæ reservatum *ex cap 2. de præben. in 6.*, nam stylus conferendi beneficia vacantia per obitum in urbe non extenditur ad ea, quæ vacant per professionem ibidem emissam, prout non comprehendit beneficia, quæ vacant per militiam, per matrimonium, & his similia, maxime si essent de jure patronatus laicorum *ut de praxi testatur Massobr. prax. haben. concurs. prælud. 7. dub. 2. num* 8. *& prælud. 7. dub. 21. num. 83.*, nam ob professionem religiosam beneficium vacat quidem in urbe, sed non apud sedem, nec in curia, si tamen vacet in mensibus ordinarii, & dummodo alias reservatum non sit *ex plene deductis in cap 3. de vacat ob matrimon. num. 28. cum seq. q.* ad quæ te remitto.

25 Quæres; an beneficium per professionem religiosam vacet, si novitius in articulo mortis devotionis causa, ac nondum probationis anno completo, professionem emittat? Respondeo non vacare, nam hujusmodi professio prodest tantum ad lucrandas indulgentias, quibus gaudet ea religio, in qua sit solemnis professio, nullumque alium juris effectum parit, maxime quo ad vacationem beneficii, talis enim professio non est ab ecclesia approbata, nec est ea, *de qua loquuntur* Sac. Canones, & Tridentin. Ita *Sac.* Congregatio Concilii respondit *ad dubium vacationis canonicatus* 12. *Maii* 1685., quæ resolutio vera est, & dispositioni juris conformis.

26 Quid ergo, si novitius intra annum probationis decesserit? Respondeo beneficium vacare per obitum, & qui illud impetravit uti vacans ex hoc capite, præfertur alteri, qui ut vacans per professionem à Papa obtinuit; Sicuti è contra emissis tribus votis solemnibus post annum probationis, Beneficium vacat professione, & qui collationem obtinuit ex hoc capite, præfertur alteri, qui illud uti vacans per obitum, impetravit, *cap. susceptum §. si dno de rescript. in 6.*

27 Denique illud etiam certum est, impetrationem beneficii vacantis per obitum, ubi vere vacat per professionem, sustineri, nam monacus professus habetur pro mortuo, & mors civilis parit quoad hoc omnes effectus mortis naturalis *autben. ingressi cod. de Sacrosan. Eccles.*, Et sic alter post expeditas literas, & capta possessione beneficii, nequit in præjudicium jam provisi idem beneficium vacans per professionem in Dataria obtinere, præsertim si in prima provisione adiecta sit clausula *quovis modo*, sub qua continetur vacatio per professionem, quæ specialem exprimendæ vacationis formulam non habet *cap. susceptum de rescript. in 6, & habetur in regula 58. cancellariæ*.

ADDI-

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 PEnsio extinguitur per solemnem professionem.
2 Limitatur in religione, in que emittuntur vota simplicia.
3 Differentia inter usumfructum, & pensionem.
4 Incapax Beneficii est etiam incapax pensionis.
5 Regulariter, ubi vacat beneficium, etiam pensio extinguitur.
6 Regularis quoad Jura spiritualia habetur pro mortuo.
7 Qualitas Clericatus cessat per solemnem professionem.
8 Ratione, & discursu cognoscitur res per causam.
9 Limitatur, si ante professionem obtentum sit indultum retinendi pensionem in statu regulari, quamvis post professionem expeditum fuerit.
10 Pensio laicalis reservata super Beneficio per solemnem professionem non extinguitur, prout usufructus.
11 Limitatur, si aliud constet de voluntate reservantis, ubi de ratione.
12 Clausula *eo ipso*, statim, prorsus, mox, protinus sunt latæ sententiæ, ubi de pensionis extinctione.

1 REligiosus professus, ut est incapax beneficii, ità est incapax pensionis clericalis, unde per professionem solemnem extinguitur pensio, prout vacat ecclesiasticum beneficium *cap. beneficium de regular. in 6.*
2 *Sanchez ad precept. decalog. lib. 7. cap. 4. n. 13.* Quod intellige de iis, qui ad seculum redire nequeunt, nisi ex dispensatione apostolica. Si enim agatur de aliis regularibus, qui emittunt vota simplicia, ac ad seculum redeunt, vel ex licentia superioris, vel ex alia justa causa, alia res est, nam validè, & licitè in statu religioso ecclesiasticas pensiones retinent *in puncto Rot. decis. 246. part 4. recen. tom 1.*

3 Nec obstat, quod pensio eisdem regulis consistat, quibus usufructus, qui sicuti per professionem non extinguitur. ita nec pensio: Idem religiosus professus non est mortuus, nisi civiliter, nam quantùm ad comedendum vivit *Gloss. in auth idem est Cod. de bon. quæ liber.*, unde si de jure ob professionem dumtaxat inducta est vacatio beneficiorum, juridicum non videtur id extendi ad pensiones, de quibus jus non loquitur. Respondetur enim usumfructum non extingui per professionem, quia de jure cautum non est, immò religiosus ex tolerantia Ecclesiæ retinet usumfructum, annuosque redditus bonorum patrimonialium; sed in hoc casu alia est ratio, nam ob incompatibilitatem status, pensio
4 extinguitur. Item regularis est incapax pensionis, quæ ipsimet beneficio annexa est, sicuti beneficium seculare in statu regulari retinere non potest. Ultra quod *Text. in cap. beneficium de regular in 6.* interpretatur de quocumque beneficio, cujus appellatione venit etiam pensio *Gigas de pension. quæst. 19. num. 2., quæst 57. num. 5., quæst. 99. num. 12. Tondut. de pension. quæst. 69 num. 5. cum seqq.* Hæc nullam habent dubitationem, nam ubi non vacat beneficium, nec pensio extinguitur.
5 Ergo à contrario sensu, ubi illud vacat, hanc quoque extingui necesse est, quo argumento utitur *Rot. d. decis. 246. n. 2. in fin par. 4. rec. tom 1.*

6 His accedit, quod regularis respectu juris spiritualis habetur pro verè mortuo, & quamvis hæc mors sit civilis, nihilominus producit quoad hoc omnes effectus mortis naturalis *auth. ingressi C. de Sacrosan. Eccles.* Demùm pensio censetur clerico reservata sub
7 hac qualitate juxta stylum Curiæ, quæ qualitas statim cessat sequuta professione per *Text. in l. generalitèr C de Episc., & cleric. ibi = & præcipuè Monachos licèt clerici non sint*, quæ canonizzata est *in Can. gen. ralitèr 16. quæst. 1. Archidiac. in cap. 1. num 3. versic. undè benè advertas de bigam. in 6.* Hic sanè verus est ratiocinandi modus, immò
8 hoc est verè cognoscere rem per causam, quod non fit ab iis, qui de hac re loquuntur, prout sicco pede pertransit *Rot. decis. 104. n. 7. cor. Mantic.*

9 Limitatur, si præventivè ante emissam professionem obtentum sit à Papa indultum retinendi pensionem in statu regulari, nam dispensatio præservat pensionem à quacumque inhabilitate, quæ ex futura professione sine dubio contraheretur, & sufficit, quod gratia sit pura, perfecta, & signata ante professionem, non obstante, quod post professionem expedita fuerit. nam expeditio inest in ipsamet gratia, itaut, quod nunc fit, ab initio, quo gratia signata est, factum censeatur, non per viam retrotractionis, sed per viam essentiæ *latè Rot. dec. 121. n. 2. & 3. & 44 cum seq per tot. par. 12. rec.*

10 E contra pensio laicalis etiam reservata super beneficio per professionem non extinguitur, quia nihil habet spiritualitatis, licèt ex fructibus beneficii proveniat, imò est quædam temporalis præstatio, cuius sunt capaces monaci, milites, & laici, & consequentèr pensio laicalis transit in monasterium. Et in hoc sensu pensio nihil differt ab usufructu, unde per professionem emissam in religione capaci bonorum in communi non extinguitur, *ex doctrina Bart. & Castren. in auth ingressi, utrobique n. 42 Cod. de sacrosant. eccles. Gig. de pens. quæst. 15. n. 1.*

11 Limitatur, si aliter appareat de voluntate Papæ, qui pensionem laicalem super beneficio ecclesiastico reservavit, non enim minoria efficaciæ est sententia juris quoad pensionem clericalem, quàm sententia hominis, seu decretum Papæ quoad pensionem laicalem,

12 Quæ sanè voluntas nedum ex clausula *eo ipso* satis agnoscitur, sed etiam ex verbis statim, prorsus, mox, protinus, cum simil., quæ sine dubio sunt latæ sententiæ *Gloss. marginal. in cap. quamsis in fin. de electione in 6.* quis igitur ex contraria voluntate reservantis, & ex clausulis, de quibus supra, de pensionis etiam laicalis extinctione ex hoc capite ambigere poterit?

ARGUMENTUM.

An præter Papam Ordinarii Collatores possint regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta conferre, & secularibus, qui illius Ordinis habitum suscipere, & professionem emittere omnino teneantur, etiam cum clausula *ex nunc prout ex tunc*, & cum decreto, ut non emissa intra annum professione beneficia regularia iterum vacent; Et quid in pensionibus? An professi ordinem militarem sint capaces beneficiorum secularium, & pensionum, & quando beneficia secularia, ac pensiones ob professionem in ordine emissam ipso jure amittant, vel potius teneantur renunciare juxta Ordinis Constitutionem *ad interpret. Tridentini Sess.* 14. *cap.*10., *Sess.*25. *cap.*21.

SUMMARIUM.

1 Ordinarii Collatores possunt conferre portiones monachales, & canonicales etiam non professis, secus abbatias, & officia administrationem haventia, ubi rationes num.2. 3.

4 Observantia in contratium conferendi abbatias, & officia administrationis non professis improbatur, & quare.

5 In provisionibus beneficiorum ragularium non potest ab ordinariis apponi decretum *ex nunc, prout ex tunc*, ubi de ratione num.6.

7 An apponi possit decretum, ut beneficia regularia ob non emissam professionem intra annum ipso jure vacent.

8 Conditio, quæ de jure inest, potest apponi in collatione beneficii.

9 Conditio, *si vacat*, apposita in collatione beneficii valet.

10 Decreta Tridentini, prout jacent, exequi debent.

11 Decretum, ut post annum vacent regularia beneficia, non sustinetur.

12 Decretum Tridentini *sess.*25. *cap.*21. explicatur.

13 Pœna privationis ab homine imponenda differt à pœna vacationis *eo ipso*.

14 Papa potest conferre beneficia regularia cum clausula *ex nunc, prout ex tunc*, & cum decreto irritanta post annum provisionem.

15 Papa potest dispensare, ut non professus obtineat commendam intra biennium, ubi casus.

16 Non facta professione intra biennium commenda vacat, vel non professus privandus est, ibidem.

17 An milites Sancti Jacobi, de Spatha, & similes sint beneficiorum secularium capaces distinguitur num.18.

19 An beneficia secularia militum Sancti Jacobi, de Spatha vacent ob professionam in ordine emissam, distinguitur, & declaratur, num.20.

CAPUT IX.

1 Consulta super primo puncto Sacra Congregatio Concilii, *respondit sub die* 12. *Decembris* 1585. *posse etiam Ordinarios Collatores portiones monachales, & canonicales, ac similia simplicia beneficia regularibus provideri consueta conferre nedum ejus ordinis professis, sed etiam secularibus, qui habitum suscipere, & professionem emittere omnino teneantur; Abbatias tamen, & beneficia administrationem habentia nonnisi professis juxta Canones per ordinarios inferiores conferri posse.*

2 Et ratio disparitatis est, quia primo casu nihil obstat, quo minus seculares, qui ordinem mox sunt professuri, portiones, seu beneficia simplicia in titulum obtinere possint, imò ipsis expressè favet Tridentini decretum, quod ideo à Patribus ejusdem Concilii editum est, ut non professi præmio allecti professionem ordinis regularis facilius emittant;
3 at secundo casu, ubi agitur de abbatiis, aliisque officiis administrationem habentibus Ordinarii Collatores nonnisi professos providere tenentur. In hisce enim officiis requiritur habilitas, quæ inveniri non potest in non professis, qui prius subesse non noverunt; Deinde opus est doctrina, quæ vix dari potest saltem practicè in secularibus. qui formam discipuli non assumpserunt *cap. cum in magistrum de elect.*

4 Nilque suffragatur quoad hæc officia consuetudo in contrarium, tametsi esset immemorabilis, nam in iis, in quibus requiritur expressa professio, aliter factum non valet, dum non quod fit, sed quod fieri debet, præponderat *cap. cum causam de elect. ibi = non debemus attendere solummodo, quod factum sit, sed quid fieri debeat l. licet ff. de offic. præsid. l. nemo Cod. de sentent., & inter locut.*

5 Item

5 Item eadem Sacra Congregatio loco citato *censuit in provisionibus beneficiorum, quas ordinarii faciunt non professis, non esse apponendum decretum ex nunc, prout ex tunc, & postquam &c. in solis provisionibus apostolicis apponi consuetum, sed provisiones faciendas esse purè, & simpliciter ad formam Tridentini cap. 10. sess. 14. adeo ut habitum suscipere, & professionem emittere omnino teneantur, aliter elapso anno sunt privandi.*

6 Ratio huius resolutionis validissima est, quia decretum *ex nunc, prout ex tunc* importat conditionem *Cassodor decis. 3. num. 15. de praeben.* Item conditionem, quae pendet à futuro eventu, importat dictio *postquam Rot. decis. 46. num. 2. part. 2., decis. 323. num. 17. part. 6 rec.*, sed prohibitum est ordinariis collatoribus sub conditione conferre beneficia *Gloss. in cap. si gratiosè de rescript. in 6.*, cum collatio sit de genere actuum legitimorum, qui non recipiunt diem, neque conditionem *l. actus legitimi ff. de reg. Jur.*, ergo in hisce provisionibus beneficiorum regularium decretum *ex nunc, prout ex tunc* non est apponendum, & appositum non sustinetur.

7 Quaestio est, an possit apponi decretum, ut non emissa professione intra annum beneficia regularia ipso jure vacent. Videtur id non esse contra mentem Tridentini, nam *ex d. resolutione* non professi intra annum portionibus, & beneficiis privandi sunt, ergo apponi potest decretum, ut vacent, si intra annum non profiteantur, utrobique enim sub poena beneficium confertur; Deinde beneficiorum provisio simpliciter facta non professis habet tacitam conditionem, ut intra
8 annum ordinem profiteantur, conditio enim, quae de jure inest, ab Ordinario Collatore potest apponi *Dec. in l. actus ff. de reg. jur. ibique Barbos. num. 6. Tiraquel. in l. si unquam vers. revertatur num. 295.* sicuti conditio *si*
9 *vacat*, apposita in collatione beneficii, valet quia haec est intrinseca *Gloss. in cap. 2. vers. incerta circa medium de elect. in 6. Covarruvias lib 3. var. cap. 16. num. 2*, Ergo non emissa professiune intra annum juxta decretum Ordinarii Collatoris, collatio resolvitur, & beneficium iterum vacare censetur *ad text. in l. 1. Cod de iis, quae sub modo.*

Sed contra concludendum est, quia sicuti beneficia regularia debent purè, & simpliciter conferri *juxta d. resolutionem*, ita ne decretum quidem modale, & resolutivum ipsius provisionis apponi potest ab Ordinariis Colla-
10 toribus, quod speciale est in decretis Tridentini, quae prout jacent, exequi debent, quia dant formam actui *cap. 1. de constit. idem Tridentinum sess. 25. cap. 18.*, quod etiam ratio
11 suadet, si enim Patres Tridentini existimarunt quoad beneficia regularia secularibus mox professuris conferenda similes poenas vacationis *eo ipso* non apponere, contra mentem Tridentini est licere Ordinariis Collatoribus adjicere decretum, ut post annum vacent.
12 Deindè Tridentinum *in cap. 21. sess. 25. decrevit, ut Primates ordinum tunc temporis possidentes Abbatias, Prioratus, & Commendas professionem regularem intra sex menses emitterent, aut eis cederent, alioquin commendae ipso jure vacare censeantur*, ergo facultas apponendi decretum vacationis *eo ipso* super beneficiis regularibus in posterum vacaturis censetur sublata inferioribus Collatoribus, ita arguendo à discretivo modo loquendi, quod in jure validissimum argumentum est, ubi enim decretum voluerunt Patres Tridentini, expressè apposuerunt, idcircò, ubi non apposuerunt, noluisse, ut ab aliis apponeretur, censendum est *ex l. unica §. sin autem Cod. de caduc. tollen.*

Rursus licet verum sit, quod non professi post annum beneficiis regularibus debent pri-
13 vari, non tamen valet illatio, ut poena ipso jure incurrenda possit apponi, nam privatio hominis, quae est inferenda, non est propriè poena, sed privatio vi decreti iam poena est inflicta contra non professum beneficio regulari provisum, idcircò huiusmodi poena per decretum apponi non potest in hisce provisionibus, quae fiunt ab Ordinariis Collatoribus ex regula juris, quod expressa nocent, non expressa non nocent *l. nonnumquam ff. de condit., & demonstrat.*

14 Haec non habent locum in Papa, qui beneficia regularia in titulum regularibus providere consueta potest absque ullo dubio conferre non professis cum clausula *ex nunc, prout ex tunc*, & cum decreto provisionem irritante, si provisus intra annum ordinem non profiteatur, proprium enim Principis est Ecclesiae resolvere actum sub decreto irritante *juxta*
15 *praxim Datariae*, immò potest dispensare, ut non professus obtineat commendam ad biennium dumtaxat, potissimum ubi justa causa concurrit, ita Carolus de Ricciis, cum esset aetatis annorum 19., & ipse una cum aliis fratribus possideret juspatronatus commendae Sanctae Agathae de macriano ordinis Sancti Joannis Hyerosolimitani, & frater maior natu adhuc non esset uxoratus, supplicavit pro opportuna dispensatione ad hoc, ut ad d. commendam de proximo vacaturam praesentari validè possit, illamque consequi, & retinere absque obligatione emittendi professionem non obstantibus Constitutionibus, & stabilimentis eiusdem Religionis; Sacra Congregatio, ad quam sanctissimus supplicem hunc libellum remisit, pro voto *censuit, si sanctitati suae placuerit, per suas litteras apostolicas in forma Brevis cum oratore dispensari posse, ut ad praefatam commendam praesentari, eamdemque consequi, & per biennium proximum tantum retinere valeat absque obligatione emittendi professionem non obstantibus Constitutionibus praefatae Religionis ita habetur in Fesulana 20. Septembris 1698. lib. decret. 48 fol. 484.*

16 Ex quo infero, quod si d. Carolus de Ricciis rescriptum Sacrae Congregationis executioni mandavit, sed intra biennium professionem non emisit, post lapsum biennii commendam vacas-

vacasse certum est *per text. in l. in agris ff. de aquiren. rer. Domin. l. cancellaverat ff. de his quæ testam delen., l. age cum Geminiano Cod. de transact.*, nam permissa ad tempus post tempus censentur denegata, *l. Imperator ff. de postuland. l. statu liberum §. Stichum ff. de legat. 2.*, *Surd. cons. 8. num. 7. Rot. decis. 617. num 2 part. 1. decis 475. num. 1. in fin. part 2. decis. 416. num. 8. part. 4. recen. tom 2.* Vel saltem commenda potuit privari, nam dispensatus fuit à Papa ad biennium, ut commendam assecutus religionem intra legitimum tempus profiteretur, quod verius est *ex resolutione Sacræ Congregationis, de qua supra*.

17 Sequitur juris disputatio, an milites sancti Jacobi, de Spatha, & similes sint capaces beneficiorum secularium; *Sacra Congregatio sub die 10. Novembris 1600., & 23. Augusti 1636. & in nullius 26. Maii 1646. censuit milites regulares sancti Jacobi, de Spatha, aliosque hujusmodi non emittentes omnia tria vota substantialia, videlicet paupertatis, castitatis, & obedientiæ non esse incapaces beneficiorum secularium, sive simplicium, sive curatorum, neque etiam Pensionum; Idque latius habetur in Bracharen 22. Augusti 1691. lib. decret. 41. fol. 234.*, in qua cum Hyeronimus Vasvierra eques professus ordinis sancti Jacobi, & præsbiter cupiens obtinere beneficia, canonicatus dignitates, & alia beneficia secularia tam in collegiatis, quam in cathedralibus supplicasset pro facultate &c. Sacra Congregatio inhærendo declarationibus alias factis, & signanter 23. *Augusti 1636., & in nullius 26. Maii 1646. censuit milites regulares sancti Jacobi, de Spatha, aliosque hujusmodi non emittentes tria vota substantialia non esse incapaces beneficiorum secularium, seu simplicium, aut Pensionum, ideoque oratorem non indigere dispensatione petita*.

18 Si vero emittunt tria vota substantialia, tunc secus, ita *sub die 15. Julii 1652.* Episcopus Eluensis, qui hodie est unus Episcopus in Regno Portogalliæ pro sua, ut inquit, instructione, & ad tollendos abusus in eodem Regno, supplicavit per hanc Sacram Congregationem declarari; an fratres sacerdotes professi ordinis militiarum Christi, Sancti Jacobi, & de Spatha possint consequi, & retinere beneficia secularia cum cura, vel sine cura, nec non canonicatus in ecclesiis cathedralibus absque dispensatione apostolica, Sacra Congregatio *respondit hujusmodi fratres sacerdotes professos, si emittant professionem expressam cum omnibus votis substantialibus esse incapaces beneficiorum secularium absque dispensatione sedis apostolicæ, idem habetur in Leyrien canonicatus 26. Martii 1707., & 6. Junii 1709., ubi resolutum fuit clericum professum militaris ordinis Christi in Lusitania indigere dispensatione pro assequendo beneficio seculari*.

19 An beneficia secularia militum Sancti Jacobi, de Spatha, & similium ob professionem regularem in ordine emissam ipso jure vacent, vel potius ita professi teneantur ea dimittere, seu aliis resignare; Resolutio constat ex dictis, nam si emittunt tria vota substantialia, ipso jure vacant *cap. beneficium de regul. in 6.* aliter non, nisi aliud caveatur in Constitutionibus ordinis.

20 Qua de re notandum est Constitutiones ordinis duplici modo posse concipi, vel quia privant, vel quia inhabilitant; si privant professos cum clausulis mox, protinus, statim, prorsus, ipso facto omnibus beneficiis, & titulis ecclesiasticis, tunc de vacatione beneficiorum ob professionem regularem nullus ambigit, præsertim si Constitutiones ordinis à Sede Apostolica fuerint confirmatæ *cap. beneficium de regular. in 6.*, si vero inhabilitant professos ad beneficia retinenda, tunc professi tenentur ea liberè dimittere, vel aliis resignare, & tunc vacant per hunc actum ex Constitutionibus ordinis, ut patet.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 AN Ordinarius Collator super beneficiis, quæ in titulum regularibus conferri solent, possit reservare pensionem pro non professo, ratio dubitandi, & decidendi num. 2. 3. 4.

5 An Ordinarius possit non professo reservare pensionem cum clausula *ex nunc, prout ex tunc*, & cum decreto, ut extinguatur, si professio intra annum non fiat.

6 Milites Sancti Jacobi, de Spatha, & similes non emittentes tria vota substantialia sunt capaces pensionis ecclesiasticæ.

7 An miles professus inhabilitatus ex Constitutionibus ordinis ad retinenda beneficia absque dispensatione apostolica sit capax pensionis.

8 Incapax beneficii est incapax pensionis.

9 Miles professus inhabilitatus ad beneficia ex Constitutionibus ordinis est capax pensionis, ubi resolutio Sacræ Congregationis.

10 Incapax beneficii ob irregularitatem contractam ex homicidio voluntario est capax pensionis.

11 Miles professus inhabilitatus ex Constitutionibus ordinis ad omnia, & quæcumque beneficia pensionem ecclesiasticam amittit, ubi rationes.

1 QUæro, an Ordinarius Collator super beneficiis, quæ in titulum regularibus conferri solent, possit non professo reservare pensionem ad certum tempus, donec, & quousque is beneficium regulare assequatur, & intra terminum juris religionem profiteri debeat; Quæstio ex dictis videtur resoluta Ordinarium non posse, quia hujusmodi beneficia regularia professis, seu non professis purè, & simpliciter sunt conferenda *juxta decretum Tridentini sess. 14. cap. 10.*, & *resolutionem Sacræ Congregationis, de qua supra*.

2 Sed contra concludendum est, nam Ordinarius

narius Collator purè, & simpliciter confert beneficium, & solum sub conditione pensionem reservat, quod de jure fieri *posse tradit Gigas de pens. quæst.25. num.2.*, idcirco Ordinarius Collator quoad provisionem beneficii regularis nil facit contra decretum Tridentini, & resolutionem Sacræ Congregationis;
3 deinde ex uno actu duo providentur, alter ratione beneficii, alter ratione pensionis, & uterque, si professus non sit, professionem emittere tenetur; hoc videtur esse iuxta mentem Tridentini, ut non professi alliiciantur ad professionem, & consequenter, quod cohæret menti Tridentini, prohibitum non
4 censetur Ordinario Collatori; Demum pensio reservata fuit contemplatione propagandæ religionis, cuius ratio in quibuscumque actibus præcipua est, & summa *l. sunt personæ in fin. ff. de religios. & sumpt. funer.*, ergo pensio sic reservata de jure sustinetur, & cessat adepto beneficio *Gigas de pens. quæst.25. num.2.*

5 Quæro insuper, an Ordinarius Collator possit non professo reservare pensionem cum clausula *ex nunc, prout ex tunc, & postquam, seu cum decreto*, ut non emissa intra annum professione pensio extinguatur; Respondeo posse, nam pensionis reservatio inter actus legitimos non adscribitur, prout collatio beneficii, idcirco non purificata conditione, & modo, nec emissa intra annum professione pensio vi decreti extinguitur *cap. licet canon.*, *cap. nemo deinceps cap. cum ex eo de elect. in 6.*, *& faciunt textus in l.1. Cod. de his, quæ sub mod.*, *cap. verum de condit appos.*, Neque his obstat Tridentinum, quia loquitur de beneficiis, non de pensionibus.

6 Jam firmatum est supra ex pluribus Sacræ Congregationis resolutionibus milites Sancti Jacobi, de Spatha, & similes non esse incapaces pensionis super beneficiis secularibus, si non emittunt omnia tria vota substantialia;
7 sed tamen dubium est, an miles professus inhabilitatus ex Constitutionibus ord.nis ad retinenda beneficia ecclesiastica absque dispensatione apostolica possit obtinere reserva-
8 tionem pensionis; Ratio dubitandi est, quia incapax beneficii est etiam incapax pensionis, quæ beneficio adhæret *Sanchez. consil. moral. lib.2. dub.10. num.19.*, *& lib.2. cap.2. dub.14. num.3.*

9 Sed contrarium censuit Sacra Congregatio *in Colimbrien 21. Junii 1692*, *ubi dicitur non indigere dispensatione ad effectum obtinendi reservationem pensionis canonicum secularis ordinis in communi viventium, qui juxta ordinis Constitutiones non potest obtinere beneficia absque dispensatione apostolica*, & ratio clara est, quia Constitutiones ordinis sunt stricti juris, & loquentes de beneficio perperam extenduntur ad pensionem, quæ in rigore non est beneficium *cap quamvis de præben. in 6.*

10 Quod autem dicit *Sanchez. loc. citat.* verum est regulariter, sed non semper, nam Tridentinum *sess.14. cap.7.*, quia loquitur de beneficio, pensionem non comprehendit, unde irregularis ex homicidio est incapax beneficii, sed non est incapax pensionis Sacra Congregatio *in Januen 13. Februarii 1639. Novarien 24. Aprilis 1655.*, ita à fortiori in hoc casu, in quo miles professus est incapax beneficii ex Constitutionibus ordinis dumtaxat.

11 Hæc non procedunt, si Constitutiones ordinis privent, seu inhabilitent militem professum ad retinenda omnia, & quæcumque beneficia, titulos, gradus, & jura ecclesiastica cum similibus, tunc verum est, quod incapax beneficii est etiam incapax pensionis ecclesiasticæ ex duplici ratione, primo, quia ita professus quoad omnia jura ecclesiastica habetur pro mortuo *Can. placuit cum Gloss. ibidem 16. quæst.1.*, *l. ult. §.1. Cod. de Episc. & cleric.*, secundo quia censetur renunciare de facto etiam pensioni, cuius retentio est vetita ex Constitutionibus ordinis, quæ loquuntur de omnibus, & quibuscumque beneficiis, & juribus ecclesiasticis *Gloss. in cap.1. de cleric. conjugat. in 6.* & consequenter pensionem ante legitimè obtentam ob professionem regularem extingui planum est *ex cap. beneficium ubi omnes de regul. in 6.*

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii, & pensionis ob non promotionem ad sacros ordines intra certum tempus, seu annum in Ecclesiis Parochialibus, aliisque Beneficiis curam animarum habentibus *ad ornatum Text. in cap. licet Canon. cap. commissa de elect. in 6.*

SUMMARIUM.

1 Beneficia Ecclesiastica, alia requirunt ordinem sub pœna privationis, alia ob non promotionem vacant ipso jure.

2 Parochi non suscipientes intrà annum Sacros Ordines Ecclesiis Parochialibus ipso jure privantur.

3 Idem procedit in Vicariis perpetuis.

4 Am-

Sacra Congregatio *censuit episcopum habenti*
beneficium sufficiens posse conferre secundum,
sed habita pacifica possessione secundi vacare
ipsojure primum fessulana 19. *Decembris* 1648,
20 *ubi quod primum beneficium, ad quod cle-*
ricus fuit ordinatus, ipso jure vacat ob as-
secutionem secundi sufficientis ad congruam
substentationem.

21 Undè propterea *censuit* Sacra Congrega-
tio *in hac re scribendum esse ad Episcopum ob-*
tinentem parochialem, quam in impetratione
canonicatus habitu tantum curatam expressit,
non ideo possessionem canonicatus esse denegan-
dam quod parochialis esse actu prætendatur;
Si enim curatam esse actu compertum fuerit per
adeptionem canonicatus vacabit ecclesia
parochialis, nec licebit utrumq. retinere;
Si vero parochialem esse habitu curatam con-
stiterit, utique poterit utrumque ex causa
sibi concessæ dispensationis obtinere ita in Ne-
pesina 11 *Maii* 1595.

22 Cæterum duo beneficia difformia sub eodem
tecto, & tenuis reditus non vacant, etiamsi
obtenta sint absque dispensatione apostolica,
unde Sacra Congregatio ad dubium, an cle-
ricus posset ea retinere, remisit hoc ad epis-
copum *Camerinen. dispensationis* 14 *Novem-*
bris 1716. *Decretorum* 66. ubi citantur alia
decreta *in Neocastren.* 3. *Februarii* 1629.
Alexandrina 11. *Junii* 1630. *Assisien.* 12. *Ja-*
nuarii 1697. *Decreto* 47. *fol.* 9. *Assisien.* 18.
Maii 1697. *Decret.* 47. *fol.* 227.

23 Rursus eadem incompatibilitatis ratio mi-
litat etiam in beneficiis de jurepatronatus
laicorum, in quibus non fit libera collatio,
sed institutio, quæ est actus necessarius; Et
ita Sacra Congregatio ad dubium, an ab
Episcopo absq. dispensatione apostolica per-
mitti posset retentio trium beneficiorum sim-
plicium de jure patronatus laicalis sub eodem
tecto non existentium, & quod reditus non
sufficiant ad congruam substentationem, *opti-*
me respondit Episcopum permittere non posse,
ut in Carsolen. 13. *Maii* 1651. *libr.* 119. *De-*
cret. fol 126 *Alexanen.* 14. *Novembris* 1659.

24 Quæ resolutio rationi innititur, quoniam
dispositio conciliaris super damnata benefi-
ciorum pluralitate habet etiam locum in be-
neficiis de jurepatronatus laicorum, *Nul-*
lius 16. *Januarii* 1596., *Jannen.* 24. *Mar-*
tii 1604., *Idem* Sacra Congregatio respondit *ad*
dubium incompatibilitatis 20. *Januarii* 1680.

25 Quid ergo, ubi clericus ecclesiasticum be-
ficium obtinuit sufficiens ad se honeste sub-
stentandum, & deinde ab Episco fuit institu-
tus in alio beneficio juris patronatus ad præ-
sentationem patroni laici, & utrumque benefi-
cium retinuit, eorumque fructus percepit per
duos annos? Respondeo utrumque ipso jure
vacasse *ut in Aquilana* 14. *Augusti* 1612.
lib. 14. *Decr. fol* 653 *relat.* 11. *Abulen.* 12 *Ja-*
26 *nuarii* 1732., rejecta præsumpta dispensatio-
ne, quæ oritur ex regula de Triennali,
quæ non habet locum contra decreta Sa-
cræ Congregationis, *ut in Nullius* 19. *No-*
vembris 1596., *& in d. Aquilana*, ubi etiam
notatum legitur = *qua declaratione ad San-*
ctissimum delata, Sanctitas sua dixit bene
Congregationem censuisse, atque ita exequen-
dum esse.

27 Sunt tamen, qui putant ex decemnali re-
tentione beneficiorum ob pluralitatem, vel
aliam causam incompatibilium induci præ-
sumptionem impetratæ dispensationis *Anto-*
nell. de jur. Cleric. par. 3. *cap.* 27. *num.* 34.
Barbos. de Episcop. allegat. 62. *num* 30. *For-*
mosin. ad cap. final. de filiis illegit. quæst. 3.
28 *num.* 20., Quapropter hæc præsumpta dis-
pensatio, quæ oritur ex decemnali retentio-
ne non censetur sublata per decreta Sacræ
Congregationis in iis potissimum locis, in
quibus Papa solet dispensare, nisi aliter ca-
veatur *l. præcipimus in fin. Cod. de appellat.*,
nihil enim regula de triennali commune ha-
bet cum possessione decemnali, *l. Papinianus*
ff. de minor.

29 Verum hæc præsumpta dispensatio non est
admittenda in beneficiis uniformibus, qui-
bus juris dispositio directè resistit, *Narsi-*
cen 11 *Martii* 1604, in qua Sacra Congre-
gatio expressè *resolvit duas dignitates esse*
incompatibiles tam vigore Sacrorum Cano-
num, quam decreto Tridentini, neque regu-
la de triennali, neque longiori tempore absque
dispensatione sedis apostolicæ possidentem se
tueri posse.

30 Sicuti regula de triennali, & possessio lon-
gi temporis non suffragantur clerico, qui ex
dispensatione Episcopi possidet duas Cappel-
lanias sub eodem tecto, tametsi cujuslibet
illarum fructus non sint sufficientes ad sub-
stentationem provisi, & compatibiles ratio-
ne servitii, & onerum, quia Episcopus in
hoc dispensare non potest *Albiganen* 10 *De-*
cembris 1639; Porrò dignitas per provisio-
nem alterius vacat, sicuti Cappellania per
alterius assecutionem, imo vacat utrumque,
si quis temere utrumque retinere præsumpse-
rit, rejecta quacumque præsumpta dispensa-
tione triennali, & decemnali ex decreto Sa-
cræ Congregationis *in d. Narsicen.*

31 Hanc quoque incompatibilitatem, & res-
pectivè vacationem insimul ecclesiæ paro-
chialis cum Cappellania exigente celebra-
tionem missarum per seipsum in diversa eccle-
sia ob rationis identitatem extensam compe-
rimus *in Squilliacen* 16. *Februarii* 1609., *ubi*
dicitur ad satisfaciendum usque adhuc legi fun-
dationis requirenti, ut Capellanus celebret
missas per seipsum, non licere tales Capella-
nias, nec aliquam ipsarum retineri cum paro-
chiali ecclesia Taurinen. capellania 14 *Janua-*
rii 1690, ubi quod Capellanus, qui tenetur
celebrare missas ad certam horam a Testatore
injunctam, ac interesse divinis officiis, prout
canonici d. ecclesiæ facere solent, alioquin
privari possit, nequit retinere canonicatum
alterius ecclesiæ, quia capellania cum onere
inserviendi in choro, ac celebrandi missas,
ut supra, dicitur præcisè residentialis *Cremo-*
nen capellaniæ majoris 26 *Septembris* 1699
libro decretor. 49 *fol.* 34, ubi quod capellania
exi-

exigens residentiam in loco cum onere celebrandi missas per seipsum est incompatibilis cum alia pariter residentiali, & existente in alio loco *Neapolitana capellaniarum* 14 *Aprilis* 1725 *ad primum libro* 75 *decret. fol.* 171. *Romana* 17 *Januarii* 1728 *libro* 78 *decret.*

32 *fol.* 1.; Aliter cappellaniam, cui non inhæret conditio celebrandi missas per seipsum in alia ecclesia, non esse incompatibilem cum beneficio parochiali respondit Sacra Congregatio *in Novarien.* 12. *Decembris* 1705. *libro* 55. *decret. fol.* 437., *& in Civitatis Castelli legatorum Piorum* 19. *Maii* 1708. *libr.* 58. *decret. fol.* 177.; Ut ergo in legatis piis, ita in Capellaniis mere laicalibus de jurepatronatus cessat incompatibilitas *Bitecten ut supra ad Tertium, Burgen* 29 *Januarii* 1649, ubi Sacra Congregatio dubio bis maturè discusso *censuit Capellanum pro tempore existentem non teneri personaliter residere, & consequenter capellanias ibidem erectas non inducere incompatibilitatem, & per substitutum posse onus celebrationis missarum implere, cum non sit expressum, ut per seipsum celebret.*

33 Communiter etiam receptum est sub decreto Tridentini non comprehendi Terrulas beneficiales, seu pia legata cum onere missarum, & alia divina officia celebrandi, licet conferri soleant clericis ad præsentationem Patronorum *Signina Junii* 1587. *Squilliacen. Septembris* 1589., *& in Neroten* 13 *Junii* 1628., *ubi quod, si sunt simplicia legata, neque conferantur in titulum, & possessor satisfacere queat oneribus, utique possunt retineri sub eodem tecto absque dispensatione apostolica Neocastren* 3. *Februarii*, *&* 28. *Aprilis* 1629, *ubi dicitur neminem posse absque dispensatione Apostolica plura simplicia beneficia etiam de jurepatronatus sub eodem tecto retinere simul, exceptis beneficiis, seu legatis altare, seu Capellam non habentibus Brundusinen* 3 *Julii* 1606, *ubi quod Terrulæ beneficiales, seu legata nullam inducunt incompatibilitatem*, & consequenter ob pluralitatem non vacant, sive extent sub eodem tecto, sive extra.

34 Hinc dubium grave oritur, an Capellania sit incompatibilis cum alio beneficio residentiali etiam curato, si injunctum sit onus, quod Capellanus non debeat discedere à loco Capellaniæ. Videtur super hoc puncto Sacram Congregationem variasse, nàm censuit hujusmodi Capellaniam non esse incompatibilem, & in sequelam beneficium residentiale etiam Curatum ob illius assecutionem non vacasse, *ita habetur in Interamnen. Capellaniæ die* 3. *Februarii* 1685.

35 Contrarium deinde resolvit *in Romana Capellaniæ* 17 *Februarii* 1685; Mihi tamen abstractè loquendo placet hæc secunda resolutio, quia onus injunctum, ne Capellanus discederet à loco Capellaniæ, videtur præseferre Capellaniam esse residentialem, prout de jure sunt omnia beneficia, quæ præcisam in loco residentiam requirunt. Deindè non discessus à loco Capellaniæ videtur à Testatore volitus, ut Capellanus ibidem sedulò Inserviat, quod fieri non potest, si Capellanus in eo, vel alio loco ratione alterius beneficii præcisè residere teneatur, ergo hæc Capellania uti incompatibilis cum alio beneficio residentiali vacat post habitam possessionem alterius beneficii in eo loco, vel alibi existentis, & è contra, *cap. de multa de præben, Tridentinum sess.* 7. *cap.* 4.

36 Verum utraque resolutio non est contraria, sed potius diversa, & conciliatur ex circumstantiis, de quibus infra, nam *in d. Interamnen* testatrix mandavit Capellano, ne discederet, sed discedenti non aliam, quam privationis fructuum pœnam dietim incurrendam imposuit; Unde residentia hujus Capellaniæ erat tantum causativa, quod etiam habetur *in Sabinen. Capellaniæ* 18 *Martii* 1684. *ad tertium lib. Decret.* 34 *fol.* 80., *Rot. decis.* 13. *coram Bich. per tot.*; Deinde Capellanus commorabatur in eodem loco, & civitate, ibique possidebat parochialem, ideircò verificabatur, quod à loco non discessit, imò tenebatur ibidem ob parochialem ante obtentam permanere, ergo hujusmodi Capellania non erat incompatibilis cum beneficio eurato ibidem existenti.

37 E' contra *in Romana Capellaniæ* testator voluit, ut missæ in ecclesia Sanctissimæ Trinitatis Urbis celebrarentur, & solummodo in casu necessitatis, & absentiæ ab urbe, seu servitii apud Cardinalem, aut Prælatum in curia mandavit missas per alium celebrari; Ultra quod in hoc casu Capellanus fuit provisus de beneficio residentiali extra Romanam Curiam; Unde jure merito Sacra Congregatio respondit Capellaniam per assecutionem alterius beneficii alibi existentis ipso jure vacasse; Demum etiam in hac causa sciendum est, quod Sacra Congregatio *sub die* 17. *Julii* 1685 assignavit terminum duorum mensium ad eligendum alterutrum, ex quo patet, quod incompatibilitas Capellaniæ erat dubia, & vacatio incerta, & revera Capellania non vacavit, nisi post terminum duorum mensium ad eligendum, si verè Intra d. tempus Capellanus non elegerit.

38 Illud etiam prætereundum non est, quod Capella accessoriè unita ecclesiæ, & ita sit subjecta, vel ab ea dependens, ut unicum beneficium effectum sit, non continetur sub decreto Tridentini in *in d. cap.* 17. in ea parte, in qua loquitur de obtinentibus duas parochiales *feretrana die Augusti* 1587.. *ubi quod Tridentinum de dimittendis unam ex duabus parochialibus non habet locum in duabus parochialibus unitis vel simplici beneficio, vel ecclesiasticæ dignitati Teruisen.* 7. *Aprilis* 1592. *Clunen* 28. *Julii* 1605., in qua pariter Sacra Congregatio *respondit duas parochiales ita demum posse ab una, eademq. persona retineri, si fuerint ad invicem unitæ; cæterum, si de unione non constat, & absque dispensatione fuerint obtentæ, inductam esse vacationem utriusque.*

39 Non item, si ambo beneficia accessoriè unita eorum pristinam naturam retineant, ita ut duo, non unum beneficium censeantur, tunc enim retentio utriusque vetita est à Tridentino, si unum sufficit per se *Vicen 7 Maii* 1592, *ubi quod beneficium simplex, cui perpetuò, & accessoriè unitum fuerit beneficium curatum, retinet naturam simplicis, & quamvis incompatibilitas cessare videatur, utrumque tamen retineri non potest, si ab ordinario collata fuerint, & alterum per se est sufficiens ad obtinentis substentationem.*

40 Duo tamen beneficia, quæ præcisam residentiam requirunt, aut alias sunt incompatibilia de jure retineri non possunt absque dispensatione apostolica *Bambergen, seu nullius Falden incompatibilitatis* 30 *Septembris* 1713, 28 *Aprilis* 1714, *&* 23 *Februarii* 1715; Sed quandoque ex circumstantiis facti de re-

41 tentione duorum disputatum fuit; Olim Canonici Syracusanæ Ecclesiæ, quorum canonicatus consistunt in distributionibus quotidianis, plura proposuerunt dubia in hac Sacra Congregatione; primo, an ipsi possint retinere canonicatum, ac parochialem intra civitatem existentem absque dispensatione apostolica; secundo, an iidem possint retinere canonicatum, ac parochialem extra civitatem; tertio, an si ipsi retineant, uterque vacet, vel alter eorum ob assecutionem secundi; quarto, an debeant moneri ad dimittendum alterum ad eorum electionem.

42 Sacra Congregatio *respondit ad primum, & secundum non posse; ad tertium si quis utrumque beneficium retinere præsumpserit, utrumq. vacare post adeptam possessionem secundi; ad quartum nulla opus esse monitione, ita habetur in Syracusana.*

43 Hæc resolutio in omnibus suis partibus mihi visa est justa, & satis in jure fundata, nam quoad primum, & secundum dubium certum est Canonicatus, qui consistunt in distributionibus quotidianis, verè esse beneficia, sicuti nemo dubitat distributiones quotidianas esse proventus ecclesiasticos *ita habetur in cap. unic. extravag. Comm. §. & quia de decimis*, & in hisce distributionibus jus percipiendi reditus ecclesiasticos consistere, quod sine dubio importat beneficium *cap. 1. de reg. jur. in 6.*; Item omnes distributiones, quæ percipiuntur à Canonicis Syracusanæ Ecclesiæ stant loco præbendarum, ut praxis docet in ecclesiis patriarchalibus urbis, & alibi. Item hujusmodi canonicatus obligant præcisè ad residentiam, prout cæteri alii habentes præbendam distinctam *cap. 1. & tot. tit. de cleric. non residen*; Ergo Canonicatus hujusmodi sunt incompatibiles cum parochiali intra, vel extra civitatem existente; nullus enim debet occupare plura officia, & in duabus ecclesiis conscribi ex Tridentino *sess. 24. cap. 17.*

44 Quovero ad tertium res nullam admittit dubitationem, nam si quis utrumque temerè retinere præsumpserit, utrumque ipso jure amittit *cap. de multa de præben extravag. execrabilis eodem tit.* & ita alias Sacra Congregatio *die* 20 *Julii* 1602 *lib. decret fol.* 42. *censuit decretum Tridentini sess. 7. cap 4. inducens vacationem ipso jure nedum comprehendere ecclesias parochiales, & dignitates, sed etiam quæcumque beneficia ex decretis ejusdem Concilii effecta incompatibilia Gandaven* 23 *Julii* 1606, *de qua infra.*

45 Quo vero ad quartum res etiam per se clara est, nam ubi lex ipsa decretum vacationis addit, nulla amplius requiritur monitio hominis, ut ob incompatibilitatem beneficium vacet *Gloss. in extravag. execrabilis vers. ipso jure de præben.*

46 Verum in collegiatis ecclesiis adsunt canonicatus, qui ex antiqua consuetudine non obligant ad residentiam, prout talis consuetudo viget in Ecclesiis collegiatis civitatis, seu diæcesis Gandavensis; Unde dubitatur, an hujusmodi Canonicatus sint compatibiles, aut non cum canonicatibus aliarum ecclesiarum Collegialium, & vacent, vel non ob assecutionem alterius residentialis; Consulta super hoc puncto Sacra Congregatio *sub die* 23 *Julii* 1606 *lib. decret.* 11. *fol.* 179. *respondit, si consuetudo non residendi in ecclesia collegiata non insigni sit immemorabilis, non esse à Concilio sublatam, ac propterea illius canonicatus censeri veluti simplicia beneficia, nec esse incompatibiles cum canonicatibus alterius ecclesiæ; Quod si consuetudo sit minoris temporis, aut ecclesia collegiata sit insignis hujusmodi Canonicatus esse incompatibiles cum canonicatibus alterius ecclesiæ collegiatæ pariter insignis, uti personalem residentiam requirentis, ac proinde primum ipso jure vacare per assecutionem secundi; quod si provisus utrumque retinere præsumpserit, vacare utrumque ex decreto Tridentini cap. 4. sess. 7.*

Placet hic modus respondendi cum distinctione, quando facti certitudo non habetur, hoc enim in decretalibus passim invenitur, sed multo magis placet resolutionis ratio, nam

47 sicuti de consuetudine quis potest non residendo percipere fructus in absentia *cap. cum omnes ibique Gloss. in fin. de constit.* ita potest quis ratione consuetudinis retinere in ecclesia collegiata non insigni canonicatum, qui non sit incompatibilis cum canonicatu alterius ecclesiæ collegiatæ insignis, in qua residentia de jure requiritur.

48 E' contra canonicatus ecclesiæ collegiatæ insignis sunt incompatibiles cum canonicatibus alterius collegiatæ pariter insignis pro effectu vacationis unius beneficii ob assecutionem alterius; In hisce enim ecclesiis collegiatis insignibus quæcumque consuetudo non residendi à Tridentino sublata est *ex cap. 12. sess. 24. §. præterea; Vercellen Octobris* 1569.

49 His additur casus singularis, ex cujus circumstantiis resultat incompatibilitas, & respectivè vacatio beneficii ob assecutionem alterius; Itaque Sixtus V erexit Præposituram ad Scalas Sanctas cum officio sacristæ, quatuor capellanos, & quatuor alia beneficia eccle-

sia-

siastica clericatus nuncupata, adjecitque, quod
præpositus esset caput capellanorum, & cle-
ricorum, quibus dicitur præesse debere; Item
præposito, sacristæ, & capellanis injungitur
onus celebrandi missas per se ipsos; Item præ-
posito datur facultas concedendi licentiam
capellanis celebrandi missas per alios, si im-
pediti fuerint, subdendo, quod illi debeant
præposito obedire tamquam membra capiti;
Denique institutio præpositura reservatur
Eminentissimo Urbis Vicario, & collatio ca-
pellaniarum ipsismet præposito; Unde cum
annis retro clapsis dubitatum fuerit, an hu-
jusmodi Præpositura esset incompatibilis cum
episcopatu non obstante indulto de retinendis
beneficiis residentiam non requirentibus; Sa-
cra Congregatio *respondit*, *affirmative*, &
amplius, *ita habetur in Romana præpositura
prima Aprilis* 1719., & ratio resolutionis est,
quia hæc præpositura exigit residentiam præ-
cisam in loco pro bono regimine missarum ce-
lebrandarum, quod spectat ad præpositum
tamquam caput; Deindè missæ celebrandæ
sunt per ipsum præpositum, sacristam, &
capellanos; ergo hæc præpositura est incom-
patibilis cum episcopatu ex utroque capite
residentiæ, & celebrationis missarum per sei-
psum *ut in Squilliacen*, *Taurinen*, *Cremonen*,
de quibus supra,

50 Accedit quoque alter casus notatu dignus,
quod Pius vir fundavit beneficium ecclesiasti-
cum sub invocatione Sanctæ Catherinæ, vo-
luitque, quod persona præsentanda actu
sit Præsbiter, aut saltem talis, quod possit
intra annum in Præsbiterum ordinari, quod
nullum beneficium ecclesiasticum possideat,
quodque omnibus diebus dominicis, aliisque
festis, nisi aliquo probabili impedimento pro-
hiberetur, divinis officiis in ipsa parochiali
ecclesia interesse debeat; Addidit insuper,
quod si à personali residentia ultra duos men-
ses sine licentia abstinue it, novem dierum ca-
nonica monitione præmissa cadat à jure suo,
& ex tunc vacet altare, seu beneficium; De-
nique cavit, ut omnes, qui ejusdem benefi-
cii possessionem essent adepturi, juramento
promitterent se diligenter servaturos leges
fundationis, nec suscepturos officium capel-
lani in eadem ecclesia parochiali; Possessor
hujus beneficii, qui etiam juramentum à fun-
datore injunctum emiserat, nominatus ad
parochialem ecclesiam, quæ spatio sex mil-
liarium distat ab ecclesia parochiali, in qua
est fundatum beneficium Sanctæ Catherinæ,
petiit declarari.

Primo, an beneficium Sanctæ Catherinæ
sit incompatibile cum ecclesia parochiali, de
qua agitur.

Secundo, an & quatenus negativè, sit con-
sulendum Sanctissimo pro dispensatione ad ef-
51 fectum retentionis utriusque in casu &c.; Sa-
cra Congregatio *in Colonien. beneficii* 6. *Fe-
bruari* 1634. *respondit ad primum affirmativè*,
ad secundum negativè, & *amplius*.

52 Quandoquidem quoad primam partem ju-
ridica est hujusmodi resolutio, si enim hujus-
modi beneficium erat incompatibile cum alio
officio, imo cum capellania in eadem ecclesia
parochiali ex lege fundationis, multo magis
cum alia ecclesia parochiali, quæ spatio sex
milliarium distabat ab ecclesia, in qua erat
situm hoc beneficium; Deinde possessor hujus
beneficii tenebatur diebus dominicis interesse
divinis officiis in ecclesia parochiali peragen-
dis; ergo beneficium erat incompatibile cum
parochiali deinde obtenta *cap. de multa de
præben*, *extravag. execrabilis eodem tit*.

53 Sed justa quoque est resolutio quoad se-
cundam partem, nam indulta, & dispensa-
tiones super retentione duorum incompatibi-
lium contra dispositionem sacrorum canonum,
& Tridentini non solent à Sacra Congregatio-
ne impartiri, imo regulariter denegantur;
54 Ita indultum retinendi duo incompatibilia
denegatum fuit *in Bambergen* 23. *Februarii*
1715. *Casertana indulti* 8. *Augusti* 1716.
*lib.66. Decret. fol.*343. *Polignanen* 19. *Junii*
55 1717. *lib.67. Decret. fol* 251., multo minus
talia indulta concedenda sunt contra ex-
pressam legem fundationis, *ut in d. Co-
lonien*.

56 Quandoque tamen indulta retinendi plura
conceduntur ex causa tenuitatis fructuum
tam in similibus, quam in dissimilibus bene-
57 ficiis; ita concessa fuit à Sacra Congregatio-
ne facultas retinendi beneficium, & capella-
niam residentialem sub eodem tecto ecclesiæ
cathedralis *Ebroicen* 14. *Martii* 1682; Idem
habetur quoad capellaniam, & canonicatum
in Abringen. 13. *Martii* 1683. *Sarzanen. incom-*
58 *patibilitatis* 25. *Januarii* 1681., *ubi decla-
ratum fuit stante dispensatione Capellaniam
non esse incompatibilem cum Archidiaconatu
in eadem ecclesia*.

59 Verum tamen est, quod simplex capella-
nia, quæ residentiam non requirit, nec ha-
bet curam, aut onus aliquod spirituale, quod
exigat præsentiam in loco, nullo modo est
incompatibilis cum canonicatu, nec compre-
henditur sub decreto Tridentini *cap.4. sess.7.*
nec vacat ob assecutionem canonicatus ita Sa-
cra Congregatio in nullius Decembris 1587
Salernitana 11. *Januarii* 1585., *ubi quod
diaconia, quæ non obligat ad residentiam in
cathedrali ecclesia, non est incompatibilis cum
ecclesia parochiali*.

60 Simile indultum retinendi duo beneficia
difformia tenuis reditus habetur *in Aquilana*
24. *Aprilis* 1691. *lib. Decret.*44. *fol.*187.,
*ubi resolutum fuit, ut canonicatus, qui cum
distributionibus non excedit ducatos* 15. *auri
de camera, posset retineri cum parochiali*,
*cujus fructus non excedebat cum incertis duca-
tos* 12. *auri de camera*, & *ad quam per duas
vices in d. concursu nemo comparuerat præter
eum, qui indultum obtinuit*; Auxitana 28
Februarii 1696 *lib. decret.46. fol.*38, *ubi etiam
conceditur dispensatio retinendi insimul duo
beneficia incompatibilia attenta tenuitate fru-
ctuum utriusque*.

61 Et quamvis quoad beneficia similia magis
obstet dispositio juris, attamen causa tenui-
tatis

'tatis redituum prævalet ad obtinendum indultum, ita quoad retentionem duarum parochialium tenuis reditus videri potest *in Bajocen* 13 *Martii* 1683, & quoad duas portio-
62 nes ejusdem ecclesiæ parochialis *in Sagien* 30 *Septembris* 1684; Idque ex causa in praxi
63 receptum est, & fieri potest de jure, quoniam quandoque publicè expedit legis vinculum relaxare, ut pleniua evenientibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat, *inquit Tridentinum sess.*25. *cap.*18.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 MErcatura clericis repugnat, & quare.
2 Pensio ob mercaturam extinguitur.
3 Mercatura ex justa causa clericis permitti potest.
4 Indultum retinendi pensionem clerico exercenti mercaturam
5 Ars medica non decet statum clericalem.
6 Clericus exercens artem medicam pensionem amittit.
7 Ars medica utilis.
8 Indultum retinendi pensionem, & exercendi artem medicam.
9 Equites levis armaturæ habentes officium custodiendi corpus summi Pontificis non possunt in hoc statu pensiones retinere.
10 Indultum retinendi pensionem in hoc statu non valet, non facta mentione officii, conceditur tamen sanatoria, ibidem.
11 Dispensatio Innocentii XII concessa clerico ejus vexillifero retinendi pensionem in statu conjugii.
12 Reservatio pensionis facta ab Innocentio XI laico uxorato, & resolutio Sacræ Congregationis num.13. 4
15 Indultum retinendi pensionem expeditum post contractum matrimonium, licet crederetur antea expeditum, non est revalidandum, ubi de ratione num.16.
17 Dispensatio concessa clerico retinendi pensionem in statu matrimoniali non suffragatur pro statu militari.
18 Concilium Tridentinum quo ad pluralitatem beneficiorum non habet locum in pensionibus.
19 Consuetudine fieri potest, ut una pensio extinguatur per aliam.

HInc quoque pro praxi Romanę Curię quoad laicos artes exercentes, uxoratos, & milites obtinentes pensiones ecclesiasticas præ-
1 notandum est, quod ars mercaturæ repugnat clericis beneficia, & pensiones possidentibus tum de jure, tum etiam ex constitutionibus Apostolicis *cap* 1. *ne clerici vel monaci*, *Pius IV constit.*19., mercatio enim parum differt à militia, procuratione, & administratione, & vix sine peccato potest exerceri *Gloss. in can. qualis hinc in fin. distinct* 26., *Gloss. in can decimæ vers. negotio* 16. *quæst.*1. *ibi=& tamen aliqua negotiatio sine peccato vix*
2 *potest expediri*; Idcirco dubium non est, quo minus per sio ob negotiationem extinguatur, clericus enim ob turpem lucri quæstum omnibus privilegiis clericalibus facto ipso renunciare censetur *cap final ibique Gloss. de vit & honest clericor. cap.*1. *ibique omnes ne clerici, vel monaci*.
3 Verum quandoque talis urget necessitas, ut ita fiat, quod propriè locum habet in clericis, qui soli remanserunt in familia, vel talia habent inchoata negotia, quorum omissio magnum afferret domui, & familiæ detrimentum, tunc enim vel ad certum tempus, vel etiam in perpetuum potest clericis negotiatio permitti, ne incidant in pœnas sacrorum ca-
4 nonum; ita cum Joseph Bernabeus clericus à Papa reportasset indultum retinendi pensionem scutorum 31 auri de camera super canonicatu ecclesiæ cathedralis sibi reservatam, etiamsi matrimonium contrahat, & in habitu, & tonsura non incedat, ac munia laicalia exequatur; quia vero tamquam unicus de familia rebus domesticis, earumque directioni præesse debet, petiit sibi indulgeri, ut eadem pensione liceat frui, etiamsi mercaturam exerceat, cujus precibus Sacra Congregatio annuit *concedendo indultum retinendi pensionem in hoc statu, dummodo nihil sordidum, & characteri clericali indecorum per seipsum exerceat, ita habetur in Perusina* 8 *Augusti* 1693.
5 Similiter ars medica quantum ad illius executionem statum clericalem non decet, imo prohibetur clericis etiam minorum ordinum tum de jure, tum etiam ex decretis Sacræ Congregationis, *ut in Caven.* 29 *Martii* 1653,
6 unde clericus medicam artem exercens, quia clericalibus privilegiis renunciare censetur, pensiones in hoc statu obtinere non potest, & si quas habet, ipso facto amittit *cap.*1. *ne cleric., vel monac.*
7 Verum ars medica utilis est, ac multos instruit, & inservit communi bono *l. professores cod. de professor. & medic. lib.*10.; Qua de re indultum retinendi pensionem in hoc statu, non videtur posse denegari; & ita casua
8 accidit, nam Cajetanus de Bernardinis olim Rector Capellaniæ sub titulo Sanctæ Mariæ Montis Carmeli vallis cuppolæ cessit eamdem capellaniam Joanni Baptistæ Jubileo cum reservatione pensionis annuorum ducatorum septem cum dimidio auri de camera, nunc in medicina doctor, cupiens artem hanc exercere, supplicavit pro dispensatione, ut non obstante hujusmodi exercitio pensionem retinere valeat; Sacra Congregatio censuit *id indulgeri posse facto verbo cum Sanctissimo, ut præfatam pensionem retinere possit, & facta per secretarium de præmissis relatione Sanctitas sua annuit, & benignè indulsit Albanen* 3. *Aprilis* 1694.
9 Denique equites levis armaturæ habentes officium custodiendi corpus Summi Pontificis nequeunt in hoc statu tamquam incapaces ecclesiasticas retinere pensiones *Romana indulti* 16. *Novembris* 1720. *ad primum Decret.*70., & 31. *Maii* 1721. *Decret.*71, ita
10 ut indultum retinendi pensionem cum officio non expressa possessione officii in petitione indulti obtinenti non suffragetur; Sed tamen Sacra Congregatio in hoc casu censuit locum esse

esse sanatoriæ *Romana indulti* 31.*Maii* 1721. *utrobique ad secundum*; Quandoque etiam à Sacra Congregatione conceditur indultum retinendi pensionem in statu conjugali, & militari; quandoque jam obtentum suffragatur; Utrobique casus singularis, & notatu dignus ponitur.

11 Quoad primum sciendum est, quod cum per JacobumSorbelongum clericum conjugatum supplicatum fuisset pro dispensatione retinendi nonnullas ecclesiasticas pensiones, ex quo à tribus ante annis per San. Mem. Alexandrum VIII. deputatus fuerat in Vexilliferum vulgoCornetta equitum levis armaturæ pro Summi Pontificis custodia, Sacra Congregatio Concilii respondit *oratorem esse dispensandum facto tamen verbo cum Sanctissimo, quo per ejusdem Congregationis Secretarium expleto Sanctitas Sua Sacræ Congregationis sententiam benigne approbavit, oratorem absolvit ad cautelam, in preteritum pensiones huc usque perceptas condonavit, ac in futurum cum eo dispensavit, ita ut durante servitio inter cohortes, & ad custodiam Summi Pontificis indultum in statu conjugali ampliandum, & extendendum sit ad hujusmodi statum militarem, ac proinde pensiones præfatas percipere, & retinere valeat, ac si militiæ adscriptus non esset, ita habetur in Romana indulti* 20. *Junii* 1693.

12 Quo vero attinet ad secundum casum etiam in facto præmittitur, quod San. Mem. Innocentius XI motu proprio, & cum derogatione regulæ de præstando consensu in pensionibus reservavit pensionem annuam scutorum 750 super fructibus cujusdam mensæ Archiepiscopalis laico uxorato per eum percipiendam non obstante, quod sit laicus uxoratus, & clericali charactere nondum insignitus, quodque Gubernator, & Capitaneus generalis Belli extiterit, & sævis ratione hujus muneris etiam ratione dominii quorumdam locorum, quorum ipse in temporalibus dominus existit, se immiscuerit; & denique arma tulerit, & bellicis actibus interessendo plures interfecerit, voluitque Sanctitas Sua, ut idem laicus uxoratus, præmissis, & irregularitate inde contracta non obstantibus, pensionem prædictam, quoad viveret, percipere posset, ita tamen, ut pensio prædicta in causam subventionis, & subsidii cederet, & non alias.

13 His stantibus quæsitum fuit, primo, an talis laicus possit in posterum absque pœna privationis d. pensionis castra sequi, & uti dominus plurium locorum ratione illorum dominii sævis se immiscere, vel an indigeat indulto Apostolico; secundo, cum d. laicus uxoratus sit eques velleris aurei, an ista qualitas in d. reservatione pensionis fuerit necessario exprimenda, itaut illius omissio vitiet re-
14 servationem; *Sacra Congregatio Concilii* 18
Decembris 1688 *respondit ad primum non indigere novo indulto, ad secundum negativè*.

15 Ulterius indultum retinendi pensionem in statu conjugali expeditum post contractum matrimonium, licet crederetur expeditum ante illius celebrationem, non esse revalidandum, nec esse locum gratiæ perinde valere, respondit Sacra Congregatio Concilii *in Regien pensionis* 19 *Septembris* 1722 *lib. decret.*72., quæ resolutio vera est, non obstantibus in contrarium adductis *per Pitton. discept.*144. *per tot. tom.*4., ex ea satis solida ra-
16 tione, quia indultum post matrimonium à
Papa obtentum non potest amplius operari, ut pensio, quæ semel per matrimonium extincta est, iterum resurgat *Gloss. in clement. gratiæ vers. resignaveris de rescript.* Ibi = *gratia ergo perempta non reviviscit l. quid tamen §. agri ff. quib. mod. ususfruct. amittat. l. cum servus ff. de adimen, & transferen. legat. Torr. var. resolut. lib.*3. *cap.*8. *num.*52.

17 Ita quoque dispensationem concessam clerico retinendi pensionem, etiamsi non incedat in habitu, & tonsura, vel matrimonium contrahat, non suffragari, si deinde clericus transicrit ad militiam armatam censuit Sacra Congregatio *in Nicien* 19 *Decembris* 1648 *Ulyssipponen pensionis orientalis die* 23 *Novembris* 1737, *& in aliis*.

18 Denique illud in hac re prætereundum non
est, quod Tridentinum prohibens pluralitatem beneficiorum simplicium ultra duo, si
non sufficiunt ad congruam substentationem,
non habet locum in duabus, vel tribus pen-
sionibus clerico reservatis in eadem ecclesia,
tametsi alterutra ex his per se sufficiens sit;
Nam Tridentinum loquitur de pluribus titu-
lis beneficiorum, & officiorum non occupan-
dis, & de prohibita in duabus ecclesiis con-
scriptione, quæ non possunt verificari in pen-
sionibus, in quibus titulus beneficii non da-
tur, nec pensionarius loco conscribitur, cum
ad residentiam non teneatur, ergo super plu-
ribus pensionibus etiam sub eodem tecto ob-
tentis cessat incompatibilitas, vacatio, &
extinctio, *ita Sacra Congregatio in Hyspa-*
19 *len.*1588. Consuetudine tamen aliter fieri po-
test, ut una pensio vacet per aliam, si una
per se sufficiens sit; consuetudo enim longissimi temporis parem legis auctoritatem habet *l.*1. *Cod. quæ sit long. consuetud.*, sed tamen exemplis juridicis probandum est ex parte titularis, quod provisus de una aliam ex facto Judicis dimiserit, nec exegerit, seu habuerit juxta consuetudinem pro extincta, ita enim pensio vacat, & extinguitur ob reservationem alterius cum plena facultate percipiendi fructus, & non alias.

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii & Pensionis ob Religionis professionem *ad ornatum Text. in cap. beneficium de regularib. in 6.*

SUMMARIUM.

1 VAcat Beneficium per solemnem professionem religionis, nulla habita distinctione, an professio sit expressa, vel tacita 2.
3 Vassallus per religiosam professionem amittit feudum.
4 Per religiosam professionem vacat Imperium, Regnum. Papatus, & Episcopatus.
5 Non in omnibus religionibus per professionem datur Vacatio Beneficii, sed tantum in iis, in quibus fit solemnis professio 6.
7 Per solemnem professionem vacant beneficia, tituli, gradus, coadjutoriæ, & literæ expectativæ.
8 Novitius est incapax beneficii *juxta Gloss. in cap. beneficium de regular. in 6.*
9 Impugnatur *Glossæ* opinio.
10 Novitius intrà annum probationis non amittit Jus ad rem, seù in spe, quod exemplificatur in literis expectativis, & coadjutoria.
11 Beneficium commendatum clerico seculari vacat per professionem regularem.
12 Commendæ equitum melitensium vacant per professionem in alia religione emissam.
13 Eques commendatarius per professionem religiosam, ut supra, desinit esse miles.
14 Per clericatum clericus desinit esse comes.
15 An commendæ S. Stephani, Calatravæ vacent per professionem religiosam, distinguitur 16.
17 Per professionem religiosam in religione capaci bonorum ususfructus non extinguitur.
18 Contrarium in his commendis defenditur.
19 Officia vacabilia Romanæ Curiæ per professionem religiosam in quacumque religione non vacant, & quare.
20 Beneficia non vacant in Congregatione Missionariorum, & Jesuitarum antè quartum votum.
21 Quod intellige de beneficiis simplicibus, secùs in iis, quæ præcisam residentiam requirunt. & quomodo.
22 Non professus recuperat beneficium alii resignatum.
23 Nullitèr professus recuperat bona consanguineis renunciata intuitu religionis.
24 Beneficium vacans in Urbe per solemnem professionem non vacat apud sedem.
25 Professio religiosa emissa in articulo mortis ante annum probationis non inducit vacationem beneficii.
26 Si novitius decedat intrà annum, per ejus obitum beneficium vacat, & qui illud impetravit uti vacans per obitum, præfertur ei, qui per professionem obtinuit.
27 Impetratio beneficii vacantis per obitum, ubi vacat per professionem, substinetur, præsertim si adjecta sit clausula *quovis modo*.

CAPUT VIII.

1 INter vacationes beneficiorum ipso jure ea quoque adscribitur, quæ fit per solemnem professionem in religione per Sedem Apostolicam approbata, nàm Monachus habetur pro mortuo, & licèt verè mortuus non sit, nihilominus mors civilis parit omnes effectus mortis naturalis, cum de hoc expressè in Jure cautum sit; undè professus amittit statim omnia, & quæcumque beneficia, sive simplicia, sivè residentialia, sive cum administratione tantum, sivè cum administratione, & jurisdictione simul *cap. beneficium de regular. in 6. Can. Gonzaluns* 17. *quæst.*2. *Rot. decis.*440. *num.*7. *coram Duran.*, *Cephaluden. pensionis* 3. *Junii* 1683 §. *& quamvis cum seqq. coram Ursino*

2 Nec interest, an professio clerici beneficiati expressa sit, vel tacita; habetur enim pro solemniter professo elapso probationis anno, qui gerit habitum professorum *cap. consulti*, *cap. statuimus*. *cap. non solùm de regular. clement. eos eod. tit.*, quod etiam expresse innuitur *ex cap. beneficium*, *ibiq. Franch. de regular. in* 6; *Hondedeus con.*78. *per tot.*

3 Quemadmodum Vassallus ingrediens monasterium, ibique solemniter profitetur, feudo statim privatur, quia feudum retinere non potest, qui officium gerere non debet *cap* 1. *de Vassal. milit.*, *qui arm. bellic. deposuit*, *ubi feudistæ communiter*.

5 Similitèr per professionem religiosam vacat Imperium, vacat Regnum, immò Papatus, & Episcopatus *Can. scripsit*, *ibique Gloss. in verb. dignitate* 27. *quæst* 2. ibi = *Monachus desinit esse Rex*, *Imperator*, *Papa*, *& Episcopus* =; Repugnat enim Imperium cum subjectione, Regnum cum paupertate, & cura animarum, seù superintendentia in spiritualibus cum quiete religiosa, ut patet.

5 Hæc conclusio textualis est, nec ulteriori indiget auctoritate, patitur tamen difficultatem ob varias religiones, quarum una, ut est perfectior altera, ità quoad unam datur quidem Vacatio beneficii, sed non quoad aliam; Undè pro faciliori omnium intelligentia, hæc non immerito adduntur, quæ notatu digna sunt, quia in praxi frequentèr disputanda occurrunt.

6 Dico igitur primo, quod in omnibus religionibus, in quibus fit solemnis professio, nedùm ipso jure vacant omnia beneficia, verùm
7 etiam officia, tituli, gradus, & honores ecclesiastici, immò & coadjutoriæ, & literæ expectativæ, quæ dant jus ad rem, sivè jus in spe *cap. beneficium*, *ibique Gloss. & omnes de regular. in* 6.

8 Cavendum in hoc à *Gloss. in d. cap. Beneficium versic. conferendum verbo numquid*, ubi dicit, quod novitius est incapax beneficii, ea ratione quia est in statu dubio, & potius reputatur religiosus, quam clericus, idcircò

si-

ficuti ſtatu dubius non poteſt promoveri ad militiam *l. qui ſtatus ff. de re militar*; ita novitius ad beneficium, ſeù dignitatem eccle-
9 ſiaſticam. Sed gloſſæ opinio communitèr reprobatur per *Franch. in d. cap. Beneficium n. 1. in fin.*, *ibiq. Gemin. num. 3. de regular. in 6.*. Sanè ex ſtatu dubio inferri non poteſt incapacitas aſſequendi beneficia, & dignitates eccleſiaſticas; Nam novitius dicitur religioſus quoad privilegia religionis, ſed quoad alia eſt verè clericus ſecularis capax cujuſcumque promotionis, & dignitatis eccleſiaſticæ, dùm adhuc liber eſt. & poteſt ſtatum religioſum deſerere, & de religione egredi. Unde Jus quod ex canonica collatione obtinuit in beneficio, novitius non amittit.

10 Multoque minus intrà annum probationis amittit jus ad rem, ſeù jus in ſpe, nempè Jus ex literis expectativis, ſeù ex coadjutoria, quæ per ingreſſum religionis non vacat *Gloſſ. in d. cap. beneficium verſic. conferendum verb. ſed quid dices de regular. in 6.*, *Spad. conſ. 51. num. 7. lib. 3.*

11 Dico ſecundo beneficium commendatum clerico ſeculari, ſeù regulari vacare per profeſſionem regularem in illo ordine emiſſam *Lovet. in ſua recollection. areſt. lit. B. num. 12.*

12 Sic quoque commendæ equitum melitenſium per ſolemnem profeſſionem alterius religionis ipſo jure vacant, cum nihil differant à beneficiis eccleſiaſticis *Rot. deciſ. 5. num. 2.*

13 *cor. Falconer. de Beneſ.*; Deindè eques profeſſus in religione Jeſuitarum, ſeù Ordinis Prædicatorum deſinit habere militiam, ità deſinit habere commendam, quæ contemplatione militiæ à Magno Magiſtro, ſeù Conventu confertur *cap. 1. de Vaſſal. qui arm. bellic. depoſuit*, *cap. 1. verſic. qui clericus ſi de feud. defuncti*, *cap. beneficium de regular. in 6. Can. præſens*, *ibiq. Gloſſ. verſic. comi-*
14 *te 20. quæſt. 3.* ibi = *deſinit eſſe comes*, *qui citò factus fuerit clericus* =; Ergò deſinit eſſe miles, deſinit eſſe eques ſui ordinis, deſinit eſſe commendatarius, qui effectus eſt Monachus, & ſicuti comitatus repugnat cum clericatu, ità à fortiori militia cum Monachiſmo.

15 Quæſtio gravis oritur in commendis S. Stephani, Calatravæ, & ſimilium, quæ verè beneficia eccleſiaſtica non ſunt, an nempè per profeſſionem religioſam ipſo jure vacent. Hæc quæſtio cum diſtinctione videtur poſſe reſolvi; Aut enim Eques profeſſus eſt religionem incapacem bonorum in communi, & particulari, aut profeſſus eſt religionem capacem bonorum quidem in communi, ſed non in particulari. Primo caſu firmitèr tenendum eſt, commendas ſtatim de facto vacare, & bona eiſdem aſſignata devolvi vel ad proximiores, vel ad ipſum ordinem juxtà ordinis leges, & ſtatuta; Nàm Eques ita profeſſus habetur verè prò mortuo quoad omnes Jura effectus *Clementin. Exivi de verbor. ſignificat.* *Bart. in tract. minoric. lib. 4. diſtinct. 2. cap. 2. num. 6.*

16 Undè tota difficultas reſidet in ſecunda diſtinctionis parte, in qua videtur dicendum, equitem ità profeſſum commenda non privari; nam religio eſt capax acquirendi bona fideicommiſſaria, ſeù primogenialia, ſaltem quoad uſumfructum ex diſpoſitione Juris. Ultra quod eques profeſſus jura ſanguinis, & agnationis conſervat *Rot. deciſ. 392. n. 5. 12. ferè per tot. par. 14. rec.*. Ergò à fortiori poteſt eques retinere in religione commendam, cujus eſt uſufructuarius, & adminiſtrator,
17 prout in ſimilibus habemus uſumfructum per profeſſionem religioſam non extingui *Gloſſ. in auth. idem eſt Cod. de bon. quæ liber*, *Bart. in auth. ingreſſi*, *ibique Caſtren. utrobique num. 42. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.*, *Gloſſ.*, *& Archidiac. in can. ſi qua mulier 19 quæſt. 3. Catol. Tapia in auth. ingreſſi verb. ſua cap. 17. num. 1. cum ſeqq.*

18 Contrarium tamen verius eſt in puncto Juris, & ipſamet ratio id ſuadet ex pluribus; primo quia in profeſſo ceſſat ea qualitas equitis, ſinè qua nequit commenda poſſideri; ſecundò quia commenda nihil aliud eſt, quam militia laicalis, ità quod ejus poſſeſſor dicitur miles ex conſtitutionibus ipſorum ordinum militarium, idcircò eques profeſſus quia nequit exercere officia, quæ qualitati militia inſeparabiliter annexa ſunt, ob ſolemnem profeſſionem commenda ſtatim privatur *Cap. 1. de Vaſſallo milite qui arma bellic. depoſuit*, *cap. beneficium de regular. in 6.*

19 Hæ autem rationes non militant in officiis vacabilibus Romanæ Curiæ, aut cenſibus vitalitiis, quia longè diſcrepant à beneficiis eccleſiaſticis, & commendis; Undè nullo modo vacant per profeſſionem emiſſam etiam in religione incapaci bonorum tam in communi, quàm in particulari; & ſicjus radicale, & nudum remanet quidem penes profeſſum, ſed fructus durante ejus vita ſpectant ad hæredes vel ex teſtamento, vel ab inteſtato, quippe quia in hiſce officiis, & cenſibus mors naturalis ex mente contrahentium dumtaxat attenditur, adeout mors civilis nullo modo ſuffragari poſſit prò hujuſmodi effectu. Sanè hoc diſcrimen intercedit inter beneficia eccleſiaſtica, & officia vacabilia Romanæ Curiæ; nàm beneficia eccleſiaſtica extra commercium hominum ſunt, & titulo lucrativo, immò inſtitutione canonica obtinentur; è contrà vero officia vacabilia ſunt in publico commercio, & titulo oneroſo acquiruntur, immò proptèr lucrum, non proptèr exercitium concedi ſolent, *ut in puncto Rot. deciſ. 543. per tot. par. 2. recen.*

20 Dico tertio, quod in iis Religionibus, ſeù Congregationibus, in quibus emittitur profeſſio votorum ſimplicium, & profeſſi retinent dominium, ſinè uſu, & adminiſtratione, prout eſt Congregatio Miſſionariorum, & uſum ſinè dominio, prout eſt Religio Jeſuitarum ante quartum votum, nullo modo vacant beneficia eccleſiaſtica: Non vacant in clericis Miſſionariis, quia propriè religioſi non ſunt, ſed veniunt appellatione præsbyte-

rorum secularium ex declaratione Alexandri VII, deindè quia justis de causis superiorum licentia ejici possunt è congregatione, & redire ad statum ecclesiasticum, seù laicalem, immò ordinantur ad titulum patrimonii sacri, quod beneficio, vel pensioni comparatur *ex Tridentin. sess.21 cap.2.*. Quæ rationes militant quoque prò Jesuitis, nam licèt, ante quartum votum verè, & propriè religiosi sint, & tales denominentur in constitutionibus Apostolicis, nihilominus ex licentia superioris statum secularem, seù ecclesiasticum amplectuntur *Rot. decis.246. par.4. rec. tom.1.*, ubi habetur scholasticos, seu Religiosos Societatis Jesu post tria vota simplicia posse retinere beneficia, & possidere bona patrimonialia; quod etiam habetur *apud Posth. resolut.141. num.33. 34. cum seqq.*

21 Hæc tamen intelligenda sunt de beneficiis simplicibus, sed si agatur de aliis præcisam residentiam requirentibus, tenentur ità professi liberè in manibus ordinarii dimittere, vel alio modo resignare, quia rationi non congruit, ut per electionem status perfectionis Ecclesia patiatur detrimentum in spiritualibus, alitèr ordinarius potest sic professis, servatis servandis terminum competentem decernere, ut ad Ecclesiam redeant, seù beneficia dimittant, quo elapso potest ordinarius beneficium alii conferre, nam licèt non vacet ob professionem votorum simplicium, vacat tamen post præfixionem termini, perindè acsi non residerent, prout contrà clericos non residentes ità de Jure cautum est *per Text in cap. ex parte, cap. inter quatuor, cap. ex tuæ de cleric. non residen.; Tondut. quæstione beneficial. cap 42. Pignatell. consf.4. tom.2. Rot. decis.131., decis.163. part.4. rec. tom 2.*, nam post præfixionem termini sic professi tacitè videntur renunciare beneficiis ecclesiasticis *Gloss. in cap. si tibi absenti versic. eo lapso de præben. in 6.*

22 Dico quarto. quod Clericus è religione, egressus, recuperat beneficium alii intuitu profitendæ religionis resignatum, & ad illud ob non factam professionem reintegrandus est ex decreto *Tridentin; de quo latè Rot. in Ferrarien Canonicatus 10. Januarii,*

23 *& 5. Martii 1698. cor. Pio.* Eo modo quo nulliter professus recuperat beneficium, & bona favore consanguineorum renunciata, *ut docet Hostien & Jo: Andreas in cap. quod à te de Cleric: conj gat; quod sequitur Abb. ibidem num.4. versic. si vero, Rovit. consf.68. num.9 lib.2. Rot. decis.217. num.24. par.15. recen.* sane sicuti professus per vim & metum cadentem in constantem virum retinet semper jus ad bona paterna, ita non professus Jus in beneficio, non obstante quacumque præscriptione triennali, decennali, & ultra; & ratio est, quia possessor beneficii habet jus conditionale, si nempe sequatur professio, qua non sequuta, jus, quod in beneficio obtinuit, statim resolvitur, *ut in dictis decis. coram Pio, aliisque juribus mox relatis.*

24 Ex his sequitur, si professio religiosa sequatur in urbe, beneficium vacans per solemnem professionem non esse Papæ reservatum *ex cap 2. de præben. in 6.*, nam stylus conferendi beneficia vacantia per obitum in urbe non extenditur ad ea, quæ vacant per professionem ibidem emissam, prout non comprehendit beneficia, quæ vacant per militiam, per matrimonium, & his similia, maxime si essent de jure patronatus laicorum *ut de praxi testatur Massobr. prax. haben. concurs. prælud.7. dub.2. num 8. & prælud.7. dub.21. num.83.*, nam ob professionem religiosam beneficium vacat quidem in urbe, sed non apud sedem, nec in curia, si tamen vacet in mensibus ordinarii, & dummodo alias reservatum non sit *ex plenè deductis in cap 3. de vacat ob matrimon. num.28. cum seqq.* ad quæ te remitto.

25 Quæres; an beneficium per professionem religiosam vacet, si novitius in articulo mortis devotionis causa, ac nondum probationis anno completo, professionem emittat? Respondeo non vacare, nam hujusmodi professio prodest tantum ad lucrandas indulgentias, quibus gaudet ea religio, in qua fit solemnis professio, nullumque alium juris effectum parit, maxime quo ad vacationem beneficii, talis enim professio non est ab ecclesia approbata, nec est ea, de qua loquuntur Sac. Canones, & Tridentin. ita Sac. Congregatio Concilii respondit *ad dubium vacationis canonicatus 12. Maii 1685.*, quæ resolutio vera est, & dispositioni juris conformis.

26 Quid ergo, si novitius intra annum probationis decesserit? Respondeo beneficium vacare per obitum, & qui illud impetravit uti vacans ex hoc capite, præfertur alteri, qui ut vacans per professionem à Papa obtinuit; Sicuti è contra emissis tribus votis solemnibus post annum probationis, Beneficium vacat professione, & qui collationem obtinuit ex hoc capite, præfertur alteri, qui illud uti vacans per obitum, impetravit, *cap. susceptum §. si duo de rescript. in 6.*

27 Denique illud etiam certum est, impetrationem beneficii vacantis per obitum, ubi vere vacat per professionem, sustineri, nam monacus professus habetur pro mortuo, & mors civilis parit quoad hoc omnes effectus mortis naturalis *authen. ingressi cod. de Sacrosan. Eccles.*, Et sic alter post expeditas literas, & capta possessione beneficii, nequit in præjudicium jam provisi idem beneficium vacans per professionem in Dataria obtinere, præsertim si in prima provisione adiecta sit clausula *quovis modo*, sub qua continetur vacatio per professionem, quæ specialem exprimendæ vacationis formulam non habet *cap. susceptum de rescript. in 6, & habetur in regula 58. cancellariæ*,

ADDI-

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 PEnsio extinguitur per solemnem professionem.
2 Limitatur in religione, in quo emittuntur vota simplicia.
3 Differentia inter usumfructum, & pensionem.
4 Incapax Beneficii est etiam incapax pensionis.
5 Regulariter, ubi vacat beneficium, etiam pensio extinguitur.
6 Regularis quoad Jura spiritualia habetur pro mortuo.
7 Qualitas Clericatus cessat per solemnem professionem.
8 Ratione, & discursu cognoscitur res per causam.
9 Limitatur, si ante professionem obtentum sit indultum retinendi pensionem in statu regulari, qua nvis post professionem expeditum fuerit.
10 Pensio laicalis reservata super Beneficio per solemnem professionem non extinguitur, prout usufructus.
11 Limitatur, si aliud constet de voluntate reservantis, ubi de ratione.
12 Clausula *eo ipso*, statim, prorsus, mox, protinus sunt latæ sententiæ, ubi de pensionis extinctione.

1 REligiosus professus, ut est incapax beneficii, ità est incapax pensionis clericalis, unde per professionem solemnem extinguitur pensio, prout vacat ecclesiasticum beneficium *cap. beneficium de regular. in 6.*
2 *Sanchez ad precept. decalog. lib. 7. cap. 4. n. 13.* Quod intellige de iis, qui ad seculum redire nequeunt, nisi ex dispensatione apostolica. Si enim agatur de aliis regularibus, qui emittunt vota simplicia, ac ad seculum redeunt, vel ex licentia superioria, vel ex alia justa causa, alia rea est, nam validè, & licitè in statu religioso ecclesiasticas pensiones retinent *in puncto Rot. decis. 246. part 4. recen. tom 1.*
3 Nec obstat, quod pensio eisdem regulis consistat, quibus usufructus, qui sicuti per professionem non extinguitur, ita nec pensio: Item religiosus professus non est mortuus, nisi civiliter, nam quantùm ad comedendum vivit *Gloss. in auth idem est Cod. de bon. quæ liber.*, unde si de jure ob professionem dumtaxat inducta est vacatio beneficiorum, juridicum non videtur id extendi ad pensiones, de quibus jus non loquitur. Respondetur enim usumfructum non extingui per professionem, quia de jure cautum non est, immò religiosus ex tolerantia Ecclesiæ retinet usumfructum, annuosque redditus bonorum patrimonialium; sed in hoc casu alia est ratio, nam ob incompatibilitatem status, pensio
4 extinguitur. Item regularis est incapax pensionis, quæ ipsimet beneficio annexa est, sicuti beneficium seculare in statu regulari retinere non potest. Ultra quod *Text. in cap. beneficium de regular in 6.* interpretatur de quocumque beneficio, cujus appellatione venit etiam pensio *Gigas de pension. quæst. 19. num. 2., quæst 57. num. 5., quæst. 99. num. 12. Tondut. de pension. quæst. 69 num. 5. cum seqq.* Hæc nullam habent dubitationem, nam ubi non vacat beneficium, nec pensio extinguitur.
5 Ergo à contrario sensu, ubi illud vacat, hanc quoque extingui necesse est, quo argumento utitur *Rot. d. decis. 246. n. 2. in fin par. 4. rec. tom 1.*
6 Huc accedit, quod regularis respectu juris spiritualia habetur pro verè mortuo, & quamvis hæc mors sit civilis, nihilominus producit quoad hoc omnes effectus mortis naturalis *auth. ingressi C. de Sacrosan. Eccles.* Demùm pensio censetur clerico reservata sub
7 hac qualitate juxta stylum Curiæ, quæ qualitas statim cessat sequuta professione per *Text. in l. generaliter C de Episc., & cleric. ibi = & præcipuè Monachos licèt clerici non sint*, quæ canonizzata est *in Can. generaliter 16. quæst. 1. Archidiac. in cap. 1. num 3. versic. undè benè advertas de bigam. in 6.* Hic sanè verus est ratiocinandi modus, immò
8 hoc est verè cognoscere rem per causam, quod non fit ab iis, qui de hac re loquuntur, prout sicco pede pertransit *Rot. decis. 104. n. 7. cor. Mantic.*
9 Limitatur, si præventivè ante emissam professionem obtentum sit à Papa indultum retinendi pensionem in statu regulari, nam dispensatio præservat pensionem à quacumque inhabilitate, quæ ex futura professione sine dubio contraheretur, & sufficit, quod gratia sit pura, perfecta, & signata ante professionem, non obstante, quod post professionem expedita fuerit. nam expeditio inest in ipsamet gratia, itaut, quod nunc fit, ab initio, quo gratia signata est, factum censeatur, non per viam retrotractionis, sed per viam essentiæ *latè Rot. dec. 121. n 2. & 3. & 44 cum seq per tot. par. 12. rec.*
10 E contra pensio laicalis etiam reservata super beneficio per professionem non extinguitur, quia nihil habet spiritualitatis, licèt ex fructibus beneficii proveniat, imò est quædam temporalis præstatio, cujus sunt capaces monaci, militea, & laici, & consequentèr pensio laicalis transit in monasterium. Et in hoc sensu pensio nihil differt ab usufructu, unde per professionem emissam in religione capaci bonorum in communi non extinguitur, *ex doctrina Bart. & Castren. in auth ingressi, utrobique n. 42 Cod. de sacrosant. eccles. Gig. de pens. quæst. 15. n. 1.*
11 Limitatur, si aliter appareat de voluntate Papæ, qui pensionem laicalem super beneficio ecclesiastico reservavit, non enim minoris efficaciæ est sententia juris quoad pensionem clericalem, quàm sententia hominis, seu decretum Papæ quoad pensionem laicalem,
12 Quæ sanè voluntas nedum ex clausula *eo ipso* satis agnoscitur, sed etiam ex verbis statim, prorsus, mox, protinus, cum simililib., quæ sine dubio sunt latæ sententiæ *Gloss. marginal. in cap. quam sit in fin. de electionib.* quia igitur ex contraria voluntate reservantia, & ex clausulis, de quibus supra, de pensionis etiam laicalis extinctione ex hoc capite ambigere poterit?

ARGUMENTUM.

AN præter Papam Ordinarii Collatores possint regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta conferre, & secularibus, qui illius Ordinis habitum suscipere, & professionem emittere omnino teneantur, etiam cum clausula *ex nunc prout ex tunc*, & cum decreto, ut non emissa intra annum professione beneficia regularia iterum vacent; Et quid in pensionibus? An professi ordinem militarem sint capaces beneficiorum secularium, & pensionum, & quando beneficia secularia, ac pensiones ob professionem in ordine emissam ipso jure amittant, vel potius teneantur renunciare juxta Ordinis Constitutionem *ad interpret. Tridentini Sess.* 14. *cap.*10., *Sess.*25. *cap.*21.

SUMMARIUM.

1 ORdinarii Collatores possunt conferre portiones monachales, & canonicales etiam non professis, secus abbatias, & officia administrationem habentia, ubi rationes num.2. 3.

4 Observantia in contrarium conferendi abbatias, & officia administrationis non professis improbatur, & quare.

5 In provisionibus beneficiorum regularium non potest ab ordinariis apponi decretum *ex nunc, prout ex tunc*, ubi de ratione num.6.

7 An apponi possit decretum, ut beneficia regularia ob non emissam professionem intra annum ipso jure vacent.

8 Conditio, quæ de jure inest, potest apponi in collatione beneficii.

9 Conditio, *si vacat*, apposita in collatione beneficii valet.

10 Decreta Tridentini, prout jacent, exequi debent.

11 Decretum, ut post annum vacent regularia beneficia, non sustinetur.

12 Decretum Tridentini *sess.*25. *cap.*21. explicatur.

13 Pœna privationis ab homine imponenda differt à pœna vacationis *eo ipso*.

14 Papa potest conferre beneficia regularia cum clausula *ex nunc, prout ex tunc*, & cum decreto irritante post annum provisionem.

15 Papa potest dispensare, ut non professus obtineat commendam intra biennium, ubi casus.

16 Non facta professione intra biennium commenda vacat, vel non professus privandus est, ibidem.

17 An milites Sancti Jacobi, de Spatha, & similes sint beneficiorum secularium capaces distinguitur num.18.

19 An beneficia secularia militum Sancti Jacobi, de Spatha vacent ob professionem in ordine emissam, distinguitur, & declaratur num.20.

CAPUT IX.

1 COnsulta super primo puncto Sacra Congregatio Concilii, *respondit sub die* 12. *Decembris* 1585. *posse etiam Ordinarios Collatores portiones monachales, & canonicales, ac similia simplicia beneficia regularibus provideri consueta conferre non dum ejus ordinis professis, sed etiam secularibus, qui habitum suscipere, & professionem emittere omnino teneantur; Abbatias tamen, & beneficia administrationem habentia nonnisi professis juxta Canones per ordinarios inferiores conferri posse.*

2 Et ratio disparitatis est, quia primo casu nihil obstat, quo minus seculares, qui ordinem mox sunt professuri, portiones, seu beneficia simplicia in titulum obtinere possint, imò ipsis expressè favet Tridentini decretum, quod ideo à Patribus ejusdem Concilii editum est, ut non professi præmio allecti professionem ordinis regularis facilius emittant;

3 at secundo casu, ubi agitur de abbatiis, aliisque officiis administrationem habentibus Ordinarii Collatores nonnisi professos providere tenentur. In hisce enim officiis requiritur habilitas, quæ inveniri non potest in non professis, qui prius subesse non noverunt; Deinde opus est doctrina, quæ vix dari potest saltem practicè in secularibus, qui formam discipuli non assumpserunt *cap. cum in magistrum de elect.*

4 Nilque suffragatur quoad hæc officia consuetudo in contrarium, tametsi esset immemorabilis, nam in iis, in quibus requiritur expressa professio, aliter factum non valet, dum non quod fit, sed quod fieri debet, præponderat *cap. cum causam de elect. ibi = non debemus attendere solummodo, quod factum sit, sed quid fieri debeat l. licet ff. de offic. præsid. l. nemo Cod. de sentent., & interlocut.*

5 Item

5 Item eadem Sacra Congregatio loco citato *censuit in provisionibus beneficiorum, quas ordinarii faciunt non professis, non esse apponendum decretum ex nunc, prout ex tunc, & postquam &c. in solis provisionibus apostolicis apponi consuetum, sed provisiones faciendas esse purè, & simpliciter ad formam Tridentini cap. 10. sess. 14. adeo ut habitum suscipere, & professionem emittere omnino teneantur, aliter elapso anno sunt privandi.*

6 Ratio huius resolutionis validissima est, quia decretum *ex nunc, prout ex tunc* importat conditionem *Cassodor decis. 3. num. 15. de praeben.* Item conditionem, quae pendet à futuro eventu, importat dictio *postquam Rot. decis. 46. num. 2. part. 2., decis. 323. num. 17. part. 6 rec.*, sed prohibitum est ordinariis collatoribus sub conditione conferre beneficia *Gloss. in cap. si gratiosè de rescript. in 6.*, cum collatio sit de genere actuum legitimorum, qui non recipiunt diem, neque conditionem *l. actus legitimi ff. de reg. Jur.*, ergo in hisce provisionibus beneficiorum regularium decretum *ex nunc, prout ex tunc* non est apponendum, & appositum non sustinetur.

7 Quaestio est, an possit apponi decretum, ut non emissa professione intra annum beneficia regularia ipso jure vacent. Videtur id non esse contra mentem Tridentini, nam *ex d. resolutione* non professi intra annum portionibus, & beneficiis privandi sunt, ergo apponi potest decretum, ut vacent, si intra annum non profiteantur, utrobique enim sub pœna beneficium confertur; Deinde beneficiorum provisio simpliciter facta non professis habet tacitam conditionem, ut intra

8 annum ordinem profiteantur, conditio enim, quae de jure inest, ab Ordinario Collatore potest apponi *Dec. in l. actus ff. de reg. jur. ibique Barbos. num. 6. Tiraquel. in l. si unquam vers. revertatur num. 295.* sicuti conditio *si*

9 *vacat*, apposita in collatione beneficii, valet quia haec est intrinseca *Gloss. in cap. 2. vers. incerta circa medium de elect. in 6. Covarruvias lib. 3. var. cap. 16. num. 2*, Ergo non emissa professione intra annum juxta decretum Ordinarii Collatoris, collatio resolvitur, & beneficium iterum vacare censetur *ad text. in l. 1. Cod de iis, quae sub modo.*

Sed contra concludendum est, quia sicuti beneficia regularia debent purè, & simpliciter conferri *juxta d. resolutionem*, ita ne decretum quidem modale, & resolutivum ipsius provisionis apponi potest ab Ordinariis Colla-

10 toribus, quod speciale est in decretis Tridentini, quae prout jacent, exequi debent, quia dant formam actui *cap. 1. de constit. idem Tridentinum sess. 25. cap. 18.*, quod etiam ratio

11 suadet, si enim Patres Tridentini existimarunt quoad beneficia regularia secularibus mox professuris conferenda similes pœnas vacationis *eo ipso* non apponere, contra mentem Tridentini est licere Ordinariis Collatoribus adjicere decretum, ut post annum vacent,

12 Deindè Tridentinum *in cap. 21. sess. 25. decrevit, ut Primates ordinum tunc temporis possidentes Abbatias, Prioratus, & Commendas professionem regularem intra sex menses emitterent, aut eis cederent, alioquin commendae ipso jure vacare censeantur*, ergo facultas apponendi decretum vacationis *eo ipso* super beneficiis regularibus in posterum vacaturis censetur sublata inferioribus Collatoribus, ita arguendo à discretivo modo loquendi, quod in jure validissimum argumentum est, ubi enim decretum voluerunt Patres Tridentini, expressè apposuerunt, idcircò, ubi non apposuerunt, noluisse, ut ab aliis apponeretur, censendum est *ex l. unica §. sin autem Cod. de caduc. tollen.*

Rursus licet verum sit, quod non professi post annum beneficiis regularibus debent pri-

13 vari, non tamen valet illatio, ut pœna ipso jure incurrenda possit apponi, nam privatio hominis, quae est inferenda, non est propriè pœna, sed privatio vi decreti iam pœna est inflicta contra non professum beneficio regulari provisum, idcircò huiusmodi pœna per decretum apponi non potest in hisce provisionibus, quae fiunt ab Ordinariis Collatoribus ex regula juris, quod expressa nocent, non expressa non nocent *l. nonnumquam ff. de condit., & demonstrat.*

14 Haec non habent locum in Papa, qui beneficia regularia in titulum regularibus providere consueta potest absque ullo dubio conferre non professis cum clausula *ex nunc, prout ex tunc*, & cum decreto provisionem irritante, si provisus intra annum ordinem non profiteatur, proprium enim Principis est Ecclesiae resolvere actum sub decreto irritante *juxta*

15 *praxim Datariae*, immò potest dispensare, ut non professus obtineat commendam ad biennium dumtaxat, potissimum ubi justa causa concurrit, ita Carolus de Ricciis, cum esset aetatis annorum 19., & ipse una cum aliis fratribus possideret juspatronatus commendae Sanctae Agathae de macriano ordinis Sancti Joannis Hyerosolimitani, & frater maior natu adhuc non esset uxoratus, supplicavit pro opportuna dispensatione ad hoc, ut ad d. commendam de proximo vacaturam praesentari validè possit, illamque consequi, & retinere absque obligatione emittendi professionem non obstantibus Constitutionibus, & stabilimentis eiusdem Religionis; Sacra Congregatio, ad quam sanctissimus supplicem hunc libellum remisit, pro voto *censuit, si sanctitati suae placuerit, per suas litteras apostolicas in forma Brevis cum oratore dispensari posse, ut ad praefatam commendam praesentari, eamdemque consequi, & per biennium proximum tantum retinere valeat absque obligatione emittendi professionem non obstantibus Constitutionibus praefatae Religionis ita habetur in Fesulana 20. Septembris 1698. lib. decret. 48 fol. 484.*

16 Ex quo infero, quod si d. Carolus de Ricciis rescriptum Sacrae Congregationis executioni mandavit, sed intra biennium professionem non emisit, post lapsum biennii commendam vacas-

vacasse certum est *per text.in l in agris ff. de aquiren. rer. Domin. l. cancellaverat ff. de his quæ testam delen.*, *l age cum Geminiano Cod. de transact.*, nam permissa ad tempus post tempus censentur denegata, *l. Imperator ff. de postuland. l. statu liberum §. Stichum ff. de legat.2.*, *Surd. consf.8. num.7. Rot. decis.617. num 2 part.1. decis.475. num.1. in fin. part 2. decis.416. num.8. part.4. recen. tom.2.* Vel saltem commenda potuit privari, nam dispensatus fuit à Papa ad biennium, ut commendam assecutus religionem intra legitimum tempus profiteretur, quod verius est *ex resolutione Sacræ Congregationis, de qua supra*.

17 Sequitur juris disputatio, an milites sancti Jacobi, de Spatha, & similes sint capaces beneficiorum secularium; *Sacra Congregatio sub die* 10. *Novembris* 1600., & 23. *Augusti* 1636. & *in nullius* 26. *Maii* 1646. *censuit milites regulares sancti Jacobi, de Spatha, aliosque huiusmodi non emittentes omnia tria vota substantialia, videlicet paupertatis, castitatis, & obedientiæ non esse incapaces beneficiorum secularium, sive simplicium, sive curatorum, neque etiam Pensionum; Idque latius habetur in Bracharen* 22. *Augusti* 1691. *lib. decret.41. fol.234.*, in qua cum Hyeronimus Vasvierra eques professus ordinis sancti Jacobi, & præsbiter cupiens obtinere beneficia, canonicatus dignitates, & alia beneficia secularia tam in collegiatis, quam in cathedralibus supplicasset pro facultate &c. Sacra Congregatio inhærendo declarationibus alias factis, & signanter 23. *Augusti* 1636., & *in nullius* 26. *Maii* 1646. *censuit milites regulares sancti Jacobi, de Spatha, aliosque huiusmodi non emittentes tria vota substantialia non esse incapaces beneficiorum secularium, seu simplicium, aut Pensionum, ideoque oratorem non indigere dispensatione petita*.

18 Si vero emittunt tria vota substantialia, tunc secus, ita *sub die* 15. *Julii* 1652. Episcopus Eluensis, qui hodie est unus Episcopus in Regno Portogalliæ pro sua, ut inquit, instructione, & ad tollendos abusus in eodem Regno, supplicavit per hanc Sacram Congregationem declarari, an fratres sacerdotes professi ordinis militiarum Christi, Sancti Jacobi, & de Spatha possint consequi, & retinere beneficia secularia cum cura, vel sine cura, nec non canonicatus in ecclesiis cathedralibus absque dispensatione apostolica, Sacra Congregatio *respondit hujusmodi fratres sacerdotes professos, si emittant professionem expressam cum omnibus votis substantialibus esse incapaces beneficiorum secularium absque dispensatione sedis apostolicæ, idem habetur in Leyrien canonicatus* 26. *Martii* 1707., & 6. *Junii* 1709., *ubi resolutum fuit clericum professum militaris ordinis Christi in Lusitania indigere dispensatione pro assequendo beneficio seculari*.

19 An beneficia secularia militum Sancti Jacobi, de Spatha, & similium ob professionem regularem in ordine emissam ipso jure vacent, vel potius ita professi teneantur ea dimittere, seu aliis resignare; Resolutio constat ex dictis, nam si emittunt tria vota substantialia, ipso jure vacant *cap. beneficium de regul. in 6.* aliter non, nisi aliud caveatur in Constitutionibus ordinis.

20 Qua de re notandum est Constitutiones ordinis duplici modo posse concipi, vel quia privant, vel quia inhabilitant; si privant professos cum clausulis mox, protinus, statim, prorsus, ipso facto omnibus beneficiis, & titulis ecclesiasticis, tunc de vacatione beneficiorum ob professionem regularem nullus ambigit, præsertim si Constitutiones ordinis à Sede Apostolica fuerint confirmatæ *cap. beneficium de regular. in 6.*, si vero inhabilitant professos ad beneficia retinenda, tunc professi tenentur ea liberè dimittere, vel aliis resignare, & tunc vacant per hunc actum ex Constitutionibus ordinis, ut patet.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 AN Ordinarius Collator super beneficiis, quæ in titulum regularibus conferri solent, possit reservare pensionem pro non professo, ratio dubitandi, & decidendi num.2. 3. 4.

5 An Ordinarius possit non professo reservare pensionem cum clausula *ex nunc, prout ex tunc*, & cum decreto, ut extinguatur, si professio intra annum non fiat.

6 Milites Sancti Jacobi, de Spatha, & similes non emittentes tria vota substantialia sunt capaces pensionis ecclesiasticæ.

7 An miles professus inhabilitatus ex Constitutionibus ordinis ad retinenda beneficia absque dispensatione apostolica sit capax pensionis.

8 Incapax beneficii est incapax pensionis.

9 Miles professus inhabilitatus ad beneficia ex Constitutionibus ordinis est capax pensionis, ubi resolutio Sacræ Congregationis.

10 Incapax beneficii ob irregularitatem contractam ex homicidio voluntario est capax pensionis.

11 Miles professus inhabilitatus ex Constitutionibus ordinis ad omnia, & quæcumque beneficia pensionem ecclesiasticam amittit, ubi rationes.

1 QUæro, an Ordinarius Collator super beneficiis, quæ in titulum regularibus conferri solent, possit non professo reservare pensionem ad certum tempus, donec, & quousque is beneficium regulare assequatur, & intra terminum juris religionem profiteri debeat; Quæstio ex dictis videtur resoluta Ordinarium non posse, quia hujusmodi beneficia regularia professis, seu non professis purè, & simpliciter sunt conferenda *juxta decretum Tridentini sess.14. cap.10.*, & *resolutionem Sacræ Congregationis, de qua supra*.

2 Sed contra concludendum est, nam Ordinarius

narius Collator purè, & ſimpliciter confert
beneficium, & ſolum ſub conditione penſio-
nem reſervat, quod de jure fieri *poſſe tradit
Gigas de penſ. quæſt.25. num.2.*, idcirco Or-
dinarius Collator quoad proviſionem beneficii
regularis nil facit contra decretum Tridenti-
ni, & reſolutionem Sacræ Congregationis;
3 deinde ex uno actu duo providentur, alter
ratione beneficii, alter ratione penſionis, &
uterque, ſi profeſſus non ſit, profeſſionem
emittere tenetur; hoc videtur eſſe iuxta men-
tem Tridentini, ut non profeſſi alliciantur
ad profeſſionem, & conſequenter, quod co-
hæret menti Tridentini, prohibitum non
4 cenſetur Ordinario Collatori; Demum penſio
reſervata fuit contemplatione propagandæ
religionis, cuius ratio in quibuſcumque acti-
bus præcipua eſt, & ſumma *l. ſunt perſonæ
in fin. ff. de religioſ. & ſumpt. funer.*, ergo
penſio ſic reſervata de jure ſuſtinetur, & ceſ-
ſat adepto beneficio *Gigas de penſ. quæſt.25.
num.2.*
5 Quæro inſuper, an Ordinarius Collator
poſſit non profeſſo reſervare penſionem cum
clauſula *ex nunc, prout ex tunc, & poſtquam,
ſeu cum decreto*, ut non emiſſa intra annum
profeſſione penſio extinguatur; Reſpondeo
poſſe, nam penſionis reſervatio inter actus
legitimos non adſcribitur, prout collatio
beneficii, idcirco non purificata conditione,
& modo, nec emiſſa intra annum profeſſione
penſio vi decreti extinguitur *cap. licet canon.*,
*cap. nemo deinceps cap. cum ex eo de elect.
in 6.*, *& faciunt textus in l.1. Cod. de his,
quæ ſub mod.*, *cap. verum de condit appoſit.*,
Neque his obſtat Tridentinum, quia loquitur
de beneficiis, non de penſionibus.
6 Jam firmatum eſt ſupra ex pluribus Sacræ
Congregationis reſolutionibus milites Sancti
Jacobi, de Spatha, & ſimiles non eſſe inca-
paces penſionis ſuper beneficiis ſecularibus,
ſi non emittunt omnia tria vota ſubſtantialia;
7 ſed tamen dubium eſt, an miles profeſſus in-
habilitatus ex Conſtitutionibus ordinis ad
retinenda beneficia eccleſiaſtica abſque diſ-
penſatione apoſtolica poſſit obtinere reſerva-
8 tionem penſionis; Ratio dubitandi eſt, quia
incapax beneficii eſt etiam incapax penſionis,
quæ beneficio adhæret *Sanchez. conſil. moral.
lib.2. dub.10. num.19.*, *& lib.2. cap.2. dub.14.
num.3.*
9 Sed contrarium cenſuit Sacra Congregatio
*in Colimbrien 21. Junii 1692, ubi dicitur non
indigere diſpenſatione ad effectum obtinendi
reſervationem penſionis canonicum ſecularis
ordinis in communi viventium, qui juxta or-
dinis Conſtitutiones non poteſt obtinere bene-
ficia abſque diſpenſatione apoſtolica*, & ratio
clara eſt, quia Conſtitutiones ordinis ſunt
ſtricti juris, & loquentes de beneficio perpe-
ram extenduntur ad penſionem, quæ in ri-
gore non eſt beneficium *cap quamvis de præ-
ben. in 6.*
10 Quod autem dicit *Sanchez. loc. citat.* verum
eſt regulariter, ſed non ſemper, nam Tri-
dentinum *ſeſſ.14. cap.7.*, quia loquitur de be-
neficio, penſionem non comprehendit, unde
irregularis ex homicidio eſt incapax beneficii,
ſed non eſt incapax penſionis Sacra Congre-
gatio *in Januen 13. Februarii 1639. Nova-
rien 24. Aprilis 1655.*, ita à fortiori in hoc
caſu, in quo miles profeſſus eſt incapax
beneficii ex Conſtitutionibus ordinis dum-
taxat.
11 Hæc non procedunt, ſi Conſtitutiones or-
dinis privent, ſeu inhabilitent militem pro-
feſſum ad retinenda omnia, & quæcumque
beneficia, titulos, gradus, & jura eccle-
ſiaſtica cum ſimilibus, tunc verum eſt, quod
incapax beneficii eſt etiam incapax penſionis
eccleſiaſticæ ex duplici ratione, primo, quia
ita profeſſus quoad omnia jura eccleſiaſtica
habetur pro mortuo *Can. placuit cum Gloſſ.
ibidem 16. quæſt.1.*, *l. ult. §.1. Cod. de Epiſc.
& cleric.*, ſecundo quia cenſetur renunciare
de facto etiam penſioni, cuius retentio eſt veti-
ta ex Conſtitutionibus ordinis, quæ loquuntur
de omnibus, & quibuſcumque beneficiis, &
juribus eccleſiaſticis *Gloſſ. in cap. 1. de cleric.
conjugat. in 6.* & conſequenter penſionem ante
legitimè obtentam ob profeſſionem regularem
extingui planum eſt *ex cap. beneficium ubi om-
nes de regul. in 6.*

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii, & penſionis ob non promotio-
nem ad ſacros ordines intra certum tempus, ſeu annum in
Eccleſiis Parochialibus, aliiſque Beneficiis curam animarum
habentibus *ad ornatum Text. in cap. licet Canon. cap. commiſſa de
elect. in 6.*

SUMMARIUM.

1 BEneficia Eccleſiaſtica, alia requirunt ordinem ſub pæna privationis, alia ob non promotionem vacant ipſo jure.

2 Parochi non ſuſcipientes intrà annum Sacros Ordines Eccleſiis Parochialibus ipſo jure privantur.

3 Idem procedit in Vicariis perpetuis.

4 Am-

4 Ampliatur, etiamsi dos Ecclesiæ Parochialis periisset, vel fructus primi anni ad Collegium spectarent, immò si nullus habeat redditus.
5 Annus incipit à die captæ possessionis.
6 Provisus quandoque impeditur ex facto alterius capere possessionem beneficii.
7 Ampliatur in beneficiis Parochialibus de Jurepatronatus laicorum, nisi aliter cautum sit.
8 An Archipræsbyter Ecclesiæ Cathedralis teneatur sub hac pœna ad sacros ordines intrà annum promoveri, affirmativè resolvitur ibidem, declaratur 9.
10 Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ insignis non privatur Ecclesia, si intrà annum non promoveatur.
11 Archipræsbyter Ecclesiæ Cathedralis major est Præposito Ecclesiæ Collegiatæ, & par ratione curæ animarum.
12 Ampliatur in Prioratu conventuali, quamvis per regulares, seù per clericos seculares administrari soleat, sive perpetuus sit, sive manualis, & assignatur ratio 13.
14 Limitatur in Abbate, si curam animarum exerceat per alium, secus si per seipsum 15.
16 An favore Parochi admittatur purgatio moræ, si intrà annum ad Ordines Sacros promotus non sit: prima sententia negat; secunda affirmat 17.
18 In amissione Juris quæsiti sola dies non interpellat.
19 De Jure civili admittitur purgatio moræ.
20 Impetratio beneficii ex hoc capite substinetur, si excessus consistat in mensibus.
21 Impetratio Vicariæ substinetur ob non promotionem ad Sacros Ordines intrà annum.
22 Papa conferens Vicariam ex hoc capite censetur derogasse Juripatronatui Ecclesiastico, & assignatur ratio ibidem.
23 Idem procedit in Ecclesia Parochiali de Jurepatronatus laicali, licèt conferri non debeat, nisi accedente consensu Patroni, & quare.
24 Limitatur, si Parochus habeat justum impedimentum.
25 An Ecclesia Parochialis ipso jure vacet post annum, si Parochus in impedimentum inciderit ex propria culpa, distinguitur 26. 27.

CAPUT X.

1 EXtant in Ecclesia nonnulla beneficia, quæ habent annexum ordinem Subdiaconiæ, Diaconiæ, & Præshyteratus, sinè quo clerici provisi nequeunt justè illa retinere ex defectu hujus qualitatis ipsimet beneficiis annexæ *cap. 1. de ætat. qualitat.*, *cap. cum in cunctis §. Inferiora de elect.* Ex quo fit, quod alia beneficia ob non promotionem intrà annum ad Sacros Ordines, vacant ipso jure, alia verò per sententiam, seù privationem; Videamus itaque de iis, quæ ipso jure vacant, quoniam de aliis, quæ per sententiam, seù privationem vacant, suo loco tractabimus.

2 Primo itaque sub pœna privationis beneficii ipso jure tenentur Parochi, & Rectores habentes curam animarum suscipere intrà annum sacros ordines, sinè quibus nequeunt administrare fidelibus ecclesiastica Sacramenta, quæ ex officio Pastorali ipsis incumbunt *cap. licet Canon. cap. commissa de elect. in 6.*

3 Secundo huic etiam pœnæ subjacent Vicarii perpetui; nàm ea jura, quæ loquuntur de Parochiis, & Rectoriis amittendis ob non susceptionem Sacrorum Ordinum intra annum, expressè extensa sunt ex eadem rationis identitate ad perpetuas Ecclesiarum Parochialium Vicarias *Clemen:. Unic. ibiq. Gloss. vers. promovendis*; *Vitalin. ibid. de offic. Vicar.*

4 Ampliatur conclusio, etiamsi dos Parochialis Ecclesiæ Casmate, vel alluvione interim periisset, vel fructus primi, & secundi anni ad Collegium, seù Monasterium ex indulto Apostolico pertinerent; quamvis enim integrè beneficium in hoc casu Parochus assecutus non sit, habet tamen liberam Ecclesiæ administrationem, quod sufficit, ut intrà annum promoveatur, immò provisus de Ecclesia Parochiali tenetur intrà annum ad Sacros Ordines promoveri, licèt Ecclesia nullos habeat redditus *Gloss. in cap. si tibi concessa vers. vacare verbo sed quæro, ibiq. Archidiacon.*, *Geminian.*, *& Franch. de præben in 6.*

5 Tempus autem unius anni non incipit à die institutionis, seù collationis obtentæ à Papa, seù ab Ordinario, sed à die captæ possessionis beneficii; Non enim tenetur quis onera Ecclesiæ subire absque actuali administratione, in qua beneficium consistit *cap. licet canon. ibiq. Gloss. in vers. personaliter cap. commissa de elect. in 6.*, *Barbos. de Canonic. & dignitat. cap. 16. num. 7.*, *Card. de Luc. ad Concil. disc. 20. num. 11.*. Ultrà quam
6 quod possessioni per provisum capiendæ sæpissime ex facto Principis, Patroni, seù ex alterius provisione, talia solent interponi facti obstacula, quæ in longius differunt collationis executionem, prout experientia rerum magistra satis docet.

7 Hæc quoque Juris pœna procedit in beneficiis Parochialibus de jurepatronatus laicorum; Nam idem periculum Curæ Animarum in hisce beneficiis imminet, prout in Ecclesiis Parochialibus liberæ collationis, nisi aliter cautum sit in fundatione, quo casu Ecclesia Parochialis ex hoc capite non vacat, sed per Vicarium, qui curam animarum habeat, consulendum est Ecclesiæ *juxtà praxim*.

8 Quæres, an Archipræsbyter Ecclesiæ Cathedralis huic pœnæ subsit? Respondeo subesse, quia ad ipsum spectant ea omnia, quæ curam animarum concernunt, immo absente Episcopo, Missarum solemnia, quæ sinè Sacerdotio expleri non possunt, celebrare tenetur *cap. 1. de offic. Archipresbyteri*; Ergo, si non promoveatur intra annum, vacat ipso jure Archiprisbyteratus, sicuti vacant Ecclesiæ Parochiales, à quibus quoad hoc nihil differre videtur *cap. licet Canon.*, *cap. commissa de elect. in 6.*; Vel saltem Archipræsbyter Ecclesiæ Cathedralis poterit privari, si post annum non promoveatur *cap. cum in cunctis §. inferiora de electiòn. cap. 1. de ætat. & qualitat.*, *ubi Interpretes*.

9 Hæc sine dubio vera sunt, duobus tantùm casi-

casibus exceptis, quorum primus est, ubi
cura animarum actualitèr spectat ad Capi-
tulum, nam Archipræsbyter in hoc casu non
differt ab eo, qui in dignitate vera, vel ab-
busiva constitutus est, immò similis est cano-
nico, qui huic pœnæ non subest. Secundus
casus est, ubi Archipræsbyter in Ecclesia Ca-
thedrali tenet locum primæ dignitatis, quod
in nonnullis Ecclesiis servatur. Hoc fanè ca-
su provisus de Archipræsbyteratu non tenetur
per seipsum exercere curam animarum, sed
sufficit, quod per Vicarium expleat munera
pastoralia; & justa quidem ratione, nam
Archipræsbyter tenet in hoc casu locum Ar-
chidiaconi, qui de jure nullam habet obliga-
tionem suscipiendi intra annum sacros ordi-
nes *cap.1. de offic. Archidiac.*, immò d. Ar-
chipræsbyter veluti in prima dignitate con-
stitutus gaudet eo juris privilegio, quo Præ-
positus Ecclesiæ Collegiatæ insignis *cap.statu-*
10 *tum de elect. in 6.*, ubi Præpositura Colle-
giatæ Ecclesiæ non vacat, si præpositus intra
annum non promoveatur. Sanè quod pro
Præposito Ecclesiæ Collegiatæ contrà legem
singulari privilegio statutum est, idem juris
11 interpretatione dicendum est pro Archi-
præsbytero Ecclesiæ Cathedralis, qui sine
dubio ratione Ecclesiæ est major Præposito
Ecclesiæ Collegiatæ insignis. & par ratione
tituli curam animarum respicientis.
12 Ampliatur in Prioratu conventuali, etiam-
si per regulares, seu per clericos seculares
administrari soleat; provisus enim, quicum-
que ille sit, sub pœna privationis post annum
à die adeptæ possessionis, statim incurrenda
tenetur sacris ordinibus insigniri *Clementin.*
ne in agro §. *Cæterum ibiq; Vitalin. num* 34.
13 *de stat. Monachor.* Nilque refert, an prio-
ratus conventualis sit perpetuus, vel manua-
lis; nam manualitas respicit ipsum provisum,
qui ex causa potest amoveri, non ipsum be-
neficium, quod in se est perpetuum; & in
hoc, nempe quoad ordines suscipiendos sub
hac pœna, æquiparatur prioratus manualis
cum conventuali, & perpetuo, *ita Gloss. in*
Clement. nè in agro §. *Cæterum verſ. reſidere*
de stat. Monachor.
14 Limitatur in Abbate, qui beneficio non pri-
vatur ipso jure, si intra annum ad sacros or-
dines non ascendat, nam *text. in Clementin.*
nè in agro §. *Cæterum* loquitur de priore
conventuali habente curam animarum, ideo-
que non potest extendi ad abbatem, nam
pœna juris locum non habet, nisi in casibus
à jure expressis, *plenè Rot. decis.*24. *num.*5.
*per tot. post Tamburrin. de jur. abbat. lib.*3.,
privari tamen poterit per sententiam Judicis,
si intra annum non promoveatur *cap.1. de*
ætat., & *qualitat.*, *cap.cùm in cunctis* §.*Infe-*
riora de elect.
15 Limitatur, si Abbas curam animarum actu
exerceat, tunc enim quoad omnes juris effe-
ctus nihil differt à Priore conventuali, Parocho,
seu Vicario *Rebuff. prax. benefic. tit. de non*
*promot.intr.ann. num.*6., *d.decis.*24. *post Tam-*
*burrin.de jur. abbat. lib.*3.

16 Quæstio gravis est, an admittatur purga-
tio moræ favore Parochi, qui intra annum
ad sacros ordines culpabilitèr promotus non
sit? Negat utraque *Glossa in cap. licet de*
supplen. neglig. Prælator, *cap. licèt canon.*
verſ. privatus de elect. in 6., prout in con-
tractibus, aliisque stipulationibus cautum
est *ex leg. magnam C. de contrahen. empt.*,
l. pecuniæ §. 1. *l. evictis* §.1. *ff. de uſur.*,
ubi quod per lapsum diei commissa mora in-
telligitur, ità à pari dicendum est contra Pa-
rochum, qui post annum, & diem sacros or-
dines non suscepit.
17 Hæc quidem opinio fundatur in rigore ju-
ris, unde verior est opposita sententia, quæ
æquitati innititur, videlicet ut excessus plu-
rium dierum non pariat post annum vacatio-
nem beneficii, non enim pœna gravissima,
& ordinaria, prout est privatio Ecclesiæ, in-
ferenda est propter culpam Parochi, qui per
aliquot dies distulit post annum ad sacros or-
dines promoveri; & ita æquitas suadet, quæ
etiam practicatur in provisionibus aliorum
beneficiorum, quæ expediuntur in Dataria
sub conditione sacrorum ordinum suscipien-
dorum intra annum *Rot. decis.*112. *num.*7.8.,
*decis.*147. *coram Kaunitz.*, ubi quod attendi-
tur annus ecclesiasticus, non solaris. Dein-
18 dè versamur in pœnis, & in ammissione juris
jàm quæsiti, undè sola dies non interpellat
pro homine, nec mora intelligitur commissa
*Bart.in l. ità stipulatus num.*54. *ff. de verbor.*
obligat., *Gozadin. conſ.*34. *num.*3., *Afflict.*
decis. 372. *num.*8. *Rot. decis.* 201. *num.*36.
*part.*9. *rec.*, Ita Parochus post annum, &
diem Ecclesia Parochiali privatus non est ob
19 non promotionem ad sacros ordines, sed
potius ad purgationem moræ, si in paucis
diebus consistat, est admittendus, *ut notat*
Gloss.in l si pacto in fin C.de pact ibi = quarto,
& *ultimo nota ex hoc admitti purgationem*
20 *moræ*. Præterea, ut valeat impetratio be-
neficii vacantis ex hoc capite, requiritur re-
luctantia provisi, qui culpabilitèr promotus
non sit, licèt facile id potuerit, *ità habetur*
*in d.decis.*147. *coram Kaunitz*, immò ex par-
te impetrantis probandus est excessus in
mensibus, quod tamen arbitrio Judicis re-
linquitur, quia in his, quæ quodammodò,
arbitraria sunt, certa regula dari non
potest.
21 Ampliatur ad Ecclesias Parochiales Archi-
diaconatui unitas; nàm quamvis beneficia
unita de jure non vacent, nihilominus colla-
tio beneficii obtenta à Papa ob non promo-
tionem Vicarii intra annum, & facta men-
tione unionis, de jure substinetur, quia Pa-
pa conferens Vicariam, supplet negligen-
tiam Archidiaconi, qui post annum, men-
sem, & ultrà distulit providere Ecclesiam
de idoneo Pastore pro obeundis muniis pasto-
ralibus *cap. licet*, *cap. literar*, *cap. dilecto*,
cap. sicut de supplen. neglig. Prælator. Nec
mirum id esse videatur, quia Ecclesia Paro-
chialis dignitati unita ex hoc capite vacat de
facto, quod sufficit, ut collatio Papæ valeat,
quod

quod ratione non caret, nàm Papa solet conferre, nè Ecclesia Parochialis detrimentum patiatur in concernentibus curam animarum ob defectum sacerdotii in Vicario, qui Ecclesiæ Parochiali præest *cap. ad apostolicæ de præben. in 6.*, *& habetur in cap extirpandæ §. Qui verò ibi = idoneum*, *& perpetuum*
22 *habeat Vicarium = de præben.* Deinde quia pro ea vice derogasse præsumitur juripatronatui ecclesiastico, quod fieri posse à Papa dubitandum non est; nam plus juris habet in institutione collator, quam in præsentatione patronus *cap. dilectus de offic. legat.*
23 Quod etiam fieri potest in Ecclesia Parochiali de jurepatronatus laicali, licet æquitas dictet, ne ob non promotionem intra annum Ecclesia conferatur, nisi accedente consensu patroni, & ratio est, quia ab omni jure videtur alienum privare præsentatione patronum ex culpa Parochi, qui ad sacros ordines intrà terminum juris promotus non fuit *cap. non debet de regul. jur. in 6. l. si tibi ff. de legat. 3.*, *l. Paterfamilias ff. de hæred. institien.*, *l. si quis suo 33.*, *ibiq; Gloss. vers. nota C de inoffic. test.*
24 Limitatur generaliter hæc conclusio, si Parochus justum habuerit impedimentum, quo ad sacros ordines promoveri intra annum non potuit; ubi enim justa causa concurrit, ibi pœna juris penitùs cessat *Gloss. communiter recept in cap. si quis vers. iusto de elect. in 6.*, *cap ult*, *ibiq; Gloss. de elect.*, *l. 1. §. Ultim. in fin. C. de annal except. & litteralitèr habetur in cap. commissa de elect. in 6.*, *Adden, ad decis. 451. cor. Ludovis.*, ubi quod non currit tempus ad faciendum se promoveri ad ordines sacros ratione beneficii obtenti, si lis sit super beneficio.
25 Hinc etiam grave dubium oritur, an Ecclesia Parochialis vacet ipso jure post annum, si Parochus in impedimentum inciderit ex propria culpa, quod exemplificari potest in eo, qui propter nimiam ebrietatem contraxit morbum, pro quo promotionem sacrorum ordinum ad plures menses post terminum juris differre coactus fuit. Ratio dubitandi desumitur *ex cap. 1. in fin. de ætat.*, *& qualit.*, ubi litteraliter habetur, quod qui ex aliqua iusta causa prohibente diaconatum, vel subdiaconatum, aut præsbyteratum assumere non potuit, beneficia, & dignitates ecclesiasticas statim amittit, idcircò minus excusandus est Parochus, qui propria culpa in impedimentum incidit. Verùm hujusmodi Textus dispositio nimium dura videtur, & aliter interpretanda est, distinguendo inter impedimentum juris, & facti; Primo quidem casu vera est conclusio, ut post annum Parochus ipso jure amittat ecclesiam, quod patet in eo, qui ob propriam culpam effectus est irregularis, aut inhabilis ad suscipiendos sacros ordines sine dispensatione Papæ, qui non solet eam impartiri Parocho, qui ex culpa propria irregularitatem, aut inhabilitatem contraxit; immo talis dispensatio dicitur quodammodò impossibilis de jure propter difficultatem illam obtinendi, quod enim difficile est apud Philosophos, impossibile apud Jurisconsultos, & Canonistas reputatur *l. nepos proculo ff. de verbor. significat. Barbos. axiom. 118. num. 8. Menoch. de arbitrar cas. 237. num. 24. lib. 2. centur. 3.* Et in hoc sensu intelligenda est dispositio Textus *in d. cap. 1. de ætat.*, *& qualit.*, nàm qui ex culpa propria fit irregularis, aut inhabilis, dispensationem non meretur, & de facto Papa non solet dispensare.
26 Secundo autem casu, ubi impedimentum facti est, Parochus est excusandus, quoties enim concurrit impedimentum conjunctum cum culpa, non attenditur culpa propter factum, sed factum ipsum, quod æquius est, nam aliàs daretur afflictio afflicto, & quodammodò Parochus ex uno delicto duplici pœna puniretur, altera ex facto ipso, quod patitur, altera ex privatione Ecclesiæ, quam sine dubio incurreret, si impedimentum facti non excusaret, *ita distinguit Gloss. in cap. cum in cunctis §. final. versic. si canones de elect. Gloss. in cap. 1. versic. amittant de ætat.*, *& qualit.*
27 Fatemur malè egisse Parochum, qui in se culpabilitèr impedimentum facti causavit, sed non valet illatio, quod attendi debeat potius causa, quam causatum, perinde ac si impedimentum facti tribuendum sit necessariò causæ antecedenti *per Text. in l. manumissiones ff. de justit.*, *& jur.*, *Rot. decis. 220. num. 3. coram Cavaler.*; nam vis non stat, an causa sit causa causati, hoc sanè verùm est in contractibus, in quibus voluntas contrahentium attenditur, *ut in d. decisione Cavalerii*, ubi agebatur de contractu societatis, sed ubi interpretantur leges, attenditur potius causatum, quàm causa, potissimum, si effectus à Parocho non fuit intentus, prout de jure præsumitur, deinde causa non semper infert necessariò causatum, quod fortè ex aliis causis potest evenire, ergo merum accidens est Parochum incidisse in impedimentum facti, & in sequelam certum est non valere collationem, seu impetrationem beneficii parochialis ex hoc capite, *juxta distinctionem utriusque Glossæ ut supra*, nàm ubi concurrit legitima excusatio, ibi beneficium non vacat *cap. commissa de elect. in 6.*

ADDI-

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 PEnsio reservata sub conditione suscipiendi intrà certum tempus primam Tonsuram, sed Ordines, eo elapso extinguitur, secus si nullo præfixo termino.

2 Pensio interim exigi non potest, & si exigatur ante primam tonsuram extinguitur 3. Ubi de ratione ibidem in fine.

4 Limitatur in minore, qui intrà tempus in reservatione præfixum, prima tonsura insignitus non fuit, & ab ejus executoribus pensio fuit exacta, ubi quod datur restitutio in integrum.

5 An translatarius pensionis sub conditione suscipiendi primam tonsuram, seu ordinem, teneatur se promovere in vita transferentis, seu potius extinguatur translatio. Prima opinio affirmat, secunda negat, quæ verior est 6.

1 PEnsio ecclesiastica reservari quoque potest sub conditione, ut pensionarius teneatur intrà certum tempus Sacris Ordinibus, seù prima tonsura insigniri, quo elapso, pensionem extingui receptum est *ex cap. licet canon.*, *cap. commissa de elect. in 6.*, quæ jura habent etiam locum in pensione, quæ lato modo venit appellatione beneficii.

2 Verum, si nullo præfixo termino pensio reservata sit, potest pensionarius, prout libet, ad ordines, seù primam tonsuram promoveri; Interim tamen pensio exigi non potest, nisi purificata conditione, sub qua fuit reservata *cap. si pro te de rescript. in 6. Clement. unic. de concess. preben.*, *Filluccius oper. Moral. tom.3. tract.42. de pens. cap.3. num.6. ibi = nec prius fruct bus gaudeat, quam clericus efficiatur Rot. decis.111. num.4. cor.*

3 *Mantic.* alioquin pensio exacta antè clericatum statim extinguitur; nam pensionarius ita exigens, abutitur gratia, & qui gratia abutitur, gratiam amittit, *Can. privilegium 11. quæst 3. cap. contingit de sentent. excommunicat.*

4 Limitatur, si pensio cum onere suscipiendi primam tonsuram, seù ordines reservata sit minori ætate, nam tunc licet tempus elapsum sit, & exactio per executores facta pensionis extinctionem inducat vi decreti, quod inseritur in literis reservationis, nihilominus ratione minoris ætatis, & ob justam ignorantiæ causam in integrum danda est restitutio *ad Text. in l. penult., ibiq. Gloss. in verb. ignoraverunt C. de in integr. restitut. minor.*, & ratio est, quia sicuti non privatur Ecclesia Parochiali, qui ex justa causa ad Ordines Sacros intrà annum promoveri non potuit *cap. commissa de elect. in 6.* ità à pari minor pensione privandus non est in puncto *Rot. decis.453. per tot. cor. Rembold.*

5 Quæstio fit, an in translatione pensionis, quæ fit nunc pro tunc, & donec translatarius clericali tonsura fuerit insignitus, conditio primæ tonsuræ purificari debeat in vita transferentis, itaut ob non purificatam conditionem, pensio sic translata extinguatur. Affirmat *Gabriel. cons.186. lib.1.*; Nam translatarius habet Jus ex persona transferentis, quem repræsentat, ideoque Jus, quod erat in translatario, extinguitur per obitum transferentis, si ille vivo adhuc transferente, ad primam tonsuram, seù ordines promotus non sit ex regula, quod resoluto jure datoris, resolvitur Jus acceptoris *l. lex. vectigalis ff. de pignor. l.1. Cod. si pignus pignori*, *Gloss. in cap. si autem §. rursus vers. pertinebit si de investitura feudi controversia fuerit*, *quam opinionem tenet Garz. de benef. par.2. cap.1. num.13. & 163.*, *Lotter. de re benef. lib 1. cap.40. num.133.*

6 Sed Gabrielis opinio meritò impugnatur *à Paris. de resignat. lib.4. quæst.2. num.77.*, *Spad. cons.78. num.8. §. In casu autem lib.3.*; Et ratio est, quia translatarius non metitur Jus à transferente, sed à Papa, undè translatio pensionis semper durat, quamvis post obitum transferentis ad clericalem tonsuram translatarius promoveatur: Deindè translatio fieri solet in articulo mortis, & sub conditione ordinum suscipiendorum ad formam Indulti Apostolici; ideoque translatio habet semper implicitum statum validitatis, quia regulariter ejus conditio purificari non potest, nisi post obitum transferentis, *ita concludit Fattinell. de translatione pension. cap.2. n.6. cum seqq.*, *Rot. decis.208. num.74. coram Dunozett. Jun.*. Hoc sanè discrimen est inter jura profana, & ecclesiastica; Jura enim profana pendent à voluntate contrahentium, qui possunt pacisci, ut conditio tali tempore purificari debeat. At jura ecclesiastica, præsertim in beneficialibus, pendent à libera dispensatione Papæ, qui dedit indultum transferendi pensionem, idcircò, si modus, seù conditio ordinum suscipiendorum purificetur post obitum transferentis, translatio pensionis firma manet, nèc ullo modo pensio sic translata extinguitur *latè Piton. discept.114. per tot.*, *ubi testatur hanc sententiam esse veriorem.*

ARGUMENTUM.

AN Commendatarii obtinentes Monasteria, Abbatias, & Prioratus teneantur intra annum promoveri ad sacros ordines sub pœna privationis ipso jure, an, & quando, & in quibus casibus apponendum sit Decretum, ut commenda post lapsum anni vacet, & quid in pensione, & an teneantur ad residentiam sub hac pœna, & quo jure *ad intelligentiam text. in cap. dudum* 2. *§. licet de elect.*, *Gloss. in extravagan. execrabilis de præbendis*.

SUMMARIUM.

1 DUbia proposita in Congregatione quoad obligationem commendatariorum suscipiendi sacros ordines, & residendi.

2 Commendatarii non tenentur suscipere sacros ordines, si Monasterium, Abbatia, & Prioratus carent prorsus cura, & conventu, vel habent jurisdictionem tantum temporalem, secus si curam habent, & conventum, ibidem num. 3.

4 Commendatarij habentes jurisdictionem temporalem, etiamsi actu exerceant, non tenentur promoveri.

5 Quid si habeant jurisdictionem in foro contentioso? variæ opiniones Cardinalium.

6 Resolutio Sacræ Congregationis super puncto apponendi decretum.

7 Commendatarii, qui non tenentur promoveri, non tenentur residere.

8 Commendatarii habentes curam jurisdictionis spiritualis tenentur de jure residere.

9 Decretum Papæ quoad promotionem ad sacros ordines.

10 In Gallis indistinctè commendatarii tenentur promoveri, quod declaratur ibidem.

11 Quid extra Gallias?

12 Commenda non vacat ob non promotionem ad sacros ordines, si Monasterium careat cura, & conventu cum similibus.

13 Commenda non vacat ob privationem ex capite non residentiæ, si monasterium nullam habeat jurisdictionem, secus, si habeat, ibidem num. 14.

15 An commendatarius, qui intra annum 21. monasterium obtinuit, teneatur promoveri ad Diaconatum.

16 An si reservati sint fructus ad favorem alterius, sit reservata administratio domus Abbatialis, & collat curam.

17 Ecclesia parochialis ex causa necessitatis, & utilitatis ecclesiæ commendari potest cum decreto, ut intra sex menses commenda expiret.

18 Decretum pro suscipiendis sacris ordinibus ad annum limitandum est, ut commenda vacet.

19 Decretum non est computandum à die concessionis commendæ, sed à die captæ possessionis.

CAPUT XI.

1 PRoposita fuit hæc materia *usque ab anno* 1575. *in Congregatione*, *prout videre est ex libro* 10. *Memorialium folio* 92. 93. sub infrascriptis dubiis; primo, an Commendatarii Monasterii teneantur de jure suscipere Sacros Ordines, etsi teneantur, an sit proponendum decretum, quod si intra sex menses à die concessionis Commendæ non susceperint, vacet ipso jure Commenda, quod si de jure non teneantur, an saltem expediat ita decernere, & apponere etiam clausulam illam *exercere*, ut Parochi debent, irritantem concessionem Commendæ. Secundo an iidem Commendatarii, si habeant curam animarum in Abbatiis, & Prioratibus sibi commendatis, teneantur in illis residere, & per seipsos Curam illam exercere, ut Parochi debent; Deinde cum die 9. Maii 1575. in Concistorio actum esset de supradictis dubiis circa Commendas Sanctissimus jussit, ac mandavit, ut ad Congregationem referrentur *sub die* 27, *Octobris* 1575.; Quapropter discussa fuit materia Commendarum ab Eminentissimis Patribus, qui tunc temporis aderant in generali Congregatione, & resoluta ut infra etiam cum decretis Sanctissimi.

2 Itaque ad primam partem dubii censuerunt omnes, quando Monasterium, seu Abbatia, aut Prioratus caret omni prorsus cura, & conventu, vel quando haberet jurisdictionem tantum temporalem, haberi pro beneficiis simplicibus, quæ ad hujusmodi onera clericos non obligant, ideò Commendatarii non tenentur initiari sacris, & præsbi-
3 teratu; Quando vero Abbatia, vel Prioratus haberet curam animarum sacramentalem in foro tamen pænitentiali, vel in Conventu, vel in alios subditos seculares, quod teneantur initiari sacris in Congregatione pro indubitato admissum fuit *ex cap. licet Canon. cap. commissa de elect. in* 6., *Clement. ne in agro §. cæterum de stat. Monach.*; Quan-
4 do autem haberet jurisdictionem temporalem, ac actu ipsam exerceret ad Sacros Ordines promoveri non tenetur, & sic non sufficit

ficit, quod adsit Conventus, nisi Commendatarius jurisdictionem etiam exerceat;
5 Quando autem jurisdictionem in foro contentioso haberet, & actu ipsam exerceret, seu in Conventu, seu in illius subditos seculares ut excomnnicare, visitare, inquirere, & his similia, tunc variæ fuerunt super hoc puncto sententiæ; quoniam ex undecim Cardinalibus sex censuerunt non teneri, quia non dicitur propriè curatus *ad notata per DD. in cap. dudum §. licet de elect. ubi Innocentius, Joannes Andreas, Butrius, Glosf. in Clement. dudum §. impendant de Sepultur.* ubi quod habens jus excomunicandi non habet curam animarum, & in Galliis nullus Commendatarius exercet, neque in Germania cogi possunt; dixerunt tamen, quod licet Commendatarii non teneantur initiari sacris, licet habeant jurisdictionem spiritualem, & actu eam exerceant, tamen expedire cogere modo hic modo illic pro ecclesiarum, & personarum qualitate arbitrio Sanctissimi sub decreto, ut post annum commenda vacet. Quatuor autem censuerunt teneri, quando jurisdictionem hanc habent, & actu exercere possunt *per text. in cap. dudum §. licet vers. sed cum de elect.* ibi – *Evidenter apparet, quod curam animarum habent*, ponderat *Abbas ibidem num*, 7. 8. & licet subdat *num.* 7. non esse propriè curatam, *& Butrius Joannes Andreas, nec non Apostilla ad Abbatem* idem dicant, tamen textus *in cap. dudum* est clarus, & clarior *in cap super eo de præben in 6. & extravag. execrabilis in fin. de præben.* ad quem text. non videntur respexisse dicti Doctores, sed respexit Cardinalis *in Clementin.* 1. *quæst.*20. *de Offic. Vicar. ubi citat, d. extravagantem*; si ergo cura jurisdictionis facit curatum beneficium, ergo intrat dispositio juris, ut ob non promotionem intra annum vacet commenda *Clementin. ne in agro §. cæterum de stat. Monachi*; unus autem dixit nolle de jure curare, an Commendatarii teneantur, necne promoveri, sed ita expedire in Gallis, & absolutè sive curam animarum, sive jurisdictionem spiritualem habeant, sive solum Conventum, initientur sacris.
6 Ad secundam partem dubii *dixerunt omnes, si tenentur, non opus esse addere decretum irritans, quia jus addit.*

Ad tertium, an expediat, *responderunt omnes expedire in quibus de jure, præterquam in jurisdictione temporali.*
7 Quo vero attinet ad dubium residentiæ *die* 1. *Decembris* 1575. omnes idem tenuerunt in illis quinque casibus, in quibus jam de ordinibus sacris censuerunt teneri accipere ordines sacros, in eisdem teneantur etiam residere, in quibus non teneantur suscipere sacros ordines, in illis nec residere cogantur, a pari enim in commendatariis quoad hoc procedit obligatio residendi cum obligatione suscipiendi sacros ordines, ut patet;
8 Quando autem cura jurisdictionis spiritualis incumbit Commendatariis, omnes, uno excepto, censuerunt non teneri eos residere ex Tridentino, sed de jure communi *ad text. in cap. dudum* 2. *vers. licet de elect. cap super eo de præben. in* 6. *extravag. execrabilis verbo quantum autem de præben.* ut scilicet, si aliquis Commendatarius reperitur habere illam jurisdictionem, de qua ibi, cogi possit residere sub pæna privationis, prout ante Tridentinum poterat, sed, an teneantur illis pœnis de quibus in Tridentino *cap.* 1. *S.ss* 23. apparebit ex infra dicendis.
9 Præterea facta relatione de his omnibus Sanctissimo, *Sanctitas Sua quoad promotionem ad ordines Sacros approbavit distinctionem Congregationis in quinque capitibus, & quoad caput de cura jurisdictionis approbavit omnem opinionem Congregationis, ut scilicet Commendatarii non teneantur promoveri ad sacros ordines, si Monasteria carent prorsus jurisdictione, & conventui incumbit, non autem personæ Commendatarii, vel si jurisdictionem, quam ex concessione Sedis Apostolicæ habent, non possunt actu exercere, quia facto prohibiti, quod si eam jurisdictionem spiritualem actu exerceant, & si curam animarum habere videantur Cap. dudum* 2. *§. licet ubi Hostien.*; *Joann. Andr.*, *Bellamer.*, *Ancharan.*, *Cardinalis*, *Butrius Abbas de elect. cap super eo de præben. in* 6., *Innocentius in cap. cum satis de off. Archidiac.*, *& in cap. de multa in princip. de præben.*, *Staphil. de stat. & qualit. benef. num* 20., *regulariter non erunt cogendi sub decreto, ut vacet, sed quandoque pro qualitate locorum & personarum expedit arbitrio Sanctissimi.*
10 Verum *sub die* 12. *Decembris* 1575. *ex lib.*10. *memorialium fol.*29. *Sanctissimus statuit in Galliis Commendatarios indistinctè, & absolutè teneri ad suscipiendos sacros ordines, & in concessionibus Commendarum Galliæ apponendum decretum, ut infra annum teneantur suscipere dictos sacros ordines, alioquin eo elapso Commendæ vacent ipso jure, quod si Monasteria occurrant, quæ carent omni cura, & conventu, tunc habebitur aliqua relatio per Sanctissimum.*
11 In universum autem extra Gallias, an Commendatarii teneantur sacros ordines suscipere, *Sanctitas Sua approbavit distinctionem in quinque illis capitulis, & quoad sextum caput curæ jurisdictionis spiritualis probavit sententiam illorum, ut etiam in casu, quo actu eam exercere non possint, tum cogat Commendatarios ad ordines suscipiendos, existimavitque Clementinam ne in agro §. Cæterum procedere tantum in Monacis, & regularibus ad Abbatias, & Prioratus promotis, non in Commendatariis, & cap. nemo deinceps habere locum in parochialibus.*
12 His positis certum est non vacare Commendam ob non promotionem ad sacros ordines intra annum, si Monasteria careant omni prorsus cura, & conventu, vel ubi habent jurisdictionem tantum temporalem, vel si cura animarum sacramentalis soli Conventui incumbat, vel si jurisdictionem temporalem,

quam

quam ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ Commendatarii habent, non poſſunt actu exercere, quia facto prohibiti, *ita habetur in d. libra 10 memorialium fol.* 147., *Sacra Congregatio in Nullius die 8. Junii 1601., ubi dicitur Commendatarios obtinentes beneficia ſolam curam animarum Sacramentalem habentia non teneri reſidere, neque ad ſacros ordines promoveri, ſi hujuſmodi cura ſoli Conventui incumbat, non autem perſonæ Commendatarii.*

13 Itidem commenda de jure non vacat etiam ob privationem ex capite non reſidentiæ, ſi nullam habet juriſdictionem, vel ſi habet, ea eſt tantum temporalia, *ita in Aurien. Septembris 1584 reſolutum fuit priorem Commendatarium ratione juriſdictionis temporalis, quam habere dicitur, aut ratione curæ ſacramentalis, ſi illa ejus perſonæ non incumbat, ad perſonalem reſidentiam non teneri ex decreto Tridentini ſeſſ.23 cap.1., & in Nullius 1?. Novembris 1597., ubi dicitur Commendatarium Monaſterii nullam habentis juriſdictionem ſpiritualem, ſed ſacramentalem tantum non teneri reſidere, ſi ipſa cura ſacramentalis animarum ſoli Conventui incumbat, non autem perſonæ Commendatarii.*

14 Cæterum, ſi Commendatarii juriſdictionem ſpiritualem actu exerceant, tenentur reſidere, non tamen ex decreto Tridentini *Seſſ.23. cap.1. §. eadem omnino*, quod licet exprimat de Curatis, & aliis quibuſcumque beneficiis curam animarum habentibus, quæ verba ad ſolam juriſdictionem ſpiritualem referri poſſunt, tamen intelligendum eſt de ſola cura animarum ſacramentali, & ideo qui ſolam curam ſpiritualis juriſdictionia habent, non comprehenduntur ſub eo decreto, neque pænis ibidem inflictis ſubjacent, ſed tantum poterunt cogi reſidere ſub hac pœna, prout ante Tridentinum tenebantur *Cap. dudum de elect. cap. ſuper eo de præben. in 6., extravag. execrabilis eodem tit.*, ad quod jus vetus videtur Tridentinum alibi ſe retuliſſe *Seſſ. 6. cap.2.*

15 Hinc quæſtio eſt, an Commendatarius, qui intra annum 21. Monaſterium, ſeu Prioratum obtinuit, teneatur promoveri ad ſacros ordines intra annum ſub decreto, ut poſt annum Commenda vacet, ſi ſacris non initietur: vel ſaltèm ſufficiat promoveri intra annum 25. *Cardinalis in Clementin. 1. quæſt. 20. de offic. Vicar.*, *Milius in verbo Curatum in fin. Rebuff. in tit. de non promot. num.* 32. putant Commendatarium teneri ſuſcipere Diaconatum; ſed iſta opinio apud me non probatur, nec iſte rigor videtur admittendus, quia de Commendatariis id cautum non habetur; ſufficit ergo, quod intra annum 25. promoveatur juxta diſpoſitionem juris; Nec obſtat Doctrina *Cardinalis, de Milis, & Rebuff.*, quia loquitur in Archidiacono, quem certum eſt oportere eſſe Diaconum.

16 Dubium etiam grave eſt, an ſi reſervati ſint fructus ad favorem alterius, ſit reſervata adminiſtratio, atque reſervata domus abbatialis, & an reſervatio tollat curam, & adminiſtrationem, *Sacra Congregatio die 27. Octobris 1575. ad utrumque dubium reſpondit negativè*, & ideo commendatarios teneri promoveri, & curam exercere, tum quia habent liberam adminiſtrationem, tum etiam quia id videtur ſpeciale in cura animarum, *Gloſſ. in cap. ſi tibi conceſſo verſ. vacare de præben in 6.* ibi = *ſed quæro; Numquid iſte teneatur intra annum promoveri? & videtur, quod non per iſtud caput, nec videtur poſſeſſionem adeptus uſquequaque, nec integrè, & hoc quidam tenent aſſertivè: ſed contrarium credo, & dico, quod bene currit tempus, ex quo habet exercitium curæ animarum liberum, & pacificum; Propter illud enim ordinari debet, dico, quod adminiſtrationem iſte habet, licet fructus non habeat, ſpeciale igitur ſtatuitur in hac decretali, ne clerici mendicare cogantur, quod primum beneficium ſimile non vacet, ſed ne pereant animæ, nihilominus promoveri tenetur.*

17 Advertendum tamen eſt, quod licet ecclesia parochialis ex cauſa neceſſitatis, & utilitatis non poſſit commendari, niſi ad ſex menſes, quibus elapſis Commenda expirat *Cap. nemo deinceps ubi Gloſſ. & DD. de elect.*
18 *in 6.*, Nihilominus decretum pro ſuſcipiendis ſacris ordinibus, quod in proviſionibus commendarum pro qualitate locorum, eccleſiarum, & perſonarum quandoque expedit apponere, ad annum limitandum eſt, ut commenda vacet; prout in Parochialibus, & Prioratibus regularibus, à quibus commenda cum cura animarum vix differt, de jure deffinitum eſt *cap licet Canon., Cap. commiſſa de elect. in 6, Clementin. ne in agro §. cæterum de ſtat. Monach.* Neque hoc decre-
19 tum computandum eſt à die conceſſionis commendæ, prout in literis proviſionis literaliter cavetur, ſed à die captæ poſſeſſionis commendæ, ſeu ab eo die, quo per ipſum commendatarium ſtetit, quo minus capiatur; Viſum enim æquius eſt practicis Tribunalibus non attentis in hoc literis conceſſionis commendæ procedere juxta diſpoſitionem juris *per text. in cap. commiſſa de elect. in 6., Clementin. ne in agro §. cæterum de ſtat. Monac. cum relat. in cap. anteceden.*

ADDI-

ADDITIO.

1 AN commendatarius Monasterii possit reservare pensionem clerico pro ordinibus suscipiendis? distinguitur.
2 An decretum vacationis *eo ipso* sustineatur, si clericus intra annum ad sacros ordines non promoveatur?
3 Pensio ob non promotionem ad sacros ordines intra annum extinguitur.
4 Pensio reservata à Commandatario non potest amplius revocari, ubi de ratione.

1 QUæres, an Commendatarius Monasterii possit reservare pensionem Clerico pro ordinibus sacris suscipiendis? respondeo non posse, si Monasterium caret omni prorsus Cura, & Conventu, vel habet jurisdictionem temporalem, aut sacramentalem in foro tamen pænitentiali, & hoc est certum; Si vero Monasterium habet jurisdictionem spiritualem in foro externo, prout est excomunicare, visitare, & inquirere cum similibus, *prout habetur in extravaganti execrabilis* §. *quantum autem ibique Gloss. de præben.*, tunc de potestate dubitandum non est, dummodo causa subsit, nam Commendatarius Monasterii successit in locum Prælati regularis, qui ex causa pensiones reservare potest *ex plenè deductis in cap. 66. in additione*.

2 An possit apponere decretum vacationis eo ipso, si clericus intra annum ad sacros ordines non promoveatur, asserere non audeo, nam Principis potestas est aliquid statuere sub decreto irritanti; sed tamen decretum potest juridicè defendi, nam concessa facultate totum id censetur concessum, sine quo facultas inutilis remaneret *l. 2. ff. de jurisdict. omn. judic.*;

3 Idcirco ob non promotionem ad sacros ordines intra annum pensio extinguitur vi decreti, immo etiam ex tacita Commendatarii voluntate, quæ post annum cessat *cap. licet Canon.*, *c p. commissa de elect. in 6. Clementin. ne in agro* §. *cæterum de stat. Monach.*

4 Notandum tamen est, quod pensio per Commendatarium Monasterii reservata Clerico non potest interim revocari, quia talis pensio stat loco beneficii *cap. quamvis de præben in 6.*, *Gigas de pens. quæst. 3. num. 6.*, sed beneficium est irrevocabile, ita & pensio *cap. 1. de reg. jur. in 6.*, *Tridentin. Sess. 21. cap. 2.*

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii, & Pensionis per promotionem ad Episcopatum, Cardinalatum, per electionem ad Papatum, & per translationem Episcopi ad alias Ecclesias Cathedrales, Metropolitanas, & his similia *ad ornatum Text. in cap. cum in cunctis* §. *cum vero de election.*

SUMMARIUM.

1 VAcatio per promotionem ad Episcopatum, & per translationem habent similitudinem inter se, sed dispares rationes.
2 Per promotionem Episcopi vacant ipso jura beneficia.
3 Per senatoriam dignitatem quis desinit esse civis, & per promotionem ad Episcopatum quis desinit esse præbendatus.
4 Dignitas Episcopalis, & Senatoria æquiparantur.
5 Hoc procedit de stylo Datariæ, sed beneficia Episcopi promoti de jure vacant post consectationem, & adeptam Episcopatus possessionem ibidem.
6 An beneficia per translationem Episcopi ipso jure vacent, ibid. 7.
8 Indultum retinendi beneficia in statu Episcopali compræhendit ea, quæ sunt discreta ab Episcopatu, secus si annexa sint.
9 Beneficia, quæ vacant per translationem, aut promotionem Episcopi, uti reservata debent impetrari, quæ verò vacant per obitum Episcopi habentis indultum, uti vacantia per eius mortem, sunt imperranda.
10 Impetratio beneficii vacantis per obitum Episcopi valet, etiamsi beneficium vacet per reservationem, ubi de ratione.
11 Per promotionem ad Cardinalatum vacant beneficia residentialia, secus simplicia.
12 Per promotionem ad Cardinalatum, & Episcopatum simul vacant beneficia.
13 Per promotionem ad Episcopatum vacant commendæ Equitum Melitensium, secus commendæ S. Stephani, & his similia.
14 Per promotionem ad Episcopatum titularem beneficia non vacant.
15 An vacent beneficia, si quis promoveatur in Episcopum suffraganeum distinguitur 16, 17.
18 Per translationem Episcopi factam à Papa vacat primus Episcopatus, si pro utilitate Ecclesiæ translatio facta sit, secus si propter meritum personæ 19.
20 Non vacat primus Episcopatus, nisi post adeptam possessionem secundi.
21 Episcopus translatus, & solutus à Vinculo prioris Ecclesiæ retinet primum Episcopatum in commendam, si Episcopatus ad quem ab Hostibus sit occupatus, aliter retinet primum Episcopatum in titulum 22.
23 Per assecutionem alterius dignitatis non vacat Episcopatus, & quare 24. 25.

CA-

CAPUT XII.

1 
Uplex in præsenti capite occurrit vacatio, altera per promotionem ad Episcopatum, altera per translationem Episcopi ad aliam Ecclesiam Cathedralem, seù Metropolitanam; Utraque quidem videtur habere similitudinem, sed tamen dispares rationes, & differentias, de
2 quibus infra. Siquidem certum de jure est per promotionem Episcopi ipso jure vacare beneficia, officia, & dignitates ecclesiasticas, quia rationi non congruit, ut Episcopus, qui ad Episcopatum culmen omnium dignitatum Ecclesiasticarum evectus est, possideat quoque inferiora officia, & beneficia *cap. cum in cunctis* §. *cum verò de elect. Paris. de resignat. lib.*3. *quæst.*1. *num.*76., *Mandos. ad regul.*26. *Cancell.* §. *quarto quæro num.*3. 4., *Garz. de benef. par.*11. *cap.*6. *num.*1., *Lambertin. de jur. patron. par.*1. *lib.*2. *quæst.*6. *art.*15. *num.*9.; *Ojed. de incompatib. par.*1. *cap.*4. *num.*3., *Petr. Gregor. de benef. cap.*24. *num.*10., *Germon. de Indult. Cardinal.* §. *si vero num.*20., *Azzor. oper. moral. par.*2. *lib.*7. *cap.*16. *quæst.*12., *Ricc. in collect. par.*4. *collect.*866., *Rondell. in summ. omn. decis. tit.*21. *num.*84. 86., *Varall. decis.*400., *decis.*401. *par.*2.

3 Eo modo quo desinit esse civis, qui ad senatoriam dignitatem eligitur *l. municeps ff. ad muncip.*, *ibi = municeps esse desinit, senatoriam adeptus dignitatem*; Quod speciale est in hac præclarissima dignitate, *ut notat ibidem Gloss. in verb. municeps*; ità à pari qui promovetur ad dignitatem Episcopalem, desinit esse præbendatus, & justa quidem ra-
4 tione; Nam dignitas Episcopalis, & Senatoria inter se æquiparantur, cum utraque habeat administrationem cum jurisdictione, ut patet.

5 Hujusmodi autem vacatio beneficiorum per promotionem ad Episcopatum oritur ex decreto, quod Papa solet interponere in ipsomet actu promotionis Episcopi, & ità servatur *de stylo Datariæ*; Nam de jure beneficia non vacant, nisi post consecrationem, & adeptam possessionem Episcopatus, *& ità loquitur Text. in d.* §. *cum verò ibiq. Gloss. de electîon.*. Sanè Episcopus ante possessionem non habet Ecclesiam cum effectu, imò quandoque impeditur, nè possessionem episcopatus capiat, quod sæpè evenit in Episcopis à Papa promotis, sine assensu Principis, aut officialium principatus, seu reipublicæ.

6 Sed quoad translationem meritò potest dubitari, an locum habeat pœna vacationis eo ipso, & ratio dubitandi est, quia dispositio juris de promotis loquitur, non de translatis, nec eadem ratio militat; aliud enim est promovere Episcopum, aliud transferre, & differentia est, quia in Episcopo promoto non requiritur decretum vacationis, quæ statim fit ex capta possessione Episcopatus juxtà dispositionem juris; Sed in translato dispositio juris cessat, ergo requiritur decretum, ut per translationem beneficia ipso jure vacent; quod patet, nam translatus ex præcedenti dispensatione poterat retinere beneficia in priori episcopatu, undè non est dispar ratio, ut privari debeat beneficiis in casu translationis, cum Episcopus eadem persona sit, & translatio nihil aliud est, quam mutatio personæ de uno loco ad alium *cap.*1. *de translat. episc.*, immo eadem persona episcopi subrogatur in novo episcopatu in locum primi, quæ jura satis videntur, ne locus vacationi sit in translatione, prout in promotione, ità *Gonzal. ad regul.*8. *Cancell.*, *Gloss.*14. *n.*56. *cum seqq.*, *Germon. de indult. Cardinal.* §. *si verò illa num.*36.

7 His tamen non obstantibus praxis est, ut obtineri debeat indultum retinendi beneficia, alitèr vacant in translatione, sicuti in promotione, & ratio est, quia indultum retinendi beneficia cum uno episcopatu, non extenditur ad alium, ac etiam quia in hoc secundo episcopatu cessare potest causa dispensandi, quæ concurrebat in primo, fortè quia secundus episcopatus uberioribus ditatus sit redditibus, quibus non affluebat primus. Quæ ratio sinè dubio concludit, ut etiam in translatione pro retinendis beneficiis indultum necessarium sit *Rebuff. in prax. benefic. tit. de permutat. num.*34. *Passarin. in cap. licet num.*37. *eod. tit. in* 6. *Garz. de benef. par.*11. *cap.*4. *num* 89., ubi quod in permutatione fieri debet mentio de omnibus beneficiis, eorumque qualitatibus. Sed ratio, quæ me satis convincit, ea est, quia promotio, & translatio de jure non differunt, & ita quod expressè statutum est in promotione censetur repetitum in translatione *ita Gloss. in cap. cum in cunctis* §. *cum vero in fin. de elect.*, quæ utitur verbis translationis, quod etiam generalitèr habetur *apud Rot. decis.*379. *in fin. par.*18. *recen.*

8 Obtento itaque indulto non vacant per translationem ea beneficia, quæ sunt discreta à primo episcopatu, quoniam indultum tollit obstaculum juris, & præservat beneficia à vacatione ex hoc capite; sed tamen ea, quæ annexa sunt primo episcopatui, ipso facto vacant, Sanè in pluribus ecclesiis usu receptum est, episcopum promotum, esse etiam canonicum Cathedralis Ecclesiæ, & distinctam habere præbendam, qua fruuntur cæteri canonici, & præbendati. Porrò si episcopus ad aliam Ecclesiam transferatur, indultum retinendi non comprehendit beneficia primo episcopatui annexa, seù unita, quia hujusmodi beneficia, tanquam membrum primi episcopatus, debentur successori, qui eo ipso, quod

quod promovetur ad episcopatum, censetur etiam institutus in canonicatu, & præbenda; quæ iisnè duplicitas personæ, saltem de consuetudine in episcopo non repugnat *cap. cum in Ecclesia de præben. in 6.*, *cap. postulastis de conceß. præben.*, *cap. à collatione*, *utrobique Gloß.*, *& Interpret. de appellat. in 6.*

9 Cæterum beneficia, quæ vacant per translationem, aut promotionem episcopi, nti reservata, debent impetrari *extravag. ad regimen. de præben.*, *Rot. decis.385. num.3. par.19. recen.*, quæ verò vacant per obitum episcopi habentis indultum, non uti reservata, sed uti vacantia per obitum, conferri: aut impetrari debent, nam reservatio per indultum sublata est, & remanet dumtaxat vacatio, quæ dicitur per obitum; Sanè unus modus vacationis non potest cum alio confundi, nec impetratio beneficii obtenta ex capite reservationis extenditur ad vacationem per obitum, discreta enim sunt jura, quæ ponunt discrimen inter reservationem, & vacationem; Unde qui beneficium vacans per obitum episcopi habentis indultum impetrat uti reservatum, male impetrat *in puncto Rot. decis.246. per tot. par.14. recen. decis.518. n.4. par.19. rec.*

10 E contra verò impetratio beneficii vacantis per obitum Episcopi valet, etiamsi Beneficium vacet quoque per reservationem; Vacatio enim per obitum, uti amplior, comprehendit reservationem, & qui asserit in supplicatione, beneficium vacare per obitum Episcopi, tacitè etiam innuit illud esse reservatum *extravagans ad regimen de præben.*, *Simonett. de reservat. quæst.27. n.5.*, *Cassador. decis.3. de Constitut.*

11 Non item procedit in Prælato, qui ad Cardinalatum promovetur; Cardinalatus enim dignitas est, cui retentio beneficiorum simplicium, commendarum ecclesiasticarum non repugnat, sed tantum canonicatus, & alia beneficia, quæ præcisim requirunt residentiam *ex Constitut.79. Sixti V.*, Undè merito *Sac. Rota in Romana Præpositura die 4. Aprilis 1729. cor. Eminentissimo Aldrovando*, declaravit Præpositaram Cappellæ S. Mariæ Majoris ad Præsepe, uti beneficium simplex non esse incompatibilem cum Cardinalatu, & in sequelam non vacare, sivè obtenta sit

12 ante, sive post promotionem. Aliud autem est, si Prælatus ad Cardinalatum evectus, insimul factus sit Episcopus; tunc enim beneficia simplicia, & commendæ ecclesiasticæ vacant ipso jure non propter Cardinalatum, sed propter Episcopatum, licet pro substinenda decentius ea dignitate soleat Papa impartire indultum, quod de jure requiritur in promotis, seù translatis ad Episcopatum *juxtà praxim*.

13 Quod etiam in commendis Equitum Melitensium receptum est, nam commendæ hujus religionis regulantur ad instar beneficiorum ecclesiasticorum, undè per promotionem ad Episcopatum ipso jure vacant *Rot. dec.221. decis.532. decis.566. per tot. cor. Lancett.*, ad differentiam commendarum, & officiorum temporalium, prout sunt commendæ Ordinis S. Stephani, Calatravæ, de Spatha, quæ cum beneficia ecclesiastica non sint, sed tantum administrationes laicales, non repugnant cum Episcopatu.

14 Limitatur in Prælatis promotis ad Episcopatus titulares, seu in partibus infidelium; ratio satis æqua est, quia sic promoti carent redditibus Episcopatus, quibus dignitatem Episcopalem decenter valeant substinere, unde inolevit praxis in Curia, ut per hujusmodi promotionem non vacent beneficia, & commendæ, quia talis Episcopatus titulus est sine administratione *Sacra Congregatio in Fessen. 22. Decembris 1640.*, sicuti per promotionem ad Episcopatum beneficia de jure non vacant, si possessio Episcopatus apprehendi non potest, *& ita de stylo servari firmat Card. de Luc. de Benef. disc.118. num 3*, *& in terminis Commendæ Rot. decis.532. num 9. coram Lancetta*.

15 Sola oritur quæstio de Episcopo suffraganeo, cujus beneficia per hujusmodi promotionem censentur vacare, cùm Episcopus suffraganeus non differat à vero Episcopo; fungitur enim omnibus officiis Pastoralibus, ordinando Clericos, velando Virgines, Crismando, cum similibus, immò habet decentem congruam ex redditibus Episcopatus, cui inseruit, & consequenter contra ipsum militare videtur dispositio *Text. in cap. cum in cunctis §. cum verò de electione.* E contrà autem Episcopus suffraganeus non est dissimilis Episcopo titulari, cùm non sit Pastor Ecclesiæ, in qua functiones peragit; Non enim nomine proprio Clericos ordinat, velat Virgines, Chrisma conficit, sed alieno jure, quinimmo potest ab hujusmodi officio libere amoveri ab eo, qui verus est Pastor Ecclesiæ; quæ sola quidem potentia amotionis sufficit, ne ejus Beneficia per hujusmodi officium vacare censeantur, ad instar Vicarii, qui beneficium, seù dignitatem non amittit per acceptationem Vicariatus *Fagnan. in cap. Episcopalia num.58. de privileg.*, *& in cap. ad hæc n.24. de præben.*

16 In hac itaque controversia cum juridica distinctione ad ejus resolutionem procedendum est. Aut enim Episcopus suffraganeus datus est ad tempus, & ad certas functiones nomine Episcopi peragendas, aut promotus est ad hujusmodi officium contemplatione ecclesiæ, & populi, & sic ad vitam ipsius cum titulo perpetui suffraganeatus: Primo casu communiter receptum est beneficia non vacare, quia suffraganeatus ad tempus non est titulus sufficiens ad inducendam hanc pœnam, ad instar coadjutoris, qui durante hoc officio, beneficia, quæ canonicè possidet, non amittit *Garzias de benef. part 4. cap.5. n.124.* Coadjutor enim titularis ecclesiæ non est, sed custos, & administrator nomine alterius, qui justo impedimento detentus non potest uti Pastor inservire Ecclesiæ, *cap. ex parte, cap.*

 fina-

finali de cleric. ægrotant., *cap.*1. *eod.tit. in* 6. *ubi omnes*.

17 Secundo casu officium suffraganeatus titulus est ab ecclesia approbatus, & inducit vacationem beneficiorum ipso jure, nisi obstet indultum; ità enim promotus tenetur ecclesiæ inservire, prout verus Episcopus, nec ullo modo potest ab hujusmodi officio amoveri, quia contemplatione ecclesiæ. & populi deputatus est; immò in nihilo differt à vero Episcopo, quia habet titulum perpetuum ad vitam cum congrua eidem assignata ex redditibus Episcopatus *Piton. discept. eccles. cap* 111. *num*.35. *lib*.4., qui ad extensum refert decretum concistoriale S. Pii V. editum 26. *Octobris* 1565., ubi Episcopi suffraganei æquiparantur veris Episcopis, ac subjacent pœnis Tridentini contra non residentes.

18 His additur, quod per translationem Episcopi factam à Papa in concistorio ob utilitatem & necessitatem ecclesiæ primus Episcopatus statim vacat, fortius si de consensu Episcopi translatio facta sit *Can. si quis jam translatus* 21. *quæst*.2.*cap.inter corporalia in princip.verb.non enim de translat. Episcop.*, ubi quod ita translatus à conjugio prioris ecclesiæ solutus est, *Calderin. cons*.2. *de translat. Prælator. Abb. in cons*.101. *num*. 6. *vers. diversitatis ratio lib*.2. *Rot. decis*.475. *per tot. par*.1. *recen.*, secus si translatio facta sit ob meritum personæ, tunc enim primus Episcopatus non vacat à die translationis, sed à die, quo translationi consensus præstitus fuit *Abb. in cap. cum nobis num*.5. *circa fin. versic. unde facit de electior. Probat ad Monach. in cap. generali num*.10. §. *sed quæro in fine de elect. in* 6. *Rot. decis*.475. *num* 6. 7. *par*.1. *recen.*, nisi aliter constet de mente Papæ transferentis; & ratio est, quia Papa ex plenaria potestate potest solvere vinculum prioris ecclesiæ, & jura Episcopatus ad quem translato plenè impartiri *cap*.1. & *tot. tit. de translat. Episcopor. Segobien. Canonicatus* 11. *Aprilis* 1704. *cor. Scott.*

20 Advertendum tamen est, quod si episcopus pro utilitate, & necessitate ecclesiæ, seu etiam motu proprio ad aliam ecclesiam per Papam translatus sit, primus episcopatus vacat de jure, sed non de facto, si secundi episcopatus possessio ex Hostium incursu capi non potuit. *Can. pastoralis* 7. *quæst*.1.; Non enim verisimile est Papam voluisse solvere vinculum prioris ecclesiæ, ubi secundus episcopatus ab Hostibus fuit occupatus, & sic sinè culpa, & causa episcopum priori ecclesia totaliter privare, quod rationi consentaneum non est,

21 undè Episcopus sic translatus potest retinere primum episcopatum in administrationem, seu commendam, donec sublatis facti obstaculis, cum effectu transeat ad secundam ecclesiam *Can. Pastoralis* 7. *quæst*.1. *Canon. illud Can. unum*, *ibique Gloss. verf. potest* 21.

22 *quæst*.1.. Alitèr, si episcopus sic translatus à prioris ecclesiæ vinculo solutus non sit, retinet primum episcopatum in titulum cum plena administratione, & jurisdictione, ut prius, nec umquam primus episcopatus vacat, si possessio secundi ex causa hostium, & inimicorum capi non potuit, arguendo ab inferioribus beneficiis, quorum primum non vacat, nisi post adeptam possessionem secundi *cap. de multa de præben. cap. si tibi concesso eodem tit. in*.6.

23 Notandum tamen est, quod episcopatus non vacat, si episcopus aliud cum effectu obtineat beneficium, seu aliam dignitatem ecclesiasticam, nam collatio beneficii obtenta ab episcopo nulla & invalida est, nec ullum producit juris effectum *Innoc. & Abb. in cap. cum nostris ut robiq. num*.4. *de concess. præben.*:

24 Deindè non expedit, ut in generali lege episcopus comprehendatur propter inconvenientia, quæ indè in ecclesia orirentur, non enim posset episcopus plenariam exercere jurisdictionem in clericos, & ecclesias in summum præjudicium boni publici, & salutis anima-

25 rum. Demum quia episcopus speciali nota dignus est, & cum versemur in odiosis, appellatione dignitatis non venit episcopatus *Gloss. in cap. periculosum de sentent. excomunicat. Rebuff ad concordat. tit. de mandat. Apostol.* §. *ità tamen* §. *In posterum versic. nota tamen*, *Butr. cons*.10. *num*.4.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Pensio per promotionem episcopi de jure non vacat.
2 Contrarium tenent alii.
3 Conciliatur utraque opinio ibid.4.
5 Pensio non vacat per promotionem ad episcopatum titularem.
6 An vacet, seu extinguatur per electionem ad Papatum.
7 Facultas transferendi pensionem per promotionem ad episcopatum extinguitur.
8 Facultas transferendi pensionem quoties in Indulto non exprimitur, censetur denegata.
9 In indulto transferendi, quidquid omissum est, habetur pro omisso.

1 Pensio ecclesiastica post promotionem episcopi, imò post adeptam episcopatus possessionem non vacat, nec extinguitur, nam pensio jure communi inspecto nullam habet incompatibilitatem cum episcopatu *juxtà opinionem Zabarell. in clement*.1. §.1. *num*.5. *in* 6. *quæst. de supplend negligen. Prælator. Lotter. de re benefic. lib*.1. *quæst*.41. *num*.7.

2 Contrarium tenent *Ugolin. de potest Episc. cap*.1. §.3 *versic. ut quid de pension. Paris. de resignat. lib*.3. *quæst*.1. *num*.8. & 78. *versic.* & *non solum Hoyeda de incompatibilit. part*.1. *cap*.4. *num*.4., quod etiam tenere videtur *Rot. decis*.143. *num*.1. *par*.2. *rec. decis*.400. *decis*.401. *cor. Varall. lib*.2. ubi quod per promotionem ad episcopatum vacant beneficia, & pen-

& pensiones *per Text. in cap. cum in cunctis §. cum verò de elect.*

3 Verum prima opinio verior est in puncto juris, nam *Text. in cap. cum in cunctis* procedit in beneficiis, quorum appellatione non venit pensio, quæ datur tantummodo pro commodo temporali, ideoque pensio benè compatitur cum episcopatu jure communi inspecto *ex auctoritatibus jam dictis*.

4 Vacat tamen propter decreta summorum Pontificum, & ex stylo Datariæ, *ut notat Lotter loco citat. Gratian. discept.296. num.66. & discept.551. num.32. cum seqq.*, *Rot. decis.213. num 1. lib.2. cor. Varall.* in quibus locis firmatur episcopo concedendum esse indultum, ad hoc ut pensiones retinere possit, alias illas amittit, *ut decisum fuit per Rot. decis.239. num.13. 14. cor. Otthobon.*, ubi etiam dicitur, quod concessio retentionis debet fieri in eadem schedula concistoriali ex Summo um Pontificum Julii II., Leonis X. Adriani VI., necnon Clementis VII. constitutionibus, & tradunt etiam *Lotter. de re benef. quæst.37. num.14., & quæst 41. num.8. lib.1.*, *Tondut. de Pension. cap 31. num.32.*, *cap 73. num.3. & seqq. Ricciull. lucubrat. Eccles. cap.9. num.1. lib.1. de Luc. de pens. disc.43. num.2. Rot. decis.143. num.1. & 2. par.2. rec.*

5 Hæc tamen vera non sunt in episcopo titulari, cujus pensio non vacat ob hujusmodi promotionem, quia episcopus titularis non habet ullos redditus, quibus possit, & valeat dignitatem episcopalem decenter substinere *Tondut. de pens. quæst.74. num.22. de Luc. eod. tractat. disc.43. num 3. disc.58. num.11., disc 75. num.2.*

6 Nec differre videtur Papa ab Episcopo, nam per electionem ad Papatum pensio vacat, & extinguitur ex eadem ratione, qua vacat per promotionem ad episcopatum, *ità consuluit Gabriel. consil.200. lib.2.*, ubi dicit id habuisse effectum, nam Pius IV. pensionem, quæ per ejus assumptionem ad Papatum jam vacaverat, amplius non exegit. Verum *Gabrielis* fundamenta tuta non sunt, quia pensio non vacat de jure, sed tantum ex stylo curiæ, cui Papa subjectus non est, quæ ratio juridica est, nisi aliud constet de voluntate Papæ pensionem non exigentis, tunc enim potius ex mente, quam ex dispositione legis pensio extinguitur, & in hoc casu procedunt rationes, jura, & fundamenta *Gabrielis*, licèt alias celebris jurisconsulti.

7 Ex his facile potest inferri facultatem transferendi pensionem per promotionem ad episcopatum expirare, nam ità promotus desinit esse beneficiatus, & in sequelam desinit esse pensionarius cum facultate transferendi, prout habemus in Conclavistis, & Prælatis Romanæ Curiæ, nam per promotionem ad episcopatum cessat qualitas Conclavistæ, & Prælati, sub qua concessa fuit facultas transferendi *leg. municeps ff. ad municipal. cap. cum in cunctis §. cum verò de election.*. Ultrà quod hæc facultas in jure odiosissima est, ac indiget speciali mentione, dum per translationem longius, & quandoque ad seculum onus Ecclesiæ prorogatur, quod est contrà rationem, & Sacrorum Canonum dispositionem *Fattinell. de translat. pension cap 14. num 2. Rot. decis.671. per tot. cor. Emerix jun. decis.303. decis.304. decis.313. seu 318. per tot. par.2. penes Varall., & in Tricaren. nullitatis translationis pensionis die 8. Junii 1733. cor. R.P.D. Crescentio.*

8 Clarius, quia Papa favore promoti ad episcopatum, id solet exprimere, prout stylus est in Cardinalibus Episcopis, idcircò facultas transferendi pensionem episcopo censetur denegata, quoties in indulto non exprimitur *leg. unic. § sin autem C. de Caduc. tollen. Rot. in d. Tricaren. cor. Crescentio*. Quod patet, nam ubi indultum transferendi pensionem munitum est clausula non obstante status mutatione, & promotione ad Ecclesias Cathedrales, utique indultum per promotionem ad episcopatum non expirat *Card. de Luc. de Pension. disc.78. num.4. Rot. decis.148. num.7. coram Cavaler.*. Ergo à contrario sensu, si hujusmodi clausula desit in indulto, censetur consulto omissa, ne episcopus insimul & pensionarius transferendi facultate uteretur, &
10 merito, nam in hac re quidquid omissum est, habetur pro omisso *Gratian. discept.551. num.33. 34 Rot. decis.143. num.1, 2. par.2. rec.*

ARGUMENTUM.

AN primus Episcopatus ob translationem Episcopi ad aliam Ecclesiam Cathedralem vacet statim à die translationis factæ per Papam in Consistorio, vel potius à die præstiti assensus translationi, & quando cesset jus percipiendi fructus primi Episcopatus *ad interpret. Triden. sess. 7. cap. 2.*

SUMMARIUM.

1 DEcretum *Tridentini* quoad pluralitatem Ecclesiarum Cathedralium refertur.
2 Divisio materiæ.
3 Primus Episcopatus ex observantia in Hispaniis non vacat, nisi post adeptam possessionem secundi.
4 An huiusmodi observantia sit iuri consentanea, dubitavit clarus hispanus.
5 Episcopatus vacat ab eo tempore, quo Episcopus de consensu translatus ab illius vinculo absolvitur.
6 In beneficiis inferioribus, ut vacet primum beneficium, requiritur possessio secundi.
7 Primus Episcopatus vacat etiam ante notitiam translationis, sed contra ibidem.
8 Temperamenta *cleri Hispaniarum* super vacatione primi Episcopatus ob translationem.
9 Decretum Sacræ Congregationis in hac re.
10 Ampliatur decretum ad Episcopos translatos in Regno Poloniæ, & electos ad Ecclesias Cathedrales in Germania, nisi aliud habeatur in decreto consistoriali.
11 Papa potest suspendere vacationem primi Episcopatus, donec capta sit possessio secundi.
12 Indulta retinendi duos Episcopatus in Hispaniis, Galliis, & Italia non dantur à sede apostolica, secus in Germania, & quare num. 13.
14 An secundus Episcopatus vacet ob indultum retinendi illum concessum ratione timoris, & periculi, quæ deinde cessavit, ratio dubitandi, sed contra ibidem num. 15.
16 Arbitria concessa tempore timoris & periculi, eo sublato, extinguntur.
17 Differentia inter legem, & indultum quoad cessationem ratione cessante.
18 Opinio auctoris in hac re.
19 Cessante causa periculi cessat, quod eius causa fuit concessum.

CAPUT XIII.



1 Oncilium Tridentinum ad tollenda omnia inconvenientia etiam in Prælatis, & Episcopis plures Ecclesias Cathedrales, vel in titulum vel in commendam retinentibus contra Constitutiones Sacrorum Canonum, sancivit, *ut nemo quacumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens plures metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias in titulum, sive in commendam, aut alio quovis nomine contra Sacrorum Canonum instituta recipere, & simul retinere præsumat; qui autem plures ecclesias contra præsentis decreti tenorem nunc detinent, una, quam maluerint, retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam sedis apostolicæ dispositionem pertineat, aliàs infra annum dimittere teneantur, alioquin ecclesiæ ipsæ, ultimò obtenta dumtaxat excepta, eo ipso vacare censeantur, ita habetur in cap. 2. sess. 7.*

2 Super hujus decreti conciliaris interpretatione olim disputatum fuit, an & quo tempore vacet primus Episcopatus per translationem Episcopi ad aliam Ecclesiam Cathedralem factam à Papa in consistorio, deindè quando in Episcopo translato cesset jus percipiendi fructus primi Episcopatus; de primo dicam in præsenti capite, de secundo in additione, ut quod hic deest in pensionis extinctione, suppleatur in amissione fructuum primi Episcopatus; Verum ne repetam ea, quæ dicta sunt in capite antecedenti, dicam tantum de translatione Episcoporum juxta casum propositum in Sacra Congregatione Concilii ad preces cleri Hispaniarum.

3 Notandum itaque est, quod in Regnis Hispaniarum circa vacationem Episcopatuum per translationem, vel dimissionem ab aliquot annis observatum fuit, ut Episcopatus non censeatur vacare, donec Episcopus translatus novi Episcopatus possessionem non cœperit, & successor dimittentis similiter adeptus non fuerit possessionem Episcopatus dimissi, atque ita Episcopi etiam post admissam translationem, vel admissionem, à Papa pergunt in jurisdictione exercenda per dictum tempus, & nituntur hoc præcipuo fundamento, quod cum translationes, ac dimissiones hujusmodi fiant de Episcoporum consensu, quandiu de tali consensu non constat, Episcopus non potest dici absolutus à vinculo Ecclesiæ suæ, & quia in Episcopatibus non notatur consensus à tergò literarum Apostolicarum, ut fit in beneficiis inferioribus, nec de eo fit aliqua particularis notula, cuius fides haberi possit à Secretario Consistoriali, Episcopi dicunt requiri aliquem actum positivum, unde consensus hujusmodi deduci possit, & hunc actum positivum prætendunt esse possessionem, quæ acci-

accipitur in vim literarum apostolicarum, ideoque ante hanc possessionem Episcopi translati ab aliquo tempore in dictis regnis cæperunt sibi jurisdictionem retinere, perinde ac si sedes plena esset.

4 Sed quia plerique opinantur hanc observantiam non esse juri consentaneam, ac propterea dubitari contingat de validitate commissionum Sedis Apostolicæ, de beneficiorum collationibus, & de innumeris actibus jurisdictionalibus, quos capitula Cathedralium prætendere possent ad se pertinentes tamquam sede vacante, ideo clerus Hispaniarum supplicavit Sanctissimo, ut universum hoc negotium per suprascripta dubia examinandum, terminandum, ac declarandum committeret Sacræ Congregationi, cui Sanctitas Sua supplicem libellum remisit.

5 Quoad primum certum quidem est, quod ecclesia, à qua Episcopus de suo consensu transfertur, vel quam Episcopus volens dimittit, incipit vacare ab eo tempore, quo Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctissimi, idque etiam ante adeptam possessionem secundæ ecclesiæ *juxta consilium Abbatis* 101. *num.*3., 4., quem sæpius non solum Rota, sed etiam hæc Sacra Congregatio secuta est.

6 Contraria enim opinio, quod requiratur possessio secundæ ecclesiæ, procedit solum in beneficiis inferioribus, & in translatione abusiva, non autem vera, *ut declarat Rota in novis apud Farinac. decis.*475 *num.*16. *part.*1., & ad dubium de consensu respondet *Abbas d. cons.*101. *& Rot. in Placentina Canonicatus*

7 *coram clar. me. Card. Laucellot.*, quæ conclusio procedit etiam ante notitiam translationis, ut episcopatus vacet, & censeatur abdicata omnis potestas ab episcopo translato, *ut post Calder. Franc. Marcus decis.*1110. *num.*3. *in fin. Rot. in d. Placentina Canonicatus*, sed tamen, quia quandiu renuncians ignorat suam renunciationem fuisse admissam, durum esset statuere, ut abstineret ab exercitio jurisdictionis, & multi censent gesta per eum tunc valere, perinde ac si verum titulum haberet, *ut per Imolam in Clementina* 1. *num.*7. *de renunciat*, *Felin in cap. cæterum num.*11. *de re-*

8 *script.*; Ideo ne qua fraus in hujusmodi notitia committeretur, expediret, ut Sedes Apostolica præfiniret aliquod spatium temporis à die admissæ translationis habita ratione distantiæ ab Urbe ad Hispaniarum Regna, quo elapso episcopi translati tenerentur abstinere ab jurisdictione sub pæna nullitatis actuum, alias etiamsi declararetur episcopum non teneri abstinere, nisi post habitam notitiam suæ translationis, aperiretur via fraudibus, & litibus quamplurimis, & semper dubitabitur de validitate actuum in foro contentioso, & spirituali, atque observat Rota in notificando capitulo expeditionem litterarum Apostolicarum *juxta terminos extravagantis injunctæ de elect. ut patet in d. decis.*475. *n.*14., ubi Rota censuit literas potuisse intimari spatio novem decem dierum ab urbe ad civitatem Cracovien. Unde hoc casu forte expediret præscribere terminum duorum mensium post propositionem in consistorio, quibus elapsis episcopus non posset tueri se in exercitio jurisdictionis sub prætextu ignorantiæ, vel cujusvis contrariæ consuetudinis, vel certè, si hoc non placeat, posset statui, ut statim ac capitulum Cathedralis ecclesiæ publicaret admissionem translationis factam à Sanctissimo in Consistorio per affixionem ad valvas Ecclesiæ Cathedralis ecclesiæ dimissæ, illico episcopus teneretur abstinere, & cederet jurisdictio capitulo sede vacante; Pro effectu autem d. publicationis posset decerni, ut is, qui gerit officium à secretia consistorii, traderet petenti testimonium d. admissionis, neque enim dubitandum erit, quin capitula omnem diligentiam adhibeant, ut d. admissio quam celerimè publicetur; sua enim interest propter exercitium jurisdictionis sede vacante; Hæc sunt juris fundamenta per Clerum Hispaniarum in Sacra Congregatione proposita; quæ mihi probabiliora videntur, quam quæ ab Episcopis Hispanis de una ad aliam ecclesiam translatis adducta fuerunt ut supra, *ita habetur in libro* 5. *memorialium fol.* 306.

9 Hinc Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum in aliquibus inhærens potius precibus Clerici Hispaniarum quam juribus Episcoporum translatorum *sub die* 14 *Decembris* 1624. *prout ex lib. memorialium fol.*303. *Sanctissimo D. N. Papa approbante censuit ecclesiam, à qua Episcopus de suo consensu transfertur, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo fuit absolutus in Consistorio Sanctitatis Suæ etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ ecclesiæ, & postea quam ex testimonio, seu documento Secretarii Sacri Collegii, vel alio modo hujusmodi absolutionis notitiam episcopus habuit, illico teneri eum abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque in capitulum transire, itaut statim possit, ac debeat capitulum eadem jurisdictione uti, sedem vacantem publicare, atque officialem, seu vicarium ad ejusdem Concilii præscriptum constituere.*

10 Hujusmodi autem decretum habet etiam locum in Episcopis Regni Poloniæ, in quo frequentes sunt episcoporum translationes, imo in electis ad alias Ecclesias Cathedrales in Germania ex dispensatione Apostolica, nam eo ipso quod episcopus scit se à Papa in consistorio ad alium episcopatum translatum fuisse, seu confirmatam ejus electionem, tenetur statim se abstinere ab exercitio jurisdictionis, & in sequelam primum episcopatum vacare certi juris est, nisi aliud habeatur in

11 decreto consistoriali, nam Papa ex plenitudine potestatis, quam habet in ecclesia, potest vacationem primi episcopatus suspendere, & prorogare usque ad tempus, quo secundi episcopatus possessio capta sit, ne alias episcopus translatus, qui ex invasione hostium secundi episcopatus possessionem capere

non

non potuit, etiam primo spoliatus remaneat, quod rationi consentaneum non est *ex plenè deductis per Pitton discept. 135. n. 15. tom. 4.*, cujus jura non transcribo.

12 Verum illud in hac re notandum est, quod in Hispaniis, Galliis, & Italia, in quibus Deo favente floret catholica religio, nemini à sede apostolica dantur indulta retinendi duas ecclesias cathedrales propter resistentiam ju-

13 ris, & Tridentini; secus in Germania, quod fit ex causa publicæ utilitatis, & necessitatis, ut scilicet episcopus duobus episcopatibus fortior effectus resistere valeat conatibus acatholicorum, qui non rarò per vim ecclesias invadunt *ita Sacra Congregatio in Moguntina Coadiutoriæ die 7. Julii 1711.*, cujus decretum per extensum refert *Pitton. discept 89. n. 17. tom. 3. cum ibi relat.*

14 Dubii tamen juris est, an secundus episcopatus vacet, si Papa concessit episcopo indultum illum retinendi ob timorem periculi, & invasionis, quæ deinde cessavit; Ratio dubitandi est, quia non semper cessante causa cessat indultum, eo modo, quo lex non cessat, etiamsi ejus ratio abolita sit, imo remanet integra, nisi nova constitutione tollatur *Bald. in l. 1. cod. de caduc. tollen.*

15 Sed contra concludendum est, quoniam sicuti episcopus indultarius durante causa periculi licitè, & valdè retinet secundum episcopatum, ita ea cessante secundum injustè occupat, ideirco cessante causa periculi secundus episcopatus statim vacat *Bald in l. 1. Cod.*

16 *de nautic. fænor.*; ubi quod arbitria, quæ conceduntur tempore alicujus timoris, seu periculi, eo sublato, extinguntur.

17 Hæc est differentia inter indultum, & legem, nam lex, cujus ratio cessat, semper durat, nisi tollatur, quia favorabilis est, & perpetua, sed indultum retinendi secundum episcopatum cessat, quia odiosum est, & ad tempus, ac pro certa causa concessum.

18 Cæterum in hac re censerem monendum esse episcopum, ut secundum episcopatum dimitteret; si pareat, secundus episcopatus vacat de facto ob renunciationem, & de jure ob cessationem periculi; si vero parere renuat, Pa-

19 pa declaret, quod vacet, quoniam, periculi causa cessante, cessat quod ejus causa concessum fuit *Salycet in d. l. 1. cod. de nautic. fænor. Dec. in cap. cum cessante de appellat.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Post translationem factam in concistorio de consensu episcopi translati cessant fructus primi episcopatus.

2 Episcopus, antequam sciat suam translationem, fructus non perdit, secus si sciat, modo fructus extent, & non sint consumpti num. 3.

4 Non requiritur scientia vera, sed probabilis, ut episcopus translatus fructus amittat.

5 Temperamenta cleri Hispaniarum, quibus episcopus translatus fructus suos non facit.

6 Translatus sine ejus consensu fructus suos facit, donec translationi assensum præstiterit.

7 In episcopis translatis Regni Poloniæ quoad amissionem fructuum servanda est constitutio Urbani VIII.

1 Quoad secundum dubium, id est quando cessat jus percipiendi fructus primi Episcopatus ob translationem præmittebat Clerus Hispaniarum, & quidem doctè, quod quamvis post absolutionem à vinculo prioris ecclesiæ factam in Concistorio cessent fructus primi Episcopatus ex ratione, quia fructus, quos Episcopus translatus perdit in primo, lucratur in secundo Episcopatu, ad quem transfertur *ex plene deductis per Bellamer. in Cons. si quis jam translatus 21. quæst. 2. num. 12. vers. præterea redeundo*, *Cappon. discept. 105. num 33.*, *Garzias de benef. part. 11. cap. 6. num. 41.* *Rot. decis. 475.*

2 *per tot. part. 1. recen.*, tamen, quia antequam sciat suam renunciationem fuisse admissam, nescit se titulum non habere, propterea fructus non perdit propter bonam fidem *Rebuff. in prax. tit. de simoniac. non recipien. num. 42.*, *& alii relati à Barbos. in l. divortio in 2. part. num. 45. ff. solut. matrim.*,

3 Verum quia caret titulo quoad fructuum acquisitionem non debet considerari tamquam dominus, sed tamquam is, qui rem alienam possidet bona fide, ideoque posteaquam habuerit notitiam suæ translationis, tenebitur restituere successori suo fructus omnes, quos post translationem percepit, si modo extant, & non sint consumpti *Innocen. in cap. ex literis post princip. de restitut. spoliat.*, *Barbos. ubi supra num. 47.*, ideoque in hoc proposito Gregorius XIII. declaravit Episcopum post habitam notitiam suæ translationis non posse amplius se ingerere in administratione primi Episcopatus, cujus declaratio habetur ad notam in libris Sacræ Congregationis manu claræ memoriæ Cardinalis Caraffæ.

4 Cum autem ad hoc non requiratur scientia vera per intimationem literarum Apostolicarum novæ provisionis, sed sufficiat verò similis, & præsumpta, *ut probat Barbosa lo-*

5 *co citato num. 49.*, ideo posset statui, ut elapsis duobus mensibus à die admissionis in Concistorio, vel, si magis placeat, post publicationem d. admissionis à Capitulo factam per affixionem ad valvas, ut supra, Episcopus non possit fructus suos facere sub prætextu ignorantiæ, sed omnes tenetur dimittere successori una cum illis, quos etiam intra duos menses percepisset, si modo extarent, & non essent consumpti; Cæterum quamvis de jure hæc ita procedant, tamen in Hispania quoad fructus nulla declaratio fieri poterit, quia Camera Apostolica à die propositio-

nis

nis in Conciſtorio percipit fructus eccleſiæ, à qua Epiſcopus transfertur nulla habita ratione Epiſcopo quoad fructus omnes eccleſiæ, ad quam transfertur à die propoſitionis etiam ante Epiſcopi notitiam, aut adeptam poſſeſſionem ſecundæ eccleſiæ; Unde præfixio termini duorum menſium poterit fieri tantum pro adminiſtratione Epiſcopatuum, non autem fructuum; Hæc tamen temperamenta de præfixione duorum menſium, ac de publicatione admiſſionis in Conciſtorio à Congregatione admiſſa non fuerunt, quoniam *ex decreto mox relato* ſatis etiam proviſum eſt quoad fructuum amiſſionem in Epiſcopo translato de conſenſu, nam fructus ante notitiam translationis reſtituendi ſunt, ſi extent, & non ſint conſumpti, reliquos poſt notitiam translationis Epiſcopus translatus perdit, quia titulum non habet, nec bonam fidem, ut patet.

6 Verum Epiſcopus translatus ſine ejus conſenſu fructus interim decurſos ſuos facit, donec translationi aſſenſum præſtiterit, quoniam tunc primus Epiſcopatus vacare incipit *Bellamera in Can. ſi quis jam translatus* 21. *quæſt.2. column.penult. ante num.*13. *verſ.item quæres*, ubi ſi quis fuit translatus, & conſenſit poſt duos menſes, non tenetur reſtituere fructus, quos medio tempore percepit.

7 Denique in Epiſcopis Regni Poloniæ translatis de una ad aliam eccleſiam Cathedralem quoad fructuum privationem ſervanda eſt ſingularis Conſtitutio *Urbani VIII. ſub datum Romæ die* 23. *Decembris* 1626. ſequentis tenoris.

Cum in Regno Poloniæ, ubi exerebæ ſunt Epiſcoporum translationes, cum diu inoleverit abuſus, ut Epiſcopus ad aliam eccleſiam transferendus de induſtria differat ſe à prima eccleſia liberare, ac literas Apoſtolicas expedire, ut eo diutius utriuſque Epiſcopatus fructus aſſequatur, prioris nempe, cujus vinculo nondum à Sede Apoſtolica exolutus eſt, & poſterioris, ad quam transfertur, cujus fructus univerſi à die vacationis eccleſiæ ſibi integrè reſervantur; Cumque inde etiam fiat, ut ſucceſſor in Epiſcopatu, unde ille translatus eſt, negligat & ipſe ſuæ proviſionis Bullas expedire, quippe cum intelligat ſe diu ſubiturum eccleſiæ onera univerſa abſque illis fructibus, quos omnes prædeceſſor Epiſcopus aut ante tranſlationem conſumpſit, aut ad aliam eccleſiam tranſportavit, Sanctiſſimus D. N. hujuſmodi corruptelam, quæ cedit in grave eccleſiarum in ſpiritualibus, & temporalibus detrimentum pro paſtorali ejus ſolicitudine, ac zelo magnoperè cupiens de medio ſublatam in ex ſacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ſententia ſtatuit, atque decrevit, ut ſi qua Eccleſia Cathedralis intra fines Regni Poloniæ deinceps vacaverit ſpatio quatuor menſium dumtaxat, vel infra, liceat quidem Epiſcopo ſucceſſori ſibi fructus vendicare pro rata temporis vacationis hujuſmodi juxta antiquam illius Regni conſuetudinem; Verum ſi intra prædictum terminum eccleſia de Paſtore non fuerit proviſa fructus pro rata illius temporis, quo ſedes poſt quartum menſem vacavit nullatenus ſucceſſori, ſed integrè fabricæ illius Eccleſiæ, quatenus indigeat, alioquin ſacriſtiæ illius abſque alia declaratione applicati cenſeantur, & ejuſdem eccleſiæ capitulum, cui Sanctitas Sua hac in parte neceſſariam facultatem impartitur, omnino curare debeat, ut applicatio hujuſmodi quamprimum ſortiatur effectum; Quod ſi & ſacriſtia ſufficienter inſtructa reperiatur, liceat eidem Capitulo, conſulto tamen prius Epiſcopo ſucceſſore, ac prævia illius approbatione, hujuſmodi fructus in alios pios uſus pro loco, & tempore utiliter inſumere non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſtatutis, conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Penſionis ob promotionem ab Abbatias, aliaſque Dignitates tum regulares, tum etiam ſeculares habentes juriſdictionem quaſi epiſcopalem *ad interpretationem regulæ 26 Cancellariæ*.

SUMMARIUM.

1 PEr promotionem ad prælaturam regularem cum poteſtate quaſi epiſcopali vacant officia, & beneficia.

2 Differentia inter prælatum regularem, & epiſcopum quoad vacationem beneficiorum, & officiorum.

3 Per promotionem ad generalatum vacant officia regularia.

4 Ampliatur, ſivè generalis, electus ſit ad vitam, vel ad tempus.

5 Generalatus eſt officium, ſed cum præeminentia, & juriſdictione ibid. 6.

7 Per prælaturas ſeculares cum poteſtate quaſi epiſcopali vacant beneficia, ubi aſſignatur differentia inter alias dignitates inferiores,

C A-

CAPUT XIV.

1 Prælatura regularis habens Jurisdictionem quasi Episcopalem, seù nullius nil differt à dignitate Episcopali; utraque enim conferri solet à Papa in Concistorio, ergo ex eadem rationis identitate per promotionem Prælati regularis ad Abbatiam habentem Jurisdictionem quasi Episcopalem vacant statim officia, & Beneficia Ecclesiastica *Cap. cum in cunctis* §. *Cum verò, ibiq. Abb. & Dec. num.2. de elect.* quod etiam literalitèr deducitur *Ex regul.26. Cancell.* ibi - *Vacaturis per promotionem quorumcumque ad Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina. Tamburrin. de Jur. Abbat. disp.5. quæsit.25. num.1. Garz. de Benef. par.11. cap.7. in princ. Mandoz. ad regul.26. de Vacatur. per promot.* §.3. *num.8. Oldrad. consf.14. per tot.*

2 Differt tamen Prælatus regularis ab Episcopo in hoc, quod Prælatus regularis statim post promotionem, ac confirmationem amittit officia, & Beneficia, è contra Episcopus de Jure Beneficiis non privatur, nisi post adeptam Episcopatus possessionem *ut in cap. antecedenti num.3. in fin.* Et ratio disparitatis est, quia in Prælato regulari retentio officiorum, & beneficiorum exorbitat à jure, propter votum paupertatis, cui non subjacet Episcopus secularis; deindè quia Prælatus regularis non potest non acceptari à monacis, & religiosis; quæ ratio cessat in Episcopo, qui si forsan fuerit odiosus populo, ipse representat Summo Pontifici iustas, ac rationabiles causas, quas, si justitia exigit, solet admittere, ut praxis docet, quod etiam videtur juridicum, quia de jure Episcopus invitis populis, dari non debet, *Canon. si fortè in fin. distinct.63.*

3 Nec minor est ratio in regulari promoto, seù electo ad Generalatum; Generalis enim dicitur Prælatus suæ religionis, & utitur potestate ordinaria in omnes religiosos sibi subjectos; eo modo, quo Abbas jurisdictionem quasi Episcopalem exercet in sibi subditos; ergo per electionem, & confirmationem ad Generalatum vacant omnia officia, & beneficia *ex reg. 26. Cancellariæ Tamburrin. de jure Abbatum dispar.5. quæsit.25. num.1.*

4 Nec distinguendum est, an Generalis sit perpetuus, vel ad tempus, quod in nonnullis religionibus servatur ex specialibus Constitutionibus; nàm pro inducenda vacatione officiorum, seù beneficiorum satis est regularem ad Generalatum electum esse, & exercere jurisdictionem ordinariam in omnes religiosos; quo posito repugnat Generali retentio officiorum, & beneficiorum ex eisdem rationibus, quæ militant in Episcopo, & Abbate *per text. in cap. cum singula de præben. in 6.*

5 Nec objiciatur Generalatum esse officium, & è contrà abbatiam esse dignitatem ecclesiasticam, seù quid medium inter Episcopatum, & dignitatem inferiorem, ideoque per Generalatum non vacant officia, & beneficia quamvis vacare ipso jure censeantur per promotionem ad abbatiam regularem. Respondetur, quod Generalis habet quidem officium, sed cum præeminentia, & jurisdictione in omnes religiosos, sicuti Generalis militum in omnes milites. Sanè qui præest tanquam caput militibus, dicitur in dignitate, & quidem suprema constitutus, ergo etiam Generalis, qui præest omnibus religiosis: Item Generalis æquiparatur Episcopo, sed propter Episcopatum vacant ipso jure beneficia, saltem post adeptam possessionem, ergo quoque vacant propter Generalatum. Demum non est facienda via in nomine, nàm quoad essentiam idem sonat Abbas, ac Generalis, quia uterque habet jurisdictionem ordinariam in monachos, & religiosos, idcircò utrobique idem jus statuendum est super officiorum, & beneficiorum vacatione ex hoc capite *cap. cum singula de præben. in 6. cap. cum in cunctis* §. *cum vero de elect.*

6

7 Quo verò attinet ad Prælaturas seculares extra ordinem episcopalem, sciendum est, alias habere jurisdictionem cum territorio separato, alias esse simplicitèr exemptas cum plena tamen jurisdictione judicandi causas, mulctandi Clericos, & his similia, utrobique enim vacant ipso jure Beneficia, quia ità promoti, seù electi in subjecta materia non differunt ab Episcopis *Cap. cum in cunctis* §. *cum verò de elect. Paris de resignat. lib. 3. cap.1. num.99.* Ad differentiam aliarum dignitatum Ecclesiasticarum, quæ tales abusive appellantur ex quadam præeminentia, quam habent in Capitulo, Processionibus, aliisq; similibus actibus, quoniam vacatio ob promotionem ad hujusmodi Prælaturas regulatur *juxta Text. in cap. de multa de præben. Extrav. Execrabilis eod. tit. cum relatis supra in cap.5. per tot.*

ADDI-

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 PEr Prælatutam regularem cum jurisdictione quasi episcopali pensio extinguitur.
2 Limita in regulari electo ad generalatum, si pensio auctoritate apostolica reservata sit.
3 Interpretatur *Textus in cap. cum singula de praben. in 6.*
4 Declaratur *Textus in cap. cum in cunctis §. cum vero de elect. & regul.26. Cancellaria.*
5 Pensio manualis reservata regulari pro vestiario, aliisque indigentiis per electionem ad generalatum extinguitur, ubi de ratione.

1 PRælatura regularis æquiparatur prælaturæ seculari, & licitum est arguere ab una ad aliam, itaque per promotionem ad prælaturam secularem cùm potestate quasi episcopali vacat pensio, ità quoque per abbatiam, & prælaturam regularem *cap. cum in cunctis §. cum verò de elect. Gig. de pens. quæst.56. num.5. Tondut. de pens. quæst.73. num.31. Hoyeda de incompatibilit. part.1. cap.6. num.10.*; Nam omnia beneficia, officia, & pensiones prælatis regularibus sunt incompatibilia *ex cap. cum singula de præben. in 6.*. Nihil tamen interest, an promotus ad prælaturam secularem, vel regularem sit Abbas, vel Prior, aut Præpositus nuncupetur; Nam quoad effectum, de quo agitur, vis non stat in nomine, sed in potestate quasi episcopali, cui de stylo, & constitutionibus apostolicis retentio ecclesiasticarum pensionum repugnat *Paris. de resignat. lib.3. cap.1. num.100. Garz de benef. par.11. cap.7. in fin. Tamburin. de jur. Abbat. disp.13. quæsit.1. num.20.*

2 E' contrà per electionem, seù promotionem regularis ad Generalatum pensio auctoritate apostolica reservata non extinguitur, quia Generalis non est sponsus ecclesiæ, sed tantum caput religionis, deinde jurisdictio Generalis in omnes regulares non est quasi episcopalis, quia ea dependet à definitorio, seù conventu, à quo ex justa causa ille poteit amoveri, ut in simili tradit *Oldrad. cons.128.*

3 Nec turbat, quod per electionem & confirmationem ad Generalatum vacent ipso jure officia, & beneficia, ut dictum est supra *per Text. in cap. cum singula de præben. in 6.*; Hoc enim procedit in omnibus regularibus, & multo magis in capite, sed hæc lex non potest extendi ad pensionem, quæ in rigore

4 non est officium, nec beneficium, multoque minus obstat *Text. in d. §. cum verò de elect.*, quia loquitur de episcopis habentibus jurisdictionem independentem à capitulo; Eodemque modo procedit *regula 26. Cancellariæ*, nam locum habet in prælatis, qui promoventur ad monsiteriorum regimina cum potestate quasi episcopali, & habent dignitatem, & beneficium in ecclesia cum facultate percipiendi fructus; Item loquitur de iis, qui indigent confirmatione Papæ, prout praxis est in dignitatibus conciitorialibus, quæ sane rationes cessant in regulari electo ad Generalatum, habet enim simplex officium, & quandoque non indiget confirmatione, nam eo ipso, quod legitimè electus est, censetur confirmatus juxta praxim religionum; Ex his itaque rationibus per assumptionem adGeneralatum pensio ecclesiastica non extinguitur; idque apud me, ni fallor, nullam habet dubitationem ex juribus mox relatis.

5 Limitatur in pensione manuali reservata regulari pro vestiario, aliisque extraordinariis indigentiis, quibus monasterium non providet, præsertim si Generalis habeat Beneficia, seù Abbatias Generalatui unitas, nam tunc, cessante causa paupertatis, pensionem extingui certum est *cap. cessante de appellat. cap. si pauper clericus ibiq. Gloss. de præben. in 6., & alibi frequenter.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione, ubi Beneficium, ac Pensio habentur pro derelictis *ad explicationem Text. in l.1. & 2. & tot. tit. ff. prò derelicto, & Gloss. in cap. final. de cleric. non residentib.*

SUMMARIUM.

1 VAcat beneficium, si habeatur pro derelicto, prout per matrimonium, & militiam.
2 Differt tamen unus modus vacationis ab alio.
3 Res quando habeatur in prophanis pro derelicta.
4 Clericus habet beneficium prò derelicto, permittendo, quod alter regat Ecclesiam cum animo ampliùs non redeundi.
5 Clericus deserens ecclesiam simpliciter, & absens fit per spatium decem annorum habet beneficium pro derelicto quoad possessionem, secus quoad titulum.
6 Beneficium, quod habetur pro derelicto, non fit primi occupantis, sed canonica institutione obtineri debet.
7 Beneficium nequit haberi pro derelicto quoad dominium, & proprietatem, secus quoad usum, & administrationem.
8 Vacatio ex hoc capite differt à vacatione ob matrimonium, militiam, & non residentiam, ubi de ratione.
9 Beneficium, quod habetur pro derelicto quoad titulum, & possessionem, ipso jure vacat ad omnes juris effectus.
10 An beneficium, quod habetur pro derelicto quoad possessionem tantum, possit conferri, seù impetrari.
11 Provisus ab ordinario non debet mitti in possessionem, nisi citato absente, & quomodo, explicatur ibid.
12 Differentia inter Ordinarium, & Papam quoad collationem beneficii vacantis de facto tantum 13.

CAPUT XV.

1 Aria sunt renunciare Beneficium per matrimonium, & militiam, ac illud habere prò derelicto; utrobique enim ipso jure Beneficium vacat *Gloss. in cap. final. versic. redierint de Cleric. non residen. cap. qualiter., ibique Abb. num.6. eod. tit., & in cap.1. de offic. Vicar.*

2 Differunt tamen hæc quoad modum vacationis, nàm per matrimonium, & militiam vacat potius Beneficium ob statum incompatibilitatem; secùs, si illud habeatur prò derelicto; quod patet, nam Beneficium potest haberi pro derelicto à clerico, etiam retento habitu clericali, sed qui contrahit matrimonium, aut exercet militiam, regulariter incedit in vestibus laicalibus, & cingulo militari utitur. Præterea, ut agnoscatur discrimen, quod intercedit inter unum, & alium vacationis modum, inquirendum prius est, quando res in prophanis habeatur prò derelicta, ut inde percipiatur, quid dicendum sit in Beneficiis Ecclesiasticis.

3 Quandoquidem proprie res prò derelicta in prophanis habetur, quando desinimus eam possidere, ut amplius nostra non sit, & permittimus ab alio possideri *leg. 1. & tot. tit. ff. pro derelict. §. hoc amplius Instit. de rer. divis.* ubi casus exemplificatur in Prætore, & Consule, qui jactant in vulgum missilia cum voluntate, ut, quod quisquis acceperit, ejus fiat, quod fieri solet in coronatione Regis ad ostendendam ejus munificentiam.

4 Sic à pari Clericus, qui dimittit possessionem, & administrationem, permittendo, quod alter regat Ecclesiam, vel titulo Æconomatus, vel titulo institutionis, item ubi se absentat ab Ecclesia animo amplius non redeundi, & coram idoneis testibus suam mentem satis expressit se nolle amplius Ecclesiæ inservire, & interim tempus decennii elapsum fit, cum similibus, dicitur vere, & proprie habere beneficium pro derelicto pro effectibus plenæ vacationis *Gloss. in cap. ex parte in princ. ibique Abb. num. 5. 6. de Cleric. non residen. Rebuff. tit. de modis amittendi Beneficia num.49.*

5 E contra, si quis Ecclesiam deserat sine hoc animo, ac per spatium decem annorum absens fit, videtur quidem habere beneficium pro derelicto quoad possessionem, sed non quoad titulum, & Jus, quod ei competebat, hoc enim non perditur ex patientia, & negligentia, nisi in casibus a Jure expressis, sicuti regressus ad beneficium non amittitur ex sola non petentis negligentia, *ità Sarnen. decis.47. de præb. & regress.* ubi ait ita intelligendum esse Abbatem *in cap. cum venissent num.16. de restit. Spoliat. Cap. cum contingat num.14. de dol. & contumac.*

6 Verùm beneficium, quod habetur pro derelicto quoad titulum, & possessionem, non sit primi occupantis, prout res prophana, quæ in vulgum jactatur exemplo missilium, de quibus supra; & ratio differentiæ est, quia in rebus prophanis sufficit voluntas jactantis res suas, & actus occupationis; ita res prophana sit primi capientis; non sic in Beneficiis Ecclesiasticis; nàm voluntas beneficiati absentantis se ab Ecclesia cum animo non amplius redeundi, operatur quidem, ut Beneficium habeatur pro derelicto, ac per consequens inducta sit vacatio, sed non sit primi occupantis; immò id fieri non potest, nam in Beneficiis necessaria est canonica collatio, seù institutio ad evitandum vitiosum ingressum *cap. unico de eo, qui mittitur in possess. causa rei servandæ in 6. cap. ex frequentibus de Instit. cap. Beneficium de regul. Jur. in 6.*

7 Et quamvis Beneficium nequeat proprie haberi pro derelicto, cum ejus dominium, seù proprietas sit penes Christum, non apud Beneficiatum *ad Text. in cap. cum ex eo de elect. in 6.* nihilominus quoad usum, usumfructum, & administrationem, dominium quodammodo dicitur esse penes Beneficiatum, nam proprietas, quæ penes laicos est in rebus temporalibus, vi dominii, & usufructus causalis, competit Clericis beneficiatis in usu, & usufructu formali dumtaxàt; & justa quidem ratione, quia de jure usufructus in multis casibus pars dominii est *leg. 4. ff. de usufruct.* quod bene congruit Ecclesiasticis, quibus solus usus, & administratio Beneficiorum, & & Ecclesiarum de jure competit.

8 Ex his patet evidenter hunc vacationis modum valde differre ab alio ob matrimonium, & militiam, ut supra innuimus, sicuti quoque differt ab alio ob non residentiam intra annum, biennium, aut triennium; quippe quia in casu absentiæ Clerici ab Ecclesia servanda est dispositio juris *in cap. ex tuæ de Cleric. non residen, de qua infra*. At ubi beneficium habetur pro derelicto tam quoad titulum, quam quoad possessionem, statim illud vacare censetur, & potest conferri ab Episcopo, vel impetrari à Papa, quia vacat de jure, & facto simul, juxta dispositionem juris, *de qua Gloss. in cap. ex parte in princip ibique Abb. num.5.6. de Cleric. non residen.*

10 Inquirendum superest, an beneficium, quod habetur pro derelicto quoad possessionem dumtaxat possit libere conferri, seu impetrari? Variat super hoc puncto *Hostiensis in summa num.3. de Cleric. non residen*; ubi ait, quod si Clericus, qui de numero est, suam qualitercumque Ecclesiam relinqueret, deberet incontinenti de rigore Juris, & rationis naturalis alius subrogari, ita quod subrogatus saltem usque ad annum completum recipi non debeat. Deinde *in cap. ex tuæ n.6. versic. ad*

ad hoc eod. tit. duas afferens opiniones inter se contrarias, concludit, Beneficium, quod habetur prò derelicto non esse conferendum, quousque vacet de facto, & hoc verius, ut ioi.

11 Ego tamèn in hac re arbitror collationem Beneficii obtentam à Papa, seu ab Episcopo contrà Clericum absentem ab Ecclesia per decennium procul dubio valere, nàm Beneficium, quod vacat de facto potest conferri *ex deductis in cap. 1. de Vacat. per obit.* sed Clericus in hoc casu non est privandus titulo, nisi prius citetur *Gloss. in cap. ex parte, & cap. final. de Cleric. non residen.* & ita intelligendum esse *Hostien. ait Adden. in summa num. 3. lit. G.* quod mihi rationi consentaneum videtur, nam vacatio Juris fortior est vacatione facti juxta prima principia. Si igitur possessor citandus est, ubi Beneficium vacat de Jure, quia justam retinendi causam potest opponere *cap. licet Episcopus 28. de præben. in 6.* multo magis, ubi vacat de facto. Unde propterea nullo modo est deferendum *Hostiensi in d. Decretali*, loquitur enim de Vacatione Juris, & tamen negat posse Beneficium conferri, quod est contrà communem DD. Sententiam, nàm Beneficium, quod vacat de jure, fortè quia clericus factus est miles, vel contraxit matrimonium statim potest conferri, & impetrari *Gloss. in cap. final. de cleric. non residen. cap. 1. de cleric. conjugat. cum relatis in cap. 3. de vacat. ob matrim., & cap. 8. de vacat ob militiam*; ita à pari idem dicendum est de beneficio, quod habetur pro derelicto quoad possessionem tantùm, uterque enim modus vacationis de jure, & de facto communiter receptus est, *ut in cap. 1. de vacat. per obit*.

12 Hæc tamen differentia intercedit inter Ordinarium, & Papam, quod beneficium vacans de facto potest quidem ordinarius libere conferre, sed tenetur præfigere terminum competentem, ut clericus absens redeat ad ecclesiam, citando eumdem vel personaliter, vel per edictum juxta praxim; quod si redeat, & justam absentiæ causam opponat, ad possessionem jam amissam reintegrandus est, item si justam causam non habuerit, paruit enim mandatis sui superioris *cap. final. & tot. tit. de cleric. non residen.*, & dicam infrà *in cap. 5. de vacatione, seù privatione ob non residentiam lib. 2.* Si verò non redeat intrà terminum, ut supra præfixum, amplius non auditur, nam beneficium, quod vacabat de facto per lapsum decennii, incipit vacare etiam de jure post lapsum termini *cap. si tibi absenti, ibique Gloss. versic. eo lapso de præben. in 6.*, licèt melius sit prius absentem citare, assignando eidem terminum competentem ad redeundum, & deindè, eo elapso, conferre beneficium, nam tunc vacat de facto, & de jure simul, quod certum est; & hactenus casum sic posui, quatenus magis dubitabilis
13 est. Sed Papa potest liberè conferre beneficium, quod vacat de facto, & titulo privare clericum, qui per decennium abest ab ecclesia; summa enim est potestas Papæ in beneficialibus, sed tamen de hac voluntate apparere debet *Rot. decis. 115. cor. Puteo lib. 3.*, ubi resolutum fuit privationem beneficii factam à Papa ex certa scientia, etiam non citata parte, de jure substineri.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Pensio expresse habetur pro derelicta, ubi pensionarius eam recusavit, & per decennium non exegit.
2 Ususfructus per decennium habetur pro derelicto, ubi explicatur.
3 Pensio tacitè habetur pro derelicta, seu extincta, si per spatium quadraginta annorum exacta non sit.
4 Beneficium regulare per spatium quadraginta annorum efficitur seculare, si possideatur à clericis, & è contrà.
5 Quod dicitur de beneficio locum etiam habet in pensione.
6 Differentia inter casum, quo quis expresè, vel tacitè habet pensionem pro derelicta.

1 Pensio ecclesiastica potest duobus modis haberi etiam pro derelicta, expressè, & tacitè; Expresse habetur, ubi clericus pensionem oblatam recusavit, & coram titulari, aliisque testibus declaravit se nolle ea uti, & interim elapsum sit decennium absque ulla exactione. Hoc sanè casu non solum quoad titulum, sed etiam quoad possessionem habe-
2 tur pro derelicta; sicuti ususfructus habetur pro derelicto, si usufructuarius per decem annos inter præsentes eo non utatur *l. corruptionem, ibique Gloss. in versic. altercantibus in fin. eod. de usufruct.* ibi = *et sic est mirabile, quod actio personalis competens pro usufructu tollitur decem annis inter præsentes* = *§. finitur, ibique institutistæ quibus mod. ususfruct. amittatur*. Sanè hæc paritas congruit casui nostro; Nam, ultra non usum decennalem, concurrit etiam voluntas pensionarii recusantis pensionem exigere; & hoc sinè dubio est habere pensionem pro derelicta; Item per non usum decennii ususfructus habetur pro remisso, & præscripto, saltem ope exceptionis, etiamsi voluntas expressa non utendi non concurrat *Gloss. in d. l. corruptionem cod. de usufruct.* ibi = *sed an ipso jure, respondeo non, sed per exceptionem, quia tempus non est modus &c.* = qua tamen concurrente etiam ipso jure ususfructus habetur pro derelicto, ita à pari in pensione *§. hoc amplius instit. de rer. divis. l. 1. & 2. ff. prò derelict.*

3 Tacite autem, si per spatium quadraginta annorum exacta non sit, nam per lapsum tanti temporis pensio habetur pro derelicta, præscripta, & extincta *Gig. de pension. qu. 85. n. 4. Tondut. eod. tract. quæst. 36. Marescott var. resol. cap. 21. n. 15. lib. 1. Rot. decis. 491. n. 6. cor Molin.*
4 Immo sicuti beneficium per lapsum tanti temporia,

 poria,

poris, si regulare est, efficitur seculare, si à clerico possideatur, & è contra *cap. cum de beneficio de praeben. in 6.* ita à pari, nam
5 quod dicitur de beneficio, locum etiam habet in pensione, quae est pars beneficii *l. 3. ff. pro derelict;* ubi habetur, quod sicuti totum, ita & pars potest haberi pro derelicta, & extincta.
6 Differt hic casus ab antecedenti; nam in primo casu voluntas cum lapsu longi temporis sufficit, ut pensio habeatur pro derelicta: Sed in hoc secundo casu, ut pensio praescripta sit, seù extincta, lapsus longissimi temporis requiritur ex auctoritate *Gig., Tondut., & aliorum, & habetur in cap. de quarta, cap. ad aures, cap. illud, cap. quia indicante de praescript.*, licet ex conjecturis, praesumptio nibus, aliisque facti documentis minus tempus prò hujusmodi effectu sufficiat *Rot. decis. 249. num. 5. coram Cavaler. decis. 491. n. 6. coram Molin;* quod prudentiae judicis remittitur, cum in iis, quae pendent ex facto, certa juris regula dari non possit.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob non praestitum intra certum tempus, seu intra mensem consensum electioni *ad ornatum Text. in cap. quam sit §. electus de elect. in 6.*

SUMMARIUM.

1 VAcat beneficium, si electus intra mensem à die praesentationis electioni non consenserit.
2 Eligentes tenentur quam cito praesentare electionem.
3 Ampliatur haec paene in postulato.
4 Differentia inter postulatum, & electum quoad modum acceptandi electionem, seu postulationem.
5 Post consensum electi, seu postulati tertius non potest impetrare beneficium.
6 Postulato quodammodo beneficium debetur, eique fit injuria, si denegetur absque causa dispensatio, & confirmatio.
7 An pendente dilatione ad acceptandam electionem liceat tertio impetrare beneficium, ubi negative resolvitur, Item in postulato. 8.
9 Beneficium non vacet post mensem ad acceptendam electionem, si electus habuerit impedimentum, ubi declaratur, & distinguitur.
10 An mensis ad acceptandem electionem constituatur ex triginta tantum diebus, vel triginta & uno. 11. 12.
13 Electus si decedat in urbe, beneficium non vacat in Curia, ubi rationes.
14 Si absens provisus de beneficio decedat in Urbe, beneficium non vacet apud sedem.
15 Ampliatur in electis ad Episcopatus, & Ecclesias Cathedrales.
16 Nominatus à Rege ad Episcopatum, si moriatur in Urbe ante confirmationem, potest ab eo fieri nova electio.
17 Religiosi electi ad Prioratus non possunt acceptare electionem absque superioris licentia, alitèr Prioratus ipso facto vacat:
18 In electionibus officiorum regularium non est à Jure statutum tempus ad acceptandem electionem, sed potest à superiore praefigi, quo elapso, ante acceptationem, vacat officium 19.

CAPUT XVI.

1 INtroducta est hujusmodi vacatio pro beneficiis electivis, ne in posterum propter diutinam beneficiorum vacationem praejudicium ecclesiis irrogaretur: Undè merito sancitum est, ut electus ad dignitatem ecclesiasticam teneatur intra mensem à die praesentationis electioni consentire, & beneficium acceptare sub poena vacationis, & privationis, electus enim acquirit in beneficio Jus ad rem, quod indè statim amittit, si intra mensem electioni sibi praesentatae assensum non praestiterit *cap. quam sit versic. electus de elect. in 6. Menoch. de arbitr. cas. 477. num. 1. centur. 5.*. Et ideo, nè ecclesia diu
2 vacans sit, tenentur quamcito electores ità electo praesentare electionem, ut sciat, an velit acceptare beneficium, & praeesse ecclesiae, ad quam per validam electionem promotus fuit, *ità habetur in cap. quam sit de elect. in 6.*
3 Ampliatur quoque terminum ad acceptandam intrà mensem electionem, etiam locum habere in postulatione, nam eadem juris ratio militat *Gloss. in d. cap. quam sit, versic.*
4 *cum hic dicat in fine de election. in 6.*. Hoc tamen interest inter unum, & alium casum, quod electus potest pure electionem acceptare, postulatus verò nonnisi sub conditione obtinendi dispensationem à superiore *Gloss. in cap. cupientes versic. consensum de elect. in 6.*;
5 Verum postquam electus electionem, & postulatus postulationem acceptaverit, non licet tertio beneficium impetrare, & impetratio obtenta non tenet. Et quidem quoad primum casum res est clara, nam electus post consensum acquirit jus in beneficio *cap. cum inter 21., ibique Gloss. in versic. resilire de elect. Gloss. in cap. si tibi absenti versic. potest etiam de praeben. in 6.*; Deinde electus post consensum praestitum electioni, beneficium non tam uti suum, quam debitum potest petere *cap. si tibi absenti de praeben. in 6.*; quoniam electio facit praelatum, & quaerit jus electo, per confirmationem nihil juris quaeritur,

ritur, nisi exercitium *Franc. in cap. quam sit, versic. electus de electione in 6. Rot. decis.240. num.11. cum seqq. cor. Ludovis.*

6 Quo vero ad secundum casum res etiam rationi innititur, nam postulato, dummodo alias idonens sit, & utilis ecclesiæ, beneficium debetur, quod intellige, si postulatio facta sit à toto capitulo, vel saltem à numero duplo majore; & quamvis postulatus nullum jus acquirat in beneficio, nihilominus fit ei injuria, si denegetur absque causa dispensatio, & confirmatio *Gloss. in cap.3. versic. gratia, & Gloss. in cap. penult. versic. nullum de postulat. Gloss. in cap. cupientes versic. gratia de elect. in 6.*

7 Sola oritur dubitatio, an interim, quo electus differt intra mensem acceptare electionem, possit tertius beneficium impetrare. Affirmat *Faber in suo codice lib.1. tit.2. desinit.19.* nam agitur de electione, quæ dependet à conditione potestativa, ideoque purificatio conditionis non retrotrahitur in præjudicium impetrantis *l. si vero §. si filio familiat ff. mandati*, ad differentiam conditionis casualis, seu mixtæ, in qua retrotractio communiter admittitur *L. qui potior in fin. l. qui Balneum ff. qui potior. in pign. habeantur, ubi civilistæ.* Ultra quod electus acquirit jus ad rem, quod in provisione alterius non intelligitur præservatum *cap. si is cui cap. quodam de Præben. in6.* Negat *Boer. quæst.2. num.41*; ubi quod beneficium collatum absenti vacat de facto, & ab alio non potest conferri *per Text. in cap. si tibi absenti de præben. in 6*; huic sententiæ accedit *Franch. in cap quam sit, versic. electus de elect. in 6. ibi= electo quæritur jus ex electione etiam ante consensum ipsius electi, si post electionem talis ecclesia impetraretur, & ante consensum electi, quod non valeat talis impetratio, non facta mentione de electione, cum Papa non intendat tollere jus tertii=*: Subsumes, ergo facta mentione electionis, impetratio beneficii substinebitur, sed hoc argumentum non stringit, nam à sententia doctoris non licet arguere à contrario sensu. *Gratian. discept. forens. cap.689. num.42. Carena resolut.82. num.13. Surd. cons.85. num.39. Rota decis.822. num.6. cor. Seraphino.* Mihi tamen placet sententia *Boerii d. quæst.2. num.41*; ubi sicuti beneficium collatum absenti non potest iterum conferri, seu impetrari, ita multo minus beneficium electi, nam electus jus de præsenti acquirit in beneficio, quod non ita facile tolli potest *cap. si pro te de rescript. in 6. cap.1. & 2. de concess. præben. Clement.1. eod. tit. decis.12. de concess. præben. in novis.* Immo juxta opinionem *Abb. in cap. accedens de præben.* collatio non convalescit, licet primus provisus beneficium repudiet, & ratio est, quia explorari debet absentis voluntas; quod & Baldus solidiori probat ratione, nam ideo beneficium collatum absenti non potest iterum conferri, seù impetrari, quia jam facta est collatio *ità habetur in Margatita Baldi impressa penes Innocentium versic. beneficium*, Item electus habet facultatem acceptandi beneficium, seu electionem intra mensem, & prout beneficium juris est, auferri non debet *cap indultum de regul. jur. in 6.* Demum beneficia electiva non veniunt sub reservatione, nec possunt impetrari *Gloss. in cap.2. de præben. in 6.*, ultra quod præjudicium irrogatur eligentibus, quibus nova electio de jure competit, si electus infra mensem non acceptet *cap. si electio de elect. in 6.* Hæc sine dubio consideranda sunt à ministris Dataria, nam de potestate Papæ non dubito, sed de ea constare debet, prout tunc apparet, quando confert beneficium cum clausula motu proprio, de plenitudine potestatis, seù signat gratiam quibuscumque non obstantibus, alioquin simplex collatio, præsertim, si prout de jure concepta sit, non tollit jus electo, etiamsi ex post beneficium acceptatum sit; Non enim verisimile est voluisse Papam tot legibus derogare, & electum sinè causa privare beneficio, quod ratio non patitur; Idem-
8 que jus locum sibi vindicat in postulato, si alias idoneus sit, & utilis ecclesiæ, postulatio enim regulis electionis consistit *Gloss. in cap. cum inter 21. versic. resilire de elect. Gloss. in cap.3. cap. penult. de postulat.*

9 Ulterius post terminum unius mensis ad acceptandam electionem non vacat beneficium, si electus justum habuerit impedimentum, quo electionem acceptare non potuit; nam regulariter impedimentum præbet justam excusationis causam *cap. quia diversitatem de concess. præben. l.1. §. ultim. in fin. cod. de annal. except.*, & in specie *Franch. in cap. quam sit versic. electus de elect. in 6.*, quod verum est in impedimento facti, nam, si agatur de impedimento juris, distinguere oportet inter unum impedimentum, quod jam aderat, & aliud, quod inde supervenit; primo casu electio est ipso jure irrita, quod patet in excomunicato, & suspenso *secundum Gloss. in cap. cum dilectus de consuetud. Gloss. in cap. Apostolicæ de exception. cap. si celebrat ibique Abb. de cleric. excomun. minist.*. Secundo casu subdistinguendum est, aut electio cassatur ab Episcopo, vel à Papa ex officio, seù ad preces eligentium, hoc casu beneficium vacat, quia electus veluti privatus per sententiam judicis amittit jus, quod per electionem in beneficio obtinuit *Gloss. in cap. postulastis de cleric. excom. minist. Gloss. in cap. proposuit versic. vacare de concess. præben.*. Aut verò electio non cassatur etiam in iis casibus, in quibus de jure ea permittitur, tunc electus tenetur facere omnes diligentias ad tollendum juris obstaculum, de quibus si doceatur, etiam post mensem, obtenta dispensatione potest electio acceptari, nec post lapsum mensis beneficium dicitur vacans, quia impedito tempus non currit *cap. final. de elect. l.1. §. ult. cod. de annal. except.*; Si verò de diligentiis non constet, omnis ratio dictat, electum post mensis lapsum omni jure beneficio esse privatum, immo toties beneficium vacare censetur, quoties capitulares post mensem

alium

alium clericum idoneum elegerint *cap. si electio, ibique Gloss. versic. alium de elect. in 6.*

10 Hinc gravissima occurrit juris disputatio, an mensis datus electo ad acceptandam electionem ex triginta tantum diebus completis consistere debeat, seù potius ex diebus, qui naturaliter currunt, constituatur, ad dignoscendum, an iterum vacet beneficium pro omnibus juris effectibus. Variæ sunt in hac disputatione opiniones, quas recensere omninò inutile censemus quoad præsentem inspectionem, duas tantum innuere arbitror, à quibus sinè dubio pendet hujus disputationis resolutio. Prima igitur opinio est mensem de jure civili constare ex triginta diebus *Tiraquell. in l. si unquam versic. susceperit filios num.208. C. de revocan. donat. Alexand. conf.114. num.12. 13. lib.5.*, sicuti ex tercentum sexaginta annus apud Romanos constituebatur; Romani enim in computatione anni eodem utebantur jure, quo Egyptii *ex latè deductis per Menoch. de arbitr. cas.50. in princ. centur.1. lib.2. Alex. d. conf.114. n.13. lib.5.*

11 Secunda autem opinio, quæ quidem verior est in puncto Juris, oppositum defendit, mensem scilicet sumendum esse, prout naturaliter currit, non enim verum est, annum apud Romanos computari ex solis tercentum sexaginta diebus, prout mos erat apud Ægyptios, sed potius jure codicum, & digestorum conflari ex tercentum sexaginta quinque diebus, sicuti in hac computatione ita se habet praxis Ecclesiæ *Gloss. communiter recept. in cap. quam sit, versic. mensem de elect. in 6.*, *& habetur in l. ita vulneratus ff. ad leg. Aquil, ibi = tercentum sexaginta quinque diebus = l. cum hæres §. statibus ff. de stat. liber. Bart. in l. cum bisextus ff. de verborum significat. Puteus decis.432. num.3. in fin. lib.2. cum relat. per Altograd. conf.29. num.15. per tot. lib.1.*, ubi opinionem *Menoch.* mordicus impugnat.

12 His positis ad nostrum propositum inferendum est, valere intra mensem acceptationem Beneficii, si mensis à die, quo præsentatur electio, habeat triginta dies, & in sequelam acceptationem etiam substineri in trigesimo primo die, si mensis triginta, & uno confletur, Quod si mensis jam inchoatus sit, tunc quod deest huic mensi, supplendum est ex sequenti *ita Gloss. in cap. quam sit, versic. mensem de elect. in 6. Altograd. consil.29. lib. 1. per totum, Rota decis.432. num. 3. lib.2. coram Puteo.* E contra, si electus acceptaverit electionem extra terminum juris, dubitandum non est, quominus beneficium iterum vacare censeatur, sed tamen Jus eligendi, redit iterum ad Capitulares *cap. si electio de elect. in 6. Piton. discept.4. n.48.* alioquin si intra semestre, aut trimestre computandum à die ultimi mensis Capitulares non elegerint, potest Beneficium uti vacans, seù uti devolutum ab Episcopo conferri, seù a Papa impetrari, *cap. licèt, cap. dilecto de supplen. neglig. Prælator. Cap. quia diversitatem de Concessione præben. Garz. de Benef. par.10. cap.3. in princ.*

13 Hæc autem impropria vacatio est, nam si electus decedat in Urbe, Beneficium non vacat in Curia, prout disponitur *in cap. 2. de præben, in 6.* sed electio iterum redit ad Capitulares, ut jam dictum est, quod ratione non caret, nam *Text. in cap. 2.* loquitur de Beneficiis vacantibus per obitum in Curia post obtentam collationem, seù institutionem, ideoque beneficium electi, qui nondum confirmationem obtinuit, non comprehendit *Rot. decis.6. num.2. de elect. in novis dec.25. num. 8. post Tamburrin. de Jur. Abbat.* Ac etiam quia Beneficia electiva non veniunt sub reservatione, nisi de iis specialis fiat mentio *Clement. 1. de præben. Gloss. in cap.2. de præben. in 6.* Quod probatur à simili, nam ille, cui in absentia ab Episcopo Beneficium collatum est, nullum Jus ante acceptationem acquirit *cap. Si tibi absenti de præben. in 6.* ideo-
14 que, si interim ita provisus decedat in Urbe, Beneficium non vacat in Curia, seù apud Sedem, & in sequelam non potest à Papa impetrari, quia Collatarius non habet Jus in re, sed ad rem, *ita Franch. in cap. præsenti num.4. ibique Geminian. num.2. de præben. in 6.*

15 Quod quoque verum est in electis ad Episcopatus, & Ecclesias Cathedrales, quod interdum accidit in electionibus, quæ fiunt a Capitulis in partibus Germaniæ; si enim ita electus decedat in Curia, Jus, quod obtinuit per Canonicam electionem in Episcopatu, statim amittit, & consequenter iterum vacat Episcopatus, sed Papa non providet; Jus enim iterum eligendi Pastorem Ecclesiæ ad Capitulum revertitur, *cap. Si electio de*
16 *elect. in 6.* Sic quoque Rex nominans Prælatum ad Episcopatum, & antequam nominatus præconizzetur à Papa in Concistorio, moriatur in Urbe, potest a Rege alia fieri nominatio, acsi iterum, licèt impropriè, Episcopatus vacaret, nam nominatio nullum Jua tribuit nominato *cap. sicut de elect.* & ita se habet praxis Romanæ Curiæ.

17 Denique illud etiam adiiciendum est, quod Monaci, & Religiosi electi ad Prioratus Conventuales, vel Claustrales, & alia officia regularia, nequeunt sinè licentia sui Superioris hujusmodi officia acceptare; Monaci enim æquiparantur servis, qui non habent nec velle, nec nolle *cap. Si religiosus de elect. in 6.* Ideoque si quis absque licentia Superioris consensum electioni præstiterit, omne Jus, quod in Officio, vel Prioratu obtinuit, ipso facto, & absque ulla declaratione hominis prorsus amittit, *ut habetur in extravag. si Religiosus de electione inter communia*; Et in hoc casu
18 vacat ipso jure officium regulare; Non enim in hisce electionibus officiorum regularium ullum tempus à jure statutum est ad acceptandam electionem, sed totum repositum est in arbitrio Superioris regularis, qui ex majori, aut minori electi distantia potest terminum juris statuere, extendere, aut moderari,
19 ac etiam, si ratio exigit, prorogare; Unde si intra terminum à Superiore præfixum, re-

gularis

gularis electus officium non acceptaverit, dubium non eſt, quominus illud iterum vacare cenſeatur ad omnes juris effectus *Cap. quam ſit verſic. electus, de elect. in 6., cap. ſi tibi abſenti, ibique Gloſſ. verſic. terminum, verſic. eo lapſo de præben. eodem*.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Penſio de jure non haber certum tempus, quo acceptari debeat.
2 Limità, ſi præfigatur.
3 Poſt lapſum temporis penſio extinguitur.

1 HÆc quæ dicta ſunt de electis ad beneficia, ut ſcilicet teneantur intra menſem electioni aſſenſum præbere ſub pœna vacationis, non habent locum in reſervatione penſionis, in qua certum tempus pro ejus acceptatione de jure ſtatutum non eſt. Itaque penſio poſt annum, biennium, & ultra à Clerico poteſt acceptari, nec ex eo, quod fortè tardiùs Clericus acceptaverit, penſio extinguitur, niſi elapſum ſit longum, aut longiſſimum tempus, *ut in cap. antecedenti in additione*; nam pœna locum non habet, niſi in caſibus à jure expreſſis *Gloſſ. in cap. final. in fin. de Jurepatr.*

2 Attamen poteſt à Papa penſio reſervari ſub conditione, ut Clericus teneatur intrà certum tempus illam acceptare ſub pœna privationis, ſeu extinctionis; Hoc quidem caſu nil differt Penſionarius ab electo ad dignita-
3 tem eccleſiaſticam. Nam poſt lapſum temporis penſio extinguitur, ſicuti poſt menſem de jure vacat iterum beneficium electivum *Cap. quam ſit de elect. in 6., Cap. ſi tibi abſenti de præb. eodem, utrobiq; Gloſſ. & Interpretes.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Penſionis ob non petitam intra tres menſes, ſeu intra certum tempus confirmationem *ad ornatum Text. in cap. quam ſit §. Cæterum de election. in 6.*

SUMMARIUM.

1 ELectus non petens confirmationem intrà tres menſes beneficium ipſo jore amittit.
2 Electo ſufficit, quod intrà trimeſtre petat confirmationem, licet poſt trimeſtre obtineat.
3 Confirmatio petita ab electo poſt trimeſtre non valet.
4 Quid ſi petatur à Papa? diſtinguitor.
5 Beneficium electi non vacat in Curia, ſi ibidem moriatur.
6 Electus poſt conſenſum acquirit jus ad beneficium.
7 Hæc vacatio inventa eſt, ut citius Eccleſiæ Cathedrales de idoneis Paſtoribus provideantur.
8 An ob negligentiam non petentis confirmationem intra trimeſtre poſſit valide beneficium impetrari, & conferri, ſeu potius jus eligendi redeat ad Capitulum cum diſtinctionibus reſolvitur quæſtio ibidem 9.
10 Hujuſmodi diſtinctiones non habent locum in Papa, ſi ad ipſum electionis negotium delatum ſit.
11 Poſt præſentatam Papæ poſtulationem non poſſunt poſtulantes ab ea recedere, idem in electione præſentatâ.
12 Beneficium electi decedentis in Urbe poſt conſenſum non vacat in Curia.
13 Ampliatus, ſi electus poſt conſenſum renunciet Beneficium coram Notario in Curia.
14 Renunciatio facta coram Notario in Curia non eſt facta in manibus Papæ, ſecus è contra.
15 Poſt obtentam confirmationem Beneficium vacat in Curia, ſi confirmatus ibidem moriatur.
16 Electus acquirit Jus in re, ſi electio fiat ab eo, qui habet poteſtatem eligendi, & confirmandi, ubi de effectibus Vacationis.
17 Electus petens confirmationem ab eo, qui non habebat poteſtatem confirmandi, non amittit Jus electionis.
18 Electus habens duas electiones non poteſt Jus ſuum ex utraque proſequi, & quare.
19 Electus petens confirmationem ex electione nulla, cenſetur renunciare Jus alterius, niſi facta ſit ab eo, qui habet poteſtatem ſanandi nullitates, ibidem n. 20.
21 Conſenſus uni electioni præſtitus ſine præjudicio alterius de Jure repugnat; & vacat beneficium, ibidem in fine.
22 Epiſcopus confirmatus tenetur ſuſcipere munus conſecrationis intra tres menſes, aliter poteſt Epiſcopatu de Jure privari.
23 Epiſcopus non ſuſcipiens munus conſecrationis intrà tres menſes tenetur ad fructuum reſtitutionem, & privatur ipſo jure, ſi per totidem alios menſes non fecerit ſe in Epiſcopum conſecrari, quod declaratur. ibid. 24.
25 Alexander IV. depoſuit ex hoc capite Archiepiſcopum Salisburgenſem.
26 Vacant ipſo Jure Beneficia Epiſcopi electi, & confirmati poſt lapſum tempus de conſecrandis.
27 Ampliatur, etiamſi Epiſcopus electus, & confirmatus diſpenſationem à Papa de differenda conſecratione impetraſſet, ubi de ratione.
28 Limitatur, ſi diſpenſatio de differenda Conſecratione, & retinendis Beneficijs conceſſa ſit, quod explicetur ibidem.

CAPUT XVII.

1 OST præstitum electioni consensum, eo modo, quo *in capite antecedenti dictum est*, tenetur Inde electus petere intrà tres menses confirmationem, alioquin post lapsum trimestris Beneficium ipso Jure amittit *cap. quam sit §. cæterum de elect. in 6. Petrus Gregor. de Benef. cap. 25. num. 12. Rebuff. in concordat. rubric. de Regia ad Prælaturam nominatione §. Monasteria Gloss. verb. vacantibus versic. 12. & 13.*

2 Verum, ut evitetur hæc pœna, satis est, quod electus coram Superiore compareat, & intra trimestre petat confirmari, nilque refert, quod post Trimestre confirmationem obtineat; Lex enim imposita est electo prò petenda intrà dictum tempus confirmatione, non Episcopo confirmanti; & justa quidem ratione, quia Episcopus antè confirmationem prius inquirere debet de idoneitate, & habilitate electi, an scilicet omnibus Juris requisitis polleat ad beneficium, seu ecclesiasticam Prælaturam obtinendam *cap. postquam de electione. Gloss. in cap. quam sit de elect. in 6.*

3 Præterea, si electus post lapsum trium mensium petat, & obtineat ab Episcopo confirmationem, talis confirmatio non prodest electo, nec ex parte confirmantis, nec ex parte petentia confirmationem; Non quidem ex parte confirmantis, nam extra terminum juris cessat in Episcopo confirmandi potestas, multo minus ex parte petentis, nam electus jus ex electione quæsitum jam perdiderat *cap. quam sit de elect. in 6., cap. non firmatur de regul. jur. in 6. l. quod ab initio ff. eod. tit.*

4 At quoad Papam confirmantem cum distinctione procedendum est, nam duplex est confirmatio, alia, quæ fit in forma communi, alia in forma specifica. Si Papa confirmat electionem in forma communi, post lapsum trimestris nil prodest electo talia confirmatio, quia nil remanet, quod possit, & valeat confirmari *Gloss. in cap. 1. versic. confirmationem de confirmat. util., vel inutil. Hostien. in summa num. 7. eodem tit.* Si verò confirmat electionem in forma specifica, seu motu proprio, & de plenitudine potestatis, tribuitur ex nunc electo novum jus, perinde ac si de novo à Papa esset electus, nam Papa confirmando electionem reddit firmum, quod erat infirmum, quinimmo, ut confirmatio roboris firmitatem habeat, solet ex motivis prudentialibus dispositioni juris derogare, ut praxis docet in Episcopatibus, aliisque Prælaturis Germaniæ *Gloss. in cap. quam sit in fin. de elect. in 6.*

5 Fateor hujusmodi vacationem esse impropriam *ex deductis per Rot. decis. 6. de elect. in novis*, ubi quod beneficium electi ad Prælaturam non vacat In Curia, si ibidem moriatur, sed tamen vacatio est, prout inter vacationum species adscribitur; Nam electus post præstitum electioni consensum jus ad beneficium, seu Prælaturam acquirit *cap. cum inter 21., ibique Gloss. versic. resilire de elect. Gloss. in cap. si tibi absenti in additione versic potest de præben. in 6. Rot. decis. 240. num. 10. cum seqq. coram Ludovis.*;

6 (see line above)

7 Et merito à jure inventa est, ut ita citius provideantur ecclesiæ omnes, & præsertim Cathedrales de idoneis Pastoribus *cap. quam sit ibique Interpret. de elect. in 6 Gloss. in cap. cupientes eodem tit. in princip. in versic. quod si per viginti dies*, ubi enumerat casus, quibus electus ipso jure privatur Prælatura secularì, vel regulari.

8 Gravia hinc oritur quæstio, an ob negligentiam electi non petentis confirmationem intrà tres menses possit validè beneficium tanquam vacans conferri, & impetrari, vel potius jus eligendi iterum redeat ad capitulum: quæstio resoluta videtur *ex dictis in cap. antecedenti*, dictum enim ibidem est, quod electus omittens electioni consentire intrà mensem, amittit statim beneficium, & potestas iterum eligendi redit ad capitulum, perinde acsi denuò beneficium vacaret, ita à pari eadem ratio militare videtur in hoc casu, in quo electus post præstitum electioni consensum neglexit intrà tres menses confirmationem petere; Utrobique concurrit negligentia, utrobique datur nova vacatio, ergo in utroque casu Jus eligendi redit ad capitulum, prout revertitur, si electus renunciet, & moriatur, vel alias perpetuo fiat inabilis *cap si electio de elect. in 6.*

9 Et quamvis iste discursus videatur plausibilis argumento à non acceptatione electionis intra mensem ad non petitam confirmationem intra trimestre, nihilominus magis juridicum mihi videtur in præsenti quæstione cum distinctione procedere; Aut enim negotium confirmationis nondum delatum est ad episcopum confirmantem, tali casu jus iterum eligendi ad capitulum revertitur, sicuti si electus intrà mensem electionem non acceptet; & ità de jure parificantur non acceptare electionem intrà mensem, & non petere confirmationem intra trimestre; Aut verò negotium confirmationis delatum est ad episcopum, qui & insuper agnovit habilitatem electi, petitionem admisit pro confirmanda electione, *juxtà Text. in cap. final de elect. in 6. cap. postquam eod. tit. in antiqu.*, tali casu, si ita electus petitam confirmationem prosequi omittat, vel beneficium renunciet, aut moriatur, jus iterum eligendi competit capitulo ut supra; Aut demum capitulares scienter elegerunt indignum, vel non servarunt

runt formam electionis, tunc jus providendi ecclesiam devolvitur ad Papam, seù Episcopum, si interim electus moriatur, vel beneficium dimittat *juxta distinctionem Text. in cap. quamquam de elect. in 6.*; quod generaliter verum est, sivè negotium ad episcopum delatum sit, vel non, nam capitulares ob electionem indigni, & ob non servatam formam electionis, scrutinii, & similium ipso jure privantur pro ea vice potestate iterum eligendi, *ita distinguit Gloss in cap. si electio, versic. si renunciat in fin. de elect. in 6.*

10 Hujusmodi autem distinctiones non habent locum in Papa; si enim electionis negotium ad ipsum delatum sit, & interim electus antè confirmationem moriatur, vel renunciet, tunc beneficium morte, vel renunciatione iterum quidem vacare censetur, licet impropriè, sed Papa providet ex integro, quia ex appositione manuum beneficium remanet affectum, & reservatum, *ut habetur in extravaganti ad Romani de præben. inter communia, & tradit Eneas de Falconib. de reservat. quæst. 4. in principio effect. 46.*

11 Similis casus est in postulato ad beneficium coram Papa, nam post præsentatam postulationem nequeunt postulantes ab ea recedere ob jus Papæ quæsitum *cap. bonæ 4. de postulat.*; quod speciale est, ut electio, quæ per confirmationem impleri non potuit in electo, vel defuncto, vel renunciante, perficiatur in alio per novam provisionem factam à Papa ex integro, nisi tamen aliud habeatur in concordatis, ad quæ te remitto.

12 Limitatur, si electus post consensum decedat in urbe, nam tunc licet beneficium vacet ibidem per ejus obitum, non tamen vacat apud sedem, & jus eligendi iterum redit ad capitulares, nulla habita distinctione, an defunctus in urbe ad episcopatum, seù aliam dignitatem inferiorem electus sit, pari utrobique concurrente ratione *cap. si electio de elect. in 6.*; Imò propriè loquendo per obitum electi antè confirmationem beneficium non vacat, quia electus etiam post consensum electioni præstitum acquirit dumtaxat jus ad rem *Gloss. in Clement. 1. versic. collatio, ut lito pendente decis. ult. de elect. in novis.*

13 Idem dicendum est, si electus post consensum ut supra, beneficium renunciet coram Notario in curia, quod potest fieri *ex plenè deductis per Rot. decis. 8. de jurpotr. in novis*;

14 nam renunciatio facta coram Notario in curia non est facta in manibus Papæ, licet è contra facta in manibus Papæ dicatur facta in curia, ideoque jus eligendi iterum devolvitur ad eos, quibus de jure competit *cap. si electio de elect. in 6. dicta decis. 8. de jurepatr.*, & ita ni fallor, hæc est praxis fundata in ratione, & canonum auctoritate; quod

15 secus est post obtentam confirmationem, nam tunc beneficium vacat in curia, si confirmatus ibidem moriatur, vel renunciet, & in sequelam provisio ecclesiæ ad Papam pertinet *Zabarell. in Clement. 1. num. 21. ut lite pendente decis. ultima in novis de elect.*

16 Similiter electus acquirit jus in re, si electio fiat ab eo, qui habet potestatem eligendi, & insimul confirmandi, nam eo ipso, quod quis eligit, confirmare videtur *Innoc. in cap. cum inter 21. num 3. de elect. Rot. decis. ult. in fin. de elect. in nov. decis. 1. eod. tit. in antiqu.*, idcirco si interim electus renunciet, vel moriatur, beneficium iterum vacat *Rot. decis. 25. num. 9. post Tamburrin. de jur. Abbat.*, & si vacat per obitum in curia, ejus collatio spectat ad Papam, quia propriè loquendo collativum beneficium est, non electivum *cap. 2. de præben. in 6*; Item si vacat per obitum in mense apostolico, quia per collationem consumpta est facultas providendi ecclesiam *Rot. decis. 25. per tot. post Tamburin. de jur. Abbat.*; ubi resolutum fuit valere impetrationem beneficii obtentam à Papa contra electum iterum à capitulo ordinario collatore, ut ibi.

17 His positis, notandum est, quod per confirmationem invalidam non amittitur jus ex electione quæsitum, idcircò nulliter confirmatus ab eo, qui non habebat potestatem confirmandi, potest iterum adire suum superiorem pro obtinenda confirmatione in forma juris *cap. si confirmationem ubi scribentes de elect. in 6. Lotter. de re benef. lib. 2. cap. 18. num. 24. Altograd. Jun. controv. 43. in fin.*

18 Notandum similiter est, quod electus habens duas electiones non potest jus suum ex utraque prosequi prò obtinenda confirmatione, repugnat enim, quod quis habeat idem jus ex duabus electionibus; quod patet, nam si prima electio valida est, secunda illegitima adjudicari debet, & è contra, undè electus debet ex una tantum electione confirmationem petere, & una acceptata nequit ad aliam regressum habere *cap. ut quis duas de elect. in 6.*; Sicuti habens duo remedia, aut duas actiones per acceptationem unius alteri renunciare censetur, si sciebat utramque sibi competere *l. servi electione ff. de legat. 2. Rot. decis. 552. per tot cor. Merlin. lib. 2.*; & con-

19 sequenter si electus petat confirmari ex ea electione, ex qua nullum jus in beneficio quæsivit, beneficium iterum vacat ex tacita alterius electionis renunciatione, & ratio est, quia sicuti electus jus ex electione, quam acceptavit, acquirere non potuit, ita nihil obtinet ex confirmatione, ubi enim electio

20 est nulla, ibi confirmatio nil prodest, nisi facta sit ab eo, qui habet potestatem sanandi omnes electionis defectus, prout in Papa, qui ex confirmatione, seù provisione ex integro tribuit novum jus electo independens ab actu ipsius electionis *ad theoricam Bartol. in l. more majorum num. 5. versic. aut erat in sua libera potestate ff. de jurisdict. omn. Judic. Rot. decis. 518. num. 11. par. 19. recen.*

21 Hujusmodi autem consensus purè non conditionaliter ab electo præstari debet, nam acceptatio unius electionis sine præjudicio alterius in jure reprobatur ex pluribus, primo quia electio est actus legitimus, qui non recipit diem, neque conditionem *leg. actus legitimi*

K

timi ibique Gloss. ff. de regul. juris ; Secundo, quia electio fit conditionalis, si una acceptetur sub conditione prosequendi etiam jus ex altera, perindè acsi eligentes in hisce duabus electionibus dedissent vota alternativa, & conditionalia, quæ in electionibus improbantur *cap.2. de elect. in 6. ubi omnes* : Tertio demum, quia acceptans unam electionem citra præjudicium alterius cumulat sibi contraria *Ancharan. in cap. ne quis duas num.5. ibique Archidiacon. Geminian. Monac. de elect. in 6.*, ideoque ex electione sub conditione acceptata sine præjudicio alterius vacat iterum beneficium, cum electus jus suum prosequi debeat pro obtinenda confirmatione vel ex una, vel ex alia electione, non autem ex utraque *cap. ne quis duas de elect. in 6. Lap. allegat.8. num.4.* ; Quod, ni fallor, nullam in puncto juris dubitationem admittit, quoniam capitulares, qui electioni non purè consenserunt, pro ea vice privantur voce *cap.2. de elect. in 6.*, ita ergo electus, qui citra quodcumque præjudicium unam electionem acceptavit, ob omni jure electionis cadit eo ipso ; Sanè argumentum validissimum est, cum vis privationis tam respectu eligentium, quam electi tota consistat in consensu non pure præstito, *ut notat Gloss. ibidem in fin.* ; Deindè ex eodem textu ob acceptationem unius electionis sine præjudicio alterius impartitur capitularibus facultas iterum eligendi *Ancharan. in d. cap.2. ante num.1. de elect. in 6.* ; Quæ quidem iterata eligendi facultas intra juris terminum non competeret, nisi nova daretur vacatio, ergo &c.

22 Notandum etiam est, quod post confirmationem episcopus tenetur munus consecrationis intra tres menses suscipere, quibus elapsis potest episcopatu privari, si consecrari renuat *ex plenè deductis per Adden. ad Lap. allegat.34. lit. D.* quod probatur *ex Triden-*
23 *tin. sess.23. cap.2.*, ubi episcopus non suscipiens munus consecrationis intra tres menses tenetur ad fructuum restitutionem, & privatur ipso jure episcopatu, si per totidem alios menses non fecerit se in episcopum con-
24 secrari, Hoc tamen procedit, ubi Tridentinum receptum est, alioquin ad id de jure cogendus est sub hac pœna *juxtà Text. in canon. quoniam, ibique Gloss. versic. careat. Archidiac. Turrecremata, Geminian. Præpositus distinct 100. idem docet Compostellan. in cap. cum in cunctis colum. 3. de election. Hostien. ibidem column.3. versic. dic ergo Cardinal. in cap. cum in cunctis §. cum vero col 1. in tertia quæstione de elect.*, & ita Alexan-
25 der IV. *teste Baronio, anno 1257. num.9.* deposuit Archiepiscopum Salisburgensem, qui per novennium ad ordinem episcopalem distulit promoveri.

26 Notandum denique, quod post lapsum temporis de consecrandis vacant ipso jure priora beneficia, canonicatus, & dignitates, quas episcopus electus, & confirmatus antea pacificè possidebat *Gloss. in cap. si gratiosè versic. gratiosè de rescript. in 6.* ibi = *si promoveatur in episcopum post consecrationem, seù post decursum tempus de consecrandis episcopis vacabunt priora beneficia per Text. in cap. cum in cunctis §. cum vero de elect.*

27 Ampliatur, etiamsi episcopus electus, & confirmatus dispensationem à Papa de differendam ordinatione, seù consecratione impetrasset, nam dispensatio tanquam stricti juris non potest extendi ad retentionem beneficiorum *Innocent. in cap. de multa num.2. de præben. ibi = sed quid, si ex dispensatione longo tempore differtur ordinatio episcopi; numquid interim vacabunt beneficia? Respondeo immò, & vacabunt, & etiam tanquam vacantia aliis conferentur, quia dispensatio est restringenda, ut non extendatur ad retentionem beneficiorum Hostien. ibid. num.5. versic. quid si confirmatus Compostellan. in cap. cum in cunctis super verbo decurso in Gloss. quæritur quod tempus circa medium versic. item quid si electus ibique Hostien. num.28. 29. de elect.*

28 Porro, ut episcopus electus, & confirmatus possit retinere beneficia etiam post lapsum tempus de consecrandis, specialis requiritur dispensatio, quæ sinè dubio vacationem impedit *Gloss. in cap. si gratiosè versic. si gratiosè de rescript. in 6. ibi = est ergo gratia, ut donec voluntas ejus duraverit, beneficia non vacent* = vel saltem opus est, quod dispensatio apostolica concepta sit cum clausula motu proprio, & publicam concernat utilitatem, ne vacent *cap. si motu proprio de præben. in 6. Clementin. si Romanus eod. tit. Compostellan. in cap. cum in cunctis §. cum vero, ibique Hostien. n.29. in fin. de election.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Pensio reservata ab episcopo sub conditione petendi intra certum tempus assensum Apostolicum, extinguitur, si non petatur.
2 Præsertim si adjecta sit pœna privationis *eo ipso*.
3 Pensio resolvitur, si Papa nolit assensum præbere, ubi de ratione.
4 Papa non confirmat pensionem reservatam ab ordinario, sed de novo reservat.
5 Nova provisio Papæ in effectu est confirmatio pensionis.
6 Pensio reservata ab ordinario ex justa causa in beneficiis, quæ gravari prohibentur, habet implicitum statum validitatis.
7 Nullum etiam dicitur, quod est imperfectum, ubi de extinctione pensionis.

1 Pensio reservata clerico ab episcopo sub conditione obtinendi intra certum tempus assensum apostolicum extinguitur, si assensus intra dictum tempus petitus non sit;
2 Præsertim si in reservatione pensionis adjecta sit pœna privationis eo ipso *Gloss. in cap. quam sit*

sit versic. eo ipso de elect. in 6. Clement. 1., ibique Gloss. versic. eo ipso de vit. & honestat. clericor. Tiraquell. in l. si unquam versic. revertatur num. 142. cod. de revocan. donation. Roman. consf. 427. num. 9.

3 Deinde etiam resolvitur, si Papa nolit assensum præbere, nam ob denegationem assensus deficit conditio, sub qua pensio fuit ab ordinario reservata *l. si quis sub conditione ff. si quis omiss. caus. testam. Gloss. in cap. si pro te versic. assensus circa med. de rescript. in 6., ubi Interpretes.*

4 Et quamvis Papa pensionem impositam ab ordinario non soleat confirmare, sed potius de novo reservat, *ut testatur Rebuff. de reser-*
5 *vat. num. 17.*, nihilominus nova provisio est ferè confirmatio, saltem in effectu *Gonzal. ad regul. 8. Cancellariæ gloss. 5. §. 5. num. 33.*
6 Ultra quod etiam dici potest, quod talis reservatio, si facta sit ex causa, quæ in hac re attenditur, habeat implicitum statum validitatis, quamvis imposita sit super beneficio, quod ex decretis apostolicis gravari non potest *§. ex conditionali Instit. de verborum obligat. ibi = spes est debitum iri*; Non enim dumtaxat nullum est, quod nullam juris vim habet;
7 sed etiam dicitur nullum, quod est imperfectum *§. penult. in fin. Instit. quibus modis testamenta infirment.*, in hoc sensu, si non petatur assensus, & Papa renuat confirmare, vel assensum præbère, ut supra, pensionem extingui planum est.

A R G U M E N T U M.

DE vacatione, quando electus ad Beneficium, ac provisus de Pensione ante confirmationem administrat *ad interpretationem Text. in cap. avaritiæ de elect. in 6.*

S U M M A R I U M.

1 ELectus administrans ante confirmationem statim privatur omni jure beneficii.
2 Ampliatur in prælaturis regularibus.
3 Ampliatur in beneficiis patronalibus, imo in beneficiis administrationem non habentibus 4.
5 Ampliatur in abbatissa electa à majori parte monialium, ubi exemplificatur.
6 Ampliatur, si contra abbatissam à numero duplo majore plura obiiciantur in personam, ubi quod est expectandus litis eventus, idem in duobus electis, ibidem.
7 Qui ex duobus electis ante confirmationem administrat, jus gratificationis amittit.
8 Limitatur in beneficiis prius canonicè obtentis, licet electus sic administrans ineligibilis efficiatur, ibidem.
9 Limitatur, si electus ad ministrat de licentia superioris.
10 Limitatur in electis in concordia extrà Italiam.
11 Limitatur, si administrans nullos fructus perceperit.
12 Limitatur, si electus petiit ignorantèr confirmationem ab eo, qui non habebat potestatem confirmandi, secus si scienter.
13 Limitatur ex consuetudine, quæ tribuit electo potestatem administrandi antè confirmationem.
14 Hæc consuetudo de jure non valet, sed præbet justam causam electo, nè beneficio privetur.
15 Consuetudo administrandi antè confirmationem bona ecclesiæ in temporalibus sustinetur, & quare, ubi quod administrans pro necessitate, & utilitate ecclesiæ antè confirmationem hanc pœnam non incurrit, ibidem in fine.
16 Electus ad evitandum scandalum, seu intrusionem alterius potest administrare bona ecclesiæ ante confirmationem, ubi rationes.
17 Limitatur in Abbatibus, & Præpositis habentibus à Papa indultum administrandi bona ecclesiæ antè confirmationem.
18 Indultum administrandi non infert potestatem conferendi beneficia, ubi declaratur.
19 Episcopus electus per confirmationem acquirit potestatem conferendi beneficia, sed hodiè requiritur literarum apostolicarum expeditio, ibidem in fine.
20 Electus non incurrit hanc pœnam, si fructus, quos antè confirmationem percepit, in utilitatem ecclesiæ convertit.
21 Postulatus administrans ante confirmationem cadit ab omni jure postulationis, sed ecclesia non vacat, ubi de ratione.
22 Nominatus à Rege administrans antè confirmationem jure nominationis statim privatur.
23 An electus pro modicis fructibus perceptis antè confirmationem incidat in hanc pœnam?
24 Ministri, & Officiales Principum tenaces sunt in eorum opinionibus.
25 Minister non debet esse tenax, ubi ejus Dominus est fidelis, & largus dispensator.

C A P U T XVIII.

1 On desuit olim in ecclesia, nec deest nunc avaritia, & ambitio nonnullorum ecclesiasticorum, qui vix electi, sed nondum vocati à Deo tamquam Aaron bona ecclesiæ administrare, & fructus percipere antè confirmationem temerè præsumunt; quod quam rationi contrarium sit, nemo ignorat. Undè propterea meritò sacris legibus sancitum est, ut electus ad episcopatum, dignitatem, canonicatum, & ad aliud officium, beneficium, & ministerium ecclesiasticum privetur ipso facto jure electionis, si antè confirmationem se ingerat in administratione ecclesiæ, percipiendo fructus, conferendo beneficia, & his similia peragendo, quæ dumtaxat competunt prælatis præconizzatis, aut confirmatis *cap. avaritiæ de elect. in 6.*, quod etiam probatur *ex cap. qualiter de elect. cap. jamdudum de præben. Oldrad. cons. 191. in fin. Calderin. cons. 8. de elect. Rot. decis. 261.*

decis.261. per tot. cor. Mantic. decis.355. n.4. par.14. rec.

2 Ampliatur in prælaturia regularibus, quæ nil differunt quoad hoc ab episcopatibus, & prælaturia fecularibus *cap. avaritiæ de elect. in 6 cap. qualitèr eod. tit. in antiquis, Lezzan. in summa quæst. regular. lib.1 quæst.15. num.36. Tamburrin. de jur. Abbat. tom.1. disput.6. quæst.1. num.1., Rot. decis.741. n.2. par 2. rec.*

3 Ampliatur in beneficiis patronalibus, quæ sinè dubio sub generali legis dispositione continentur *Geminian. in cap. avaritiæ num.9. de electione. in 6. Sarnen. decis.25. de jurepatron. Rot. decis.261. num.2. 3. cor. Mantic. decis.6. num.1. & 12. de jurepatr. cor. Crescent.* ubi quæstio in utramque partem disputatur.

4 Immò pœna, de qua agitur, locum etiam habet in beneficiis, administrationem non habentibus, quod introductum est in odium se immiscentis, & favore ecclesiæ, licet Textus loquatur de iis, qui se ingerunt in administratione *Sarnen. decis.25. num.3. de jurepatr.*

5 Ampliatur in abbatissa, quæ à majori parte monialium electa debet petere confirmationem ab eo, cui id de Jure competit *cap. indemnitatibus § sanè de elect. in 6.* alioquin, si statim, & antè confirmationem temerè administret in spiritualibus, & temporalibus, incidit in pœnam *Text. in cap. avaritiæ de elect. in 6. Abb. in cap. qualiter in princip de electione.*, ubi quod Abbatissa cadit ab omni Jure electionis, si receperit ab omnibus monialibus juramentum fidelitatis, & obedientiæ, *Rot. decis.45. lib.3. cor. Put.* ubi quod pœna privationis habet etiam locum, quando moniales obbedientiam exhibent.

6 Ampliatur, si contrà Abbatissam electam à majori parte, deindè contra eamdem à numero duplo majore plura objiciantur in personam, hoc casu ità electa nequit administrare, sed est expectandus litis eventus *cap. indemnitatibus §. cæterum de elect. in 6.*, & administrando, cadit ob omni jure electionis, ut supra. Sic quoque expectandus est litis eventus, si duæ, vel duo fuerunt electi, quorum unus habeat saniorem partem, alter numerum, qui non multum excedat, alioquin, qui interim pendente lite administrat jure electionis statim privatur *cap. avaritiæ*

7 *de elect. in 6.*; Ita si ex duobus electis in paritate votorum unus antè confirmationem administret jus gratificationis amittit, si enim electus amittit jus ad rem ex hoc capite, multò magis jus in spe, quod pendet à gratificatione *cap. final. de præben. cap. final. de concess. præben. cap. si is, cui de præben. in 6. Gloss. in cap.1. §. & hoc est verum de cleric. conjugatis in 6. cap. avaritiæ, ibique omnes de elect. in 6.*

8 Hæc est conclusio, quæ nullum habet juris contradictorem, plures tamen patitur limitationes, quarum prima est, in beneficiis prius canonicè obtentis, pro quibus clericus nullam pœnam incurrit, nam nec ex verbis, nec ex ratione dictæ decretalis id inferri potest, licet electus administrans antè confirmationem efficiatur ineligibilis ad alia beneficia, quæ in eadem, vel diversa ecclesia consistunt *Lotter. de re benefic. lib.2. cap.13. n.16. 17.*

9 Secunda limitatio est, si electus administret, & percipiat fructus de licentia superioris, ad quem spectat confirmatio, quoniam electus sic administrans nequit notari, seu redargui de avaritia, & ambitione, quæ sunt primariæ causæ, quibus contra electum inducta fuit hæc pœna; Deindè quia superior jam noverat ejus idoneitatem, scientiam scilicèt, & prudentiam, quæ de jure requiritur in ecclesiarum regimine. Sanè confirmatio à jure inventa est pro discutiendis meritis electi; ideoque administratio ecclesiæ, quæ fit antè confirmationem sciente, & non contradicente superiore videtur quædam tacita confirmatio, quæ prodest electo, nè beneficio privatus sit, ut enim cessat finis legis, ita ejus dispositionem cessare oportet *Geminian. in cap. avaritiæ num.7. ibi = Item jussus superioris excusat. de elect. in 6. Oldrad. cons.146. in fin.*

10 Tertia limitatio est in electis in concordia extra Italiam habentibus à jure indultum administrandi ecclesiam ante confirmationem, quoniam ob longam distantiam non est ita facilia recursus ad Sedem Apostolicam, præsertim in electionibus Episcoporum, Abbatum, & Dignitatum Concistorialium, quarum confirmatio privativè quoad alios pertinet ad Papam *cap. nihil. est, ibique Gloss. in versic. administrent de elect. ubi Interpretes Innoc. in cap. cum venerabilis in fine de consuetud Bartol. in l. ex eo tempore num.6. ff. de militar. testam. Gig. de intrus. num.25. Rot. decis.741. num.4. par.2. rec.*

11 Quarta limitatio est in clerico, qui administravit quidem bona ecclesiæ ante confirmationem, sed nullos fructus percepit, nam ad incurrendam juris pœnam, ultrà administrationem, requiritur ex parte electi etiam fructuum perceptio, sinè qua sola administratio remanet inefficax prò hujusmodi effectu *Rot. dec.45. per tot. lib.3. cor. Put. decis.154. decis.344. utrobique num.17. par.5. rec. decis.382. num.9. cor. Molin. tom.2.* & admittitur *in decis.261. num 8. versic. neque etiam coram Mantic.*

12 Quinta limitatio est, si electus petiit ignorantèr confirmationem ab eo, qui non habebat potestatem confirmandi, habet enim justam causam, & titulum coloratum pro administratione ecclesiæ, & fructuum perceptione, idcircò ex hoc capite beneficio privatus non est *cap. pennlt. versic. quamvis de elect. Rot. decis.1238. num.10. cor. Seraphin decis.154. decis.344. utrobiq. num.16. par.5. rec.* & ratio clara est, quia regularitèr pœna non incurritur, nisi constet de dolo, & fraude electi, qui contra prohibitionem legis administravit ecclesiam cum perceptione fructuum, antequam à suo superiore confirmationem obtineret *l. qui in jus §. nemo videtur ff. de regul. jur.*

jur. Dixi ignoranter, nam si scienter ele-
ctus petierit, & obtinuerit confirmari ab eo,
quem sciebat nullam quoad hoc habere facul-
tatem, & eo fortius, si in vim hujus confir-
mationis & administravit ecclesiam, & per-
cepit fructus, tunc propter contemptum su-
perioris, & legis privatur statim omni jure
electionis *cap. avaritiæ de elect. in 6. Rot. de-
cis.*140. *num.*5. *par.*3. *lib.*2. *decis.*83. *num.*7.
*lib.*3. *par.*3. *divers.*
13 Sexta limitatio fundatur in consuetudine
tribuente electo in concordia potestatem ad-
ministrandi ante confirmationem bona eccle-
14 siæ in temporalibus; Et quamvis hujusmodi
consuetudo uti contraria dispositioni Sacro-
rum Canonum, & Conciliorum videatur
non valere *per Text. in cap. cum venerabilis
de consuetud.*, præbet tamen justam causam,
ne ita electus privetur beneficio *Felin. in
cap. quoniam frequenter num.*23. *versic. & si
statutum, ut lite non contestata Jason. in l.
clam possidere in princ. num.*17. *versic. item
adde, & num.*18. *cum seq. ff. de acquiren.
possess. Valenzuel. cons.*4. *num.*33. *lib.*1, ubi
dicitur, quod pœna statuti privantis absen-
tem à beneficio ultra quindecim dies, non
habere locum, si absens sit ex licentia etiam
ultra alios quindecim dies, & in specie *Ro-
man. singular.*19., ubi dicit hanc consuetudi-
15 nem excusare à pœna temporali, immò hu-
jusmodi consuetudo laudabilis est, prout in
multis locis viget, nam ita bona ecclesiæ ab
injuriis, & damnis illatis, & inferendis per
electum, qui interim administrat, defen-
duntur, & faciunt ad hoc deducta *per Oldrad.
cons.*9. *per tot.*, ubi quod pro necessitate, &
utilitate ecclesiæ electus administrans bona
ecclesiæ, & se immiscens ante confirmatio-
nem Apostolicam, hanc pœnam non incurrit;
& ratio est, quia justa causa semper excusat
à pœna, *Gloss. in l.*1. §. *final. versic. quod in-
terest in fin. ff. si quis Judici non obtempera-
verit Dec. cons.*452. *num.*12. *Aymon. cons.*18.
*num.*9.
16 Clarius, si electus ob publicam utilita-
tem, & ad evitandum scandalum, seu in-
trusionem alterius competitoris ante confir-
mationem administraverit, percipiendo fru-
ctus, constituendo Æconomos, & his simi-
lia, nam tutius est, ut bona ecclesiæ per
legitimum successorem administrentur, quàm
per intrusum violenter occupentur. Sane
pro evitandis scandalis, & inconvenientibus
multa de æquitate permittuntur, quæ de ri-
gore juris non essent toleranda *leg. ita vulne-
ratus versic. multa ff. ad leg. aquil.*, *ibi* =
*Multa autem jure civili contrà rationem di-
sputandi pro utilitate communi recepta esse
innumerabilibus rebus probari potest* = *Gloss.
in cap. cum teneamur versic. si non potest, ibi* =
Et sic propter scandalum receditur à jure =
*Gloss. in cap. cum non ignores versic. scandalo
de præben. Felin. in cap. nihil num.*2. *de præ-
script. Innocen. in cap.*1. *num.*2. *de constitut.*,
ubi quod ex causa licet transgredi leges.
17 Septima limitatio generalis est prò omni-
bus Abbatibus, Præpositis, aliisque gradua-
tis habentibus ab homine indultum admini-
strandi bona ecclesiæ ante confirmationem;
quod quidem indultum à Sede Apostolica so-
let concedi vel ob distantiam loci, vel ob
singulare meritum ecclesiasticis proximè eli-
gendis ad Abbatias, aliasque dignitates ha-
bentes jurisdictionem quasi Episcopalem *ita
Franch. in cap. avaritiæ num.*2. *ibique Gemi-
nian. num.*4. *circa med. de elect. in* 6.
18 Verum sub induito administrandi bona ec-
clesiæ ante confirmationem non continetur
potestas conferendi beneficia, nisi ex ampli-
tudine indulti aliud argui possit, aliud enim
est administrare bona ecclesiæ, aliud eccle-
siastica conferre beneficia, eo modo, quo Ca-
pitulum sede episcopali vacante legitimè jura
episcopalia administrat, beneficia tamen
conferre non potest *cap* 2. *ne sede vacante
Gloss. in cap his, quæ de majoritat. & obed.*;
19 & ratio est, quia Episcopus electus non
per simplex indultum administrandi, sed per
confirmationem acquirit potestatem confe-
rendi beneficia, instituendi præsentatos *cap.
nosti cap. transmissam de elect.*, immò hodie
requiritur literarum Apostolicarum expedi-
tio, *ut dicam infra in cap.*51 *de vacat. literis
non expeditis*.
20 His demum addi potest altera limitatio,
quæ vera est, ut nempe electus administrans
ante confirmationem pœnam privationis be-
neficii non incurrat, si fructus, quos perce-
pit, in utilitatem ecclesiæ convertisset; &
ratio est, quia fructus, quos statim ecclesiæ
solvit, percepisse non videtur *l. qui sic sol-
vit* 55. *ff. de solut. Rebuff. prax. Benef. tit.
de subrogan. Gloss.*4. *n.*21. Ultra quod etiam
in hoc casu cessat in electo avaritia, & ambi-
tio; & quidem cessat avaritia, quia nihil in
usum proprium insumpsit, cessat ambitio,
quia non pro se, sed nomine ecclesiæ admini-
stravit, & fructus percepit, potissimum si ex
urgenti causa id fecerit, quod satis constat
ex dictis.
21 Hæc, quæ dicta sunt de privando electo
jure electionis ex hoc capite, multo magis
procedunt in postulato, qui temerè admini-
strans ecclesiam antè confirmationem cadit
ab omni jure postulationis *cap. bonæ memo-
riæ* 23. *de elect. Roman. cons.*330. *num.*21.;
Ecclesia tamen iterum non vacat, nam po-
stulatus nullum jus in beneficio per postula-
tionem acquirit *cap. postulationem de postulat
Rot. decis.*1060. *num.*3. *cor. Seraph.*
22 Ampliatur in nominato à Rege ad Episco-
patum, Prælaturam, seu Prioratum, ut
nempe privetur omni jure nominationis si
ante confirmationem ausus fuerit ministrare
cap. avaritiæ de elect. in 6. *Jo: Botius in tract.
de Synod. Episcop. in prima parte num.*36.,
quem refert, & sequitur *Rebuff. tit. de sub-
rogan. Gloss.*4. *num.*22.; Verum, ut jam di-
ctum est supra, Episcopatus, Prælatura,
Prioratus non vacant ex hoc capite, nam
nominatus nullum jus acquirit in beneficio
ex sola nominatione *cap. quod sicut de elect.*,
licet

licet Rex possit iterum nominare, ac si iterum Episcopatus, Prælatura, & Prioratus vacarent, nisi tamen fructuum perperam perceptorum compositio facta sit cum Camera pro obtinenda à Papa confirmatione in forma juris.

23 Et quamvis pro modicis fructibus per electum ante confirmationem indebite perceptis pœna privationis beneficii non esset incurrenda ex æquitate, quæ dictat pænam gravem, seù ordinariam pro levi culpa non esse infligendam *Cravett. cons.182. num.15. cum seqq. lib.1.*, ubi quod leve præjudicium habet quædam specialis, nihilominus opinio Cancellariæ est, ut vacet, *Rebuff. prax. benef. tit. de subrogan. Gloss.4. num 20.* Hic sanè rigor juris est, qui in praxi absque dubio videtur temperandus, dum quamdam duritiem,

24 & asperitatem sapit; Sed frustra de hoc conquerimur, nam Ministri, & Officiales sunt tenaces in eorum opinionibus, tùm propter Principis jura, quæ tuentur, tum propter interesse, quod in hac re prævalet, ut experientia docet, sed hoc ipsum rationi re-

25 pugnat; Nam Minister non debet esse tenax, ubi ejus Dominus fidelis, & largus est dispensator *inquit Text. in Canon. alligant in fin. 26. quæst.7.*, præsertim in hoc Ecclesiæ Principatu.

A D D I T I O.

SVMMARIVM.

AN electus administrans bona ecclesiæ ante confirmationem privetur pensione sibi super eodem beneficio reservata, ratio dubitandi, & decidendi. 2. 3.

4 *Textus in cap. avaritiæ* non comprehendit pensiones.

6 Clericus administrans ante confirmationem non privatur beneficiis priùs obtentis, multò minus pensionibus.

6 Explicatur *Glossa in cap.1. de Cleric. conjugat. in 6.*

7 Electus recusans dimittere possessionem Ecclesiæ pensione privandus est.

8 Pensionarius exigens pensionem ante confirmationem pensione privatur.

1 CLericus obtinuit pensionem super Canonicatu, aut alia dignitate ecclesiastica, deinde ad eundem Canonicatum, seù dignitatem eligitur, ac temerè se ingerit in administratione ecclesiæ antè confirmationem, ut supra; quæritur, an ipso jure vacet, & extinguatur pensio?

2 Ratio dubitandi est, quia si Clericus privatur jure electionis, multò magis cadit à jure pensionis, cum pensio nihil aliud sit, quam onus inherens fructibus Beneficii, deinde jus beneficii fortius est, quam jus pensionis, idcirco propter administrationem beneficii ante confirmationem, jus pensionis tanquam minus validum extinguitur *Gloss. in cap.1. de cleric. conjugat. in 6.*

3 Ratio tamen contrarium decidendi est, quia si etiam pensio extingueretur, electus duplici pœna puniretur, altera privatione electionis, altera pensionis extinctione: Utrumque contra regulas juris est *cap., at si clerici §.1. in fin. de judic. l. sanctio legum in fin. ff. de pæn.*, ergo pensio in hoc casu non extinguitur, fortius quia electus in eo, in quo deliquit puniendus est, sed deliquit uti canonicus ad dignitatem electus, non uti pensionarius, ideo jure electionis privatus est,

4 sed non jure pensionis: demum *Text. in d cap. avaritiæ* loquitur de beneficiis, & dignitatibus ecclesiasticis non administrandis ante confirmationem, idcircò non potest extendi ad pensiones, nam in odiosis appellatione beneficii non venit pensio *cap. quamvis de præben. in 6. cap. ad audientiam 2. de rescript. Trident. sess.21. cap.2.*

5 His accedit, quod clericus administrans ante confirmationem non cadit á beneficiis antea obtentis, *ut dictum est supra num.8.*, ergo multo minus pensione sibi prius in hoc eodem beneficio reservata privatus erit, alioquin pœnæ ultra literam, & mentem legis & ultra omnes juris regulas ad alios casus, quos ne Legislator quidem cogitavit, extenderentur, quod repugnat juribus mox relatis.

6 Neque obstat jus electionis fortius esse jure pensionis; respondetur id non esse verum, quia pensio legitimè reservata dat jus, & quidem in re super beneficio, & pensionarius justè exigit fructus, quod dici non potest de electo, qui ante confirmationem fructus beneficii percipere non potest; deindè *Gloss. in in d. cap.1. §. & hoc est verum de Cler. conjug. in 6.* non applicatur casui nostro, nam loquitur, quando vera est inducta pæna vacationis, & casus figuratur in matrimonio, in quo jus fortius, & minus fortè extinguitur, inferendo, quod si vacat per matrimonium jus in re, multo magis jus ad rem; Sed in casu, de quo agitur, privatio pensionis de jure inducta non est contra pensionarium, sed dumtaxat contra electum temerè administrantem bona ecclesiæ ante confirmationem, ergo pensio ex hoc capite non vacat, nec perimitur; Immo pensione privandus non est, quia electus satis punitur in eo, in quo deliquit, nempè jure electionis, *ut dixi*.

7 Privari quidem poterit, si Clericus ita electus renuat dimittere possessionem Ecclesiæ, & fortius si de facto resistit decretis Judicis inhibentis; Sed hæc est vacatio inducta ex alio capite, non ex isto, de quo loquimur *ad interpretationem Text. in cap. avaritiæ de elect. in 6.*

Prædicta procedunt in pensione jam reservata vel super ipso beneficio, ad quod quia fuit electus, aut super alio, quo non remanet privatus propter privationem, & amissionem illius beneficii ob administrationem an-

8 tè confirmationem; Secus verò dicendum est, quan-

quando pensionarius, cui fuit reservata pensio super aliquo beneficio se ingereret in illius exactione, antequam talis pensio fuerit a Papa confirmata, & literas Apostolicas hujusmodi reservationis expediverit, quo casu remanet in pœnam hujusmodi anticipatæ exactionis privatus dicta pensione, quæ in totum annullatur, *ut dicam infrà in cap.51. de vacatione literis non expeditis in additione.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione ob cassationem Electionis, ac Pensionis *ad interpretationem Text. in cap. consideravimus cap. super eo de election. cap. proposuit de concess. præben.*

SUMMARIUM.

1 SEquitur materia cassationis electionis, quæ ex officio spectat ad Episcopos.
2 Cassatur electio Clerici extranei contra privilegie Ecclesiæ.
3 Cassata electione, Beneficium de jure vacat ed omnes juris effectus, quod explicatur ibidem.
4 Cassatur electio, ubi major pars non interfuit electioni Episcopi, requiritur tamen sententia declaratoria, ibidem.
5 Cassatur electio, quando nulla est ex defectu formæ, vel ex capite inhabilitatis electi, ubi differentiæ.
6 Electio facta de eo, qui erat notoriè excommunicatus est nulla, secus si excommunicatio ignota erat eligentibus, ubi declaratur.
7 Non valet secunda electio, nisi prima fuerit cassata.
8 Valet electio, seu provisio Capituli facta contra ordinem Papæ, ubi quod electione, seù provisione cassata, vacat iterum beneficium.
9 Collatio, seu provisio dat jus in re, ad differentiam electionis, quæ indiget confirmatione.
10 Electio cassatur ad preces ejus, qui non fuit vocatus, & commodè vocari poterat.
11 Cassata electione ex hoc capite, eligentes habent novum terminum ad eligendum, nisi appellatum sit, quod declaratur ibidem.
12 Electio duorum ad Episcopatum facta contrà ordinem Papæ cassatur.
13 Cassata utraque electione, Papa providet ex integro, ubi res exemplo declaratur.
14 Arbitrium Principis eligentis regulatur à jure.
15 Papa debet eligere eum in Episcopum, qui utilis sit Ecclesiæ. & Populis, gratus Capitulo, & Clero.

CAPUT XIX.

1 

Videndum modo est, quot modis cassetur electio, ut inde facilius percipiatur, quibus casibus vacent ipso jure beneficia pro effectibus inde resultantibus, quod maximè ab Episcopis notandum est, quibus competit ex officio, aliisque justis de causis cassare electiones, quæ nulliter, & perperam fiunt à Capitulis Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, vel contra privilegia Ecclesiæ, vel non vocatis vocandis, vel non servata forma electionis, vel demum ex capite inhabilitatis electi, cum similibus, de quibus infra. Unde propterea, nè ea cassetur electio, quæ sine dubio confirmanda est, & nè confirmetur ea, quæ necessariò debet cassari, arbitratus sum hæc notabilia inserere in hoc capite, ut vacatio, quæ à Canonistis ob cassationem electionis communiter recepta est, juris fundamentis magis innotescat.

2 Multiplicitèr autem potest electio cassari, primò ubi electio facta est contra privilegia ecclesiæ, quod patet in eo casu, in quo clericus extraneus à Capitulo fuit electus, quando unus de gremio ecclesiæ potius erat eligendus. Hæc sanè electio non est ipso jure nulla, sed potest ab Episcopo, seù à Papa ex officio annullari, non enim præcipit dispositio juris, ut, qui est de gremio ecclesiæ, eligi necessario debeat, sed tantùm consulit, præsertim si in privilegiis ecclesiæ decretum irritans, quod actum electionis inficiat, insertum non fit, nam tunc eadem privilegia prohibent quidem aliter electionem fieri, sed factam non retractant, *ità habetur in cap. consideravimus de election.*, ubi Papa duplicem cassavit electionem, altera, quia post appellationem, & contrà tenorem privilegiorum ecclesiæ fuit celebrata, altera verò quia facta fuit, prima non cassata; Undè propterea omnia in pristinum statum reducenda sunt, idest, quod nova fiat electio juxtà privilegia ecclesiæ, prout iterum Papa facultatem tribuit electoribus eligendi alium, ut ibi, & habetur *in cap. cum dilectus verbo cassetis de election.*

3 Cassata itaque electione ab episcopo, vel ex officio, vel ad preces aliorum, qui huic electioni contradixerunt, iterùm vacat beneficium, quod ab eodem ordinario liberè potest conferri, privando electores, qui deliquerunt in forma electionis, jure iterùm eligendi *Passerin. de canonic. elect. cap.31. num.11.* Quod fortiùs procedit in Papa, qui eo ipso, quod cassat electionem, vel motu proprio confert beneficium, censetur privasse electum omni jure, quod ex electione in beneficio acquisierat *Abb. in cap. proposuit num.21. de concess. præben. Franch. in cap. præsenti n.4. in fin. de præben. in 6.*, ubi dicit, quod ea beneficia, quæ vacant per cassationem Papæ, vaca-

vacare dicuntur in Curia. Quod tamèn pendet ab arbitrio Papæ, an velit, vel non cassare electionem contrà privilegia ecclesiæ celebratam.

4 Secundo modo cassatur electio, ubi major pars eligentium non interfuit electioni episcopi, & deindè consensum electioni præstiterunt, approbantes extrà scrutinium, quod à minori parte in scrutinio publicatum fuit; Sanè dubitari non potest de hujus electionis nullitate, nàm consensus in scrutinio est de forma canonicæ electionis *cap. quia propter de election.*, requiritur tamèn prò cassanda hac electione sententia declaratoria Judicis *cap. auditis, ibique Gloss. versic. cassatam de electiom.*, quod regulariter fit à Papa prò tollendis omnibus scandalis, & inconvenientibus, quæ propter discordiam Capitularium in Prælaturis electivis sæpissimè oriuntur.

5 Tertio etiam cassari potest electio, vel quando nulla est ex defectu formæ, vel quando invalida est ex capite inhabilitatis electi. Discrepat quidem unus modus cassationis ab alio *cap. super eo de election.*, ubi dicitur, aliud esse cassare electionem vitio personæ, aliud vitio electionis; primo casu propriè vacatio non datur ex hoc capite, sed potiùs continuat vacatio per obitum, seù renunciationem, vel alio modo, ut prius. Undè impetratio beneficii concipi potius debet, quod beneficium vacet morte, seù renunciatione primi possessoris, quam per cassationem electionis. Verùm impetratio ex hoc capite, etiam de jure substinetur, nam per cassationem electionis ob vitium personæ beneficium vacat, saltem de facto, quod sufficit impetranti. E' converso autem, ubi electio cassatur ob defectum formæ, beneficium propriè vacat, nam ità electus omni jure, quod obtinuit in beneficio, cassata electione, statim privatur, idcircò impetratio ex hoc capite de jure valet, nisi electores prævenerint alium eligendo; nam cassata ex hoc capite electione, possunt iterum Capitulares eligere, servata forma juris; Hoc est discrimen inter primum, & secundum cassationis modum, nam ubi peccatum est in forma, habent eligentes jus iterum providendi ecclesiam intra terminum juris, ubi verò vitium est ex persona electi, ipso jure privantur facultate eligendi, acsi indignum elegissent *cap. cum in cunctis §. final. cap. super eo de election.*

6 Quod tamen respectu secundæ partis distinctionis sano modo intelligendum est, ut procedat, si electio facta sit de eo, qui notoriè erat excommunicatus, suspensus, & irregularis, nam licèt electio ipso jure nulla sit, attamen requiritur sententia Judicis, qui cassset electionem *per Text. in cap. cum dilectus, verbo cassetis, ibique Gloss. de elect. cap. 2. verb. cassavimus, ibique Gloss., ut lite non contestata Felin. in cap. ex parte num. 4. versic. dico ultimo de Testib.*, quo casu beneficium verè vacat per obitum, seù renunciationem primi possessoris; secus ubi excommunicatio, suspensio, & irregularitas ignotæ erant ipsis met eligentibus, nam de jure talis electio cassanda est, & in sequelam beneficium iterum vacat per cassationem, sed jus eligendi redit ad eligentes, qui ob ignorantiam excommunicationis &c. à pęna privationis excusantur *cap. si electio, ibique Gloss. de elect. in 6.*

7 Et in hoc casu, ni fallor, intelligenda est illa juris propositio, non valere secundam electionem, nisi prima fuerit cassata, nam prima electio habet implicitum statum validitatis, etiamsi facta sit de eo; qui patitur occultum juris impedimentum, ut supra.

8 Quarto valet provisio Capituli facta contra ordinem Papæ, peccant enim eligentes non obediendo, sed non peccant alium eligendo *cap. dilectus 2. ibique Gloss. in versic. conferendum de præben.* ubi in fine ait, id esse verum, nisi aliud constet de mente Papæ. Nihilominus si indè Papa collationem, seù provisionem Capituli cassaverit, beneficium de novo vacare censetur *cap. proposuit de præben. in fine ibi = quæ per cassationem concessionis à vobis factæ intelligitur vacare = Abb. ibidem num. 21.*

9 Hæc sanè est propriè vacatio, quia collatio, seù provisio facta præsenti dat jus in re *cap. si tibi absenti de præben. in 6.*, electio verò, quæ confirmatione indiget, non tribuit, nisi jus ad rem *cap. ut quis duas de elect. in 6. Rot. decis. 6. de elect. in novis*, seù quod idem est, electio dat jus in habitu, confirmatio solum exercitium *Gloss. in Can. quanto distinct. 63. Abb. in cap. nosti num 2. de elect. Franch. in cap. quam sit verb. electus de elect in 6. Oldradus cons. 246. num. 4.*

10 His accedit, quod ad preces ejus, qui non fuit vocatus, & poterat commodè vocari, cassatur electio, quoniam de jure, etiam ob contemptum unius electio est cassanda *cap. quod sicut 28. cap. bonæ memoriæ 36. de elect. Castellin. cap. 8. n. 1. de elect. Pusserin. eod. tract. cap. 2. num. 19. Donat. in prax regular. tom. 2. part. 1. tract. 4. quæst. 21. Lavor. variar. lucubrat. tit. 4. cap. 17. num. 15.*,

11 & per hujusmodi cassationem vacat iterum beneficium, acsi per obitum, renunciationem, privationem verè vacasset, sed eligentes habent novum juris terminum ad eligendum, nisi ex parte ejus, cujus electio fuit cassata per sententiam Judicis appellatum sit, tunc enim pendente appellatione nihil à Capitularibus potest innovari *cap. 1. ut lite pendente l. 1. ff. nihil innovari cap. non solum, ibique Gloss. de appellat. l appellatione Cod. eodem tit.*, quod tamen verum est, si ad utrumque effectum appellatio admissa sit, secus in devolutivo tantum, prout juris ratio expostulat in hoc casu, quia appellatio nequit tollere jus Capitulo, quominus novam electionem celebrare valeat, eo etiam vocato, ad cujus preces prima electio fuit cassata, ut patet.

12 Denique electio duorum ad Episcopatum celebrata contra ordinem Papæ, qui justis de causis inhibuit, ne electio fieret omninò cassanda

fanda est, quamvis in reliquis servata esset forma juris, & electi essent idonei, & habiles pro regimine Episcopatus; hoc enim exigit reverentia debita Papæ, & multo magis inobedientia contumacium, qui fine dubio jure iterum eligendi privandi sunt *cap.* 1. *&* 2. *de postulat. cap. per inquisitionem cap. cumana in fin. de election.*, & ita praxis est Romanæ
13 Curiæ, quoniam cassata utraque electione, Papa providet ex integro, eum promovendo, in quem major pars eligentium de facto consensit, & sic consensus de facto præstitus, suppletur à Papa de jure per promotionem ex integro *cap. bonæ* 4. *de postulat.*, cui se uniformavit Clemens XI. Pontifex verè Optimus in Causa Monasteriensis electionis Episcopi inter Celsissimum Paderbonensem, & Serenissimum Principem à Lotharingia, prout ad extensum refert decretum Concistoriale
14 *Piton. d. scept.* 100. *num.* 238. *lib.* 3., & justa quidem ratione, nam arbitrium Principis Ecclesiastici regulari debet à jure, ita quod tenetur sequi majorem partem eligentium, qui de facto in Episcopum consenserunt;
15 Quod valde æquum est, quia Papa debet eum eligere in Pastorem, qui non minus utilis sit Ecclesiæ, & Populo, quam gratus Capitulo, & Clero *Canon. si fortè distinct.* 63.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Pensio extinguitur per cassationem factam à Papa motu proprio:
2 Ampliatur, etiamsi pensio imposita sit de facto.
3 Pensio extinguitur per cassationem factam à Papa ob vitium personæ.
4 Pensiones quoad Papam sunt manuales, prout beneficia ecclesiastica.

1 Pensio ecclesiastica clerico reservata dupliciter vacat, & extinguitur; primò si cassetur à Papa propter privilegium ecclesiæ, fortè quia ab ejus antecessore imposita est in Ecclesia Parochiali, quæ ex specialibus ordinationibus, & ecclesiasticis decretis gravari non potest, vel quia gravatum sit Collegium, cui continua pensionis solutio maximum afferat præjudicium, quod præsertim verum est, ubi à Papa cassatur motu proprio; In his ergo, aliisque similibus casibus pensio non debetur, quia per cassationem motu proprio conceptam vacat, & extinguitur *Rot. decis.* 1204. *num.* 1. *cor. Emerix jun. repetita in decis.* 1. *in mantiss. Card. de Luc. de jurepatr. & pension. ecclesiast. lib.* 13. *impress. venet.*

2 Ampliatur, quamvis pensio absque ulla auctoritate imposita sit super beneficio, & de facto à clerico exigatur; non enim dumtaxat, quod de jure, sed etiam quod de facto fit, potest à Papa cassari, & annullari *l. minor, ibique Gloss. quam Bald.* dicit non esse alibi *ff. de evriction. l.* 1. *verbo infirmabitur ff. de feriis Abb. in cap. si quis num.* 5. *de reb. eccles. non alienan.*, & in hoc casu, saltem in effectu per cassationem, ut supra, pensio extinguitur.

3 Ampliatur insuper, si clericus pensionarius efficiatur indignus, quia sicuti, cassata electione, beneficium iterum vacare censetur, ità per cassationem pensionem extingui oportet, maximè si vitium personæ post reservationem pensionis supervenerit, tunc enim jus, quod per reservationem validam datum est, cassatione perimitur; quod indistinctè verum est,
4 nam quoad Papam omnes pensiones sunt manuales, sicuti cætera beneficia ecclesiastica *Bald. in l. rescripta num.* 7. *in fin. cod. de precib. Imperatori offeren.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob postulationem, nominationem, & præsentationem non admissam, & rejectam *ad interpretationem Text. in cap.* 1. *&* 2. *de postulat, & extravagan. ex debito §. hujusmodi de election. intèr communia.*

SUMMARIUM.

1 Materia non admissæ, seu rejectæ postulationis parum differt à cassatione electionis.
2 Postulatio cassatur dupliciter, ubi explicatur.
3 Postulatio quid sit.
4 Cassare postulationem idem importat, ac non admittere, seu rejicere, & è contrà.
5 Plus est rejicere, quam non admittere postulationem, ubi differentia.
6 Ob non admissam, seu rejectam postulationem beneficium vacat, & eligentes privantur potestate eligendi, si indignum postulaverunt.
7 Limita, si postulatio facta sit de inhabili, cui Papa noluit dispensare.
8 Postulatus non admissa postulatione statim cadit ab omni jure postulationis.
9 Aliud est postulatum rejicere, ut indignum, aliud ut inhabilem.
10 Declaratur extravagans *ex debito de electione inter communia.*
11 Cassatur postulatio duorum contrà dispositionem juris, inhibitionem Papæ, & quomodo providendum sit.
12 Idem procedit in nominatione solemni.
13 Nominatio regia rejecta per Papam novam inducit vacationem, ubi declaratur 14.
15 In hoc casu Papa non providet, sed Rex iterum nominat.
16 Rex indultarius dignus est hac prærogativa iterum nominandi, & quare 17. 18.

CA-

CAPUT XX.

1 Equitur materia non admissæ, seù rejectæ postulationis, quæ nihil differt in ratione ab iis, quæ dicta sunt *in cap. antecedenti*. Paria enim sunt cassare electionem, rejicere postulationem, non admittere nominationem, & his similia; Sanè rejecta, seù non admissa postulatione satis Papa mentem suam declaravit se nolle dispensare juris impedimento, quod patitur postulatus ad ecclesiam vacantem, ut patet.

2 Duplici quoque modo postulatio cassari potest à Papa, vel ob vitium personæ, vel ob ipsum impedimentum; primò casu ità postulatus beneficio indignus est, forsan quia suspensus est, & irregularis, aut aliquod delictum perpetravit, cui Papa non solet dispensare; secundo casu postulatus potius est inhabilis, quia Papa non vult per viam dispensationis removere obstaculum juris, ad hoc, ut postulatus, qui incapax est beneficii,
3 capax fiat; Quod cohæret postulationi, quæ nihil aliud est, quam alicujus personæ, quæ eligi prohibetur, non propter vitium, sed propter defectum, concors, & certa petitio, ut indè ablato juris impedimento, postulatus instituatur in beneficio, provideatur de dignitate, vel ad ecclesiasticam promoveatur Prælaturam *Hostien. in summ. num.* 1. *de postulat.*

4 Item cassare postulationem, idem importat, ac non admittere, seù rejicere, & è contrà non admittere, seù rejicere postulationem eosdem producit juris effectus, quos parit postulationis cassatio. Hæc inter se synonima sunt, & promiscuè à canonistis sumuntur; Non enim est assignabilis rationis disparitas inter non admissionem, & rejectionem postulationis. Sanè postulatio censetur cassata, ubi à Papa non fuit admissa *Gloss. in cap.* 2. *in princip. de postulat.*, & eo fortius cassata intelligitur, ubi postulatio fuit rejecta, & postulatus à gratia, quam petit, expulsus. Et quamvis eadem sit ratio taciti, ac expressi, & quoad hoc idem resultet effectus vacationis beneficii, nihilominus major vis est
5 expressi, quam taciti, & plus est rejicere, quam non admittere postulatum, nàm rejecta postulatione, statim intelligitur postulatum procul dubio esse indignum beneficii ecclesiastici *cap.* 1. *de postulat. ibi = postulationem hujusmodi non propter postulantem ecclesiam, sed propter postulatam personam repulimus, ut indignam*, E' contrà verò postulatio non admissa præbet argumentum Papam noluisse dispensare impedimento illegitimitatis, & his similium *cap.* 1. *& tot. tit. de postulat. cap. cum Vinctonien. de election.*

6 Quomodocumque autem sumantur verba Papæ rejicientis, vel non admittentis postulationem, certum est utrobique beneficium ipso jure vacare, sed impropriè, cum potiùs continuet vacatio, ut priùs; vacat tamen beneficium, si postuletur scienter indignus, nam ità postulantes privati sunt ipso jure prò ea vice potestate iterum postulandi, aut eligendi, multoque magis si postulationem cassatam iterum innovare præsumpserunt *cap.* 2. *de postulat. cap. cum in cunctis*, §. *final. cap' super eo*, *cap. scriptum in fine de election.*

7 Vacat insuper, si Papa inhabilitati postulati dispensare noluerit, sed jus postulandi alium revertitur ad postulantes, qui habent novum semestre, aut trimestre ad eligendum, seù postulandum, quod computatur à die scientiæ, quo Papa postulationem non admisit *cap. si electio de elect. in* 6. Hæc est quoque impropria vacatio, sed propius eidem accedit, quia solemniter postulatus, licet non habeat jus in beneficio, habet tamen jus
8 petendi, ut postulatio admittatur; Idcircò, Papa postulationem non admittente, postulatus statim cadit ab omni jure, & commodo postulatinnis *cap.* 2. *de postulat. extravagans ex debito* §. *hujusmodi de election. inter commun.*

9 Ex his habes validissimum argumentum, aliud esse postulatum rejicere, ut indignum, aliud non admittere, ut inhabilem; Omnis enim indignus est inhabilis, sed non è contra, quod patet in postulato infami, criminoso, irregulari, & penitus illitterato, qui omnes indigni sunt beneficiorum ecclesiasticorum. Illegitimus autem, aut irregularis ex defectu habentes sufficientem scientiam sunt tantum inhabiles, quia eis obstat sola juris positivi dispositio. De facto rari sunt casus, in quibus dispensatio à Papa conceditur criminosis, infamibus, & penitùs illitteratis, præsertim ad Episcopatus, & Dignitates Conciliatoriales; Quod dici non potest de illegitimis, & irregularibus ex defectu, nam ita postulati, remoto juris obstaculo, pollent omnibus juris requisitis, scientia scilicet, prudentia, & idoneitate ad regimen ecclesiarum *Hostien. in summa num.* 1. *de postulat.*

10 Nec obiiciatur *extravagans ex debito* §. *hujusmodi de elect. inter commun.*, ubi reservantur Papæ omnia beneficia vacantia per cassationem, repulsionem, aut non admissionem postulationis. Respondetur Textum loqui de cassatione, seu non admissione postulationis ob vitium personæ, & in hoc casu paria sunt non admittere, seu cassare postulationem, immo ex justa ratione beneficia sic vacantia reservantur auctoritati Papæ, quia postulantes privati sunt in pænam indigni potestate eligendi, postulandi, aut alio modo providendi ecclesiam; Secus si non admittatur postulatio propter defectum dumtaxat; & ratio est, quia postulantes propter

actum licitum, & à jure permiſſum, jure ſuo ſine culpa, & cauſa privari non debent *cap.2. ibique Gloſſ. de conſtitution.*, *Gloſſ. in cap. antiqua in princip. de privileg. Canon. ſatis perverſum diſtinction.56.*

11 His additur, quod poſtulatio duorum facta contra diſpoſitionem juris, & inhibitionem Papæ caſſanda eſt, quia capitulares ſpernentes inhibitionem Papæ reddunt ſe indignos *cap. bonæ 23. de elect.*, immo, cum plus ſit delinquere contra legem vivam Principis, quam contra legem mortuam, poſtulatio contra inhibitionem Papæ, vel irrita eſt, vel talis declaratur, ne alias contemptus contumacibus prodeſſe valeat *cap.1. de poſtulat. ibique Gloſſ. verſic. contemptus Bald. in cap. bonæ 23. num.37. in fin. ibique Gloſſ. verſic. cauſis de election.*; Unde Papa ex integro providet juxta praxim, quoties agitur de duobus nulliter poſtulatis ad Eccleſias Cathedrales; Verum, is cæteris paribus, ad Eccleſiam promovendus eſt, qui majoribus juvatur ſuffragiis, & pollet ſcientia, prudentia, & ætate, quæ ſunt juria requiſita ad regimen Epiſcopatus *cap.4. in fin. de poſtulat. Prælator.*

12 Eademque ratio procedit in nominatione ſolemni, quæ communi capitularium conſenſu præſentatur ſuperiori, ut admittat, & nominato diſpenſet, quia hujuſmodi nominatio ſimilis eſt poſtulationi, quæ ſolemniter fieri debet *Gloſſ. in cap.2. verſic. nominationem de poſtulat. Prælator.*; Undè ea, quæ dicta ſunt de vacatione beneficii ob caſſationem poſtulationis, locum habent in nominatione ſolemni, ſi deindè ab Epiſcopo, ſeù Papa caſſetur, & rejiciatur.

13 Nec ab his differre videtur nominatio regia quoad iteratam beneficii vacationem, ſi per Papam rejiciatur, ut ſupra, dum nominatio ſimilis eſt electioni, quæ tribuit jus nominato, licet imperfectum *Gloſſ. in l. nominationum in princip. Cod. de decurior. lib.10. rubric. in l.1. Cod.de peric. nominator. lib.11. rubric. in l.1. Cod. de Tutor.& curator. Illuſtrium*, ſicuti donatio Principis transfert dominium ſinè traditione *Tiraquell de nobilitat. cap.37. num. 57. Solorzan. de Jur. Indiar. lib.2.cap.29. num. 22. Sanfelic dec.8. num.7* ità à pari in nominatione regia, quæ dicitur Beneficium Principis permanens, & perpetuum, quod ſingulariter convenit ejus munificentiæ *cap. decet de regul. Jur. in 6.*

14 Hæc tamèn vera ſunt de Jure civili, nàm nominatus de Jure Canonico nullum Jus acquirit in Prælatura antè confirmationem *cap. quod ſicut ibique Gloſſ. Verſic. Juris de*

15 *de election.* Verum licet nominatio regia non inducat vacationem, ſi reſpectus habeatur ad confirmantem, nihilominus vera vacatio dici poteſt quoad ipſum Regem, qui iterum nominat, acſi Prælatura de novo vacaret juxtà concordata.

16 Sanè Rex indultarius dignus eſt hac iterum nominandi prærogativa ex duplici capite,

17 primo quia non præſumitur voluiſſe indignum eligere, qui ſemper, & principaliter publicæ invigilat utilitati *authen. de hæred.*

18 *& falcid. Collat. 1. ibiq. Gloſs.* Secundo, quia talis nominatio referenda eſt potius ad errorem facti, quàm Juris, cujus incapax eſt ſupremus Princeps, quem fingitur habere omnia Jura in Scrinio pectoris *Cap. 1. ibique Gloſs. de Conſtit. in 6. Bartol. in l. omnium num.2. Cod. de Teſtam.*

A D D I T I O.

SVMMARIVM.

1 Reges & Principes ex Apoſtolico Indulto poſſunt uſque ad certam quantitatem reſervare ſuper beneficiis eccleſiaſticis penſiones Clericis, Nobilibus, & Magnatibus Regni.

2 Hujuſmodi penſiones non poſſunt caſſari à Principe, niſi ex gravi cauſa.

3 Per caſſationem hujuſmodi penſiones vacant.

4 Ampliatur in penſionibus reſervatis ſuper Feudis, Ducatibus, & Baroniis.

5 Limitatur in penſionibus, quæ indigent confirmatione Apoſtolica, quandoque tamen ſequeſtrantur. 6.

7 Tenor Indultorum in hac re inſpiciendus.

1 Reges, & ſupremi Principes, qui habent à Sede Apoſtolica indultum imponendi penſiones, poſſunt uſque ad certam quantitatem ad formam tamen indulti eas reſervare clericis, nobilibus, & magnatibus regni ſuper Epiſcopatibus, Prælaturis, Beneficiis, & Dignitatibus Eccleſiaſticis; Hujuſmodi autem penſiones regiæ quidem

2 ſunt, ſed laicales, nèc poſſunt caſſari à Principe, niſi ex gravi, & rationabili cauſa *cap. decet, ibique Gloſſ. de regul. Jur. in*

3 *6.* Idcircò per caſſationem ſtatim vacare cenſentur, ſaltem de facto, præſumitur enim Principem ex juſta cauſa ad caſſationem deveniſſe, nec opus eſt cauſa juridica, ſed ſatis eſt Principis factum, qui non tenetur cauſam exprimere, nam quis eſt, qui poſſit dicere Principi, cur ità facis?

4 Sic quoque penſiones ſuper Feudis, Ducatibus, Baroniis, aliiſque Bonis juriſdictionalibus ad nutum Principis caſſantur, quia ſunt quidem penſiones regiæ, ſed quoad reſervantem ſunt manuales; Unde ſi motu, Principis caſſantur, ſtatim vacant. Hæc ſanè auctoritate non indigent, quia certa, & indubitata ſunt juria principia; Undè ea, quæ dicta ſunt de poteſtate Papæ quoad caſſationem penſionum Eccleſiaſticarum militant quoque in Principe prò penſionibus regiis *Gloſſ. in cap. privilegia verſic. coſſentur tur cap. in cauſis §. Vaſſalli verſic. caſſentur de pace Conſtantiæ. Rot. deciſ.1. in Mantiſs.*

Card. de Luc. de Jurepatronat. & pension. Ecclesiast. lib.13. impress. Venet.

5 Declaratur id locum non habere in lis, quæ indigent confirmatione Apostolica, hujusmodi enim pensiones sunt Apostolicæ, non regiæ, Ecclesiasticæ, non laicales, perpetuæ, non manuales. Sanè Princeps indultarius designat personam Clerici, cui pensio reservanda est, sed Papa confirmans Jus ad vitam pensionario tribuit. Et quamvis Clericus ex regia reservatione Jus in pensione acquirat, nihilominus hujusmodi Jus est resolubile, & pendet ab assensu Apostolico, seù à literis, quæ intrà certum tempus expediri debent, ideoque auctoritas Papæ, quæ Jus firmum, & perpetuum tribuit, prævalet: Deindè hujusmodi pensiones reservantur ad vitam Clericis, seù Clericari volentibus juxta Stylum Datariæ, & nonnisi ex causis in Jure expressis Clerici privari possunt, & quidem ab eo, qui habet potestatem destituendi, prout est ordinarius. Qua de re Rex, seù Princeps Indultarius nullam habent potestatem cassandi motu proprio hujusmodi pen-
6 siones, licet aliquando ex motivis politicis fructus de facto sequestrentur, ut experientia docet tempore Belli, quod geritur inter Catholicos Principes.

Ultra in hac re non progredior, nam similes
7 quæstiones pendent potiùs ab inspectione Indultorum, quæ præ manibus non habeo, ad ea tamen semper recurras, si velis tutiorem firmare sententiam *Cap. porrò cap. recepimus de privileg.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob intrusionem, & violentam occupationem *ad explicationem Text. in cap. eum qui de præben. in 6.*

SUMMARIUM.

1 INtrusus ipso facto privatur Beneficio, quod primitus possidebat, & violentus occupator amittit beneficium, quod per violentiam occupavit.

2 Intrusus, & violentus occupator quandoque inter se æquiparantur, ubi casus.

3 *Textus in cap. eum qui* emanavit ad declarationem *Text. in cap. de multa de præben.*

4 Occupatio, seù intrusio videtur sufficiens ad inducendam vacationem primi beneficii, sed contra ibidem, ubi requiritur etiam fructuum perceptio.

5 Differentiæ inter violentum occupatorem, & justum possessorem quoad vacationem primi, vel etiam secundi beneficii. 6.

7 Vacat ipso jure primum beneficium, si Clericus alium violenter expellat à possessione.

8 Limitatur in Parocho, qui vi occupat beneficium ecclesiæ Parochiali unitum.

9 Parochus ob violentam occupationem privatur ecclesia unita.

10 Beneficium non vacat, si Clericus violenter occupaverit prædium beneficio annexum.

11 An ignorantia excuset ab hujusmodi pæna, distinguitur. 12.

13 Ampliatur in proviso Apostolico, sive collatio concepta sit *in forma gratiosa*, *seù in forma dignum*. 14.

15 Provisus *in forma dignum* nullum jus acquirit in beneficio, nisi purificata conditione.

16 Per violentam occupationem non vacat Episcopatus, licet privari possit.

17 Vacant ipso jure priora beneficia, si Episcopus, lite pendente, faciat se consecrari.

18 Violentus occupator potest obtinere à Papa gratiam tituli revalidatoriam, facta tamen mentione fructuum perceptorum, & intrusionis.

19 Non valet de jure civili confirmatio Principis pro re violenter occupata, etiamsi de violentia mentio fiat.

20 Gratia revalidatoria tituli non valet in præjudicium impetrantis.

CAPUT XXI.

1 INtrusus, & violentus occupator beneficii de jure different inter se, nam intrusus dicitur ille, qui titulo vero, vel putativo penitus caret; Violentus autem occupator ille est, qui titulum saltem coloratum habet, & tantum deliquit quoad modum apprehendendæ possessionis; Unde, ne tanta temeritas impunita remaneat, sacris legibus diversimode sancitum fuit, quod intrusus primo beneficio ipso jure privatus sit, & violentus occupator secundum beneficium statim amittat, ut ità ambo pœnam in eo jure, quod habent, luant, *ità habetur in cap. eum qui de præben. in 6. Rot. decis.560. par.2. recen. decis.152. decis.194. par 4. recen. tom.1. repetit. in decis.212. num.3. decis.304. num.2. cor. Ubald. Mantic. decis.118 per tot.*

2 Verum aliquando ità punitur violentus beneficii occupator, prout intrusus: Casus est in legitimo possessore ecclesiæ parochialis, qui si eligatur, seù præsentetur ad aliud beneficium parochiale, & deinde sine institutione episcopi per violentiam illud occupaverit, utrumque ipso jure amittit; Quod specialiter introductum est in favorem ecclesiarum parochialium; plus enim parochus delinquit, occupando violenter beneficium parochiale propter præjudicium, quod irrogatur curæ animarum, quam dignitatem, personatum, seù aliud officium ecclesiasticum, cui talis

cura

cura annexa non est, potissimum si post violentam occupationem, seu intrusionem percepit fructus, aliisque muniis pastoralibus perfunctus sit, ecclesiastica administrando sacramenta; Cùm enim jus, quod habebat in beneficio per occupationem, seu intrusionem statim amiserit, non potuit licite, & valide exercere ea jura, quæ vero Parocho de jure competunt; Non igitur mirum, si parochus prò tanto excessu tàm prima, quàm secunda ecclesia Parochiali ipso jure privetur, *ità expressè habetur in cap. eum qui de præben. in 6.*

3 Et quamvis idem textus quoad privationem utriusque beneficii loquatur de eo, qui possidens unum parochiale in alio similis curæ temere se intrudat, seu vi occupet, ut ibi in principio, nihilominus etiam hodie id locum habet, ubi quis possidet canonicatum, seu beneficium sine cura, aliud simile vi occupat, seu in eo scienter, & injuste se intrudit, nam *Text. in cap. eum qui* emanavit prò declaratione *Text. in cap. de multa de præben.*, ideoque sicuti possidens secundum beneficium de facto, statim primum amittit *Gloss. in Clementina si plures in fine, ibique Vitalin. n.10. 24. 33. de præben. Mascard. de probat. conclus.183. in fine Garz. de benef. par.11. cap 5. §. 2. num.223.*, ubi refert per extensum decisiones Sac. Rotæ, multò magis amittit primum, qui scienter se intrudit, seù vi occupat aliud, quod curam animarum non habet; alioquin esset melioris conditionis intrusus, & violentus occupator, quam justus beneficii possessor, *ità Gloss. in cap. eum qui in primo notabili de præben. in 6.*, ubi dicit hanc esse communem doctorum opinionem, & rationem ibidem adjicit, quia lex interpretans, seù extendens intelligi debet juxta terminos legis interpretatæ, & extensæ *Bero cons.31. num.10. versic. & quamvis aliqui, & num.11. lib.1. Ruin. cons.135. num 7. lib.3.*

4 Rursus quamvis sola occupatio, seù intrusio videatur sufficere ad inducendam vacationem primi beneficii *Rot. decis.212. num 7 in fine coram Vbald.*, *ibi = secus videtur esse in terminis cap. eum qui, in quo consideratur sola occupatio, vel intrusio scientèr facta in secundo beneficio, ut patet ex ejus lectura =*; quod mihi probabile videtur, quia occupatio, seù intrusio sapit delictum in foro externo punibile, etiam sine addito, quæ ratio cessare videtur in eo, qui juste ingreditur possessionem secundi beneficii, nihilominus ex ratione jam dicta, quod nempe *Text in cap. eum qui* veniat limitative *ad Text. in cap. de multa*, vacat primum beneficium, si ultra occupationem secundi concurrat etiam perceptio fructuum, vel saltem majoris partis, ut re maturius discussa firmavit *Rot decis.304. num.6. coram eodem Vbald.*, ubi refert, quod hunc sensum habuit Rota in eadem causa *sub die 4. Novembris 1609. §. propterea dubitavi coram Reverendissimo Bononien.*

5 Verùm cùm ex eodem textu habeatur, quod non debeat esse melioris conditionis stultus, quam sapiens &c., non erit inutile inquirere differentias, quæ intercedunt inter intrusum, violentum occupatorem, & justum possessorem pro vacatione primi, vel secundi beneficii. Sane violentus occupator ecclesiæ parochialis cum titulo, seù intrusus sine titulo, ecclesia Parochiali, quam primitus obtinebat, & ea, quam temere invasit, ipso jure privatur, *cap. eum qui, ibique Gloss. de præben. in 6.*. E' contra justus possessor per assecutionem secundi amittit primum *cap. de multa de præben.*, & in hoc casu deterioris conditionis est intrusus, seù violentus occupator, quam legitimus possessor, ut patet: deinde violenter occupans cum titulo præbendam, dignitatem, personatum, aut aliud officium, quod curam animarum non habet, omne jus, quod ei in beneficio occupato competebat, statim perdit *cap. cum qui in fine de præben. in 6.* & justus possessor valide consequitur secundum, & dumtaxat ob incompatibilitatem primo privatur, ideoque meliorem conditionem suam facit per assecutionem secundi, quod regulariter majorem fructum afferre solet, quam primum. Item quoad hæc sunt etiam paris conditionis. quia violentus occupator temere retinens primum, & secundum beneficium percipiendo fructus utriusque, utroque privatus est *Clementin. si plures ibique Gloss. versic. vacare in fine de præben.*, ubi quod vitiosa possessio facit vacare priora beneficia; Sic justus possessor secundi etiam secundum amittit, si utrumque administrat, & utriusque fructus temere percipiat *cap. de multa de præben. Clementin. Execrabilis verb. alioquin eod. tit.* Demùm intrusus, qui titulo caret, etiam lapsu longissimi temporis Beneficium non præscribit *cap. ex parte de Test. ibi = triginta annis, & amplius pacificè possedisset = Bald. per hunc Text. Consil. 109. in fin. lib. 1. latè Francesf. de intruso quæst. 105. num 5.*; Justus verò possessor justè retinet secundum, & prò primo potest se tueri dispensatione deducta ex lapsu longissimi temporis, in iis tamen locis, in quibus Papa solet dispensare *Rot. decis.492. num.10. cor. Molin. tom.2.*. Idem pari jure dicendum est de violento occupatore, quia titulo privatus non potest juvari possessione, quæ non datur sinè titulo, & sinè titulo quis est semper in mala fide, & consequenter nunquam præscribit *cap. final. de præscript. cap. possessor. de regul. jur. in 6.*, & in hoc etiam casu deterioris conditionis est intrusus, & violentus occupator, quam justus beneficii possessor, quia dispensatione præsumpta, quæ beneficium juris est, uti non possunt, nè beneficium vacet.

6 His adderem, quod sola occupatio inducit vacationem primi incompatibilis, etiam absque actuali fructuum perceptione ex ratione jam dicta *supra num.4.* quod tamen firmare non audeo, cùm Sac. Rota in eadem causa, etiam perceptionem fructuum secundi Beneficii requiri declaraverit, ut vacet primum, *ità habetur in decis.304. cor. Vbald.* En tibi diffe-

differentiæ inter violentum occupatorem, seu intrusum, & justum possessorem secundi Beneficii, quæ mihi probabiles, & juridicæ videntur, quamvis unus Textus emanaverit ad declarationem alterius, *ut supra*.

7 His positis, vacat itidem ipso Jure primum Beneficium, si Clericus jam provisus, alium violenter expellat à possessione, paria enim sunt vi occupare Ecclesiam, seu in ca se intrudere, ac vi Ecclesiæ possessorem eiicere *leg. si quis in tantam C. unde vi. Can. placuit* 16. *quæst* 5. *Gloss. in cap. cum qui in* 2. *notab. de præben. in* 6.

8 Quid ergò, si Parochus vi occupet Beneficium Ecclesiæ Parochiali unitum? Respondeo Parochum Ecclesia Parochiali ipso Jure non privari, habet enim justam causam occupandi Beneficium unitum, immo quodammodo, quod suum est, vi capit *Cap. Super eo de præben. in* 6. *l. Si quando C. de bon. v-cau. lib.* 10. ideoque pro eo Jure, quod vi unionis se habere arbitrabatur, videtur excusandus *Bellamer. concl.* 562. *per tot. de præ-*
9 *ben.* Sed non per hoc impunitum remanet hujusmodi violentiæ crimen commissum in Ecclesia unita, proindeque violentus occupator amittit quidem Jus Ecclesiæ unitæ, sed non privatur prima, etiamsi curam animarum habeat *Gloss. in dicto cap. cum qui Versic. cura verb. sed quid de præben. in* 6.

10 Colligitur ex his Beneficium nullo modo vacare, si Clericus violenter occupaverit Prædium Beneficio annexum, nam Prædium membrum quidem est Beneficii, sed Beneficium non est, idcircò occupans illud non cadit à Jure Beneficii, ad quod Prædium pertinebat, cessat enim in hoc casu & dispositio legis, & mens legislatoris. Cessat dispositio legis, quia loquitur de Beneficio, non de Prædio, seu membris ejusdem, ideoque culpa debet esse super toto, ut pœna sit integra, alioquin daretur pœna integra ex culpa partiali, quod repugnat; Cessat insuper mens legislatoris, qui non censetur voluisse vacationem Beneficii, ubi Clericus in parte deliquit; Deinde regula Juris est, quod in pœnis non debeat fieri extensio de toto ad partem *Cap. Odia cap. in pœnis de regul. Jur. in* 6. *l. cum quidam ff. de liber. & posthum. l. interpretatione ff. de pæn.* Et quamvis eadem sit ratio in toto respectu totius, sicuti in parte respectu partis; *l. quæ de tota ff. de rei vendicat.* hoc tamen procedit quoad rem recuperandam, non verò quoad amittendam, & hic est casus, quia non agitur de recuperatione Beneficii jam perditi, sed de amissione Beneficii jam quæsiti *Rot. decis.* 19. *num.* 10. *par.* 2. *divers.* ubi dicitur, quod capta possessione Beneficii, censetur capta possessio fundorum, non è contra.

11 Quæres, an ignorantia excuset ab hujusmodi pœna? Respondeo ignorantiam Juris non excusare, bene quidem facti, quod patet in eo, qui propria auctoritate occupavit secundum Beneficium uniforme in Ecclesia, in qua aliud canonice possidebat, non obstante, quod fundator hujus secundi Beneficii conditionem adiecerit incompatibilitatis exclusivam: posito enim, quod invasor habuerit scientiam hujus conditionis, facile poterat peritiores consulere, an talis conditio quoad duo beneficia uniformia de jure substineretur. Sane factum non ignoravit, ergo scientia juris præsumitur, quod sufficit pro hujusmodi effectu, quoniam conditio, ut unum beneficium sub eodem tecto non inducat incompatibilitatem cum alio uniformi a Testatore ex intervallo adiici non potest *juxtà doctrinam Abb. in cap. extirpandæ §. cum vero in* 2. *lectura num.* 41. *de præben. Rot. decis.* 118. *num.* 17. *coram Mantic.* Unde propterea occupans propria auctoritate, & absque ullo titulo secundum beneficium amittit ipso jure primum *Rot. dec.* 118. *num.* 1. *& per tot. cor. Mantic. decis.* 212. *n.* 5. *in fin. cor. Ubald.*

12 E converso autem, ubi invasor secundi beneficii ignorabat qualitates fundationis ex capite, quod ejus fundationem non inspexerat, immo communiter reputabatur cappellania laicalis, seu ecclesiastica compatibilis cum alio beneficio, nullam pœnam juris incurrit, nec ullo modo prioris beneficii vacatio inducitur, invasor enim erravit in facto, putans Cappellaniam, quam violenter occupaverat, non esse beneficium ecclesiasticum; quæ quidem ignorantia sufficit, ne primo beneficio propter violentam cappellaniæ occupationem privatus censeatur, quoniam error facti semper excusat, quamvis, quod violenter occupatum est, beneficium esset, non cappellania *cap. ignorantia de regul. jur. in* 6. *Bellamer. concl.* 562. *de præben.*

13 Ampliatur pœna in proviso Apostolico, sive collatio concepta sit in forma gratiosa, sive in forma dignum: primo casu res patet, quia nemo potest in causa propria vel definiendo, vel interloquendo, sive etiam exequendo jus sibi dicere, *l. unic. ibique Gloss. Cod. ne quis in sua causa Gloss. in cap. conquerente versic. volueris de restitut. spoliat. l. Creditores* 7. *in fin. ff. ad leg. Jul. de vi privat.*, quod etiam praxi consentaneum est, nam Curia Romana in provisionibus beneficiorum, quæ ibidem frequenter expediuntur, dirigere solet literas Apostolicas Ordinariis locorum, aliisque Judicibus, & Graduatis, cum hoc, ut in earum executione forma juris servetur *Frances de intruf. quæst.* 21. *n.* 5. 6. ubi dicit, quod capiens possessionem beneficii propria auctoritate dicitur intrusus, præsertim si tertius spolietur: Si igitur non licet propria auctoritate capere possessionem ecclesiæ, multo minus violenter occupare; Deinde possessor potest habere justas causas impugnandi provisionem Apostolicam vel ex capite obreptionis, & subreptionis, vel ex defectu voluntatis cum similibus; Ergo provisus Apostolicus vim adhibens contra possessorem incidit in pœnam amissionis juris, quod ex provisione Apostolica forte obtinuit *cap. cum qui*,

qui, ibique Gloss. in 2. notab. de præben. in 6. l. Creditores 7. ff. ad leg. Jul. de vi privat., ubi creditor absque decreto Judicia rem debitoris invadens jus crediti amittit *l. meminerint l si quis in tantam C. unde vi*, *ubi communiter Interpretes*; Stulte enim agit, qui, quod potest petere in Judicio, invadere, & occupare non pavescit.

14 Secundo casu res nullam habet dubitationem, nam per ita provisum prius adeundus est executor in literis Apostolicis deputatus, coram quo discutiendum est de ejus idoneitate, & habilitate ad beneficium assequendum, citandus est possessor pro omni eo jure, quod super beneficio ei competere poterat *cap. licet 28. de præben. in 6. & constat ex dictis*; Si enim invasor amittit jus in re, multo magis ad rem *cap. cum qui, ibique*

15 *Franch. de præben. in 6.* Immò provisus in forma dignum nè jus quidem ad rem acquirit ante purificationem conditionis *Rot. dec. a 12. num. 3. in fin. coram Vbald.*

16 Advertendum tamen est huic pœnæ Episcoporum non subesse, sicuti non subjacet censuræ *Textus in cap. de multa de præben.*, *Innoc. & Abb. in cap. cum nostris utrobique num. 4. de concess. præben.*, qui dicunt per assecutionem dignitatis, seu alterius beneficii Episcopatum non vacare, & consequenter per violentam occupationem Episcopatus non vacat, licet ita occupans eo privari possit *Franch. in cap. eum qui num. 3. de præben. in 6.*

17 Illud autem certum est, quod vacant ipso jure priora beneficia, si electus, seu provisus, lite pendente, fecerit se in Episcopum consecrari, nam de jure post licitam, & validam consecrationem inducitur vacatio beneficiorum *cap. cum in cunctis §. cum verò de elect.*, multo magis propter illicitam, & attentatam *Gloss. in cap. eum qui versic. obtinebat de præben. in 6.*

18 Denique notandum est, quod violentus occupator potest obtinere gratiam tituli revalidatoriam à Papa, dummodo tamen in supplicatione intrusionis, seu occupationis, & fructuum indebitè perceptorum mentionem faciat, alioquin sic impetrans ex his literis, quæ vitio obreptionis, vel subreptionis subjacent, nullum jus, & commodum consequitur *Gloss. in cap. eum qui versic. obtinebat de præben. in 6. Felin. in cap. postulasti in fin. versic. circa quartum de rescript.* & latius habetur apud *Corsett. in suis singularibus lit. O. Rot. decis. 126. num. 2. 3. lib. 1. cor. Put.*, ubi quod etiam de minimis fructibus per intrusum perceptis in supplicatione fieri debet mentio. Qui tamen rigor juris est sine dubio in praxi temperandus per ea, quæ dicta sunt *in cap. 18. num. 23. cum seqq. de vacatione ob administrationem ante confirmationem*.

19 Aliter tamen in hac re jure civili cautum est, nam pro re violenter occupata ab injusto invasore non tenet confirmatio Principis, etiamsi de violentia mentio fiat *l. auctoritatem*

20 *tem C. unde vi*. Ex quo Textu inferas non valere gratiam revalidatoriam in præjudicium ejus, qui prius ab Ordinario, seu à Papa beneficium ex hoc capite vacans obtinuit; Si enim in prophanis confirmatio Principis non valet quoad possessionem, in qua agitur de modico præjudicio reparabili in judicio petitorio, multo minus nova gratia, in qua agitur de titulo ecclesiæ, & maximum versatur impetrantis præjudicium *l. quoties, l. nec damnosa C. de precib. Impetratori offeren. cap. quamvis de rescript. in 6.*

A D D I T I O.

S V M M A R I V M.

1 Intrusio, & violenta beneficiorum occupatio ecclesiasticis prohibita, & quare.
2 An Clericus intrusus, seu violentus occupator pensione sibi super eodem beneficio reservatâ eo ipso privetur? Prima sententia negat; Secunda affirmat, quæ verior videtur. 3. Declaratur. 4.
5 Clericus intrusus, aut injustus occupator pensione privandus est, si factum sit grave, & scandalosum.

1 Intrusio, & violenta beneficiorum occupatio non solum ecclesiasticis prohibita est ex ea ratione, quia nemo potest in propria causa sibi jus dicere, verum etiam quia regulariter in ecclesia oriuntur scandala, excitantur factiones populares, & publica demum turbatur quies, quæ necessaria est pro regimine utriusque Principatus spiritualis,

2 & temporalis. Sed an Clericus intrusus, seu injustus beneficii occupator pensione sibi super eodem reservata privetur eo ipso, modo discutiendum est. Negat *Augustin. in Epitome de privation. ob non solut. pension.*, quem refert *Garz. de benef. par. 11. cap. 5. §. 3. num. 175. in fin.*, *nam Text. in cap. eum qui* loquitur de beneficio, idcirco cum sit pœnalis, non est extendendus ad pensionem, quæ in rigore non est beneficium, potissimum quia non concurrunt verba ampla, & effrenata, quibus *Textus* interpretari possit pro comprehensione pensionis: quæ sententia vera est inspecta litera *Textus*.

3 Verum maturius discussa ejusdem Textus ratione, apposita sententia defendi potest. Sane ob regressum ad beneficium pensio extinguitur, cum eadem actio, & passio non possit esse in eodem subjecto *Toadut. de pension. quæst. 45. num. 28.* Si igitur pensio extinguitur ob regressum licitum, multo magis ob ingressum illicitum, & injustum. Deinde, qui minus justè impetrat beneficium contra eum, quem scit habere meliora, & potiora jura, adepta possessione beneficii, pensionem amittit *Gigas de Pensionibus quæst. 49. n. 8.*, multo magis ob intrusionem, & occupationem, Et quamvis *in additione ad cap. 2. versic. declaratur*

ratur secundò dixerim *Gigantis* sententiam non esse tutam, quia pensio evicto beneficio reviviscit; ut ibi, nihilominus in intruso, & injusto occupatore sententia *Gigantis* pro vera recipienda est *ex eod. August. in Epitom. de privat. pension. Garz. ut supra*, qui dicunt, quod ob dolum ejus, qui usus est regressu, pensio extinguitur, ibi = *requiritur dolus, ut extinguatur pensio, adepta possessione beneficii ratione regressus*: Sed dolus in intruso, & violento occupatore re ipsa probatur, ergo pensio, quam quis habet super beneficio, per ejus intrusionem & injustam occupationem, cessat & extinguitur, potissimum, si fructus perceperit. Alioquin melioris conditionis esset intrusus, seù violentus occupator, quam qui justè Beneficium ingreditur: quæ sententia mihi verior videtur ex ipsamet ratione *Text. in cap. eum, qui*.

4 Quod tamen verum puto, si intrusus aliud beneficium non habeat, quod si habeat, pensione carere non debet, nam duplici pæna puniretur, altera vacatione primi beneficii, altera privatione pensionis, quod repugnat *cap. at si Clerici §. de adulteriis in fine de Judic. l. Sanctio Legum in fine ff. de pæn.*

5 Non est improbabile, si dicas, quod ubi factnm est grave, & scandalosum, clericum pensione privandum esse; agitur enim de violentia, intrusione, & occupatione beneficii, quæ sapit delictum in foro externo punibile *l. Creditores 7. ff. ad leg. Jul. de vi privat. l. meminerint, l. si quis in tantam C. unde vi, Can. placuit 16. quæst. 5.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob violationem sequestri *adornatum Text. in Clementin. unic. de sequestrat. possession. & fruct.*

SUMMARIUM.

1 VIolatio sequestri gravissimum crimen importat in utroque foro.

2 Vacat ipso jure beneficium per violationem sequestri appositi ex sententia prolata in Romana Curia, etiamsi sequestrum deindè reintegratum sit.

3 Violatio sequestri comprahendit beneficia, episcopatus, Abbatias.

4 Ampliatur pæna, si possessor impediat sequestrationem beneficii, ubi explicatur.

5 Impetretor beneficii ex hoc capite duo probare debet.

6 Ampliatur, etiamsi sententia sit nulla, dummodo sequestrum validum sit 7.

8 Idem procedit, si sententia prolata in Curia Romana nulla sit, & injusta.

9 Ampliatur in sententia contumaciali.

10 Aliud est impedire sequestrum in judicio, aliud extrà judicium, & de differentia 11.

12 Contra sequestrum potest opponi nullitas ex defectu jurisdictionis.

13 Non omnis violatio sequestri inducit vacationem beneficii, sed tantùm, ubi sequestrum appositum est ex sententia prolata in Romana Curia.

14 Beneficium non vacet ex violetione sequestri appositi ex officio Judicis, vel causa attentatorum, dilapidationis fructuum &c.

15 Ampliatus, si sequestrum appositum sit in beneficio tenui.

16 Idem procedit in sequestro apposito ex constitutionibus Pii IV. & Pii V.

17 An occupatio, seù præventiva fructuum venditio post decretum sequestrationis inducat vacationem beneficii, distinguuntur casus 18. 19.

20 Sequestrum comprahendit etiem oblationes.

21 Violatur sequestrum, si possessor aliquid innovaverit, incedendo in habitu decanali, & canonicali.

22 An episcopus ex sententia ab ipso, vel ab alio judice prolata possit super beneficio sequestrum apponere, resolvitur affirmativè.

23 An violator sequestri episcopalis incidat in hanc pænam, distinguitur.

CAPUT XXII.



NOn minus occupatio beneficii, quam violatio sequestri gravissimum in utroque foro crimen præsefert, immò, si considerentur juris effectus, majus est temerè violare sequestrum, quàm violentèr occupare beneficium ecclesiasticum, nam ultrà scandalum, quod in utroque casu concurrit, graviter etiam læditur in hoc majestas judicis, qui ex sententia in Romana Curia prolata contrà possessorem sequestrum super beneficio apposuit; Item quia violator sequestri conatur impedire, nè justitia executionem habeat, quo nil gravius. Undè propte-

2 rea æquissima constitutione ordinatum est beneficium ob violationem sequestri ipso jure vacare, etiam absque ulla sententia declaratoria, prout statim privatur intrusus, & violentus occupator; Nec refert, quod indè violator sequestrum reintegraverit prævia restitutione omnium fructuum indebitè perceptorum facta beneficii sequestratario, nam regularitèr pæna non remittitur, quamvis delinquens indè restituat, quod improbe abstulit. Et licet in certis casibus restitutio pænam diminuat, ut in furto cum similibus, nihilominus pæna violationis sequestri semel commissa semper durat, & in sequelam beneficium ipso jure vacare censetur prò omni-

omnibus juris effectibus, quamvis sequestrum ex post integralitèr purgatum fuerit *Clement. unic. § Si quis, ibique Cardinal. de sequestr. possess. & fruct. Cassador. decis. 5. in princip. eodem tit. Mohedan. decis. 2. per tot. eod. tit. Sarnen. decis. 37. decis. 38. per tot. de sequestrat. Rot. decis. 274. par. 2. diversor.*

3 Hæc Juris conclusio generalis est, & comprehendit omnia Officia, Beneficia, Canonicatus, Dignitates, Personatus, & Abbatias, immò etiam Episcopatus, Archiepiscopatus, & Primatiales Ecclesias, quia Clementina loquitur in personam per verbum *si quis*, quod est universale, & omnes ecclesiasticos, & primarios Ecclesiarum Præsules, & Ministros sub hac legis censura includit; Quod & ratio suadet, nàm violator sequestri duplex committit crimen, alterum contrà ecclesiam, alterum contra Judicem, cujus Majestas gravitèr contemnitur, ideoque major quoque pæna imponenda est, si non intensivè, saltem extensivè ad omnes ecclesiasticos indistinctè, ut ità metu pænarum discant omnes obtemperare decretis Judicum Romanæ Curiæ *Clementin. Unic. §. si quis, ubi Vitalin., & Interpretes de sequestrat. possess. & fruct.*

4 Ampliatur conclusio, si possessor impediat sequestrationem beneficii, turbando possessionem, inhibendo èxtrajudicialitèr debitoribus, nè fructus sequestratario ad id deputato solvantur, paria enim sunt obicem ponere, nè quid fiat, sicuti intervertere, quod factum est, præsertim cùm idem juris effectus resultet, quoniam ità temeritas, seù contemptus judicis concurrit, ubi impeditur à possessore sequestrum fieri, sicuti ubi jàm factum violatur, & in sequelam beneficium sic vacans debetur petitori, dummodo calumniosus collitigator non sit *ex regula Cancellariæ de subrogandis & habetur in Clementin. auditor, ibique Gloss. in versic. deputatus de rescript. Clementin. si duobus ut lit. penden.*. Immò

5 potest beneficium à tertio impetrari cum clausula *si neutri*, sed tamen duo ex parte impetrantis necessario probanda sunt, quorum primum est superstitem nullum jus habere in beneficio, secundùm verò in eo consistit, quod nempè possessor, qui jus in beneficio forsàn habuerat, inciderit in pænas *Clementinæ*, impediendo de facto sequestrum fieri, aut violando jàm executum. Primum quidem ex parte impetrantis facile potest demonstrari, inspectis facultatibus episcopi, aut alterius collatoris inferioris, videndum enim est, àn collator potuerit de jure providere, àn haberet conferendi indultum, & bis similia. Secundum facti est, & pendet ab examine testium, aliisque probationibus, idcircò petenda est à Judice remissoria, quæ in hisce casibus solet concedi, quoties materia est relevans *Cassador. decis. 5. in fin. de sequestrat. possess. & fruct.*

6 Ampliatur insuper, etiamsi sententia obtenta in Romana Curia nullitatis vitium pateretur, dummodo tamen sequestrum à competenti Judice appositum sit, non enim quoad vacationem beneficii consideranda est sententia, quæ est causa sequestri, sed sequestri validitas; nec immeritò, nàm violator sequestri non offendit Judicem, qui sententiam tulit, sed Judicem, qui sequestrum apposuit, quod satis est ad inducendam hanc pænam juxtà dispositionem Clementinæ. Nec turbat, quod sententia sit nulla, perindè acsi inferri possit etiam nullitas sequestri; Etenim sententia, & sequestrum sunt intèr se actus distincti, & separati, licèt unus veniat in sequelam alterius. Sanè de jure non repugnat sententiam esse nullam, & sequestrum validum esse, & in sequelam producere omnes juris effectus, si clericus illud violaverit.

7 Probatur argumento à contrario sensu, quod rem ad evidentiam demonstrat. Sanè si sententia Judicis Romanæ Curiæ sit valida, sed invalidum sequestrum, uti appositum ab eo, qui nullam habebat potestatem sequestrandi beneficium, & fructus, utique clericus per violationem sequestri à jure beneficii non cadit, quod enim nullum est, nullum producit juris effectum, ac etiam quia non habenti jurisdictionem impune non paretur *l. final. ff. de jurisdict. omn. judic.*. Constat igitur ex his, quod tota vis consistit in validitate sequestri, non in nullitate sententiæ *Rot. in Casalen Beneficii die 1. Decembris 1690. coram Caccia*, ubi quod sequestrum locum habet in Beneficialibus, non obstante quacumque sententiæ nullitate, dummodo non sit nullum ex defectu jurisdictionis. Ultrà quod sequestrum nullum non meretur nomen sequestri, ergo si sequestrum valet, per ejus violationem vacat ipso Jure Beneficium *ex dicta Clementina*.

8 Quid ergo, si sententia prolata in Romana Curia nullitatis, & injustitiæ insimul vitium patiatur, forte quia per errorem, seù sub falso supposito emanaverit? Respondeo Beneficium vacare, si possessor sequestrum violaverit, nullitas enim, & injustitia à pari in Jure procedunt, & quod dictum est suprà in casu nullitatis, locum habet in casu injustitiæ, quoniam ita sententia nomen non meretur sententia nulla, prout injusta *Cap. final. de re judic. l. 4. §. Condemnatum ff. eodem l. 3. ibique Gloss. ff. de testamentaria tutela, & in terminis Vitalin. in Clementin. unic. in fine ibi= nullitate, & iniquitate de sequest. possess. & fruct.*

9 Ampliatur in sententia contumaciali, quæ in odium contumacis producit omnes effectus sententiæ definitivæ *Caldas receptar. sententiar. quæst. 21. num. 39.* Alioquin esset in facultate possessoris impedire sequestrum non comparendo, quod repugnat omnibus Juris regulis, ideoque ex sententia contumaciali lata in Curia potest apponi sequestrum, sicuti apponitur in causa recursus habiti ad Judices laicos *Rot. decis. 145. cor. Ubald.*, adeout Clericus, qui sequestrum violaverit, Beneficium statim amittat.

10 Verum, ne capiatur in hac re quid pro

M quo

quo, animadvertendum est, aliud esse impedire sequestrum in judicio, aliud extra judicium, primo casu nulla pœna incorritur; secus secundo casu. Et ratio discriminis est, quia primo casu possessor præstat impedimentum juris, quod præservatum censetur in Clementina, & rationem adiiciunt Canonistæ, quia verisimile non est, Papam voluisse penitùs tollere legitimaa exceptionea, quæ
11 sequestrum impediunt. Secundò autem casu possessor obiicit obstaculum facti, quod in Clementina omninò interdicitur sub hac pæna, nè alias sit in facultate simplicis oppositoria protrahere in longius execut onem sequestri in contemptum Judicis. Deinde extrajudicialis oppositor jam dicitur violator sequestri, & in sequelam cadit à quocumque jure, sive in re, sive ad rem, ex ea solida ratione, quia deterioris conditionis debet esse calumniosua facti contradictor, quam justus juris oppositor *ita Vitalin. in Clement. unic. num.* 11. *de sequestrat. possess. & fruct.*, quæ sententia vera est, quia possessor in judicio potest excipere se esse triennalem, & pacificum possessorem, contra quem non potest exequi sequestrum, & exequutum non
12 tenet. Ultra quod potest opponere nullitatem ex defectu jurisdictionis, fortè quia sententia prolata sit à Prælato Romanæ Curiæ, absque causæ commissione, nullitaa enim, per quam negatur jurisdictio, potest opponi, & impedit sequestrum *Gloss. singularis in d. Clement. unic. in fin de sequestrat. possess. & fruct. Rot. in Casalen. Beneficii* 1. *Decembris* 1690. *cor. Caccia*, & appositum absque ulla pæna sperni potest *l. final. Cod. si à non compet Judic. l. final. ff. de Jurisdict. omn. Judic.*

13 Notandum tamen est, quod non omnia violatio sequestri inducit vacationem beneficii, sed ubi dumtaxat appositum est ex sententia promulgata in Romana Curia, Idque ex duplici ratione, altera, quia sententia prolata in Romana Curia habet majorem auctoritatem propter summam Sacrorum Canonum peritiam, qua diligentiua ibidem, quàm alibi, discutiuntur, & judicantor causæ beneficiariæ, altera, quia majores fiunt expensæ in Curia, quam in aliia Tribunalibus Ecclesiasticis. Unde meritò sequestratio beneficii, & fructuum à jure inventa est, ut ita magis consultum sit bono juri petitoris, qui contra possessorem sententiam favorabilem in Curia obtinuit, *ut docent Card. Vitalin.*, *Zabarell.*, *aliique Interpretes in d. Clement. unic. de sequestrat. possess. &*
14 *fruct.* Et consequenter ex violatione sequestri appositi ab Episcopo, aliisque Judicibus Romanæ Curiæ, vel ex officio, vel ex causa attentatorum, dilapidationis fructuum, & his similium, beneficium non vacat *Lotter. de re benefic. lib.*3. *quæst.*22. *num.*47. *Rot. decis.*1335. *in fin. coram Seraphin. Sarnen. decis.* 37. *de sequestrat. & possess. Puteus decis.*46. *lib.*2.
15 Multo minus vacat, si sequestrum appositum sit in beneficio tenui, quoniam tantum deducendum est ex fructibua sequestratis, quantum sufficit pro quotidiana alimonia, si possessor aliundè non habeat, alioquin cogeretur Clericus mendicare in dedecua ordinia clericalis, quod ratio æqui, & boni non patitur; Immo ut res sequestrata potest pro victu, & alimentis debitoris vendi, aut distrahi, ita in beneficio tenui sequestrum non est apponendum, & appositum potest tam in Judicio, quam extra impune contemni *per Text. in l. final.* §. *quod si ei C. de ordin. cognit. ibi = Tantum litis sumptus, & alimoniæ homini subministretur Gratian. discept. forens. cap* 114. *num* 5. *lib.*1. *Caldas recept. senten. quæst.*21. *num.*38.

16 Similiter, ubi constat de reservatione beneficii, apponitur sequestrum ex Constitutione Pii IV., prout mandatur apponi ex Constitutione S. Pii V., ubi inter duos provisos controvertitur dignitas, canonicatua, aut portio in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis, neutro tamen casu vacat beneficium ex violatione sequestri, non enim apponitur super beneficio, dignitate, præbenda, aut portione, sed super fructibus, nec decernitur in vim sententiæ prolatæ in Curia, sed ob interesse partium collitigantium, & consequenter violator sequestri non infert injuriam Judici, sed potius affert damnum Parti, coi in casu victoriæ omnes fructus sunt restituendi. Itaque cessante ex hac duplici ratione *d. Clementinæ* dispositione, cessare quoque debet pœna vacationis beneficii ibidem inflicta *cap. cum cessante de appellat. Bellamer. concl.*54., ubi dicit, quod Clementina est stricti juris, nec debet extendi de casu ad casum.

17 Non levis in hac materia oritur quæstio, an scilicet occupatio, seu venditio fructuum post decretum sequestrationis inducat vacationem beneficii. Super quo puncto plures casus distinguendi sunt, sine quibus non potest ità facile percipi juris perquisitio; Primus casus est, ubi agitur de fructibus perceptis, antequam emanaverit decretum sequestrationis, hoc casu planum est vacationem beneficii ex hoc capite non induci, quia possessor sic percipiens fructus utitur jure suo; quod etiam verum est, ubi fructus percepit quidem post decretum sequestrationis, sed tamen ante ejus notitiam; Cessat enim quoad hoa fructus contemptus Judicis, cessat collitigantis malitia, & deest in possessore beneficii temeritaa, *ita Vitalin. in Clementin. unic. n.*5. *de sequestrat. possess. & fruct. Sarnen. decis.*37. *in fin. eod. tit.*

18 Secundus casua est, ubi possessor post notitiam sequestri fructus occupavit, & deinde sequester à Judice deputatus sequestrum acceptavit, hoc sane casu ambigi non potest, quominus possessor sequestrum violaverit, nam fructus percepti post notitiam decreti veniunt sub sequestro ex mente Judicis, non ex acceptatione sequestratarii *Rot. decis.*274. *per tot. par.*2. *diversor.*, quidquid in oppositum

tum videatur innuere *Rot. decis.2. alias 37. coram Crescentio de sequestrat. possess.*, quæ etiam sano modo potest interpretari, ibi enim narratur sequestratarium acceptasse sequestrum, sed inferri non potest id esse de jure necessarium, quod patet, quia in rubrica *dictæ decisionis* dicitur totam sequestri vim à decreto Judicis pendere, quod satis declarat ibi factum narrari, non jus decerni.

19 Tertius casus est, ubi agitur de venditione fructuum ante notitiam sequestri, quæ deinde habuerit effectum post ejus executionem, hoc casu, ut intret *Clementina*, cum distinctione procedendum est. Aut venditio cadit super fructibus perceptis, qui jam transierunt in dominium beneficiati, tunc nulla pœna incurritur, quoniam poterat per se fructus percipere, & ita multo magis potuit aliis vendere, maximè si venditio facta sit ante sequestri notitiam. Aut agitur de fructibus pendentibus, & futuris, & veniunt indistinctè sub sequestro, nam ubi beneficium litigiosum est, venditio fructuum pendentium, & futurorum non valet, & facta præsumitur in fraudem sequestri, quod poterat à Judice decerni, prout inde relaxatum fuit *l. contra legem, & sequen. ff. de legib.* Si igitur in hoc casu emptor post notitiam sequestri vi contractus omnes fructus occupaverit, id imputandum est venditori, perinde ac si ipse fructus jam sequestratos percepisset; & consequenter possessor ex facto proprio amittit ipso jure beneficium, licet alter sequestrum violaverit; Et ratio disparitatis inter primum, & secundum casum ea est, quia possessor pro fructibus perceptis contractum iniit nomine proprio, sed pro pendentibus, & futuris non poterat fieri, nisi nomine ecclesiæ; Idcirco actualis fructuum perceptio post sequestrum est directe contra ipsum decretum Judicis, qui prohibuit, ne possessor se ingerat in administratione bonorum, & jurium ecclesiæ. Quod probatur à simili, nam qui vendit fructus post sequestrum, cadit à jure beneficii *Bellamer. conclus.428. de sequestrat.*, ergo qui vendit ante sequestrum fructus pendentes, & futuros, quorum executio post sequestrum fit, incidit in hanc pœnam. Primo casu possessor vendidit fructus, quos vendere Judex per decretum sequestrationis interdixerat; Secundo casu executio venditionis devenit ad eum casum, à quo incipere non poterat, & sic hujusmodi executio non potest retrotrahi ad diem contractus; Possessor enim tempore executionis non poterat facere fructus suos, sicuti venditio fructuum fieri non potest post sequestrum, cum fructus sint ecclesiæ, non possessoris, *ità Canonistæ in cap. præsenti de offic. ordinar. in 6. cap. inconsultò, ibique Monach. num.7. de reb. eccles. non alienan. in 6.*

20 Neque in hac re distinguendum est inter fructus beneficii, & oblationes; Quamvis enim oblationes sint voluntariæ, & ad alios juris effectus non computentur inter fructus beneficii, nihilominus, ubi agitur de sequestro, nihil differunt à fructibus beneficiariis, & duplex ratio adiicitur; primo quia debentur occasione beneficii, & hujus intuitu percipiuntur; Secundo quia de jure non competunt possessori, sed victori in causa restitui debent; Ideoque qui post sequestrum oblationes vi occupat, in pœnam Clementinæ incidit *Rot. decis.16. num.1. & 6. par.10. recen.*

21 Ampliatur, si post sequestrum possessor beneficii aliquid innovaverit, incedendo nempe in habitu Decanali, seu Canonicali, interveniendo in Choro, in Processionibus, aliisque similibus actibus, quorum appellatione veniunt etiam prædicatio, sermocinatio, & discursus festivi. Hæc omnia inter se parificantur, & per hujusmodi innovationes violatur proculdubio sequestrum; Et ratio clara est, quia per Clementinam ipsum beneficium, & in sequelam fructus omnes sequestrantur; Ideoque interdicta fructuum perceptione, censetur quoque prohibita prædicatio sub hac pœna *Bellamer. concl.429. num.1. de sequestrat.*

22 Inquirendum demum superest, an Episcopus ex sententia ab ipso, vel ab alio Judice competenti lata contra possessorem beneficii, possit super eodem sequestrum apponere; Respondetur posse, quia eadem concurrit ratio compescendi scilicet litigantium malitias, & apertè colligitur *ex dicta Clementin. unic. ibi = Beneficium ipsum*, alioquin, si non posset nisi super fructibus, non esset satis provisum, cum apud possessorem spiritualia, apud sequestratarium temporalia remanerent, quod repugnat, nam, ut obvietur fraudibus, sequester debet habere administrationem rerum temporalium, & spiritualium *Alberic. in suo dictionar. verb. sequestratio versic. secundo quæro*, ubi alias rationes cumulat.

23 Sed, an violator huius sequestri incidat in pœnam privationis beneficii ipso jure, tantum non invenio. Dubium tamen cum distinctione, quæ mihi juridica videtur, resolvitur: aut Episcopus hanc pœnam in decreto sequestrationis adjecit, hoc casu beneficium vacat vi decreti: Sanè de huius decreti validitate ambigendum non est, quia ordinarius potest pœnas juris communis ad casus similes ampliare *Cartar. decis. criminal.20. num.130.*; Aut in sequestro de hac pœna non cavetur, tunc clericus sequestri violator arbitrio Episcopi est puniendus, etiam privatione beneficii, si res ità exigat, cum grave admodum sit violare sequestrum contra legem superioris.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Clericus ob violationem sequestri pensionem super eodem beneficio reservatam ipso jure amittit, prout occupator beneficii.

2 Differentia inter violatorem sequestri, & violentum occupatorem beneficii.

3 Clericus ob violationem sequestri pensione privandus est, quare, & quomodo.

4 Clericus, si reintegraverit sequestrum ab excommunicatione est absolvendus, nec pensione privari debet.

5 Præsertim, si id fecerit ex causa, ubi quod causa iusta excusat à pœna.

6 Differentia quoad hoc inter beneficium, & pensionem, ubi de ratione.

1 Violatio sequestri, & iniusta beneficii occupatio á pari in jure procedunt, nam qui violat sequestrum, judicem contemnit, sicuti offendit ecclesiam, qui vi occupat beneficium: Item qui violat sequestrum sibi jus dicit in causa propria, quod jure prohibitum est *l unic. ibique Gloss. C. nè quis in sua caus.*, Immo violator sequestri, ultra offensionem Judicis, committit etiam crimen contra ipsam ecclesiam: utrumque videtur sufficere ad inferendam pœnam extinctionia pensionis contra pensionarium, qui violavit sequestrum. His accedit, quod violator sequestri amittit jus in re, vel ad rem *Clement. unic.* prout violentus occupator beneficii *cap. eum qui in fin. de praben in* 6. Et eo fortius, quia violatio sequestri nihil aliud est, quam temeraria fructuum occupatio contra jus, & legem superioris, *ut habetur in Clementina*, *ibi = fructus sequestratos quocumque modo, præsumpserit occupare = & docens ibique scribentes*. Hæc quidem argumenta videntur tuta, & juridica pro effectu, de quo agitur: ergo per violationem sequestri pensio extinguitur, prout de iniusto occupatore *in cap. antecedenti in addit. notatum est*.

2 Verùm hic argumentandi modus non placet, aliud enim est violare sequestrum, fructus occupando, aliud occupare beneficium, percipiendo fructus. Sanè, qui violat sequestrum, occupat dumtaxat fructus, in quibus pensio consistit, nec aliquid peragit, quod repugnat juri pensionis, nisi quoad modum; ab aliis enim capit fructus, non à seipso, in quo repugnat jus exigendi; sed qui violenter occupat beneficium, & fructus percipit, pensionem ipsam perimere videtur, cum à se ipso pensionem exigat, quod repugnat *ex rationibus iam dictis in cap. antecedenti in additione*.

3 Præterea verius est clericum ex hoc capite pensione privandum esse, si monitus sequestrum non reintegraverit, aut alias non paruerit mandatis judicis: idque ex duplici ratione; primò, quia clericus ob violationem sequestri incurrit excommunicationem, quæ præbet justam causam judici, ut pensione privari possit *cap. pastoralis §. Verum, ibique Gloss & Doctores de appellat.*; Secundo, quia violatio sequestri impedit justitiam administrari, quod crimen grave est, & hac pœna dignissimum *cap. ex literis, cap. gravem. de excess. prælator. L. ult. ibiq. Gloss. ibi & nota frustrantes puniri ff. de procurat.*, & facit ad hoc *Cassiodor. var. formular. lib.* 3. *pag.* 73. *in fin.* ubi ait, quod is, qui justitiam violat, Principi injuriam facit; Imò omnis injuria contra leges commissa justa execratione damnatur ex ea fatis solida ratione, quia indè detrimenta oriuntur, unde auxilia proveniunt; *Idem Cassiodor. lib.* 4. *pag.* 108. *in fin.* Cur igitur clericus sequestri violator pœna amissionis pensionis non erit mulctandus?

4 Limitatur, si pensionarius sequestrum rein-
tegraverit, amoto impedimento, & restitu-
tis omnibus fructibus indebitè perceptis,
tunc enim sicuti ab excommunicatione absol-
vi debet, ità pensione privari non potest,
5 præsertim si ex causa sequestrum violaverit,
fortè quia sequester deputatus debito tempo-
re pensionem non solverit, regularitèr enim
justa causa excusat à pœna *Gloss. in l.* 1. *versic.*
quod interest in fin. ff. si quis Judici non obtem-
peraverit, *Decius cons.* 452. *num.* 12. *Aymon.*
6 *cons.* 18. *num* 9.. Hæc est differentia inter pen-
sionem, & beneficium, quæ mihi juridica vi-
detur, & valdè consentanea est rationi; aliud
enim est violari sequestrum ex parte possessoris,
aliud ex parte pensionarii.

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii, & Pensionis ob non exhibitum titulum, & dispensationem intrà terminum ab Ordinario præfixum *ad ornatum Text. in cap. Ordinarii de offic. ordinar. in 6.*

SUMMARIUM.

1 BEneficia sinè canonica institutione obtineri non debent.
2 In Beneficiis datur multiplicitas titulorum, & quare.
3 Differt in hoc jus civile à jure canonico.
4 De jure civili nemo tenetur ostendere titulum suæ possessionis, ubi ratio disparitatis inter jus civile, & canonicum.
5 Titulus exhiberi debet in actis à possessore intrà terminum ab ordinario præfixum.
6 In hoc judicio non servatur forma juris.
7 Titulo non exhibito, beneficium non vacat, sed tanquam vacans potest ab ordinario conferri.
8 Exhibitio tituli post terminum impedit collationem, nisi aliud cautum sit in citationibus, aut decreto episcopi.
9 Beneficium, quod vacat ipso jure ex decreto episcopi post lapsum termini, de rigore non impedit collationem, secùs de æquitate.
10 Sufficit titulus præsumptus, & coloratus deductus ex interpretatione juris.
11 Ubi ex parte possessoris non docetur de titulo, ultrà triennalem requiritur possessio decennalis.
12 Ultrà titulum exhibenda est dispensatio Apostolica ab eo, qui plura possidet beneficia in eadem Diœcesi.
13 Ampliatur, si beneficiatus plura possideat beneficia in diversis diœcesibus, ubi quod non est locus præventioni 14.
15 Dispensatio deducta ex juris interpretatione sufficit prò retentione plurium beneficiorum in iis locis, in quibus Papa solet dispensare, secus in aliis 16. ubi declaratur.
17 Titulus præsumitur, ubi episcopus possessorem beneficii receperit ad osculum pacis, admiserit ad synodum &c.
18 Limitatur, ubi episcopus prætendat beneficium ad se uti Patronum Ecclesiæ pertinere.
19 Patronus ecclesiæ potest cogere beneficiatum ad exhibendum titulum, dummodò non se faciat parem, ut supra, quod explicatur ibidem.
20 Idem procedit in Parochiano.
21 Extraneus potest cogere parochum ecclesiæ ad ostendendum titulum, ubi de ratione.
22 Prò legato pio, & publico etiam extraneus in Judicio admittitur.
23 Sed contrarium concluditur in extraneo instante, ut à Parocho exhibeatur titulus.
24 Ordinarius potest uti hac cognitione, & cogere Parochum ad exhibendum titulum, ubi de ratione.

CAPUT XXIII.

1 NE detur vitiosus ingressus in beneficiis, officiis, & dignitatibus ecclesiasticis veteribus legibus definitum est clericos non posse obtinere beneficia ecclesiastica, nisi per canonicam institutionem, sinè qua nemo est legitimus ecclesiæ possessor, sed potius fur, & invasor *cap. ex frequentibus de instit. cap.*1. *ibiq. Jo. Andr:*
2 *num.*1. *&* 2. *de regul. jur. in* 6.. Et prò hu-
jusmodi effectu inventa est in beneficiis titulorum multiplicitas, ut possessor valeat se tueri tùm adversus impetrantem, tùm etiam contrà Episcopum, qui ab eodem tituli exhibitionem exigit *cap. post electionem, ibiq. Abb. num.*4. *de conces. præben. Rot. decis.*350. *in fin. cor. Duran. decis.*218. *num.*14. *part.*6. *recen.*

3 Differt quoad hoc jus civile, quod titulorum multiplicitatem improbat, quoniam, qui uno titulo rem possidet, seu acquisivit, nequit alio titulo iterum eandem rem possidere, & assequi, ex regula, quod res semel
4 mea, amplius mea fieri non potest; Imò ri-
gor juris est, ut qui convenitur in Judicio, non teneatur ostendere titulum suæ possessionis *l. cogi C. de petit. hæreditat.*. Et ratio disparitatis est, quia bona, jura, & actiones sunt in libero hominum commercio, & absque titulo possunt possideri; Unde conventus in judicio, ut suæ possessionis titulum ostendat, facilè se expedit excipiendo, *possideo quia possideo*, quæ quidem facti exceptio explosa est à beneficiis ecclesiasticis, quæ sunt spiritualia, & qualificata, & tanquam bona publica sunt extra hominum commercium; idcirco, ut quis dicatur legitimus ecclesiæ possessor, debet exhibere titulum suæ possessionis *cap. Ordinarii, ibi Archidiaconus Monach. Franch. & Interpr. de Offic. Ordinar. in* 6.

5 Hujusmodi autem titulus in re beneficiaria exhiberi debet in actis à possessore intrà ter-
6 minum ab ordinario præfixum; Neque hic
servatur forma juris, nec libellus necessarius est, prout de jure requiritur in judiciis ordinariis, sed sufficit simplex petitio, dùm id ex officio episcopo competit, ideoque satis est simpliciter citare possessorem ad comparendum in actis, & docendum de titulo *Gloss. in extravagan. suscepti versic. canonicè de elect. Hostiens. in cap. licet Heli num.*5. *de simonia. Compostellanus in cap. capitulum versic. sed secundum*

cundum hoc de rescript.: quo non exhibito, beneficium ipso jure non vacat, sed tanquam vacans ab ordinario liberè potest conferri, & ratio juridica est, quia statim oritur contra possessorem indebitæ intrusionis, aut injustæ occupationis præsumptio *cap. ordinarii ibique omnes de offic. ordinar. in 6.*

8 Dixi, quod beneficium ipso jure non vacat, dùm etiam post terminum, & antequam episcopus beneficium conferat, valet tituli exhibitio, quæ absque ulla dubitatione collationem impedit, quoniam collationi beneficii locus non est, ubi possessor canonico titulo, illud retinet, alioquin beneficium viventis posset conferri, quod ratio juris non patitur *Gloss. marginal. in cap. ordinarii, ubi Franchus de offic. ordinar. in 6.*: Quod tamèn intelligendum est, nisi aliud cautum sit in citationibus, aut mandatis episcopi, quod nempè ob non exhibitionem tituli beneficium vacet eo ipso, tunc enim vi citationis, seù mandati de beneficii vacatione non potest dubitari,

9 & exhibitio tituli facta post terminum non impedit, quo minus episcopus de rigore juris liberè valeat beneficium conferre, quamvis videatur eidem possessori iterum esse conferendum, quod æquitas satis suadet, quoniam cessat dispositio juris, & quodammodo deest potestas in ordinario providendi alium de hoc beneficio in præjudicium legitimi possessoris *Gloss. in d. cap. ordinarii versic. liberè de offic. ordinar. in 6. cap. si tibi absenti de præben. in 6.*, ubi quod clericus, cui in absentia beneficium collatum est, etiam post lapsum termini ad acceptandum, potest illud uti suum petere, ità à fortiori in hoc casu, in quò agitur de beneficio jam quæsito.

10 Nec opus est, ut exhibeatur titulus verus, sed sufficit præsumptus, seu coloratus deductus ex interpretatione juris. Si quis enim beneficium sibi collatum à Vicario, qui non habebat quoad hoc potestatem ullam, per triennium completum bona fide possederit, non potest post triennium cogi ad ostendendum titulum, quia possessio triennalis stat loco tituli, & tuetur possessorem in utroque foro, dummodo tamen ita provisus non sit aliunde simoniacus, aut alias beneficium reservatum reservatione clausa in corpore juris; Fortius si per decennium possederit, nam per lapsum tanti temporis præsumitur in possessore canonica institutio *Lap allegat.* 89. *Tondut. quæst. benef. cap.* 85. *num.* 1. *cum seq. lib.* 1. *Rot. decis.* 1004. *num* 4. *cor. Pen. decis.* 7. *num.* 2. *cor. Falconer. tit. de Benef.*, ubi dicitur invalidam esse impetrationem beneficii contra eum, qui per decennium & ultra in pacifica ejus possessione permansit.

11 E' converso autem, ubi ex parte possessoris non docetur de titulo saltem colorato, *ut supra*, ultra triennalem requiritur possessio decennalis, quæ jus plenum in beneficio tribuit *Rot. decis.* 475. *num.* 5. *coram Coccin. decis.* 877. *num.* 3. *cor. Ubald.*

12 Hæc vera sunt contra beneficiatum, qui unum possidet beneficium absque titulo vero, præsumpto, aut colorato, fortius hæc procedunt in eo, qui plura possidet beneficia inter se incompatibilia, nam ultra titulum exhibenda est intra certum terminum dispensatio Apostolica, *ita Sacra Congregatio Concilii die* 17. *Maji* 1602., ubi quod Ordinarius potest cogere clericos plura beneficia possidentes ad exhibendas dispensationes non obstante quocumque temporis lapsu, *& in Plocen.* 10. *Maii* 1631. censuit Episcopum posse cogere canonicos, & dignitates plura beneficia incompatibilia obtinentes, ut Bullas dispensationum, seu provisionum exhibeant, ne limites suarum gratiarum excedant, eisque abutantur. Sane si repugnat retentio unius beneficii absque titulo, multo magis plurium sine titulo, & dispensatione *cap. Ordinarii de offic. ordinar. in 6. Tridentin. sess.* 7. *cap.* 5. *ibique Barbos. & alii Gloss. in cap. ex insinuatione versic. probare circa medium de Procurator.*

13 Ampliatur conclusio ad omnia beneficia, sive in Diœcesi, sive extra existentia; Quamvis enim jurisdictiones Episcoporum sint distinctæ, ac videatur Ordinarium carere potestate respectu illius beneficii extra Diœcesim existentis, & sic Clericum cogi non posse ad exhibendam dispensationem, nihilominus Clericus quoad plura beneficia incompatibilia remanet subjectus cuilibet Episcopo respectu beneficii, quod in illius Diœcesi possidet *Gloss. in cap. Ordinarii versic. Ordina-*

14 *riorum de offic. ordinar. in 6.*, ubi dicit non esse locum præventioni, sed cuilibet permissum esse procedere contra Clericum possidentem duo, licet unum in diversa Diœcesi possideat.

15 Ut ergo titulus præsumptus potest deduci pro retentione unius beneficii, ita dispensatio deducta ex juris interpretatione eumdem parit effectum quoad plura incompatibilia, cum hoc tamen discrimine, quod in iis Principatibus, seu Provinciis, in quibus Papa solet ecclesiasticis super pluralitate beneficiorum dispensare, ut in partibus Germaniæ, & Poloniæ, dispensatio apostolica ex possessione decennali plurium beneficiorum, etiam Parochialium in beneficiato de jure præsumitur, potissimum si doceatur de titulo unius, aut alterius beneficii, ac per consequens nullum ex his beneficiis potest valide ab alio impetrari ex capite incompatibilitatis *Rot. in Cracovien. Canonicatus* 26. *Junii* 1682. §. *Immo quatenus coram Paulut.* & *in Varmatien. Canonicatus* 29 *Januarii* 1685. §. *Eo-*

16 *que minus cor. Rovavult.* Secus in beneficiis existentibus in Regnis Hispaniarum, & Galliarum, vel Principatibus Italiæ, in quibus Papa nunquam, vel saltem raró dispensat, ideoque possessio decennalis non prodest Clerico pro retentione plurium beneficiorum, quippe quia in his locis, in quibus Papa non solet dispensare, dispensatio Apostolica non est præsumenda, immo reputatur impossibilis *Gratian. discept.* 397. *num.* 41. *Menoch. de præsumpt. præsumpt.* 132. *num.* 73. §. *Cæterum lib.* 3.

lib.3., vel saltem requiritur decennium cum rumore obtentæ dispensationis *Novar. decis.142. num.6. & per tot.* Qua de re Ordinarii locorum possunt in hisce casibus cogere beneficiatum ad exhibendam intra competentem terminum dispensationem Apostolicam sub pœna vacationis unius, vel utriusque beneficii *Gloss. in cap. ex insinuatione versic. probare de procuratorib. cap. ordinarii de offic. Ordinar. in 6. extravagans ut quos in fine eod. tit. inter commun.*

17 Interim tamen illud prætereundum non est, canonicum titulum de jure præsumi, quoties Episcopus possessorem beneficii receperit ad osculum pacis, admiserit ad Synodum Diœcesanam, congressus cum eo habuerit concernentes curam animarum, aliaque negotia ecclesiastica; hæc enim deserviunt pro titulo, adeout possessor se tueri valeat adversus impetrantem in quocumque Judicio tam possessorio, quam petitorio, immo etiam contra successorem in Episcopatu instantem pro exhibitione tituli, nam satis est pro hujusmodi effectu eum, à quo titulus postulatur, in Synodo Diœcesana intervenisse, aliaque negotia ecclesiastica cum Episcopo pertractasse, ut pro legitimo Pastore censeri debeat *cap. dilecto de præben. ibi = Eum cum Canonicis aliis ad osculum recepisti, cum tunc non nisi Canonici ad osculum admittantur= latè Felin. in cap. licet beli num.7 cum seqq. de Simonia.*

18 Limitatur conclusio, si Episcopus prætendat beneficium ad se uti patronum ecclesiæ pertinere, nam tunc facit se parem, & adversarium, ac si esset persona privata, & simplex oppositor; Unde possessor ad ejus instantiam non tenetur exhibere titulum, sed juris ordine servato procedendum est, non tamen coram ipso, qui tanquam habens interesse in causa suspectus de jure præsumitur, sed apud competentem Judicem merita causæ discutienda sunt *Loter. de re benef.lib.2. quæst.46. num.42. Rot. decis.191. decis.224. per tot.cor.*

19 *Coccin.* ubi habetur, quod etiam patronus ecclesiæ potest cogere beneficiatum ad exhibendum titulum, dummodo non se faciat parem, & adversarium, ut supra, quod eveniret, si beneficium uti vacans ex hoc capite impetrasset, ratio enim, quæ militat contra Episcopum, procedit quoque in patrono *Felin. in cap. licet beli num.15., ibique Abb. in fin. de simonia Ancaran. in cap.1. quæst.8., propè fin. de regul. jur. in 6.*

20 Idque etiam competit Parochiano, ut nempe ad ejus instantiam teneatur Parochus exhibere titulum, alioquin ecclesia tanquam vacans habetur ad omnes juris effectus, de quibus supra. Et ratio est, quia Episcopo id competit ex officio, vel propter publicum bonum, patrono propter interesse ecclesiæ, vel ab ipso, vel à suis antecessoribus fundatæ, parochiano propter spirituale bonum, de quo non participaret, si is, qui administrat Sacramenta, potestatem administrandi non haberet; Valde ergo interest Parochiano legitimum habere Pastorem Ecclesiæ, cui ipse subest in spiritualibus *ita Prob. ad Monach. in cap. Ordinarii num.21. de offic. ordinar. in 6. Federic. de sen. cons.103. per tot.*

21 Immo secundum aliorum opinionem quilibet etiam extraneus potest agere contra Pastorem ecclesiæ pro exhibitione tituli sub eadem vacationis pœna, dicunt enim hanc esse actionem publicam, & popularem, quæ omnibus competit, licet non intersit *juxta Gloss. in l. reus delatus versic: appellatum ff. de muner, & honor. Gloss. in cap. ut circa versic. aliqui de elect. in 6. Tondut. quæst.*

22 *Civil. cap.62. num.16.*, Ad instar legati pii, aut publici. prò cujus ad implemento etiam extraneus in judicio admittitur *ad Text. express. in l. de operibus*, ibique *Gloss. ff. de oper. public., Tiraquell. de privileg. piæ. caus. priv.128: in princ. part.2.*; Et ratio est, quia non minus respicit utilitatem publicam legati pii, & publici adimplementum, quam quod Pastor Ecclesiæ habeat justum titulum, sine quo canonice beneficium possidere baud potest, imo dicitur fur, & invasor. *Prob. ad Monach. in d. cap. ordinarii num.22.*, ubi refert ex mente *Aretini* ita Papam sensisse, licet id definire noiuerit, cujus dictum grave est, & maximam præsefert auctoritatem in tribunalibus Ecclesiasticis omnino recipiendam.

23 Verum in hac quæstione verius censeo extraneum non posse agere, nec cogere, Ecclesiasticum Pastorem ad exhibendum titulum, tum quia nullum habet interesse, prout Patronus, & Parochianus, tum etiam quia id ei non competit ex officio, prout Episcopo, tum demum quia id de Jure cautum non est, prout in legatis piis, & publicis, pro quibus Hæres nihil amittit, si cogatur postulante extraneo ea implere, quod dici non potest de Pastore, cui summa irrogatur injuria, si ad instantiam extranei titulum sui beneficii exhibere cogatur. Deinde, si id Papa noluit definire, signum evidentissimum est, quia res non carebat difficultate; ergo extraneus non est Persona capax standi in Judicio pro hujusmodi effectu; & si admittatur nullo movacat Beneficium, si titulus non exhibeatur intrà terminum ab Episcopo præfixum, nec tanquàm vacans potest conferri, immò omnia acta sunt nulla, & invalida tanquàm facta, ad instantiam ejus, qui non est persona legitima comparendi in Judicio.

24 Potest tamen Episcopus uti hac cognitione, & cogere ex officio Pastorem Ecclesiæ ad exhibendum titulum sub hac pœna, quoniam ipsi valdè interest, ut Clerici omnes suæ diœcesis sint legitimi Beneficiorum possessores juxtà dispositionem Juris.

AD-

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Titularis potest cogere clericum ad exhibendum titulum pensionis, ubi de ratione.
2 Pensio ecclesiastica auctoritate privata possideri nequit.
3 Titulo non exhibito intrà terminum, pensio extinguitur.
4 Manutentio interim, quo titulus discutitur, danda est pensionario, si sit in possessione.
5 Pensionarius, si in possessione non sit, nec titularis pensioni assensum præstiterit, tenetur probare reservationem pensionis.

1 AD preces titularia posse etiam cogi Clericum ad exhibendum pensionis titulum indubitati Juris est; Interest enim ipsi, quod ejus Ecclesia ab his oneribus exempta sit: Deindè spiritualia, & spiritualibus annexa à pari regulantur, & quidquid dictum est, ut supra de beneficio, locum habet in pensione, quæ cohæret tanquam onus ejus fructibus.
2 Ultra quod pensio ecclesiastica nequit auctoritate privata possideri *Cap. ad audientiam* 2. *de rescript. cap. extirpandæ in fin. de præben. Cap. præterea Cap. cum clerici de Censib.*
3 Merito igitur pensionarius cogendus est ad exhibendum titulum intrà certum terminum, quo non exhibito, sicuti non constat de legitima reservatione, ità pensionem extingui non est dubitandum, licet tutius sit, ut à Judice pronuncietur pensionem non deberi, & sic deperit pensio, quæ super Beneficio non fuit imposita, quod nullam involuit de Jure repugnantiam *ad Text. in l. id quod sub conditione ff. de Constitut. pecun. ibique Gloss. in versic. depereat.* ibi - *ergo perit quod non fuit. & habetur in l* 3. §. 1. *ff. Usufructuarius quemadmodum caveat.*
4 Interim tamen, quo discutitur titulus pensionia, non est deneganda pensionario manutentio, si sit in possessione eam exigendi; Et quidem unicus actus sufficit ad obtinendum intentum §. *retinendæ instit. de interdict.* alioquin, si in possessione non sit, nèc titularis assensum præstiterit, pensionario incumbit onus probandi per literas Apostolicas reservationem pensionis *Rot. decis.* 573. *num.* 2. *cor. Rembold.*, quæ reputatur in hac materia magistralis. 5

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob indebitam bonorum ecclesiæ alienationem *ad interpretationem Text. in extravagant. ambitiosæ de reb. eccles. non alienan.*

SUMMARIUM.

1 Bona, & res ecclesiarum alienari prohibentur absque beneplacito apostolico sub pæna nullitatis, & privationis beneficii ipso jure, ubi declaratur.
2 Hujusmodi juris sanctio justa est quoad primam partem, nec rigorosa est quoad secundam 3., ubi exemplificetur in Feudo.
4 Valet argumentum à feudo ad beneficium, & è contra.
5 Usufructuarius, qui perperam utitur, seù abutitur re ad usumfructum legata, usufructu privatur, ubi rationes, & differentiæ inter bona feudalia, usumfructum, & bona ecclesiarum 6.
7 Limita ex consuetudine concedendi bona ecclesiæ in emphyteusim, qua cessante, contractus emphyteuticus censetur prohibitus, ibid. in fine.
8 Ampliatur ad juspatronatus, dummodo probetur dolus, & malitia Patroni alienantis.
9 Patroni fructuum ecclesiasticorum contrectatores jurepatronatus non privantur.
10 An hypotheca veniat sub prohibitione extravagantis, distinguitur.
11 Hypotheca generalis non venit sub prohibitione alienationie.
12 Idem procedit in hypotheca speciali.
13 Quid in pignore contracto cum traditione rei, distinguitur. 14. & conciliatur opinio *Cenedi, & Menoch. contra Lotter* 15.
16 An locatio bonorum ecclesiæ veniat sub prohibita alienatione sub hac pæna, distinguitur 17.
18 Hoc non habet locum in locatione fructuum, ubi differentia Regularium, & Clericorum 19. 20.
21 Incisio arborum censetur prohibita sub pæna privationis beneficii, ubi declaratur.
22 An Cappellanus alienans bona cappelleniæ incidat in pænam extravagantis, distinguitur.
23 Cappellanus de jure ob dolosam alienationem potest cappellania privari, sed praxis est, ut prius condemnetur ad ejus reintegrationem. 24.
25 Clericus possidens beneficium titulo usufructuarii, seù legatarii ob dolosam alienationem beneficio non privatur, & quare.
26 *Paulina constitutio* quoad secundam partem non est usu recepta in Regnis Hispaniarum.
27 Impugnatur hæc opinio.
28 Non usus *extravagantis* quoad pænam privationis beneficii potest tolerari, & quare.
29 Non usus *extravagantis* excusat à pæna.
30 Clericus alienans ex justa causa bona ecclesiæ hanc pænam non incurrit.
31 Regulares olim ex speciali privilegio poterant justis de causis bona monasterii alienare, quod hodie indistinctè interdictum est, ibidem.
32 Regulares temerè alienantes bona monasteriorum absque juris solemnitatibus privantur ipso jure voce activa, & passiva, aliisque officiis, & beneficiis regularibus.

C A-

CAPUT XXIV.

1 Isponitur *in extravaganti ambitiosæ de rebus ecclesiæ non alienandis* res, & bona ecclesiarum alienari non posse absque beneplacito apostolico, non solum sub pœna nullitatis actus, verum etiam privationis beneficii ipso facto, quod deinde potest liberè, & absque ulla sententia declaratoria ab eo, ad quem id spectat, conferri, aut præventivè, si reservatum non sit, vel privativè si reservatum, & affectum sit, à Papa impetrari, dummodo tamèn dolus alienantis probetur *ex deductis per Quarant. in Summa Bullarii verb. alienatio bonorum Ecclesiæ num.* 49. *Azor. instit. moral. cap.2.in princ. circa med. par.2. lib.9. Gregor. Tholosan. de Benef. cap.* 25. *num.* 16. *& habetur apud Rot. decis.* 896. *par.* 3. *diversor.* Declaratur tamen id procedere in Beneficio, cujus res, & bona temerè, & dolose distracta sunt; Undè si quis ex dispensatione Apostolica plura Beneficia possideat, & prædium unius alienaverit, alterius non, ipso facto privatur primo, non secundo, ut ita clericus alienans in eo, in quo deliquit, puniatur, *ut literaliter habetur in d. extravagan. ibi = beneficiis, quorum res, & bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant*, pœna enim commensurabilis est culpæ, & extra delictum non extenditur, *Cap. quæsivit de his, quæ fiunt à major. part. capit. l. sancimus ibiq. Gloss. Cod. de pæn.*

2 Hujusmodi autem juris sanctio quoad primam partem est æqua, & justa, quoniam bona ecclesiarum divino cultui dicata, sunt extrà commercium, & propter ecclesiasticam qualitatem extant quoque extrà nostrum patrimonium, & sic inferiores ecclesiarum Prælati nullum habent dominium super hisce rebus, & bonis, sed tantùm dicuntur administratores cum facultate utendi, & fruendi, prout in usufructuariis de jure statutum est *ex leg.* 1. *ff. de usufruct.*, ac proindè in clericis quoad res, & bona ecclesiarum cessat ea disponendi, seù alienandi facultas, quæ competit iis, qui habent plenum dominium & liberam suarum rerum administrationem *juxta Dec. cons.*558. *num.*5.

3 Nec tamen rigorosa censenda est quoad secundam partem, in qua pœna privationis ex actu nullo inducitur, quod novum in jure non est, quoniam feudatarius alienans portionem, seù medietatem feudi absque Domini assensu olim ea spoliabatur, quamvis alienatio nullitatis vitium pateretur *cap.* 1. *quibus mod. feud. amittat. tit.*5. *cap. si quis de feud. sine culp. non amitten. tit.*21. *cap. unic. de controvers. inter Dominum & emptor. feud. tit.*42., & jure novissimo Vassallus ipso facto feudum amittit, & liberè ad Dominum revertitur, si inconsulto Domino in parte, aut in totum illud vendiderit, alienaverit, seù distraxerit *cap. imperialem de prohibita feud. alienat. per Lothar. cap. imperialem de prohibita feud. alienat. per Frideric., ubi Isernia, & Feudistæ omnes*.

4 Ità à pari, valet enim argumentum à feudo ad beneficium, & è contra. Sanè feudum promiscuè beneficium appellatur in usibus feudorum, & beneficium quodammodo feudum est, si lato modo sumatur, cum utrobique sit benevola actio tribuens gaudium capientibus *cap.* 1. §. *in primis in quibus causis feudum amittatur*. Porrò ut per alienationem feudi absque consensu Domini Vassallus illud ipso jure amittit concessa libera facultate Domino investiendi alium, ità per dolosam alienationem bonorum ecclesiæ absque beneplacito apostolico beneficium ipso facto vacat, & revertitur ad ecclesiam, concessa à jure facultate episcopis illud liberè conferendi, seù, quod idem est, impetrandi à Papa *extrav. ambitiosæ*, §. *inferiores de reb. eccles. non alienan. Rot. decis.*896. *par.*3. *diversor. lib.*3.

5 Nec dissimilis ratio militat in usufructuario, qui perperam utens, seù abutens re ad usumfructum legata, privatur statim jure ususfructus, quod proindè cum proprietate consolidatur *Castill. de usufructu cap.*3. *num.*101. *lib.*1. Ex his igitur non videtur incongrua, aut nimium exorbitans pœna vacationis beneficii contra inferiores Prælatos temerè alienantes res, & bona ecclesiarum, quæ de jure

6 potiùs debent augeri. Deinde major ratio urget in rebus ecclesiasticis, quam in bonis indifferentibus, aut feudalibus, quippe quia usufructuarius dilapidare prohibetur bona ratione præjudicii, quod infertur proprietario, & bona feudalia alienari à Vassallo interdicuntur, inconsulto Domino, ex motivis politicis, & prudentialibus, immò in aliquibus Principatibus, Regnis, & Provinciis redacta sunt ad instar allodialium. At bona ecclesiastica sunt semper qualificata, sunt extrà nostrum patrimonium, sunt & insupèr extrà hominum commercium.

7 Verùm, si quæ consuetudo in ecclesiis viget, ea dumtaxat toleratur quoad concessionem precariam, & emphiteuticam, in qua utile dominium transfertur, ut disponitur *in d. extravagan. ambitiosæ, cap.* 1., *ibique Gloss. qui feud. dar. poss.*. Porrò arguendo à contrario sensu, ubi bona ecclesiarum non sunt solita alienari, concessio ad longum tempus, & contractus emphiteuticus penitùs censetur prohibitus sub hac pœna, nam sub prohibitione alienationis venit omnis actus, per quem dominium transfertur *l. Sancimus C. de reb. alien. non alienan. ibique Bartol. & Interpret.*

8 Ampliatur pœna ad Juspatronatus, dummodo tamen dolus, & malitia Patroni alienantis concludenter probetur, aliter justa,

N seù

seù probabili causa concurrente privationi beneficii patronalis locus non est *Sacra Congregatio in Spoletana 8. Aprilis* 1604. *Quarant. in summa Bullar. verbo alienatio rerum ecclesiæ num.*50. *Rot. in Nullius, seù Farfen. super privatione* 19. *Junii* 1722. *cor. Reverendissimo Calcagnino*, quæ *in* §. *In hypothesi*
9 juridicè infert patronos fructuum rerum ecclesiasticarum contrectatores jurepatronatus non privari, jura enim restitutionem fructuum non jurispatronatus privationem præscribunt, quod est principium communiter receptum *ex cap. extirpandæ, ubi scribentes de præben.*

10 Hoc posito, duplex hinc oritur juris quæstio, altera super hypotheca, altera verò super locatione bonorum ecclesiasticorum, videlicet an clericus hypothecans, vel locans temere, & fraudolentèr rea, & bona ecclesiarum incidat in pœnas extravagantis? Utraque quæstio brevitèr sic resolvitur. Quoad primam distinguendum est inter hypothecam generalem, & specialem, seù pignua; Sa-
11 nè hypotheca generalis sub prohibitione alienationis non venit, ac proindè beneficiatus ex hoc capite pœnas *extravagantis* non incurrit, quia per hypothecam generalem nullum transfertur dominium in creditorem *Gloss. in l. final. versic. hypothecam cod. de reb. alien. non alienan. Rot. decis.*284. *num.*8. *cor. Molin. tom.*1. & ità censuit Sac. Congregatio Concilii *in Romana beneplaciti die* 13. *Januarii* 1691.; Immo hujusmodi hypotheca per obitum beneficiati hypothecantis resolvitur, quia ultra ejus vitam nequeunt bona ecclesiæ hypothecari; Item quia per generalem hypothecam censentur dumtaxat obligati fructus beneficii usque ad ejus obitum, quo superveniente, jus creditoris in sequelam expirat *l. Lex Vectigalis ff. de pignoribus l.*1. *cod. si pignus pignori*.

12 Idem dicendum est de hypotheca speciali, quoniam in materia pœnali alienatio accipitur propriè, & sic prò translatione dominii *Lotter. de re benefic. lib.*3. *cap.*25. *num.*15. ubi reprobat *Cenedum, & Menoch.* contrarium tenentes, & ratio est, quia alienatum propriè non dicitur, quod in dominio debitoris manet *l. alienatum ff. de verbor. signifi cat. l. pignus ff. de pignoratitia actione*, ubi quod per pignus res manet in dominio debitoris, quæ sententia vera est quoad effectum, de quo agitur.

13 Sola apud me dubitatio est in pignore contracto cum traditione rei ecclesiasticæ, præsertim, si persona, cui res traditur, potens sit. Hunc punctum, quem non tangit *Lotter. loc. citat.* omittere non debeo, quia in praxi potest contingere; Placet itaque cum distinctione ad ejus resolutionem procedere; Aut specialis hypotheca, seù pignus contractum est per beneficiatum pro modico debito, hoc casu censerem pœnam *extravagantis* locum non habere, & ratio est, quia regularitèr pro modico debito proxima est spes luitionis; Deindè prò modico debito quis excusatur à pœna, immo sicuti de minimia non curat Prætor *l. scio ff. de in integr. restitut. l. si quis* §. *final. in fin. ff. de dolo mal.* ità multo minus Judex ecclesiasticus, qui juxta æquum & bonum tenetur judicare *Clementin. ult. de verb. significat ibi = ubicumque æquitas suadebit = l. ubicumque ff. de interrogat. act. l. quod si ephesi* §. *in summa ff. de eo, quod certo loco*, alioquin durum nimium esset Pastorem ecclesiæ prò quocumque debito super bonis ecclesiæ specialitèr contracto beneficio spoliare, *argumento Text. in can. terrulas* 12. *quæst.*2., ubi habetur, quod terrulæ, seù vineolæ modici valoris possunt absque juris solemnitatibus alienari, nec per hujusmodi alienationem ulla de jure inducitur pœna, & ratio est, quia talis alienatio non affert ecclesiæ grave præjudicium, ita à pari, quod potissimum procedit, si indè beneficiatus rem pignoratam redemerit, debitum solvendo, tunc enim de æquitate excusatur à pœna juris *Butr. consf.*34.*n.*2. *versic. de æquitate*; *Rot. in Romana fideicommissi de Theodolis die* 17. *Aprilis* 1592. *cor. Card. Blanchetto*, ubi quod in bonis fideicommissariis alienari prohibitis sub pœna privationis, cessat rigor juris, si alienata sint prò modico debito, ità idem dicendum est in bonis ecclesiasticis specialiter hypothecatis pro modico debito etiam cum traditione pignoris.

14 E contrà verò, ubi bona ecclesiæ specialiter oppignorata sunt prò summa considerabili, ita quod non adsit spes luitionis, dubitandum haud est, quominus beneficiatus incurrat pœnam privationis beneficii, nàm hujusmodi oppignoratio veram importat alienationem cum gravi ecclesiæ detrimento, dum facilis non est bonorum expignoratio, seu redemptio, *ita Gloss. communiter recepta in l. qui habebat versic. additio*, ibique *Bart. num.*2. *ff. de legat.*3. *Gloss. in l. in quorum ff.*
15 *de pignor.* Et in hoc casu vera est opinio *Cenedi, & Menochii*, contra quos *Lotter. loc. cit.* nimium invehitur.

16 Quo vero ad locationem videtur quoque distinguendum; Si enim locatio facta fit ad longum tempus sub annua responsione ipsi rei correspondente, ita quod ex quantitate pensionis vera arguatur locatio, tunc beneficiatus nullam pœnam incurrit, nam talis locatio non est præjudicialis ecclesiæ, nec mutat, aut transfert dominium in alium, ideoque prohibitus alienare, seu pignorare, non est prohibitus locare, *l. non solet ff. locati, l. Codicillis* §. *instituto, ibique Gloss. & Interpretes ff. de legat.*2.

17 Aut verò locatio facta est ad longum tempus sub modica pensione, hoc casu talis locatio nil differt ab emphiteusi, in qua utile dominium transfertur, & consequenter sub prohibita bonorum ecclesiæ alienatione comprehenditur, non enim inspiciendum est, quod locatio sit, & talis à contrahentibus denominetur, sed quid præseferat locatio ad longum tempus sub modica responsione; Cum igitur

igitur locatio hoc modo concepta importet translationem utilis dominii, necessario sequitur eam de jure prohibitam esse Pastoribus Ecclesiarum sub pœna privationis beneficii, *extravagans ambitiosæ de rebus ecclesiæ non alienan. l. Sancimus C. de reb. alien. non alienan.*

18 Id tamen non procedit in locatione fructuum, de quibus potest clericus beneficiatus ad placitum disponere, eosque alienare, seu dilapidare absque ulla pœna, nam dilapidatio, propriè loquendo, intelligitur respectu bonorum, non autem respectu fructuum *ita Spad. consf.99. lib 2. per tot. Rot. decis.472.*
19 *num.10. cor. Pan.*. Ad differentiam Prælatorum regularium, qui malè utentes fructibus monasterii privari possunt abbatiis, officiis, aliisque administrationibus religionis. Et ratio differentiæ ea est, quia Prælatus secularis in vita æquiparatur usufructuario, cum facultate utendi, & fruendi, ac libere
20 disponendi; At regularis non habet ità pingue jus super his fructibus, quos in usum monasterii, non in propriam utilitatem impendere debet; *docent scribentes in cap. monaci de statu monachorum Gloss. in cap. per tuas versic. levioribus de Simonia. Sarmient. de redit. eccles. par 4. cap.1. num.8.*, & latiùs infrà.

21 Ulteriùs incisio arborum etiam quædam species alienationis est, ac prohibita censetur in bonis ecclesiæ sub pœna privationis beneficii; Quod tamen sano modo intelligendum est, si grave damnum patiatur ecclesia, alioquin, si incisio fiat, ut aliæ arbores subrogentur, seu ut fundus reddatur fructuosior, pœna vacationis beneficii omninò cessat, nec beneficiatus potest ullo modo privari *in puncto Rot. decis.7. per tot. coram Martino Andreas decis.553. par.2. recen.*, quod præsertim verum est, si agatur de fundo destinato ad incisionem, ut praxis docet in sylvis cæduis, & ratio est, quia hujusmodi incisio stat loco fructuum *l. item si fundi in fin. l. ex Sylva cum seqq. ff. de usufruct. l. Sylva ff. de verbor. significat. Ciarlin. contr.51. per tot. tom.1.*, nisi tamen beneficiatus modum excesserit, quod concludentèr probandum est ab impetrante, sivè agatur de incisione, sivè de dilapidatione bonorum *Rot. decis.7. per tot. cor. Martin. Andreas decis.472. num.9. & per tot. cor. Pan. decis.31. num.5. part.15. recen.*

22 Quæres, an cappellanus alienans, seu dilapidans bona prò dote cappellaniæ assignata incidat in pœnam *extravagantis?* Respondeo resolutionem hujus quæstionis à qualitate cappellaniæ pendere; Si enim beneficium ecclesiasticum est, quod canonica institutione obtinetur, dubium non est, quo minus locum habeat extravagans, & consequentèr sicuti per dolosam alienationem vacant ipso jure beneficia ecclesiastica, ita quoque vacabit cappellania, quæ sine dubio venit appellatione beneficiorum cum cura, vel sinè cura, de quibus generalitèr *in d. extravaganti* disponitur.

Ubi verò cappellania est laicalis, tunc cappellanus propter distractionem bonorum ea ipso jure non privatur, & ratio est, quia privatio non datur, nisi in casibus à jure expressis *Gloss. communitèr recepta in cap. final. versic. ex vi juris patronatus circa fin. de jure patronat. Rot. decis.717. num.17. par.4. rec. tom.3. decis.31. num.10. part.15. recen*; & ità censuit Sac Congregatio Concilii *in Salmonen. 12. Januarii 1697.*

23 Illud tamen certum est cappellanum in hoc casu posse privari, quia dolosa, seu culposa alienatio sapit delictum, quod justam privationis causam episcopo præbet, ad instar laici possidentis præbendam prò officio Sacristæ, seu Organistæ, nam si is in parte, vel in totum temerè alienet bona præbendæ, potest ab hujusmodi officio removeri, etiamsi ex lege fundationis præbenda ad vitam assignata fuerit *cap.1. ubi latè Abb.*, *& Interpretes de Judiciis.*

24 Hæc quamvis vera sint in puncto juris, nihilominus praxis est, ut prius cappellanus condemnetur in bonis propriis ad reintegrandam cappellaniam præviis decretis, & monitionibus, quibus, si pareat, in pacifica ejus possessione manutenendus est, nàm cappellanus sub extravaganti non comprehenditur, ità Sac. Congregatio *in d. Salmonen.*; Si verò renuat, cappellania privandus est, indignus enim est ejus administratione, qui non restituit, quod cappellaniæ temerè abstulit, potissimum, quia concurrit contumacia, quæ de jure præbet justam causam privationis, & ità suadet æquitas quoad primam partem, sicut rigor juris quoad secundam.

25 Idem pariformitèr dicendum est de eo, qui uti usufructuarius, seu legatarius, aut administrator possidet beneficium ad tempus, donèc scilicèt alius de familia prima tonsura initietur, aut ad sacros ordines promoveatur; Sanè ut locum habeat *extravagans*, considerandum non est, quod agatur de bonis ad beneficium spectantibus, sed quod possessor non est beneficiatus; Utrumque enim copulativè requiritur, ut pœna juris incurratur, quod satis resultat *ex d. extravaganti*, quæ loquitur de prælatis inferioribus, commendatariis, & rectoribus, quorum appellatione non continetur, qui possidet beneficium alio titulo præter canonicam institutionem; Nec refert, quod in se beneficium perpetuum sit, quia præponderat, quod in actu est legatum, seu administratio laicalis ad certum tempus, quod sufficit, ne incurratur pœna dictæ extravagantis; Quod in omnibus beneficiis, & præsertim Regni Hispaniarum receptum est, in quibus ex lege fundationis ea adjicitur conditio, ut clericus interim tanquam legatarius, seu usufructuarius percipiat fructus beneficii, & suos faciat, donèc aliquis de familia beneficii capax superveniat.

26 Et eo fortiùs, quia in Regnis Hispaniarum Paulina constitutio quoad secundam partem usu recepta non est, *ut ex mente Navarri Guttierez, Molin. Telet. testatur Gerzias de be-*

de benefic. cap.1. par.2. num.87. 88. Rot. decis.1. per tot coram Mobeduno.

27 Et quamvis hæc opinio videatur reiicienda,
cum quævis constitutio apostolica promulgata
ta inCuria omnes ecclesiasticos statim obliget
ex ea satis solida ratione, quia potestas Papæ
pæ immediatè provenit à Deo *ex plenè deductis
ctis per Rot. decis.85. per tot. cor. Cavaler.
decis.213. par.1. decis.184. num.4. par.4. re-*
28 *cen. tom.2.*. Nihilominus non usus hujus
ecclesiasticæ constitutionis potest tolerari,
quia aliundè satis consultum est indemnitati
ecclesiarum per remedium reintegrationis
contra illicitos detentores *l. jubemus §. sanè
C. de sacrosanct. Eccl. cap. si quis ibique Imol.
num.12. de reb. eccles non alienan. Marin. resolut.8.
solut.8. per tot. lib.1. Ciarlin. controv.105. in
fin. Rot. decis.336. num.26. par.10. recen. & in
Nullius seù Farsen. super reintegratione die
19. Junii 1722. coram Reverendissimo Calca-*
29 *gnino*; Immò hujusmodi consuetudo, si
diù tolerata sit, excusat a pœna *Lotter. de re
benefic. lib.3. cap.25. in fin. Rot. decis.356.
num.9. par.1. recen.*; Quod tamen cogitandum
dum relinquo pro Hispano impetrante ex hoc
capite beneficium, casum enim prò beneficiis
ciis Hispaniarum decisum non habeo.

30 Ampliatur in quocumque clerico, qui ex
justa causa bona ecclesiæ alienaverit, nam
extravagans requirit dolum, & malitiam in
alienante, ergò, si justa causa concurrat,
pœna privationis beneficii non incurritur *Zabarell.
barell. in Clement. 1. quæst 39. num.22. versic.
contrarium de privileg. Quarant. in summa
Bullarii verb. alienatio bonorum ecclesiæ
num.50.*

31 Denique de regularibus dolosè alienantibus
bona monasteriorum pauca dicenda sunt,
olim enim ex peculiari privilegio eis permissum
sum erat prò indigentiis, aliisque justis de
causis, bona stabilia, & mobilia etiam pretiosa
tiosa vendere, aut alienare, quod deindè
iterùm interdictum fuit, quia ex libera eorum
rum administratione maxima monasteriis detrimenta
trimenta redundarunt. Pœna autem regularium
rium non differt ab ea, quæ infligitur de jure
contra clericos bonorum ecclesiasticorum di-
32 lapidatores. Præterea regulares temerè alienantes
nantes bona monasteriorum absque solemnitatibus
tatibus privantur ipso jure voce activa, &
passiva in electionibus, aliisque officiis, &
beneficiis, quæ ipso facto vacant *ex decreto
Urbani VIII. relato per Novarr. in commentar.
tar. tit. de reb. eccles. non alienan. cap.6.*; Et
in sequelam hæc officia, seù beneficia ab aliis
regularibus possunt impetrari, si ii, ad quos
spectat electio, non provideant. Hæc tamen
raro accidunt in praxi disputanda, quippe
quia laici non ita facile emunt à regularibus
bona jam Monasteriis dicata absque beneplacito
placito Apostolico, *ut praxis docet*.

A D D I T I O.

S U M M A R I U M.

1 AN *Extravagans ambitiosa* locum habeat in pensione, resolvitur in duobus casibus affirmativè.
2 *Extravagans ambitiosa* loquitur de beneficiis, & administrationibus,
3 Pensionarius comprehenditur sub *Extravaganti*, sicuti Commendatarius, Administrator, & similes.
4 Usufructuarius dilapidans proprietatem rei usumfructum amittit.
5 Valet argumentum de usufructu ad pensionem.
6 Pensionarius temerè alienans bona, & res ecclesiæ pensione privandus est, ubi rationes.
7 Pensionarius ex hoc capite, antequam pensione privetur, condemnandus est ad reintegrationem, & quare.

1 PRo supplemento hujus materiæ addi potest
test alia non inutilis juris disputatio, an
scilicet *Extravagans ambitiosa* locum habeat
in pensione, itaut ob dolosam bonorum alienationem,
nationem, ut supra, cadat pensionarius à jure
exigendi pensionem, sicut Clericus à beneficio.
cio. Sanè casus potest dupliciter accidere,
primo, ubi beneficiatus cum consensu pensionarii
sionarii temerè distrahit bona ecclesiæ; Secundo,
cundo, ubi pensionarius, habito regressu ad
beneficium pro exigendis pensionis fructibus,
vendit, seù alienat, ut supra. Hoc pósito
censeo utrobique pensionem extingui; Et
quidem primo casu, quia pari pœna puniuntur
tur agentes & consentientes *cap.1. ibique
Gloss. versic. pari de offic. Judic. delegat. l.1.
§. dejecisse ff. de vi, & vi armata*. Porrò si
Prælatus ob dolosam alienationem rerum ecclesiæ
clesiæ statim privatur beneficio, idem dicendum
dum erit de Clerico pensionario, qui eidem
2 alienationi assensum præstitit. Deinde *in Extravaganti
travaganti ambitiosa* non solum de beneficiis,
prioratibus & dignitatibus fit mentio, verum
3 etiam administrationibus; ideoque ratio juris
expostulat, ut pensionarius includatur, sicuti
comprehenditur commendatarius, administrator,
strator, & fructuum reservatarius, nam pensionarius
sionarius reservatario fructuum æquiparatur;
Et demum quia, ut alibi dictum est, pensio
sio quodammodo est beneficium, & administratio
stratio ecclesiastica, ut fructuum reservatio.
4 Quod puto verum utroque jure inspecto,
quoniam usufructuarius dilapidans proprietatem
tatem rei jure civili amittit usumfructum
Castill. de usufruct. lib.1. cap.3. num.101., ita
5 à pari; Valet enim argumentum de usufructu
ctu ad pensionem *Rot. decis.448. num.27. ad
30. cor. Duran. cum plenè relatis in cap.1. de
vacat. per obit. in addit.*
6 Cæterum, si tibi placet æquior sententia,
tia, pensionarium nempè ex hoc capite pensione
sione privandum esse, videris non improbabiliter
biliter judicasse, nam in extravaganti nulla
fit mentio de pensionario, ergo pœna a jure
exorbitans ad pensionem non est extendenda.
da. Verum Clericus efficitur indignus temerè
merè alienando ea bona, a quibus ex dispensatione
satione Ecclesiæ commodum, & utilitatem
repor-

reportat. Item alienatio rei Ecclesiæ facta per dolum, & fraudem tale præsefert crimen, quod hac pœna dignum videtur, nam & dolus delictum est *juxta Gloss. in l.* 1. §. *Si apud servum versic. & delicta ff. depositi*. Demum ob dolosam alienationem ex d. extravaganti incurritur excommunicatio, quæ præbet causam, ut clericus pensione privari possit *cap. pastoralis* §. *Verum*, *ibique Gloss. de appellat. Innoc. in cap.* 1. *de judic.*

7 Prius tamen clericus condemnandus est ad reintegrationem in bonis propriis iuxta praxim, & habetur in *Sulmonen.*; *de qua supra num.*24., quæ habet etiam locum in clerico pensionario, qui, prout Cappellanus, Beneficiatus non est *Gloss. in cap. quamvis in tertia addit. de præben in* 6., qua reintegratione obtenta, ad ulteriora non est procedendum, quia cessante pœna extravagantis privatio pensionis contra clericum ex hoc capite jure non infligitur, ut *in titulis de reb. eccles. non alienan.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob Hæresim *ad ornatum Text. in cap. ad abolendam cap. vergentis cap. excommunicamus §. damnati de Hæreticis cap. ut commissi cap. cum secundum de Hæretic. in* 6.

SUMMARIUM.

1 VAcationes beneficiorum aliæ inductæ sunt propter culpam juridicam, aliæ propter culpam theologicam 2.

3 Inter has vacationes primariò hæresis numeratur, hæresis quid sit, & ejus effectus 4.

5 An propter hæresim vacent ipso jure beneficie, prima sententia negat, secunda affirmat, quæ verior est 6. 7.

8 Sententia declaratoria nihil disponit de novo.

9 Paritas inter crimen læsæ majestatis humanæ & divinæ concludit, & quare.

10 Beneficie, prout consistunt in jure percipiendi fructus non differunt à rebus temporalibus.

11 Clericus accusatus de hæresi, & citatus amittit post annum beneficia, si non compareat.

12 Sententia declaratoria retrotrahitur ad diem commissi criminis.

13 Ampliatur pœna in Apostatis, ubi rationes.

14 Limitatur in Clerico, qui coactus fuit ad apostatandum, ubi quod coactio probande est 15.

16 Impetratio beneficii ex hoc capite non valet, nisi fiat mentio hæresis.

17 Beneficia vacantia propter hæresim sunt reservata sedi apostolicæ.

18 Ampliatur in Episcopis, Archiepiscopis, & Primariis ecclesiæ Ministris, ubi exempla 19.

20 Ampliatur in officiis, quibus deputantur Laici, seu clerici.

21 Requiritur tamen sententia declaratoria hæresis, ut clericus beneficiis privatus sit, ubi declaratur.

22 An pendente judicio super crimine hæresis valeat impetratio beneficii. Distinguitur 23.

24 Differentia quoad hoc inter regulares, & clericos seculares.

25 Ampliatur ed Patronos ecclesiarum, ubi distinguitur 26.

27 Ampliatur ad juspatronatus, quod competit universitatibus, & monasteriis, ubi declaratur.

28 Ampliatur ed Reges, & Principes.

29 Papatus propter hæresim vacat, ubi declaratur.

CAPUT XXV.

1 OMnes beneficiorum vacationes, de quibus usque nunc per discreta capita disseruimus, à jure inductæ sunt propter culpam civilem, & juridicam, quippe quia retentio plurium beneficiorum incompatibilium, violatio sequestri, occupatio ecclesiarum, & his similia, nil aliud præseferunt, quam culpam perpetratam contra legem positivam; Non enim hæc sunt per se delicta, sed delictum sonant propter aliud, videlicet, quia de jure prohibita sunt omnibus beneficiatis sub pœna vacationis benefi-
2 cii; Nunc autem de iis vacationibus dicendum est, quæ culpam theologicam, idest verum crimen præsupponunt.

3 Itaque inter has vacationes primariò annumeratur crimen hæresis, quæ à Theologis definitur error in fide cum pertinacia, sine qua nemo potest appellari hæreticus, sed potius errans quoad ea, quæ ad catholicam religionem pertinent. Ac per consequens hæresis crimen pro hujusmodi effectu momento temporis non committitur, sed ex tempore, loco, aliisque facti circumstantiis, quoniam, si Clericus de sacramentis in genere, vel de uno in specie perperam sentiret, non statim quoad forum externum hæreticus appellandus est, sed quatenus in errore pertinaciter perseveret *Can. qui in Ecclesia* 24. *quæst.*3. *Rot. decis.* 486. *num.* 25. *par.* 1. *diversor.*
4 Et in hoc sensu vacant ipso jure beneficia, dignitates, canonicatus, præbendæ, & alia ministeria ecclesiastica, prout infra.

5 His positis celebris olim fuit inter antiquos Canonistas controversia, an scilicet propter hæresim ipso jure vacarent beneficia, vel potius Clerici per sententiam privandi essent, opinantibus nonnullis hujusmodi pœnam in jure non dari, affirmantibus cæteris id jure satis cautum esse, & ita unusquisque in suum trahe-

trahebat sensum, & in alienum retorquebat Sacrorum Canonum dispositionem, *ut refert Bernard. Diaz. hispanus in sua prax crimi- nal. cap.*114., *ibique Ignat. Salsed. additio- nator.*

6 At quidquid sit in abstracto de hujus controversiæ veritate, quæ in scholis pro exercendis tyronum ingeniis disputanda relinquitur, hodie vera est, & in praxi communiter recepta sententia, omnia scilicet beneficia propter hæresim ipso jure vacare *Text. sunt expressi in cap. ad abolendam cap. vergentis cap. excommunicamus* §. *damnati de hæret. in antiqu. cap. cum secundum cap. ut commissi eod. tit. in* 6. *Paul. IV. constitut.* 19. *Garzias de benefic. par.*11.*cap.*10.*num.*66. *Pignattell. in suis novissimis consult.* 184. *in princ. tom.*2. *Spad. consf.*71. *per tot. lib.*1. *Rot. decis.*619. *num* 6. *decis.*727. *per tot. par.*4. *rec. tom.*3. *decis.* 178. *num.*6. 7. *cor. Merlin.*

7 Et ratio potissima est, quia ex juribus supra relatis impartitur inquisitoribus hæreticæ pravitatis plenaria facultas privandi, vel privatos denunciandi beneficiis, dignitatibus, & præbendis clericos omnes de hæresi convictos, vel confessos, quæ verba, cum sint latæ sententiæ, vacationem beneficii ipso jure
8 inducunt; Declaratio enim nihil de novo disponit, sed quod de jure jam sancitum est, tantummodò aperit *l. adeo* §. *cum enim ff. de acquiren. rer. domin. l. hæredes palam* §. *si quid post ff. de testam. Rot. decis.*707. *num.*4. *por.*3. *diversor.*

9 Clarius, quia laici propter crimen læsæ majestatis humanæ ipso jure spoliantur omnibus bonis, feudis, gradibus, honoribus, & præeminentiis, ut dicam infrà, ideoque à fortiori hæc militare debent contra ecclesiasticos, qui in statu hæresis beneficia possident; Majus enim crimen est divinam, quam hu-
10 manam lædere majestatem. Item quia beneficia, ut consistunt in jure percipiendi fructus, rebus temporalibus æquiparantur *cap.*1. *de præben. l. bonorum ff. de verbor. significat. Novar. decis.*233. *num.*6.

11 Ampliatur in clerico accusato de hæresi, qui legitimè citatus intrà annum non comparuit, quoniam post annum, ut hæreticus condemnandus est *cap. cum contumacia, ibiq. Jo. Andr. Geminian. Franch., Hostien. de hæretic. in* 6. *Soccin. in cap. excommunicamus num.*15. *eod. tit.* & consequenter post annum vacant ipso jure beneficia, acsi clericus esset
12 verus hæreticus, potissimum, si post annum sententia condemnatoria, seù declaratoria criminis à Judice prolata fuerit, hæc enim trahitur retrò, & operatur, ut à die commissi criminis beneficia statim vacare dicantur *cap. vergentis de hæretic. in antiqu. cap. ut commissi eod. tit. in* 6. *Rot. decis.*707. *par.*3. *diversor.*

13 De apostatis à fide idem, immò severius judicium est *ex l.*1., *& l. final. cod. de apostat.*; Sunt enim magis odiosi, & differunt ab hæreticis in pluribus, primo quia hæreticus in uno, vel duobus articulis delinquit, apostata verò in pluribus, ac ferè in omnibus fidei dogmatibus, Secundo hæreticus præcisivè ab uno, vel duobus erroribus, profitetur in reliquis catholicam religionem, apostata in omnibus ecclesiam impugnat, aliasque amplectitur perditionis sectas & novas instituit, undè non solum hæreticus, sed potius hæresiarca dicendus est *Canon. ult.*24. *quæst.*3. ubi hæreses omnes antiquatæ enumerantur. Tertio clericus hæreticus non amittit ipso jure beneficia, si statim hæresim abiuret, non enim dicendus est talis, qui diù & pertinacitèr in hæresi non perseveravit *argumento Text. in l. qui sic solvit* 55. *ff. de solut.*; E, contrà apostata jam pertinax est, & rarò reverti solet ad unionem, nec ità facile errores deponit, *ut praxis docet*; Attamen si redeat, non recuperat beneficia jam amissa ex hoc capite, nisi ex speciali diplomate ad pristinos honores, beneficia, & dignitates ecclesiasticas restituatur *l.*1. *& 2. C. de sent. pass., & in integr. restit.*

14 Limitatur conclusio in clerico, qui vi, & metu coactus fuit ad apostatandum, quod non rarò practicatur à Barbaris, tùm contra christianos, tùm etiam contra ecclesiasticos captivos, nam ut consensus præstitus apostasiæ est involuntarius, cum ex gravi metu ortum habuerit, ita clericus nullam incurrit pœnam, nec præbenda, aut beneficio potest juridicè privari; habet enim justam excusationis causam; quod si privatus sit, potest petere restitutionem in integrum adversus sententiam privationis, nam clericus habet jus postliminii, acsi nunquam fuisset captivus, vel
15 apostata, coactio tamen ab ipso concludenter probanda est *ita Spad. consf.*44. *per tot. lib.*3., alioquin juridica est vacatio beneficii per apostasiam, & justa privatio à Judice inflicta *ut docent scribentes in cap.*1. *de apostat. Spad. d. consf.*44. *lib.*3., ac per consequens valet impetratio beneficii obtenta à Papa ex hoc capite; quod speciale est in crimine hæresis, & apostasiæ.

16 Advertendum tamen est non valere impetrationem beneficii sub generalitate gravium, & enormium delictorum, nisi expressa fiat mentio hæresis, & apostasiæ *ità S. Pius V.*
17 *constit.*29. *Gregor. XIII. constit.*66., ubi insuper habetur hujusmodi beneficia sic vacantia esse Sedi Apostolicæ reservata, ideoque ordinarius loci potest quidem procedere ad declarationem vacationis beneficii, & privare clericum, seù privatum denunciare, potest indicere concursum, si ecclesia sit Parochialis, sed nequit beneficium conferre *ex constit.*29. *S. Pii V. de qua latè Clericatus de benefic. cap.*47. *per tot. ubi concordantes.*

18 Ampliatur insuper in episcopis archiepiscopis, aliisque primariis ecclesiæ ministris habentibus jurisdictionem quasi episcopalem, immò etiam in administratoribus Cathedralium Ecclesiarum vacantium per obitum, seu renonciationem; Etenim hi omnes ob crimen hæresis, & apostasiæ statim amittunt potestatem conferendi beneficia, deputandi æconomos,

nomos, spoliantur statim ipsomet episcopatu, cui annexa est potestas jurisdictionis, immo potestate, seu exercitio ordinandi clericos, consecrandi altaria, velandi virgines, & demum prohibentur exercere ea omnia, quæ cohærent ordini episcopali *Gloss. in cap. 1. versic. firmitate de Schismatic. ibi = quia dum ecclesia habet Pastorem hæreticum vacare intelligitur cap. ad abolendam de hæretic.*

19 *Paul. IV. constit. 19.*. Exempla extant *apud Baron.*, qui testatur Clementem VI. *Anno* 1348. *num.* 16. 17. Archiepiscopum Moguntinum ab omni honore, & gradu, & dignitate episcopali dejecisse, idemque prout ipse refert *anno* 1426. *num.* 11. practicavit Martinus V. cum Episcopo Pragensi, simile habetur *in Constitutione Pii IV. 66.*, ubi quidam Cardinalis ex hoc capite privatus fuit omnibus privilegiis, honoribus, beneficiis, & administrationibus ecclesiarum, immo ipsamet ecclesiæ dignitate, qua paulo ante insignitus fuerat.

20 Ampliatur demum in præbendis, aliisque officiis, quibus deputantur clerici, aut laici absque titulo canonicæ institutionis; Et quamvis hujusmodi officia, & præbendæ non differant à bonis temporalibus, nihilominus ob hujusmodi crimen vacant saltem de facto, sicuti bona patrimonialia, paterna, & avita pro crimine hæresis ad ecclesiasticum fiscum ipso jure incorporantur, & consequenter Ordinarius liberè potest ad hæc officia, & præbendas alios idoneos clericos, seu ministros etiam laicos deputare, quod speciale est in hoc crimine *cap. cum secundum de hæretic. in 6. Gloss. in cap. quicumque §. hæretici versic. beneficium eod. tit.*

21 Et quamvis clericus propter hæresim omnibus officiis, beneficiis, & dignitatibus ecclesiasticis ipso jure privatus fit, nihilominus requiritur sententia declaratoria, qua jure beneficii privatus denuncietur, & possessione, quam adhuc retinet, penitus spolietur *cap. cum secundum in fin. de hæretic. in 6. Peregrin. de jure Fisci lib. 4. tit. 5. numer. 8. Bursatt. cons. 43. num. 1. lib. 1. Pignatell. consult. 188. §. requiritur oper. noviss. Rot. decis. 727. num. 4 par. 4. rec. tom. 3.* Quod proprie fieri non potest, nisi per sententiam, ejusque executionem, & ita se habet praxis ecclesiæ, præsertim contra primarios ecclesiarum Ministros, & Præsules, *ut ex juribus, & exemplis mox relatis*, nisi agatur in casu, quo hæresis notoria fit, tunc enim ad validam beneficii impetrationem, ejusque executionem, declaratione opus non est *Felin. in cap. Rodulphus num. 37. de rescript. Abb. in cap. cum non ab homine num. 29. vers. procedit enim de judic.*

22 Ex his igitur videtur posse inferri, quod pendente judicio super hæresis crimine non valeat beneficii impetratio ante definitivam sententiam, si enim valeret, daretur sine dubio occasio calumniandi, probos, & honestos viros, quod ratio juris non patitur, *ut docent communitèr Canonistæ in Clemen. 2. de pæn. Gloss. in Clement. præsenti versic. constiterit de censib. Tondut. quæst. benefic. cap. 145. n. 2. cum ibi relatis.*

23 Hæc autem opinio procedit tantum in judicio manutentionis, quoniam beneficiatus possessione beneficii spoliandus non est, antequam de hæresi in judicio convictus sit, & *ita loquuntur Doctores cum Glossa, & Tondut. loco citato*; aliter, si jam ex actis constet de hujusmodi crimine, valet collatio beneficii obtenta à Papa, quamvis ex post sententia declaratoria criminis superveniat; In hisce enim vacationibus à jure inductis non est necesse, ut prius sententia privationis pronuncietur, sed satis est, quod ex testibus, aliisque juridicis documentis de hæresi concludenter appareat: Hoc sane est fundamentum impetrantis pro obtinenda executione literarum Apostolicarum, nam pœna privationis eo ipso, utpotè jam à lege inflicta venit in sequelam perpetrati criminis absque facto hominis *Felin. in cap. Rodulphus num. 35. de rescript.* Rursus sententia, quæ deinde supervenit, melius probat intentum impetrantis, cui immissio ad beneficium denegari non potest, nam sententia declaratoria retrotrahitur ad diem commissi criminis, ac si ab hoc tempore prolata fuisset *in terminis Rot. decis. 619. decis. 727. par. 4. recen. decis. 178. n. 8. & per tot. cor. Merlin.*, ac per consequens cessat causa calumniæ, quæ unicum fundamentum est oppositæ sententiæ.

24 Differunt tamen in hoc regulares à clericis, nam contra regulares leviores probationes sufficiunt, concludentes vero contra Clericos de jure requiruntur; & ratio discriminis est, quia regulares non habent jus ita certum in officiis, prout Clerici in beneficiis, deinde regulares habent dumtaxat exercitium officiorum cum dependentia amovibilitatis a Superiore, Clerici autem habent jus perpetuum in beneficiis cum libera administratione; Porro regulares facilius ex hoc capite removentur ab officiis, quam clerici à beneficiis, ita contra regulares extat decretum *Urbani VIII.*, quo cavetur, ut regulares pro crimine hæresis deducto, vel ex urgentibus, vel ex sufficientibus, imò levibus conjecturis officiis, ministeriis, aliisque gradibus Religionis, immo voce activa, & passiva eo ipso priventur. Sanè decretum Urbani quoad primam partem conforme est dispositioni juris, nam sicuti ex urgentibus conjecturis, & præsumptionibus Clericorum beneficia ex capite hæresis impetrantur, ita eodem modo regulares ab officiis removentur; At quoad secundam partem discrepat à jure, quoniam ut quis privetur beneficiis, & officiis cum perpetua inhabilitate, fama ejus gravari debet apud probos, & honestos viros *cap. omnipotens, ibique Canonistæ communiter de accusat. Canon. tantis Daniel. distinct. 81. Tondut. quæst. benefic. cap. 44. num. 8., & per tot. lib. 1.*, unde clericus levibus conjecturis de hoc crimine impetitus, beneficiis jam obtentis non privatur, imo ne simplex quidem hæresis suspicio inhabilitat ad alia similia, vel

vel dissimilia beneficia assequenda *Lotter. de re benef. lib.2. cap.43. num.31. Farinac. de haeres quaest.190. §.2. num 6.7.*; Secus est in regulari ex decreto Urbani VIII jam relato, *& ita distinguit Tondut. quaest. benefic. cap.44. num.7. lib.1.*

25 His etiam poenis sublacent ecclesiarum patroni quoad jus praesentandi, si enim Praelati ob crimen haeresis statim spoliantur jure conferendi, quod est majus, multo magis patroni jure praesentandi, quod est minus. Sane beneficiatus propter haeresim amplius talis non est, ita patronus ecclesiae de eodem crimine accusatus, & convictus Patroni nomen non meretur *plenè Rot. decis.4. & 5. de jurepatr. cor. Falconer.* Sed quoad successores distinctione temperandus est discursus; aut enim juspatronatus est haereditarium, prout de jure tale praesumitur *ex Clement. si plures de jurepatr.*, tali casu juspatronatus efficitur liberum, tanquam quid spectans ad liberam ecclesiae dispositionem, prout bona haereditaria liberè transeunt in fiscum ecclesiae *cap cum secundum de haeretic. in 6. cap. vergentis eod. tit.*

26 E' contra vero, ubi juspatronatus est gentilitium, aut familiare, in quo agnati, aut alii descendentes de sanguine veniunt jure proprio, crimen haeresis nullo modo praejudicat, non enim agnati dimetiuntur jus à Patrono haeretico, sed à fundatore *ità Sanchez. ad praecept. Decalog. cap.19. in fin. d. decis.5. in fin. cor. Falconer.*; Quod verum est in fideicommissis agnatitiis, in quibus ob crimen laesae majestatis humanae nullum damnum patiuntur agnati jure proprio succedentes *Card. de Luc. de regal. disc.160. Ansald. decis.32. num.37. late Rot. decis. ult. per tot. par.14. rec.*

27 Ampliatur ad juspatronatus, quod de jure, vel ex privilegio competit universitatibus, monasteriis & civitatibus, dummodo tamen probetur universitatem, monasterium, & civitatem, vel eorum administratores, seu officiales in haeresim incidisse, ut statim spoliati dicantur omnibus privilegiis, & jurepatronatus, quoniam propter crimen unius, vel duorum ratio satis suadet, ut universitas, monasterium, & civitas jure praesentandi, nec à jure privata sit, nec ab homine spoliari debeat ex hoc capite *cap. quaesivit de his, quae fiunt à majori parte capituli cap. non debet de regul. jur. in 6. l. 2. C. ne uxor pro marito l. sancimus C. de poen.*. Nec mirum sit, quod in hac re ita rigorosè contra universitates mo-
28 nasteria, & civitates agatur; Nam Reges, & Principes omnes, qui Catholicam agnoscunt veritatem juri divino subjacent, prout Papa cum Episcopis, aliisque primariis ecclesiarum ministris, & administratoribus, ut, quod dictum est in membris, à fortiori proce-
29 dat in capite. Sane propter haeresim vacat ipso jure Papatus, dummodo tamen accedat sententia à Concilio proferenda, nec per hoc Papa subjicitur Concilio, sed legi, *ità habetur in can. si Papa, ibiq. Gloss. Bellamer. n.4. Turrecremat. & alii distinct.40.*. Quod patet, nam sicuti quoad jus divinum nullum est discrimen inter Papam, Ecclesiasticos omnes, & Seculares, ita Papa subjacet legi conciliari, quae jus divinum interpretatur, deinde Papa eo ipso, quod sequitur errorem, & in eo perseverat, definit esse caput ecclesiae, quae est columna, & firmamentum veritatis *Trident. sess.13. cap.1.*

A D D I T I O.

S U M M A R I U M.

1 Pensio tripliciter in jure sumitur, quod explicatur ibidem 2. 3.

4 Pensio quomodocumque sumatur, propter haeresim extinguitur.

1 Pensio tripliciter in jure potest considerari, primo, quando datur in titulum, quo casu proprie venit appellatione beneficii *Caecialup. de pension. quaest.30. Gig. eod. tract.*
2 *quaest 94. num.7. versic. limita tamen*; Secundo, ubi assignatur clerico, ut decentius se substentare valeat, & hoc quoque casu lato modo pensio appellatur beneficium *cap. ad audientiam 2. de rescript. Innoc. in cap. postulasti in fin. eod. tit.*. Tertio quando segregata
3 à spiritualitate, beneficii datur magnatibus, militibus, conjugatis intuitu servitii jam praestiti, seu propter personae praerogativam, & dicitur vere temporalis praestatio,
4 seu stipendium. At quomodocumque pensio sumatur, certi juris est, eam propter haeresim ipso jure extingui, etiam absque ulla sententia declaratoria, quod speciale est in hoc crimine *juxta Gloss. in cap. quicumque §. Haeretici, ibique Geminian. versic. nota de haeretic. in 6.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

AN Beneficia, ac Pensiones canonicè obtentæ à filiis vacent ipso jure propter hæresim patris *ad interpretationem Text. in cap. Statutum 2. de hæretic. in 6. extravag. unic. §. Filii de pæn. & Constit. Alexand. IV. & Nicolai III.*

SUMMARIUM.

1 Filii hæreticorum puniendi non sunt ex delicto parentum.
2 Limita propter atrocitatem criminis.
3 Filii propter hæresim patris ipso jure spoliantur beneficiis, ubi rationes.
4 Pœna parentum augetur in filiis.
5 Ex delicto Principis totum interdicitur regnum.
6 Filii hæreticorum sivè nati, sivè nascituri beneficiis privantur.
7 Filii nascituri sunt inhabiles ad beneficia.
8 Filii hæreticorum non privantur beneficiis juxtà æquiorem sententiam.
9 Jura, quæ loquuntur de pœnis filiorum respectu patris hæretici, non sunt usu recepta.
10 Correctio jurium est evitanda.
11 Conciliantur opiniones.
12 Alia assignatur distinctio pro conciliandis opinionibus.
13 In partibus hæreticorum filii non privantur beneficiis ob hæresim patris, ubi de ratione.

CAPUT XXVI.

1 LIcet admodum æquum sit filios hæreticorum nec privatos, nec privandos esse officiia, beneficiis. & ministeriis ecclesiasticis propter hæresim paternam, quoties constat eos emeritos esse de catholica religione, ita dictante ratione naturali, & divina, quod filius non portat iniquitatem patris, cui non est difformis lex canonica, & civilis, neminem scilicet odio alterius esse pergravandum *l. sancimus C. de pæn. cap. quæsivit de his, quæ fiunt à majori parte capituli cap. non debet de regul. jur. in 6;* immò quod crimen patris nullam filiis pœnam
irrogare valeat, habetur in specie *ex l. cri-*
2 *men ff. de pæn.* Nihilominus propter atrocitatem criminis interdum puniuntur filii ob delicta parentum, prout cautum est in crimine læsæ majestatis humanæ *ex l. quisquis C. ad leg. jul. majestat. cap. fælicis de pæn. in 6. Gloss. in l. 20. Cod. de agricol. lib. 11.*

3 Propterea mirum non est, si filii propter hæresim patris ipso jure spolientur omnibus beneficiis cum inhabilitate in posterum ad alia similia, vel dissimilia obtinenda *Text. sunt expressi in cap. Statutum 2. de heret. in 6. Gloss. in extravag. unic. Joannis XXII. §. Filii versic. quomodolibet de pæn. Alexand. IV. Constit. quod super nonnullis, Nicol. III. quæ incipit noverit universitas Claud. in l si quis id quod num. 19. ff. de jurisdict. omn. judic. Jo: Andr. in cap. ut commissi num. 4. versic. privandi de hæretic. in 6. Præposit. in Can. satis perversum distinct. 56. num. 4. versic. simile est in crimine hæresis Gig. de crim. læs majestat. lib. 3. tit. de pæn. quas filii incurrunt quæst. 11. per tot. Spad. cons. 71. per tot. lib. 1.,* Et ratio est, quia sicuti crimen rebellionis perpetratum contra personam Principis afficit etiam cives, & subditos, immò totam rempublicam, quæ per Principem repræsentatur, ita idem dicendum est in crimine hæresis, quod enim in religionem divinam committitur, in omnium fertur iniuriam *l. manichæos C. de hæretic.*

4 Deinde pœna, quam parentes in se patiuntur, ob huiusmodi crimen magis ipsis augetur in filiis, cum parentes magis diligant filios, quam semetipsos, immò pater, & filius una, & eadem persona de jure censentur *l. final. in fine C. de impuber. & aliis substit.*, idcircò justum est, ut ex delicto
5 patris puniatur etiam filius, eo modo, quo ex delicto Regis totum interdicitur Regnum, ex inobedientia officialium Civitas ipsa ecclesiastico subiicitur interdicto, quod jure optimo in ecclesia introductum est, ut parentes ex pænis filiorum ab hæretica pravitate facilius se abstineant, prout summè decet Reges, & Officiales Reipublicæ inobedientia, aliisque injuriis ecclesiam non deturpare, *ità ratiocinatur Gloss. in extravag. unic. Joann. XXII. versic. quomodolibet circa fin. de pæn.*

6 Neque hic ullo modo distinguendum est, an filii nati sint ante, vel post hæresim patris, ac si in nascituris cadere non possit ea criminis participatio, quæ regulariter datur in filiis jam natis, quoniam generaliter, & indistincte receptum est, filios hæreticorum beneficiis ipso jure privari, cum appellatione filiorum simpliciter veniant tam nati, quam nascituri *l. filii, l. liberorum ff. de verbor. significat.* Unde propterea hujusmodi distinctio juridica non est, ubi dispositio Sacrorum Canonum indistincte loquitur *Zabarell. in cap. ex quibusdam versic. quæro, an filii de pæn.*

immò repugnat dispositioni juris; Si enim loquimur de filiis natis ante hæresim paternam, præsumptio est, eos hæretica pravitate infectos esse, cum hæc diffundi soleat in filios, sicut pestis in populos; Si verò loquamur de filiis nascituris, seu, quod idem est, de natis post hæresim patris, vel de iis, qui in infantili, & pupillari ætate constituti sunt, adhuc non deest ratio, quia experientia rerum magistra satis edocemur filios sæpissimè imitari facta parentum, *juxta illud*

Sepè solet similis Filius esse Patri.

7 Sed veritas est, quod filii nascituri sunt penitus inhabiles ad beneficia consequenda *cap. quicumque §. haeretici de haeret. in 6. Rot. decis. 311. num. 34. & 38. cor. Pen.*, ergo privatio cadit dumtaxat in filios jam natos, deinde beneficia obtenta à filiis nascituris post hæresim patris vacant, ut prius per obitum, seu renunciationem primi possessoris, quia ullum jus ob inhabilitatem jam contractam filii in beneficiis acquirere nequiverunt, at in jam natis vere vacant ob hæresim paternam, quia jure jam quæsito statim spoliantur: hæc tamen dicta sint potius pro majori dictæ distinctionis intelligentia, quam pro firmanda sententia, de cujus veritate non potest amplius dubitari *ex juribus jam dictis*.

8 Et quamvis in puncto juris hæc opinio vera sit, nihilominus non sine ratione ab aliis impugnatur, contrariam uti æquiorem tenentibus sententiam, quippe quia omnis ratio dictat, omnisque æquitas exigit, filios ex quocumque patris crimine, non esse beneficiis spoliandos, *ita tradunt Rebuff. prax. benefic. tit. de mod. amitt. benefic. num 25. Simanc. de Cathol. institut. cap. 29. n. 7. Clar. in §. haeresis num. 14. in fin.*, quibus additur discursus editus in Causa *Cochen. pensionis* à R. P. D. Penia tunc Sac. Rotæ Auditore, *ut habetur in decis. 311, per tot. cor. eod.*,

9 ubi doctè, & elaborate interpretatur, alia jura loqui de inhabilitate filiorum; alia, quæ pœnas filiis ob delictum patris ipso jure infligunt, non esse usu recepta, ut ibi, & ita semper tenuit Sac. Congregatio Inquisitionis Romæ, *teste Fagnan. in cap. vergentis n. 20. ad 30. de haeret. Rot. decis. 87., decis. 90, impress. post consil. Farinacc. tom. 2.*, quæ opinio in praxi servatur.

Verum assertores hujus secundæ opinionis, constitutiones scilicet apostolicas, & extravagantes non esse usu receptas contra filios ex delicto parentum non juridice juxta

10 sensum meum ratiocinantur; Nam correctio jurium, quantum fieri potest, est evitanda *cap. cum expediat de elect. in 6.*, ideo utraque opinio duplici modo potest sic conci-

11 liari, ut prima opinio procedat, ubi beneficia patris contemplatione filius obtinuit; Secunda vero locum habet, si ex propriis meritis ab ecclesia provisus fuerit, & ita loquitur *Rot. in Cochen. pensionis relata per Garz. de benef. par. 11. cap. 10. §. 1. num. 79.*, quæ licet loquatur de pensione, nihilominus ex majoritate rationis locum sibi vindicat in beneficiis, & ratio est, quia fictione juris pater quodammodo possidet beneficium, quod ejus contemplatione filio confertur, sicuti relictum filio contemplatione patris, ipsimet patri relictum de jure censetur *l. filio familias ff. de condit. & demonstrat.*, è contra vero, ubi filius ex propriis meritis provisus fuit, pater in hac provisione non consideratur, & quoad hoc pater, & filius non censentur una, & eadem persona, sed diversa, prout, inspecta ratione naturali, realiter inter se distinguntur.

12 Deinde alia assignatur distinctio, quæ juxta sensum meum etiam juridica est, nam ubi ex levibus conjecturis de hæresi filius suspectus est, locum habet prima sententia, ubi vero de hac suspicione non apparet, procedendum est cum secunda opinione; quod patet in crimine læsæ majestatis humanæ, in quo filiæ de jure non privantur dotibus ex delicto patris commisso contra personam Principis, attamen si appareat, etiam ex levibus indiciis, eas hujus criminis fuisse participes, dotes statim amittunt, argumento à contrario sensu deducto *ex l. quisquis §. ad filias. ibiq. DD. C. ad leg. Jul. Majest*; ita idem dicendum est de filio beneficiato respectu patris in hæresi pertinaciter perseverantis; Non enim filius punitur, ut innocens, sed uti reus tum ex dictis conjecturis, tum etiam ex delicto patris, juxta primam sententiam.

Hæc usque dicta procedunt in iis locis, in quibus, Deo dante, floret catholica religio nam in partibus Belgiæ, & Germaniæ, in quibus hæretici tolerantur, de consuetudine

13 introductum est, ut filii ob hæresim patris privati non sint, nec privari possint beneficiis ecclesiasticis, dummodo vere orthodoxi sint, ac vivant secundum catholicæ religionis instituta, *ut testatur Christin. decis. Belgic. 35. decis. 38. lib. 2.*; quod rationi innititur, nam ex hujusmodi consuetudine temperatur, immo penitus aboletur rigor prioris Sententiæ, & ad praxim deducitur secunda, quæ sinè dubio habet in se epichejam, & æquitatem.

ADDI-

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 PEnsio reservata filio extinguitur ob hæresim patris. sed contra 2. distinguitur 3.
4 Pater, & filius pro eadem persona haberi de jure non possunt, ubi unus est hæreticus, & alter catholicus, & quare.
5 Filius ob hæresim patris liberatur à patria potestate.
6 Per distinctionem servatur in discrepantia opinionum rigor juris, & æquitas respectivè.

1 QUæstio, an scilicet pensio reservata fa-
vore filii extinguatur ob hæresim patris,
videtur resoluta *in Cocben. pensionis*
relata per Garz. de benef. par. 11. cap. 10. n. 79.,
ubi dictum fuit titulares non teneri ad solutio-
2 nem pensionis. Sed contra resolutionem Sac.
Rotæ pugnat ratio ipsa, quæ dictat filium
pergravandum non esse ex delicto parentis
l. crimen. ff. de pæn. l. 2. §. in filiis ff. de de-
curion. l. sancimus C. de pæn., pugnant quo-
que jura canonica, non enim cautum est, ut
filius ob hæresim patris amittat ipso jure pen-
sionem, prout sancitum est de beneficiis *Rot.*
decis. 311. num. 39. cor. Pen.. Pugnat demum
æquissima, & communiter in praxi recepta
sententia, de qua testatur *Rot. decis. 87. de-*
cis. 90. post Consil. Farinacc., ubi quod filius
spoliandus non est juribus propriis ob pater-
nam hæresim. Ex quibus sane juridicis fun-
damentis satis apparet, resolutionem Sac.
3 Rotæ temperamento indigere, ut scilicet
procedat, ubi pensio filio reservata est con-
templatione patris, hoc enim casu pensione
provisus est pater in filio, qui de jure cense-
tur una, & eadem persona cum patre *l. final.*
in fin. C. de impuber. & aliis substit. Gloss.,
quæ non est alibi *in l. cum filior C. qui ætat.*
vel professión. lib. 10.; Secus ubi pensio re-
servata est filio ex propriis meritis, aliud
enim est meritum filii, aliud demeritum pa-
4 tris, deinde pater, & filius pro eadem per-
sona fictione juris haberi non possunt, ubi
unus est hæreticus, & alter catholicus, &
ratio est, quia extrema non sunt æqualia;
5 Item quia filius ob hæresim patris liberatur
à patria potestate *cap. quicumque §. final.*,
ibique Gloss. versic. desierint de hæret. in 6.,
ideoque cessante patria potestate, cessat &
juris fictio, seu relatio, quæ est inter patrem,
& filium, & ita intelligenda est *Rot. in d.*
Cocben. pensionis, ubi in fine hac distinctione
stringit argumentum ad inferendam pensionis
6 extinctionem: Quæ sane distinctio juridica
est, quoniam In hac discrepantia opinionum
servatur rigor juris, & æquitas respective:
rigor, ubi intuitu patria pensio reservatur:
æquitas, ubi filius ex propriis meritis eccle-
siastica pensione provideri obtinuit.

ARGUMENTUM.

DE vacatione ob provisionem Beneficii, ac Pensionis scienter obtentam ad preces hæreticorum *ad interpretationem Text. in cap. quicumque §. ad hæc de hæretic. in 6.*

SUMMARIUM.

1 HÆretici non possunt obtinere, ac precibus impetrare pro aliis beneficia.
2 Collatio beneficii obtenta à clerico scienter ad preces hæreticorum ipso jure invalidatur.
3 Servi non possunt in judiciis admitti, nec contra alios accusationes interponere, ubi declaratur.
4 Excommunicati nequeunt pro se, seu pro aliis rescripta justitiæ impetrare.
5 Differentia inter jus civile, & canonicum pro rescriptis gratiosis impetrandis.
6 Hæreticus non potest nomine alterius apprehendere possessionem ecclesiæ vacantis.
7 Servus potest domino acquirere possessionem bonorum.
8 Deterioris sunt conditionis hæretici, quam servi, & pejores Hæbreis, ibidem.
9 Ampliatur conclusio ad beneficia patronalia.
10 Limitatur in episcopatu obtento scienter ad preces hæreticorum, ubi rationes: Item in Abbatia ibidem.
11 Limitatur in partibus Germaniæ & quare.
12. Limitatur in cappellaniis laicalibus, & præbendis temporariis.
13 Limitatur in laicis obtinentibus dignitates, & officia secularia scienter ad preces hæreticorum.
14 Quid in Papa beneficium conferente clerico, qui scienter ad preces hæreticorum illud obtinuit? distinguitur.
15 Limitatur, si clericus ignoranter beneficio fuerit provisus.
16 Raro accidit hæc materia in praxi disputanda:
17 Episcopi juxta meritum conferunt beneficia postulantibus Catholicis.
18 Clericus obtinens scienter ad preces hæreticorum beneficium potest ab ordinario privari, vel beneficium sic vacans præventive à Papa impetrari.

CAPUT XXVII.

1 Ita sacria odiosa est Institutis, ita ecclesiasticæ inimica disciplinæ vere est natura hæreticorum, ut ne pro aliis quidem clericis ii obtinere, ac precibus impetrare beneficia possint, comparendo coram episcopis, cæterisque habentibus jure ordinario, vel ex indulto potestatem conferendi beneficia, & dignitates ecclesiasticas,
2 Immo collatio beneficii obtenta à clerico scienter ad preces hæreticorum ipso jure invalidatur, quod nihil aliud præsefert, quam novam vacationem beneficii ex parte clerici sic provisi cum perpetua inhabilitate assequendi alia similia, vel dissimilia beneficia ecclesiastica *ad Text. in cap. quicumque §. ad hæc, ibique Gloss. & communiter scribentes de hæretic. in 6.*
3 Talis quoque naturæ sunt servi, qui in judiciis admitti nequeunt, nec valent eorum acta judicialia, nisi in certis casibus, *l. vix certis ff. de judic.*, nec possunt contra alios accusationes interponere, nisi in causis atrocibus *l. 1. C. de precib. Imperator. offeren.*
4 Tales etiam sunt excommunicati, quibus de jure interdictum est, tam pro se, quam pro aliis rescripta justitiæ de uno ad alium judicem impetrare *cap. 1. de except. in 6.*, ita à pari, quoniam hæretici in gratiosis rescriptis non tam inutiles, quam uti membra pu-
5 trida reputantur. Refert igitur de jure canonico, per quem rescripta gratiosa obtineantur, licet aliter de jure civili cautum sit *ex l. universis C. de precib. Imperator. offeren.*
6 Deinde hæreticus non potest nomine alterius apprehendere possessionem ecclesiæ vacantis, quoniam sicuti est incapax obtinendi ea, quæ sunt juris, ita quoque incapax est acquirendi ea, quæ sunt facti, idque ob infamiam juris, & facti, qua de jure perpetuò damnatur, diffidatur, atque bannitur, *authen. Gazaros Cod. de hæret.* quod non pro-
7 cedit in servis, qui possessionem bonorum Domino acquirere possunt *l. 1. §. item cum plurib. seqq. l. quod servus l. possessio ff. de acquiren.*
8 *vel amitten. possess.*, Ex quibus omnibus habes validissimum argumentum deterioris esse conditionis hæreticos, quam servos, immo pejores hæbreis, quippe quia hæbrei legem à Domino acceperunt, unde rescripta ab his obtenta de nullitate notari non possunt; sed hæretici, qui legem Domini jam datam, & ab ipsis acceptatam temere respuerunt, nequeunt illa impetrare, & impetrata non valent *l. 2. Cod. de sum. Trinit. & fid. catholic.*; *ubi Gloss. & scribentes*; non mirum igitur, si beneficia obtenta scienter ad preces hæreticorum ipso jure vacent, quoniam clerici sic provisi similes impetrantibus de jure præsumuntur, *ut notant scribentes in cap. quicumque §. ad hæc de hæretic. in 6.*
9 Ampliatur conclusio ad beneficia patronalia, ut nempe præsentatio, & institutio omninò viribus evacuentur concessa patronis libera facultate alium iterum præsentandi; Nec refert, an juspatronatus sit ecclesiasticum, vel laicale, nam *Text.* loquitur de dignitatibus, personatibus, aliisque quibuscumque beneficiis, quorum appellatione venit etiam juspatronatus. Multoque minus obstare potest, quod patronus scilverit supplicantem pro alio esse hæreticum; non enim culpa est Patroni præsentantis, sed præsentati, sicuti in beneficiis liberis non est conferentia, sed collatarii, qui scienter ad precea hæreticorum beneficium impetravit, *ut in d. §. Ad hæc de hæretic. in 6.*
10 Hæc autem juris sanctio non procedit in Episcopatu obtento scienter ad preces hæreticorum; quoniam *Text.* loquitur de dignitatibus, quarum appellatione non venit Episcopatus, nisi de eo specialis fiat mentio *Gloss. in dicto §. Ad hæc versic. dignitates de hæretic. in 6.* Deinde, si Episcopatus includeretur, maximum fieret præjudicium ecclesiis, cum ex non jure capitis deesset quoque potestas in membris ab eo provisis, & sic tota animarum cura periclitaretur, quod est contra mentem Sacrorum Canonum. Itemque ex eadem rationis identitate abbatia cum territorio separato sub hac legis censura non continetur, Abbas enim quoad potestatem jurisdictionis nil differt ab Episcopo per ea, quæ tradit *Abbas in cap. sicut unire n. 3. de excess. Prælat. & in cap. Joannes n. 2. de Testam. Card. cons. 47. in princip.*
11 Prædicta tamen non procedunt in partibus Germaniæ, in quibus mixtim convivunt catholici cum hæreticis, ac ineunt matrimonia ex tolerantia ecclesiæ; quæ quidem tolerantia hunc operatur effectum, ut dispositio juris, quæ inducit ipso jure vacationem beneficii ex hoc capite, videatur cessasse, nec immerito, quia tunc ecclesia hæreticos persequebatur, nunc autem ex motivis prudentialibus ab eadem tolerantur; & consequenter ex hac nova causa beneficia scienter obtenta ad preces hæreticorum non vacant *cap. cum cessante de appellat. l. quod dictum ff. de pact.*, Leges enim ecclesiasticæ, Constitutiones apostolicæ, decreta conciliaria ex causa, loco, ac tempore consideranda sunt, & sicuti variantur tempore, ita variantur eorum effectus *Canon. 1. 2. & 3. distinct. 29. Can. & si illa in fin. 1. quæst. 7. cap. non debet de consanguin.*
12 Ulterius cessat juris dispositio in cappellaniis laicalibus, cessat in præbendis temporariis, quæ absque institutione dantur clericis, aut laicis pro officio sacristæ, organistæ, & similium, hæc enim beneficia ecclesiastica non sunt, sed potius stipendia, ideoque clericus,

ricus, ut supra provisus hisce officiis, & stipendiis privatus non est, nec privari potest, quoniam in pœnis non est facienda extensio de beneficiis ad cappellanias, & præbendas temporarias *cap. in pœnis de regul. jur. in 6. l. factum cuique* §. *In pœnalibus ff. eod. tit.*

13 Limitatur in laicis, qui scientèr ad preces hæreticorum dignitates, & officia secularia adepti sunt, nam *Text.* loquitur de ecclesiasticis, non laicis, de beneficiis, non officiis, ideoque ad dignitates seculares, quas laici a Principe obtinent, non potest extendi *in terminis Franch. in cap. quicumque* §. *ad hæc in princ. de hæretic. in 6.*

14 Quid ergò, si Papa conferat beneficium clerico, qui scientèr ad preces hæreticorum illud obtinuit? Respondeo cum distinctione. Aut Papa scivit supplicantem pro clerico esse hæreticum, hoc casu beneficium non vacat, quia Papa sic conferens censetur dispositioni juris derogasse *cap. 1. ibique Gloss. de Constit. in 6.*, secùs ubi ignoravit, quoniam si id scivisset, forsan beneficium non contulisset *cap. super literis, ibique omnes de rescript.*, & consequentèr ex dicta legis censura etiam collationem Papæ ipso jure invalidari indubitati juris est, nisi aliud constet de ejus mente, & voluntate, fortè quia collatio beneficii concepta sit cum clausula motu proprio, quæ regularitèr collationem revalidat *scribentes in cap. si motu proprio de præben. in 6. Clement. si romanus eod. tit.*, Ultra quod agitur de dispositione juris, quæ in præsumpta hæresi, quæ sæpissimè fallit, fundatur, ideoque facile potest à Papa derogari, immò ex clausula motu proprio, vel simili, quæ quandoque in literis inseritur, derogatum censetur, dummodò tamen clericus sic obtinens beneficium sit vir sanæ doctrinæ.

15 Cessat demùm, si clericus ignorantèr ad preces hæreticorum beneficium impetravit, quoniam lex loquitur de his ecclesiasticis, qui scientèr obtinent; ergo à contrario sensu, ubi clericus ignorat, vel dubitat supplicantem pro se esse hæreticum, non incidit in pœnam huius legis, collatarius enim non est in culpa, nec quoad ea, quæ tangunt religionem, cum hæreticis, quos ignorat, videtur communicare, alioquin etiam daretur vacatio, si clericus beneficium impetraret ad preces hæretici occulti, quod est absurdum.

Ultrà has limitationes invenire alias datum non est, & quatenus unquam adessent,
16 quod non putamus, congerere non expedit, quia de his vacationibus raro in praxi disputandum occurrit, præsertim in Italia, Hispaniis, & Galliis, ubi, Deo favente, floret
17 catholica religio. Ultra quod regularitèr ab Episcopis beneficia juxta meritum conferuntur, & si quandoque preces interveniunt, solent clerici postulantibus catholicis de ec-
18 clesiasticis beneficiis provideri. Verumtamen, si casus accidat, potest de jure Episcopus clericum beneficio sic obtento privare, seu privatum denunciare, & insimul illud clerico idoneo conferre, vel tanquam vacans à Papa præventivè impetrari juxta literalem juris dispositionem, de qua supra.

A D D I T I O.

S U M M A R I U M.

1 An pensio ecclesiastica obtenta à clerico scienter ad preces hæreticorum ipso jure extinguatur; Prima sententia affirmat 2. Secunda asserit clericum privandum esse 3.
4 Prima sententia defenditur.
5 Ampliatur in pensione laicali.
6 Regulariter ex eodem delicto, quo vacat beneficium, vacat, & extinguitur pensio.

1 Quæres, an pensio ecclesiastica obtenta à clerico scienter ad preces hæreticorum ipso jure extinguatur, prout vacat beneficium; & videtur, quod sic, quoniam *Text. in* §. *ad hæc* loquitur de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis *ibi = quæcumque alia beneficia*; Quæ quidem verba ita effrænata pro comprehensione pensionis possunt juridice interpretari, hæc enim lato modo venit appellatione beneficii ex auctoritate *Gigan. de pension. quæst. 19. num. 2. quæst. 28. num. 11., & quæst. 97. num. 10. Caccialup. eod. tract. quæst. 30. in princip.*

2 Et eo fortius, quia videtur militare eadem juris ratio in pensione, quæ in beneficio, cum sit pars illius, & præsefert quoddam jus spirituale, seu spirituali annexum, in quo reposita est ratio canonis prohibentis impetrationem beneficii scienter ad preces hæreticorum, cum quibus absonum est, & à religione devium, ut in rebus spiritualibus, & ab ecclesiastico jure procedentibus communicari permittatur, præsertim in Hispaniis, Galliis, & Italia; Deinde clericus, qui ita familiariter conversatur cum hæreticis, ac scienter obtinet ad eorum preces pensionem ecclesiasticam, talis de jure præsumitur *scribentes in dicto cap. quicumque* §. *ad hæc de hæretic. in 6.*

3 Verum ea verba ampla, & effrænata possunt aliter intelligi, ut scillcet beneficia, & dignitates ecclesiarum cathedralium comprehendantur, prout habetur ex *Gloss. in cap. 1. de regul. Jur. in 6. Gloss. in cap. dudum versic. beneficia de præben. in 6.*, vel etiam possunt interpretari de pensione data in titulum *juxta Gloss. in Clementin. 2. versic. quodcumque in fin. de vit. & honest. clericor.*, ideo si dicas elericum ea, quæ non datur in titulum, pensione privandum esse, non videris errasse, quoniam in materia stricta, & pœnali, prout est ea, de qua agitur, pensio non venit *Rot. decis. 14. num. 1. de sentent. & rejudicat. cor. Crescentio*,

4 Pri-

4 Prima tamen ſententia mihi verior videtur ex rationibus jam dictis, præſertim in hac materia, ex qua oritur præſumpta hæreſis ex familiari communicatione cum hæreticis, quo caſu, appellatione beneficii continetur penſio *Gloſſ. in d. cap. quicumque §. ad hæc verſic. beneficium de hæretic. in 6.*.
5 Quod etiam verum puto in penſione laicali ſuper beneficio reſervata ab epiſcopo habente ad id facultatem vi indulti apoſtolici, dummodo tamen ab eccleſiaſtico ſcienter ad preces hæreticorum obtenta ſit, nam ubi eadem concurrit ratio, admittitur extenſio de beneficio ad penſionem *in ſpecie Abb. in cap. at ſi clerici §. de adulteriis num.8. verſic. poſſet tamen de judic. Rip. in cap. ad aures num.41. limit.1. de reſcript. Sanchez. de matrim. lib.8. diſp.1. num.4.*, immo non dicitur extenſio, ſed comprehenſio *cap.1. verbo Italiæ de temporib. ordinat. in 6. Calderin. conſil.1. in princ. ut lit. pendent. Rot. deciſ.55. num.6. lib.3. cor.*
6 *Puteo*; regulariter enim ex eodem delicto, quo vacat beneficium, vacat & extinguitur etiam penſio *Gabr. conſ.187. num.11. lib.2. Navarr. conſ.11. num.2. de temporib. ordinat. Rocca diſput. ſelect. cap.191. num.18.* præſertim favore fidei, ac religionis.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Penſionis ob ſchiſma *ad ornatum Text. in cap.1. de ſchiſmaticis in 6. Conſtit. Pauli IV. & Gloſſ. in cap.1. verſic. firmitate eod. tit. in antiqu.*

SUMMARIUM.

1 AN propter ſchiſma ipſo jure vacet beneficium, negat *Garz.*, ubi ait clericum ſchiſmaticum privandum eſſe & inhabilem fieri 2.
3 Impugnatur opinio *Garziæ*.
4 Vacant ipſo jure beneficia propter ſchiſma.
5 Schiſmatis effectus.
6 Opinio *Garziæ* poteſt admitti in præbendis, aliiſque officiis, quæ beneficia eccleſiaſtica non ſunt, ſed contra 7.
8 Prælatus ſchiſmaticus ipſo jure prælaturam amittit, ubi quod prælatura beneficium eccleſiaſticum non eſt.
9 Laicus propter ſchiſma privatur ipſo jure quacumque dignitate.
10 Schiſmatici nullam habeor poteſtatem in eccleſia.
11 Nulla eſt differentia quoad pænas inter ſchiſmaticum, & hæreticum, ſecus quoad eorum filios ibidem.
12 Schiſmatici duplici modo de jure ſumuntur proprie, & improprie, quod ibidem explicatur.
13 Schiſmatici improprie ſumpti beneficiis privandi ſunt, & inhabiles ad obtinenda alia beneficia.
14 Pænis ſchiſmaticorum ſubjiciuntur præſules, qui convocant concilia generalia ſine aſſenſu Papæ, ubi de Conciliabulo Piſano ſub Julio II.

CAPUT XXVIII.

1 DOctiſſimus Garzias inter beneficialiſtas merito primus in ſuo Tractatu de beneficiis non adſcribit ſchiſma inter ea delicta, quæ ipſo jure privant clericos ſchiſmaticos beneficiis; aſſerit enim id de jure cautum non eſſe, quod neceſſarium præſupponit, ut pæna juris contra eos clericos, qui ab unione capitis eccleſiæ temere ſe abſentant, locum habeat, ideoque dumtaxat privandos eſſe authumat,
2 quia clerici ſchiſmatici de jure ſunt inhabiles ad alia Beneficia aſſequenda, *ut habetur in cap.10. par.11. num.51. cum ſeqq.*
3 Huic autem opinioni adhærendum non cenſeo, tum inſpecta diſpoſitione *cap.1. de ſchiſmat. in 6.*, quod licet caſum ſingularem contineat, nihilominus non eſt diſpar ratio, cur ad alias ſimiles perſonas extendi non debeat, cum verum ſit pænas ſchiſmaticorum, & hæreticorum in jure pares, & communes eſſe, *ut inquit Bero. in cap. item cum quis num.44. in fin. de reſtitut. Spoliat. Franch. in cap.1. num.2. de ſchimat. in 6*; tum & eo fortius *ex Conſtitut.19. Pauli IV.*, ubi literaliter ſancitur, clericos ſchiſmaticos ipſo jure privatos eſſe omnibus, & quibuſcumque beneficiis, officiis, & dignitatibus eccleſiaſticis;
4 Propterea ea certo tenenda eſt ſententia, quod ut hæreticorum, ita & ſchiſmaticorum beneficia ipſo jure vacant *Gloſſ. in cap.1. verſic. firmitate de ſchiſmat. ibi= quia dum eccleſia habet Paſtorem ſchiſmaticum, vacare intelligitur= Abb. in cap. inter dilectos num.11. in fin. de exceſſib. Prælator. Covarru. variar. reſolut. lib.2. cap.8. num.4. circa med. Azzor. oper. moral. tom.1. lib.8. cap.13. quæſt.3. Sanchez. ad præcept. decalog. lib.2. cap.26. num 6. Royas ſingular.74. per tot. Pignatell. conſult. noviſſ. conſult.188. verſic. privantur tom.2.* Etenim licet merum ſchiſma proprie hæreſim non ſapiat, nihilominus eſt quædam diſpoſitio ad hæreſim, itaut ſchiſmaticus quodammodo hæreticus habeatur, ideoque ratio ſuppetit, ut ambo pari pæna puniantur juxta diſpoſitionem ſacrorum canonum, & conſtitutionem Pauli IV. de qua teſtatur *Lotter. de re*

bene-

benefic. quæst.28. num.35. lib.3. Rebuff. & alii ibidem concordan.

5 Clarius, si considerentur schismatis effe-ctus, & sequelæ, quæ sine dubio graves sunt, & plenæ tristissimi eventus, quippe quia unitas ecclesiæ per schisma dilaceratur, chri-stiana dividitur charitas, & ea omnia ex schismate orta sunt mala, quæ vix percipi possunt, tum in orientalibus, tum etiam in occidentalibus Provinciis, tot enim perdi-tionis sectæ, & hæreses inventæ sunt, itant in hoc proposito axioma illud verum sit, tot

6 hæreses, quot capita; Unde propterea opinio *Garziæ*, cum sit contra jus, & constitutio-nem apostolicam, non est ullo modo recipien-da; posset tamen forte admitti in præbendis, aliisque officiis, quæ beneficia ecclesiastica non sunt, nec per canonicam institutionem conferuntur, ac proinde clerici schismatici per sententiam judicis his officiis privandi su-nt cum perpetua inhabilitate assequendi alia similia, vel dissimilia in posterum *cap. inqui-sitionis de accusat. Canonistæ in cap.2. de schis-mat. cap. quia diligentia de elect.* ubi deciditur non valere electionem schismatici ad unionem revetsi *Pignatell. pluries loc. prox. citat.*

7 At ne quoad hoc quidem tuta est opinio *Garziæ*, quoniam Clerici Schismatici *ex dicta Constitutione Pauli IV.* spoliantur ipso jure omnibus administrationibus, & officiis eccle-siasticis cum clausulis effrenatis, & amplissi-mis, vi quarum comprehenduntur quæcum-que officia ecclesiastica, immo etiam laicalia pro servitio ecclesiæ concessa, deinde hujus-modi officia, quæ dantur laicis intuitu servi-tii sunt quidem stipendia, sed quoad clericos officia ecclesiæ denominantur, ergo propter schisma utraque vacant de facto; hoc enim speciale est in hæresi, apostasia, & schis-mate.

8 Probatur assumptum primo, nam Præla-tus schismaticus in quacumque dignitate con-stitutus ipso jure Prælaturam amittit, & ta-men Prælatura beneficium ecclesiasticum non est *cap.1. de schismat. in 6. ibi = beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus, & præla-turis =*, ita à pari in officiis clericorum, aut laicorum in ecclesia ministrantium, non enim assignabilis est disparitatis ratio inter Præla-turam, officium, & præbendam tempora-riam, cum utrobique hæc propriè beneficia ecclesiastica non sint, ergo propter schisma vacant ipso jure officia, & præbendæ tem-porariæ, ut vacat Prælatura *cap.1. de schis-mat. in 6.*

9 Probatur secundo, nam laicus quacum-que dignitate Ducali, aut Marchionali insi-gnitus privatur ipso jure propter schisma om-nibus titulis, dignitatibus, feudis, & ba-ronils, ergo à fortiori id procedere debet in clericis, aut laicis ecclesiarum ministris, quippe quia schisma detestabilius est in cleri-co, & laico ecclesiæ ministrantibus, quam in laico simpliciter, qui nullum habet ab ec-clesia stipendium; ergo officia, & præben-dæ, ut supra vacant de facto, prout vacat feudum, & baronia.

10 Probatur tertio, quia schismatici sunt extra ecclesiam, & in ea nihil juris, & potestatis habent *Can. didicimus in princip.24. quæst.1.*, immo deest illis justitia, fides, & charitas, quæ ex unione nascitur, *can. ubi sanè 24. quæst.1.*, propter quod ab omni honore, titu-lo, & dignitate deponuntur *Can. si quit in-quit §.final. caus.1. quæst.1. Can. didicimus 24. quæst.1.*, ergo ipso jure vacant eorum officia, beneficia, & præbendæ temporales, quod etiam habetur *in cap. firmissimè de hæretic.*,

11 ubi nulla est differentia quoad pœnas inter schismaticum, & hæreticum, & si quæ sit, ea dumtaxat locum habent in eorum filiis, qui de jure non privantur beneficiis, & di-gnitatibus ecclesiasticis, sed tantum inhabi-les sunt ad alia similia, vel dissimilia obti-nenda *cap.1. verbo contra natos de schismat. in 6.*; è contra filii hæreticorum de jure pu-niuntur ex delicto parentis *ex plenè deductis supra in cap.26. an beneficia, ac pensiones ca-nonicè obtenta à filiis vocent ipso jure prop-ter hæresim patris.*

12 Verum pro majori hujus materiæ explica-tione illud prætereundum non est, schismati-cos dupliciter posse considerari, proprie, vel improprie; Proprie sunt illi, qui putant po-testatem ecclesiæ esse apud plures, licet certo sciant unum esse visibile ecclesiæ caput, & in hoc casu inducta est à jure vacatio benefi-ciorum ut supra; Improprie vero sunt illi, qui mandatis apostolicis renuunt obtempera-re, & hi dicuntur potius rebelles, seu refra-ctarii, contra quos nihil de jure cautum est quoad vacationem beneficii ipso jure, nisi aliud caveatur ex speciali constitutione, de

13 qua dicam infra; Privari tamen possunt be-neficiis per sententiam, & in sequelam, ut clerici schismatici, ita inobedientes, & re-fractarii nequeunt canonicatus, & dignitates ecclesiasticas obtinere, nec titulos ecclesiasti-cos optare *cap. omnipotens de accusat.*, *can. tantis Daniel. distinct.81.*

14 Denique pœnis schismaticorum subiiciun-tur omnes Præsules, qui sine licentia, & as-sensu Papæ generale Concillum convocant, ibique tractant de rebus fidei, disputant de reformandis moribus, & in capite, & in membris, ita accidit in Conciliabulo Pisa-no, in quo Prælati denunciati fuerunt schis-matici à Julio II., ac privati omni honore, beneficiis, & dignitatibus ecclesiæ, licet deinde ab errore resipiscentes pro pace eccle-siæ ad omnia beneficia, & dignitates reinte-grationem obtinuerint *ita Jacobat. de Concil. lib.7. de schismat. sub Julio secundo.*

ADDI-

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 PÆnis hæreticorum subiicitur clericus schismaticus, ubi differentia inter schisma, & hæresim.
2 Schisma non datur sine hæresi.
3 Pensio propter schisma extinguitur.
4 Appellatione quorumcumque fructuum, seu proventuum venit pensio.

1 PÆnis hæreticorum subiicitur quoque Clericus schismaticus, ut dictum est, & quamvis magis odiosus sit hæreticus, quam schismaticus, quia hæreticus directè impugnat religionem catholicam, schismaticus verò se opponit charitati, quæ in unione consistit, nihilominus utriusque criminis par est judicium, quoniam schisma est dispositio proxima ad hæresim, & quodammodo hæresim sa-
2 pit, imo, ut praxis docet, nullum schisma in Ecclesia inventum est, quod non fuerit cum
3 hæresi conjunctum. Porro si per hæresim vacat ipso jure pensio, vacat quoque, & extinguitur propter schisma *cap. 2. §. ad hæc, ibique Geminian. versic. nota de hæretic. in 6. Pignatell. consult. noviss. tom. 2. consult. 188. versic. privantur ibi=ut etiam sint privati pensionibus. Quod certum est ex Constitutione 19. Pauli IV.*, quæ Clericos omnes privatos declarat quibusvis fructibus, redditibus, &
4 proventibus, quorum appellatione sine dubio venit etiam pensio *l. usufructu legato, ibique Gloss. ff. de usufruct. l. arbores ff. eod. l. prædiorum ff. de usur. Innocen. in cap. Pastoralis num. 5. de donat.*

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii, & Pensionis ob adhærentiam Antipapæ, vel hæreticis *ad ornatum Text. in cap. olim 26. de accusat, cap. ad abolendam de hæret., cap. contra, cap. cap. Præsidentes, cap. ut commissi de hæretic. in 6.*

SUMMARIUM.

1 ADhærentia Antipapæ, seù hæreticis inter publica delicta computatur.
2 Divisio capitis.
3 Schisma est, ubi duo, vel plures eliguntur ad ecclesiæ universalis Principatum, ubi exemplificatur.
4 Clerici adhærentes uni vel alii ex pluribus electis non privantur ipso jure beneficiis.
5 Plures electi ad principatum ecclesiæ deponendi sunt, vel cogendi, ut renuncient, ubi casus Concilii Constantiensis.
6 An valeat collatio beneficiorum obtenta à Papa schismatico, distinguitur.
7 Collationes beneficiorum, & promotiones factæ à Papa schismatico, ubi plures electi sunt, tribuunt provisis titulum præscribendi, licet tutius sit, ut Papa canonice electus titulos revalidet.
8 Ubi unus est Pastor Romanæ Ecclesiæ, adhærentes Antipapæ ipso jure privantur beneficiis, ubi casus Urbani VI. Papæ, & Clementis VII. Antipapæ.
9 Clerici recedentes à legitimo Pastore, quem hæreticum criminosum, & scandalosum arbitrabantur, incidunt in hanc pœnam, ubi casus Liberii, Symmachi, & Joannis XXII.
10 Clerici nequeunt recedere à capite ante sententiam declaratoriam, quæ contra Papam non est proferenda, nisi in causa hæresis.
11 Dux Bavariæ adhærens Antipapæ privatus fuit Ducatu, aliisque privilegiis Imperialibus.
12 Multitudini delinquentium in hac materia parcitur, exemplo Principum secularium in crimine perduellionis.
13 Clericus, qui tuetur jura hæreticorum, privatur ipso jure omnibus beneficiis, sicut qui adhæret Antipapæ.
14 Adhærentes Antipapæ, seu hæreticis fovent schisma, & hæresim, seditiosi, & perduelles appellantur.
15 Urbanus VI. contra schismatis auctores pœnis severioribus animadvertit.
16 Cautum non est, quod clerici adhærentes Antipapæ, vel hæreticis ipso jure privati sint beneficiis, sed contra ibidem 17.
18 Adherentia Antipapæ, seu hæreticis directe tendit contra publicam auctoritatem, & contra caput ecclesiæ.

CAPUT XXIX.



1 VAcatio beneficiorum à jure inducta ob adhærentiam Antipapæ, seù hæreticis parum quoque in praxi practicabilis est, sed tamen non est omittenda, quia adhærere Antipapæ, seu hæreticis inter ea publica computatur delicta, quæ severissimis
2 puniuntur pœnis. Videamus igitur quibus in casibus pœna juris locum non habeat, ut indè facilius percipiatur, quando beneficia ipso jure vacant ex hoc capite, & ita interverso juris ordine in præsentiarum procedimus, quod ex eo provenit, quia adhærentia Antipapæ, seu hæreticis confusionem, scissuras, & scandala inducit, undè juris ordo est ordinem non servare.
3 Quoties itaque duo, vel plures eliguntur ad universalis ecclesiæ Principatum, toties ortum est schisma, quod nihil aliud est, quam sciffu-

scissura unius ecclesiæ in duas, scissi inter se Prælati, & Ecclesiastici, scissi quoque inter se Reges, & Principes, quorum nonnulli unum, cæteri alium in Pastorem ecclesiæ recognoscebant, ita casus accidit anno 1406. inter Bonifacium IX., Benedictum XIII., & Gregorium XII. Sanè hoc schisma longo tempore ecclesiam dilaceravit, sed de hoc non loquimur, quia ubi plures Pastores ad universalis ecclesiæ regimen eliguntur, schisma sine dubio est, cum unus debeat esse Pastor, sicuti una est ecclesia; hoc tamen non est adhærere Antipapæ, vel hæreticis, quia

4 neuter ex electis est legitimus Pastor ecclesiæ; idcircò clerici adhærentes uni, vel alteri non privantur ipso jure beneficiis, officiis, prælaturis, & dignitatibus ecclesiæ, quoniam ex electione plurium ad Papatum incertum est, quisnam sit Pastor à fidelibus recognoscendus.

5 Ita ergo electi, vel deponendi sunt, vel cogendi, ut electioni renuncient, prout actum est in Concilio Constantiensi, in quo datis electoribus pro parte Italica, Germanica, Gallica Hispanica, & Anglica, electus fuit in Summum Pontificem Martinus V.

6 Dixi non privantur ipso jure beneficiis, officiis &c., quod verum est in beneficiis canonicè obtentis ante schisma; quoniam, si agatur de aliis, quæ à Papa schismatico conferuntur, cum distinctione procedendum est; aut acta Papæ schismatici à concilio generali approbata sunt, prout approbata fuerunt in Concilio Constantiensi sess. 14. acta Gregorii XII., tunc inutile est inquirere de vacatione beneficiorum, cum approbatio omnium actorum stet in beneficialibus loco tituli. Aut acta Papæ schismatici approbata non sunt, prout acta Clementis VII., qui erat Papa schismaticus, cum electio Urbani VI esset canonica, *ut per Bald. in quæst de schismate ante rubric. Cod. si quis alium testari prohibuerit Cardinal. in cap. licet de electian.*, hoc casu beneficia ipso jure vacant, si deindè Papa schismaticus à Concilio deponatur, immo vacant, ut prius, morte, vel renunciatione, quoniam collationes beneficiorum, promotiones ad prælaturas, & dignitates ecclesiæ factæ à Papa schismatico, nullam habent juris firmitatem *cap. 1. de schismat. ibi = ut qui dignitates ecclesiasticas, seu beneficia per dictos schismaticos acceperint, careant impetratis Can. factus in fin. 7 q. 1. Canon. didicimus 24. q. 1.*

7 Verum hujusmodi collationes beneficiorum, & promotiones ad supremas ecclesiæ dignitates factæ à Papa schismatico, ubi plures se gerunt pro Pontificibus, tribuunt ita provisis, seu promotis sufficientem titulum præscribendi *Rot. decis. 489. num 4. coram Ludovis. decis. 295. coram Coccin. impress. venet.*, Unde absque dubio possunt sic provisi se tueri regula de triennali, & possessione decennali, licet tutius sit, ut Papa inde canonicè electus revalidet titulos in Clericis, Prælatis, Episcopis, & Cardinalibus à Papa schismatico creatis, & provisis, ne aliàs obtenta pace ecclesiæ per abolitionem schismatis majora scandala, & inconvenientia iterum in ecclesia nascantur *argumento Text. in l barbarius ff. de offic. Pretoris.*

8 His positis, tres proponuntur casus, in quibus ipso jure vacant beneficia ex hoc capite, quorum primus est, ubi unus verè est Pastor Romanæ Ecclesiæ, alterque à factionariis Cardinalibus eligitur in Pseudopontificem, qui gerit se pro Papa, jura ecclesiastica administrando, Prælatos promovendo, & his similia, ut evenit anno 1378. inter Urbanum VI Papam, & Clementem VII. Antipapam, hoc sane casu Cardinales, Prælati, Clerici, & Ecclesiastici adhærentes Antipapæ omnibus beneficiis, officiis, dignitatibus, & prælaturis ipso facto spoliantur *cap. olim 26. de accusat.*, ubi sancitur, quod pœna ordinaria, quæ infligitur contra primarios fautores, militat quoque contra adhærentes, *ita concludit Rebuff. in concordat. in rubric. de regia ad Prælaturam nominatione verbo vacantibus ante finem versic. 31.* At iste *Text.* meo videri non probat assumptum, nisi in genere.

9 Secundus casus est, quod omnia vacant beneficia, tum Prælatorum, tum etiam Clericorum, qui à Papa hæretico, criminoso, scandaloso recedunt, & in hanc pœnam inciderunt omnes ecclesiastici, qui recesserunt à Liberio, quem hæreticum arbitrabantur, sicuti qui se alienarunt à Symmacho, & Joan-

10 ne XXII. legitimis Pastoribus, quoniam ante sententiam declaratoriam à Concilio proferendam temerè receditur à capite, immo hæc sententia proferri non potest, nisi in causa hæresis, cum pro aliis criminibus Judicem supra se Papa non habeat juxta doctrinam Apostoli, spiritualis homo à nemine judicatur, & habetur *in Canon. si Papa, ubi Bellamer. Turrecremat., & alii distinct. 40.*

11 De facto Dux Bavariæ, qui tunc temporis adhærebat Antipapæ in schismate contra Joannem XXII. privatus fuit ducatu, aliisque honoribus, & privilegiis Imperialibus; Porrò ecclesiastici omnes adhærentes Antipapæ incidunt ipso facto in hanc pœnam, etiam absque sententia declaratoria criminis, quæ dumtaxat necessaria est quoad facti executionem, ut nempe ita adhærentes beneficiis etiam de facto spolientur *cap. 1. de schismat. in 6 Gloss. in cap. 1. utrobique scribentes eod. tit. in antiq.*

12 In his tamen casibus ratio dictat, ut propter multitudinem delinquentium pœna minuenda sit, & ita se gerunt Principes seculares in crimine Perduellionis, non enim contra omnes, sed tantum contra capita, & fautores pœnis ordinariis desæviunt, cæteris aliis in gratiam restitutis, quod summè decet clementiam Principis, multo magis pietatem Ecclesiæ *can. quoties, ibique Gloss. 1. quæst. 7.*

13 Tertius casus est, quod Clericus, qui tuetur, ac defendit jura, privilegia, & jurisdictionem hæreticorum privatur ipso jure omnibus beneficiis, sicuti qui adhæret Antipa-

P pæ,

pæ, nam qui adhæret Antipapæ, schismaticus est, & qui adhæret hæreticis, talis de jure reputatur. Sane id potest accidere in partibus ultramontanis, in quibus hæretici cum catholicis mixtim convivunt, ideoque si probetur, quod clericus factis, aut verbis adhæserit hæreticis, tuendo eorum jura, & privilegia, ejus beneficia statim vacant, & possunt libere impetrari, nam ut hæretici, schismatici, fautores, & defensores privantur ipso jure beneficiis, privilegiis; & præbendis temporalibus, ita quoque adhærentes Antipapæ, seu hæreticis, pari utrobique concurrente ratione *cap. ad abolendam de hæretic. cap. contra cap. præsidentes, cap. ut commissi de hæretic. in 6. Pignatell. consultat. novissim. tom. 2. consult. 188. versic. privantur in fine, ubi allegat Jacobin. in tract. feudorum versic. adhærentibus.*

Hæc quidem, ni fallor, sunt juridica fundamenta, quibus clerici adhærentes Antipapæ, seu hæreticis quoad beneficia puniuntur, nam *Rebuff. loc. cit.* nimium generaliter loquitur, & *Text.* ab ipso adductus inservit quidem pro argumento, quod cum aliis conjungendum est, eo modo, quo validum est etiam argumentum, agentes videlicet, & consentientes pari pœna puniendos esse *cap. 1, ibique Gloss. versic. pari, de officio Judicis de-*

14 *legati*. Item, qui adhæret Antipapæ, seù hæreticis, fovet schisma, & hæresim, cum regulariter schisma sine hæresi non detur; Demum ita adhærentes appellantur seditiosi, perduelles, ac rei criminis læsæ majestatis divinæ; Unde propterea ex his rationibus merito vacant beneficia clericorum, seu prælatorum adhærentium Antipapæ, seu hæreti-

15 cis, ut supra; Et ita contra schismatis fautores pœnis severioribus Urbanus VI. animadvertit. E contra vero in schismate orto inter Bonifacium IX., Benedictum XIII., & Gregorium XII., cum incertus esset Romanæ Ecclesiæ Pastor, nullus ex Clericis, seu Prælatis Romanæ Curiæ uni, vel alii adhærens, ni fallor, privatus fuit officiis, dignitatibus, & prælaturis, quibus Romana Ecclesia satis abundat.

16 Nec turbat, quod in jure cautum non sit, clericos adhærentes Antipapæ, seu hæreticis ipso jure privari beneficiis, officiis, & mi-

17 nisteriis ecclesiasticis; Respondetur, quod ex dictis oppositum resultat, si non expressè, saltem virtualitèr, & comprehensivè, paria enim sunt adhærere Antipapæ, seù hæreticis,

18 & è contra. Potissimum quia hujusmodi adhærentia gravissimum crimen est, quod directè tendit contra publicam auctoritatem, ac contra ipsum ecclesiæ caput, à quo pendet salus animarum, unitas fidei, & fundamentum catholicæ religionis, *cap. fundamenta ibique Gloss. versic. unitatis de elect. in 6.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Clericus adhærens Antipapæ, seu hæreticis fovet schisma, & tuetur hæresim.

2 Pœnis schismaticorum, & hæreticorum animadvertitur etiam contra fautores, receptatores, & adhærentes.

3 Pensio extinguitur propter adhærentiam Antipapæ, seu hæreticis.

1 Clericus, qui adhæret Antipapæ, seu hæreticis fovet schisma, tuetur hæresim, non enim dumtaxat contra eum, qui schismatis, & hæresis caput est, pœnis schismaticorum, & hæreticorum animadvertitur,

2 sed etiam contra fautores, receptatores, &

3 adhærentes *ex juribus supra relatis*; Ideoque pensionem propter adhærentiam Antipapæ, seu hæreticis vacare, seu extingui communiter receptum est *cap. ad abolendam §. statuimus insuper. de hæretic. cap. olim 26. de accusat. cap. 1. de schismatic. in 6.*, *Paulus IV. const. 19. Gemin. in cap. quicumque §. hæretici vers. nota de hæret. in 6.*

ARGUMENTUM.

De vacatione Beneficii, & Pensionis ob simoniam realem, & conventionalem *ad ornatum extravagan. Pauli II. in cap. cum detestabile de simonia.*

SUMMARIUM.

1 Simonia inter publica delicta adscribitur, ubi de ratione.

2 Clericus ipso jure privatur beneficiis per simoniam obtentis, & efficitur inhabilis ad alia assequenda 3.

4 An clericus per simoniam conventionalem efficiatur inhabilis ad beneficia assequenda, prima sententia negat, secunda affirmat, quæ verior est,

5 Respondetur rationibus *Navarr.*, *& Suarez.*, præsertim quoad non usum constitutionis S. Pii V.

6 Differentia inter simoniam realem, & conventionalem quoad privationem beneficii.

7 Ut vacet beneficium cannonice obtentum requiritur concludens probatio simoniæ realis.

8 Beneficium resignantis ex capite simoniæ conventionalis non vacat.

9 Non omnis pactio, licet in beneficiis prohibita, ipso jure inducit vacationem beneficii, quod explicatur ibidem,

10 Va-

10 Vacat ipso jure beneficium, si resignatio admissa sit ab inferioribus prælatis ad favorem certæ personæ, ubi quod potest beneficium libere impetrari.
11 Vacat ipso jure beneficium, si resignatarius promisit resignanti fructus beneficii, & his similia.
12 Vacat ipso jure beneficium ob simoniam commissam à Parentibus, proviso ignorante, vel contradicente, ubi differentia inter forum conscientiæ secundum Theologos, & moralistas.
13 Clericus provisus de beneficio ob simoniam commissam à parentibus ut supra, non potest se tueri adversus impetrantem regula de triennali, sed requiritur possessio decennalis.
14 Regula de triennali literaliter excludit à beneficiis simoniacos.
15 Lex generaliter loquens generaliter est intelligenda.
16 Quid si simonia commissa sit à tertio? distinguitur.
17 beneficium obtentum per simoniam commissam à tertio, potest impetrari, quomodo, & quando.
18 An loca collegialia, seu monacalia ipso jure vacent ob simoniam? distinguitur.
19 Collegialis Capranicensis non potest locum alteri cedere absque labe simoniæ, sed locus collegialis ipso jure non vacat.
20 An Vicariæ vacent ob simoniam? distinguitur.
21 Clericus obtinens per pecuniam cappellaniam, simoniacus non est, secus si confertur in titulum, ubi de vacatione.

CAPUT XXX.

1 INter publica crimina, qui-
bus ordinaria pæna ecclesia-
sticis Imponitur, simonia
quoque propter ejus detesta-
bilitatem adscribitur; simo-
niacus enim quoad omnes
juris effectus hæretico æqui-
2 paratur. Unde merito clericus per simoniam
realem ipso jure privatur beneficiis per colla-
tionem, electionem, provisionem, aut alias
quomodolibet obtentis, *ita habetur in extra-
vagan. Pauli II. in cap. cum detestabile de si-
monia Cassador. decis.5. in princ. de constit.
Rot. decis.1508. coram Coccin. repetit. in de-
3 cis.538. num 9. par.4. rec. tom 3.*, ac in se-
quelam contrahit inhabilitatem ad alia simi-
lia, vel dissimilia assequenda *cap. ex insinua-
tione cap. nobis de simon. S. Pius V. constit.*, quæ
incipit *cum primum Rot. in Montis Regalis Prio-
ratus 24. Junii* 1718. §. *suppositum cor. Ansald.*
4 Sola quæstio est, an talis inhabilitas con-
trahatur etiam ex simonia conventionali.
Negat *Navarrus cons.91., & 92., alias 39.
de simon. Rebuff. cons.63. per tot.*, & ratio
est, quia simplex conventio in beneficiis ec-
clesiasticis proprie simoniam non importat,
*& sequitur Paris. de confident. quæst.39.
num.18 19., idem de resignat. lib.14. quæst.7.
num 72.*, ubi dicit hoc esse notandum, quia
secundum hoc vidit pluries judicari, & huic
opinioni adhærere videtur *Suarez. cap.58. in
fin.*, ubi dicit Constitutionem S. Pii V., quæ
clericos simoniacos inhabilitat, quoad hanc
partem usu receptam non esse; Præterea in-
specto jure communi videtur tuta opinio
Navarr., *& aliorum*, juxta quam opus non
est, ut clericus simoniacus dispensationem
obtineat ante judicis sententiam pro assequen-
dis beneficiis. Affirmat *Abb. in cap. tua nos
num.5. ibique Gloss. & Felin. de Simon. Garz.
de benefic. par.8. cap.1. num.20. idem Paris
d. quæst 7. num.30.* quoniam ita est simonia-
cus, qui dat, sicut qui promittit *Put. de-
cis.80. num.2. lib.2. Manzaned. decis.550. per
tot. Rot. decis.237. num.14. cor. Duran. de-
cis.366. per tot. par.12. recen.*, ubi diffama-
tus de simonia repellitur à beneficiis, quæ
sententia verior est, & in praxi communiter
recepta tum de jure, tum etiam constitutio-
ne S. Pii V.

5 Non obstat opinio *Navarri*, *& aliorum*
quia potest admitti in foro conscientiæ, in
quo ad contrahendam inhabilitatem requiri-
tur sententia declaratoria criminis, secus in
foro externo, in quo satis est, quod simonia
etiam conventionalis concludenter probetur
ex auctoritatibus jam dictis, multoque mi-
nus deferendum est *Suarez* quoad non usum
Pianæ Constitutionis, quoniam Constitutio
Apostolica semel publicata obligat omnes,
etiamsi usu recepta non sit, ut alibi dictum
est, & præsertim in hoc casu, in quo agitur
de simonia, quæ concernit peccatum.
6 Differt tamen in hoc simonia realis à conven-
tionali, quoniam clericus ob simoniam rea-
lem per sententiam judicis beneficiis canoni-
ce obtentis privari potest, quod satis colligi-
tur *ex canone Præsbyter.1. quæst.1. cap sicuti
cap. de hoc de simonia Rot. decis.227. num.3.
cor. Millin.*. At ob simoniam conventiona-
lem clericus punitur dumtaxat in eo, in quo
deliquit, & sic spoliatur iis beneficiis, quæ
per simplicem contractum absque traditione
rei temporalis obtinuit *ex Const.5. Pii V.
ibi = qui dignitates ecclesiasticas simoniace
acquisierit, illis sit ipso jure privatus, qui be-
neficium, aut officium ecclesiasticum fuerit ade-
ptus, illis similiter sit ipso jure privatus.*
7 Ex his infertur, quod, ubi agitur de va-
catione, seu privatione beneficii validè ob-
tenti, requiritur plena probatio simoniæ rea-
lis cum traditione rei temporalis pro spiri-
tuali *Paris. cons.29. num.16. lib.4. Cassador.
decis.1. num.1. de constitut.*, alioquin sola si-
monia conventionalis non prodest impetranti
Rot. decis.405. par.1. diversorum, ubi reso-
8 lutum fuit beneficium resignantis ex capite si-
moniæ conventionalis non vacare.
9 Et quamvis omnis pactio in beneficiis
prohibita sit *cap. ult. de pactis*, *cap. quæsi-
tum de rerum permutatione*, non tamen omnis
pactio ipso jure privat beneficio, quandoque
enim pactio ipsa uti illicita vitiatur *Paris d.
cons.29. num.10. lib.4.*. Verum in hac re utra-
que simonia pænam Juris statim parit, diver-
so tamen modo, quoniam simonia realis sta-
tim privat legitime provisum eo beneficio, in
quo simonia cum effectu commissa est, con-
ventionalis autem spoliat providendum, si
super eodem beneficio partes simpliciter con-

venerint, quod idem est ac dicere; simonia realis parit effectum juris quoad beneficium jam obtentum, simonia conventionalis quo ad obtinendum, si uno, eodemque contextu quis de beneficio provideatur; Utrobique tamen vere vacant ipso jure beneficia ad effectum ilia impetrandi, *ut constat ex extravag. Paul.II.*, *& constitut. Pii V.*

Verum quia conditiones, aut pactiones simoniacæ regulariter in beneficiis inter resignantem, & resignatarium solent fieri, ideo modo de his in specie agendum est ad inferen-
10 dam hanc pœnam. Et quidem primo simonia committitur, & consequentèr vacat ipso jure beneficium, si resignatio admissa sit ab inferioribus collatoribus ad favorem certæ personæ, absque ulla tamen gravi, & urgenti causa; Inferior enim collator in contractibus voluntariis, prout est resignatio, de qua agitur, actum resignationis, ex quo simonia emergit, sanare non potest, nec hujusmodi potestatem sibi arrogare valet, cum sola auctoritas Papæ resignationes ad favorem certæ personæ admittat, *ita habetur in Constitutione 58. Pii V.*, Idemque beneficium sic resignatum, tamquam vacans potest liberè impetrari tum adversus resignantem, tum etiam resignatarium, & quidem adversus resignantem, quia ob actum simoniacum à jure, quod habebat in beneficio, prorsus cecidit: adversus autem resignatarium, quia jus, quod in resignante defecit, in ipsum transire non potuit *Rot. decis. 237. per tot. coram Duran.*, *& in Tridentina Parochialit* 11. *Maii* 1711. *§. Clarius coram Ansald.*

11 Secundo vacat beneficium per simoniam, si resignatarius promisit resignanti fructus beneficii, & locare Domum canonicalem cum similibus, nam resignatarius ob hujusmodi conventionem effectus est incapax beneficii, & resignans jus, quod habebat, penitus amisit *Rot. dec. 80. cor, Puteo lib. 2. dec. 550 per tot. cor. Manzanedo.*

12 Tertio demum vacat ipso jure beneficium, ubi simonia cum effectu commissa est à Parentibus, seù consanguineis, ipso proviso ignorante, vel contradicente; de jure enim ignorantia præsumitur affectata, & contradictio censetur simulata, & fictitia *cap. tuam in fin. de ætat. & qualitate, cap. sicut, ubi omnes de simonia*, quamvis in foro conscientiæ secundum Theologos, & Moralistas cessante juris præsumptione valeat ita provisus ecclesiam administrare, & fructus percipere, lex enim, quæ in præsumptione fundatur, locum non habet in foro conscientiæ, in quo veritas dumtaxat attenditur.

13 Nec ita proviso quoad forum contentiosum prodest regula de triennali adversus impetrantem, sed necessaria est possessio decennalis, quoniam per lapsum tanti temporis præsumitur novus titulus, & nova dispensatio, quæ sic proviso facile solet concedi à Papa *cap. de regularibus ibique Gloss. verb. ignorantibus cap nobis cap. ex insinuatione utrobique Gloss. & interpretes de simonia*. Nec obstat, quod ita provisus habeat titulum coloratum, qui sine dubio videtur sufficiens, ut possessione triennali se tueri valeat adversus odiosum
14 impetrantem. Respondetur, quod regula de triennali literaliter simoniacos excludit, nulla habita distinctione, an provisus de beneficio sit verè simoniacus, seù tantum præ-
15 sumptivè, lex enim generaliter loquens, generaliter est intelligenda *leg. de pretio* 8. *ff. de publician. in rem action.*

16 Ubi verò simonia commissa est à tertio, cum distinctione casus est resolvendus, si enim tertius malitiosè obtulit, ac dedit pecuniam, nè, qui eligendus erat, eligeretur, hoc casu collatio, seù electio ad beneficium de jure subsistit, dum nullus odio alterius pergravari debet: si verò tertius obtulit, & dedit pecuniam, ut quis de beneficio provideretur, tunc collatio beneficii habet quidem implicitum statum validitatis, sed potest annullari
17 *cap. nobis de simonia*. Unde propterea hujusmodi beneficium potest à Papa impetrari, non quia ita provisus jure beneficii privatus sit, sed quia privandus est ob labem simoniæ, quæ in hac provisione intervenit *Nicolaus de Milis in suo aureo repertorio versic. simoniacus est*. Verum hæc impetratio ante lapsum triennii à Papa obtinenda est, nam regula de triennali ita proviso suffragatur, cum propriè simoniacus non sit; ultrà quod ignorantia sic provisi præsumitur vera, ac multo magis vera censenda est ejus contradictio, si in facto probetur *cap. nobis*, *ibique interpret. de simon.*

18 Quæres postremò, an loca collegialia, seù monacalia ipso jure vacent ob simoniam? Respondeo resolutionem pendere à natura, & qualitate istorum locorum; si enim dantur ad tempus, sub simonia non cadunt, & in sequelam per simoniam non vacant; aut sunt perpetua, tunc secus; hujusmodi enim loca nil differunt ab officiis ecclesiasticis, dummodo tamen habeant aliquod onus spirituale, in quo proprie simonia consistit, alioquin sola qualitas perpetuitatis non importat aliquod officium ecclesiasticum; plura enim sunt in ecclesia officia perpetua, quæ cum nullum habeant onus spirituale, simoniæ incapacia sunt *Tondut. quæst. beneficial. cap.* 106. *num.* 1.

19 His tamen obstare videtur auctoritas *Cherubini ad Constitutiones apostolicas Constit.* 25. *Pii V. in fin.*, ubi dicit, quod Collegialis Capranicensis non potest locum alteri cedere, seù vendere absque labe simoniæ, eo tamen adjecto temperamento, quod ita cedens, seù vendens non incidit in pœnas juris, nec locus collegialis ipso jure vacat; hoc enim infertur ex Constitutione Apostolica, quæ hujusmodi Collegium approbavit; unde hic casus est singularis ad alia loca collegialia non extendendus, præsertim quia loca Collegii Capranicensis perpetua non sunt, sed durant usque ad completum cursum studiorum.

20 Cumque hac distinctione procedendum est

in

in Vicariis, ubi enim perpetuitatem habent, vacant ipso jure ob simoniam, ut supra, cum sint beneficia ecclesiastica *Clementin.* 1. *de offic. Vicar.*, ubi vero vicariæ sunt temporales, habentes jurisdictionem ecclesiasticam, per simoniam non vacant, quoniam Constitutiones Apostolicæ loquuntur de officiis ecclesiasticis, quorum appellatione veniunt ea, quæ perpetua sunt, non temporalia, *ita Salzed. in cap.* 91., *ibique Adden. versic. quarto de simon.*, *& facit ad hoc Resolutio Sacræ Congregationis Concilii in una Spoletana cap-*
21 *pellaniæ* 11. *Martii* 1711., ubi resolutum fuit clericum, qui cum pecunia cappellaniam obtinuit, non esse simoniacum, nec pœnas simoniacorum incurrisse, sed tamen Sac. Congregatio concessionem cappellaniæ factam ob contractum permutationis inter ipsum, & communitatem nullatenus approbavit, sed hæc intelligenda sunt de cappellania laicali, perpetua, aut amovibili, quæ tamen beneficium ecclesiasticum non est, quoniam si uti beneficium conferatur ab ordinario, utique simonia committitur, & cappellania ipso jure vacat, & in sequelam impetrari potest, dummodo simonia realis, aut conventionalis ut supra concludenter probetur, quod est fundamentum impetrantis *Rot. decis.* 93. *par.* 4. *tom.* 2. *decis.* 256. *n.* 30. *dec.* 419. *per tot. par.* 12. *recen.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 NOn differt quoad pensionem simonia realis, aut conventionalis.
2 Clericus vendens pensionem, ea ipso jure privatur, ubi rationes.
3 Ampliatur sive pensio vendatur, sive redimatur.
4 Limita, si vendita, aut redempta sit commoditas pensionis.
5 Limita, si ex conjecturis argui possit, pensionarium intellexisse de sola commoditate, licet pensionem vendiderit, ubi explicatur.
6 Cessantibus conjecturis per venditionem pensio extinguitur, ubi de ratione 7.
8 Limita in promissione vendendi jus pensionis sub reservatione beneplaciti apostolici ibidem num. 9. 10.
11 Limita, si procurator habens facultatem vendendi commoditatem pensionis, jus vendiderit, ubi de ratione.

1 NOn est discrimen etiam quoad pensionem clericalem inter simoniam realem, & conventionalem, nam simoniacus est, qui dat,
2 prout qui promittit; Unde clericus pensionem vendens absque assensu apostolico, eo ipso jure privatur *Romana pensionis* 31. *Martii* 1727. *coram Gamacbes. confirmata* 7. *Martii* 1732. *coram Reverendissimo Calcagnino*. Si enim pensio extinguitur per liberam, & gratuitam remissionem, multo magis per actum culposum, ac pæna dignum. Et quamvis pensionis venditio facta cum interventu pecuniæ veram, & propriam non præseferat simoniam, quæ proprie committitur in beneficiis ecclesiasticis *cap. ultimo de pact. extravag. cum detestabile de simon.*; nihilominus de stylo Curiæ simonia est, accepto pretio, pensionem in alium distrahere, pensio enim clericalia convenit cum beneficio, cum sit quid spirituale, seu aliquid ei annexum, & fere eisdem modis, quibus beneficium, amittitur *Gig. de pension. quæst.* 54. *per tot. Navarr. cons.* 47. 59 61. *&* 63. *edict.* 2. *Tolet. lib.* 5. *cap* 72. *Suarez. tom.* 1. *de religion. lib.* 4. *de simon. cap.* 23. *Garz. de benef. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 107.; Deinde licet pensionarius vendens pensionem pænas excommunicationis suspensionis &c. non incurrat, nihilominus quoad hanc pænam virtualiter comprehenditur *sub extravaganti Pauli II.* quæ loquitur de quibusvis beneficiis, quorum appellatione continetur pensio *Gloss. in cap. quicumque §. ad hæc versic. beneficium de hæretic. in* 6. *Gig. de pension. quæst.* 19. *num.* 2. Demum de stylo Curiæ simonia, quæ committitur in beneficiis, locum habet etiam in pensione, cur igitur non pæna?
3 Ampliatur, sive pensio vendatur, vel redimatur, licet enim redimere proprie emere non sit, sed potius extinguere onus, & obligationem temporalem, attamen ex eodem Curiæ stylo, ut emptio, ita redemptio uti simoniaca damnatur, cum utrobique jus spirituale, seu spirituali annexum in pactum deducatur, quod satis est ad incurrendam privationis pænam *Garz. de benef lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 26.
4 Limitatur primo, si vendita, seu redempta sit sola commoditas; hæc enim temporaria præstatio est, quæ assensu Partium, ac pecuniæ interventu potest vendi, redimi, & libere alienari *Rot. decis.* 441. *num.* 9. *par.* 19. *rec.*, *Romana pensionis* 10. *Decembris* 1684. *§. final. cor. Matthejo*.
5 Notandum tamen est, quod, ubi ex circumstantiis facti, aliisque conjecturis argui potest, pensionarium in contractu venditionis intellexisse de sola commoditate, quamvis venditio de pensione loquatur, æquitas suadet pensionem non extingui, cum enim in aliis contractibus pensionarius commoditatem dumtaxat alienaverit, intrat præsumptio juris eum commoditatem, non jus pensionis in hoc contractu vendidisse, nec mirum, quoniam ex actibus antecedentibus infertur ad subsequentes, & à præterito tempore licet arguere ad præsens, itaut ea verba, quæ jus pensionis venditum fuisse demonstrant, ad errorem notarii referenda sint; Ultra quod inverisimile est quod pensionarius venditor voluerit facere actum sibi prejudicialem, ac veluti à seipso pensionem extinguere, nam eodem tempore venderet, & non venderet, quod implicat; alioquin ces-
6 santibus his conjecturis, & præsumptionibus, pensionem ob contractum venditionis extin-

7 extingui planum est; Imputet enim sibi pensionarius, qui ita facile vendidit jus pro commoditate pensionis, *ad Text. in l.1. §. item sciendum ff. de separat. bonor. ibi = sibi debet imputare suam facilitatem = eap imputari, ibique Gloss. & Io: Andr. num.6.7. de regul. Jur. in 6.*

8 Limitatur secundo in promissione vendendi jus pensionis sub reservatione beneplaciti Apostolici, quatenus opus sit, quoniam promissio de vendendo non est venditio, nec fructus pensionis in emptorem transferuntur *Barbos. in l. si ante 6. num.44. in princip. ff. solut. matrim.*; *Urceol. de transact. quæst.* 10. *num.*22. *Alexand. cons.*73. *colum.*2. *lib.*2. *& cons.*13. *colum.*5. *lib.*3.; Sane ex promissione vendendi duæ actiones de jure competunt promissario, altera ad factum, ut scilicet pensionarius vendat juxta praxim insinuatam *ab Alexandro cons.*39. *num.*1. *vers. quo autem lib.*5., altera ad interesse loco adimplementi *l. stipulationes 72. §. si quis ita ibique Gloss. in vers. possit ff. de verbor. obligat. l. naturalis 5. § at cum do, ut facias ibique Gloss. vers. condici in fin. ff. de præscript. verb.* Gratian. *discept. foren.* 240. *num.*34. *lib.*2. *Bursatt. cons* 100. *num.*38. *tom.*1., *Rot. decis.*913. *num.*1. *coram Buratt.*, *decis.*107. *num* 2. *&* 3. *tom.*2. *coram Ansald. decis.*58. *num.*25. *part.*6., *decis.*64. *num.*11. *part.*7. *recent.*; Non tamen promissarius potest agere ex empto, seu vendito, quia venditio facta non est, ergo pensio per promissionem vendendi non extinguitur.

9 Clarius, quia promissio vendendi pensionem, seu jus eam exigendi inita fuit sub expressa reservatione beneplaciti Apostolici, cujus ea est virtus singularis præservandi pensionarium à quacumque privationis pæna comminata à jure adversus simoniacos pensionum venditores, *ut habetur in d. Romana pensionis 7. Martii* 1732. *§. minime juvante coram Reverendissimo Calcagnino.*

10 Denique etiam illud ponderandum est, quod ut pensio dicatur extincta, requiritur, quod contractus verba importent veram venditionem juris exigendi pensionem, non vero simplicem vendendi promissionem, quod in pœnis, in quibus fit stricta interpretatio, communiter receptum est *l. factum ff. de reg. jur.*

11 Limitatur tertio, si pensionarius dederit ejus Procuratori facultatem vendendi commoditatem pensionis, & is excedens fines mandati pensionem vendiderit, & ratio est, quia fines mandati diligenter sunt custodiendi *l. diligenter l. potest ibique Gloss. ff. mandat.*, *l. si procurator ibique Gloss. in vers. potuit Cod. de procurat. Rot. decis.*612. *num.*20. *coram Cavaler.*, *decis.*171. *coram Caprar.*; Aliter procurator nulliter agit, nec pensionarium obligat, aliud enim negotium gerere videtur, ad quod mandatum non habet *l. diligenter ff. mandat. ibi = Nam qui excessit, aliud quid facere videtur, & notat ibi Gloss. in vers. aliud, l. si itaque ff. de jur. jurand.*, ideoque hujusmodi venditio, quæ nullitatis vitio laborat, tamquam inita contra expressum mandatum pensionarii non potest ullo modo producere juris effectum, idest extinctionem pensionis *cap. non præstat de reg. jur. in 6.*, *Amayden. de stil. Datar. cap.*27. *num* 5. *lib.*1.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob simoniam confidentialem *ad ornatum Constit. Pii IV.*, *& Pii V.*

SUMMARIUM.

1 SImonia confidentiaria crimen gravissimum est, ac eosdem producit juris effectus, quos parit simonia realis, & conventionalis.

2 Simonia realis, & conventionalis expresso pacto contrahitur, confidentiaria sub tacita, & implicita conventione.

3 Divisio materiæ ad effectum impetrandi beneficia, & de ratione.

4 Simonia confidentiaria debet concludenter probari.

5 Simonia confidentiaria alia est licita, alia illicita, alia illicita & simoniaca simul, quod explicatur. *6. 7.*

8 Confidentia in beneficiis committitur, ubi beneficiatus alteri beneficium resignat cum tacito pacto, ut sibi, aut nepoti suo annua solvatur pensio.

9 Confidentia contrahitur, quando resignans pactus est, ut posset quandocumque beneficium repetere, & Ordinarius conditionem adjecit, ut ad placitum posset illud conferre.

10 Amplia, si Ordinarius à se provisum gravavit, ut certam, seu quotam partem fructuum beneficii sibi annuatim correspondeat.

11 Episcopus ex causa potest sibi, vel pio loco fructus beneficii vacantis reservare, limita in actu collationis, ibidem.

12 Resignatarius simoniam confidentiariam incurrit, si intra modicum tempus retrocessit alii beneficium sub annua pensione, vel cum accessu, & regressu, ubi cationes.

13 Clericus confidentiam committit, si absolutus à crimine, vel dispensatus ab irregularitate, beneficium, quod paulo ante resignaverat, iterum recipit.

14 In his casibus vacant ipso jure beneficia, & possunt liberè impetrari.

15 Confidentiam committit, qui fidejubet pro clerico debitis onerato, ut beneficii resignationem obtineat.

16 Simoniacus confidentiarius est, qui beneficium alii resignat sub conditione illud repetendi, si ex infirmitate convalescat.

17 Amplia in eo, qui resignat alii beneficium, ut deinde resignetur ejus nepoti.

18 Confidentia incurritur, quoties concurrunt tales conditiones, conventiones, & circumstantiæ, quæ animum Judicis movent.

19 Regula generalis inseruit pro aliis casibus.

20 Con-

20 Constitutiones Apostolicæ in hac re casus frequentiores comprehendunt, nec excludunt minus frequentes, & similes.

21 Confidentia præsumpta arguitur ex mandato resignatarii inito ad favorem resignantis cum facultate locandi, & dislocandi bona ecclesiæ, seu percipiendi fructus beneficii.

22 Mandatum dupliciter concipi potest, vel simpliciter, vel nomine proprio, ubi declaratur.

23 Ex his conjecturis interdum vacant beneficiä, interdum non; quod pendet ex probatione confidentiæ.

24 Ubi confidentia probatur ex præsumptionibus relatis in Constitutione Pii V. rejicienda est appellatio, saltem in suspensivo, secus in aliis, quæ leves, aut dubiæ sunt.

CAPUT XXXI.

1 Dubitandum haud est simoniam confidentiariam crimen gravissimum esse, ac eosdem producere juris effectus, quos parit simonia realis, & conventionalis, immo hæc, de qua mox di-
2 cturi sumus, detestabilior videtur; Nam simonia realis, & conventionalis expresso pacto contrahitur, ac facile potest à Judicibus ordinariis detegi, & puniri; At simonia confidentiaria regulariter fit sub tacita, & implicita conventione, quæ probatu difficillima est, tum in judiciis civilibus, tum etiam cri-
3 minalibus. Dicam itaque primo in præsenti capite de simonia confidentiaria vera, & Apostolicis Constitutionibus approbata ad inducendam beneficiorum vacationem, secundo de præsumpta, aliisque conjecturis deducta, ita secernentes certum ab incerto, ut inde validitas, vel nullitas impetrationis beneficii inferatur, sæpe enim impetrantes diuturnis, ac dispendiosis intricantur litibus, & sæpius in judiciis succumbunt, quia ad probandam simoniam confidentiariam afferunt testimonia, & non testes, conglomerant
4 conjecturas debiles, ac leves, cum de jure urgentes, & efficaces requirantur pro obtinenda ex hoc capite executione literarum Apostolicarum *cap. sicut* 33. *de simon. Rot. decis.* 1359. *num.* 1. *& per tot. cor. Seraphin. decis.* 108. *num.* 1. *par.* 1. *rec.*
5 Ut autem plena materiæ, de qua agitur, notio habeatur, præmittendum est simoniam confidentiariam aliam esse licitam, aliam illicitam tantum, aliam demum illicitam, & simonaicam simul; Licita ea est, ubi resignans confidit in resignatario, quod post certum, & limitatum tempus resignabit beneficium personæ dignæ, absque ulla tamen præcedenti conventione, & sic resignatio, quæ deinde fit, dicitur libera, & spontanea, quia poterat fieri, & non fieri à resignatario, licet de facto ideo facta sit ju-
6 xta mentem resignantis. Illicita vero dicitur, ubi resignans confidit, quod ipse resignatarius intra certum tempus beneficium resignabit personæ incapaci, resignans enim perperam confidit, cum juxta dispositionem juris clerici incapaces ab ecclesiasticis beneficiis omnino repellantur. Ita illicita est conventio, ubi duo concurrentes ad beneficium conveniunt inter se, ut provisus det alteri portionem fructuum; Sane hujusmodi conventio simoniaca non est, quia non cadit super collatione beneficii, sed super fructibus, illicita tamen est, quia est quædam species sponsionis, quæ in foro externo executionem non meretur, si provisus nolit stare promissis, quod si velit promissionem implere, qui fructuum portionem recipit, simoniacus non est, & justa quidem ratione, quia promissio fructuum censetur facta à proviso ad subveniendum alii non proviso, quod inter nobiles, & magnates interdum ex vinculo amicitiæ servatur, idque procul dubio simoniam confidentiariam excludit, nam datur quid temporale à proviso citra pactum recipiendi spirituale, in quo vere simonia consistit *Reginald. for. pœniten. lib.* 23 *cap.* 11. *quæst.* 3. *num.* 148. *Dec. cons.* 118. *num.* 3. *Piton. discept. eccles. cap.* 138. *num.* 10. *cum ibi relatis.*
7 Illicita demum, & simoniaca est, ubi inter partes conventum sit, ut is, qui resignatione beneficium obtinuit, denuo illud alii resignet intra certum tempus ab ipsis contrahentibus præfinitum, & ab ordinario approbandum; Concurrit enim tempus, quo beneficium resignari debeat, concurrit conventio, quæ simoniam confidentiariam satis probat *juxta doctrinam Navarr. in cap.* 23. *num.* 109. *de simon.* Hinc propterea tuto inferas aliud esse pactum illicitum, aliud simoniacum pro effectibus juris inde resultantibus, quoniam ubi pactum est illicitum, clericus non privatur beneficio, sed monendus est, ut se abstineat sub pœna arbitrio superioris, ubi autem pactum est simoniacum, & vere sapit confidentiam, clericus statim privatur beneficio, ut mox dicam.
8 His præsuppositis propius accedendo ad primum punctum simoniæ confidentiariæ, quæ vacationem beneficii ipso jure inducit, dico primo confidentiam in beneficiis, portionibus, officiis, & dignitatibus ecclesiasticis committi, ubi beneficiatus alii beneficium, portionem, seu dignitatem resignat cum pacto, ut sibi, aut nepoti suo annua solvatur pensio ad certum tempus, vel ad vitam ipsius duratura, quippe quia ad obtinendam canonice pensionem super ecclesiastico beneficio necessaria est auctoritas Papæ, qui potest beneficium gravare, quod contrahentibus ex privata conventione non licet, imo id improbatur, & damnatur ex Apostolicis Constitutionibus *Pii IV. & Pii V. Constit.* 85. §. *quare.*
9 Dico secundo confidentiam quoque contrahi, quando resignans pactus est, ut pos-

fet

set quandocumque beneficium repetere, & ordinarius conditionem adjecit, ut ad placi-
10 tum posset illud conferre; imo gravavit sic provisum, ut certam, seu quotam partem fructuum sibi annuatim correspondeat, simonia enim confidentiaria non tam resignantem, quam collatorem ipsum afficit; Et quamvis
11 episcopus ex causa possit sibi, vel pio loco fructus beneficii vacantis reservare *cap. unico ut ecclesiastica beneficia sine diminutione confer.*, nihilominus in actu collationis nequit pacisci, ut provisus possideat beneficium ad tempus, vel annuam sibi pensionem solvat, ita prohibente Constitutione Pii V., de qua supra.
12 Dico tertio resignatarium simoniam confidentiariam incurrere, si intra modicum tempus à die provisionis retrocessit alii beneficium sub annua pensione, vel cum accessu, & regressu, & ratio duplex est, altera, quia nemo auctoritate propria potest sibi accessum, & regressum reservare, alioquin ejusdem naturæ essent beneficia ecclesiastica, prout cætera bona indifferentia, quod repugnat, altera vero ex ipso eruitur facto, quoniam provisus paulo post dimittens, seu resignans beneficium cum pensione, videtur non habuisse animum administrandi ecclesiam, eique inserviendi, prout ratio exigit, sed potius super eodem beneficio exercendi mercimonium, quod etiam ex constitutione Pii V. sub hac pœna interdictum est.
13 Dico quarto clericum esse simoniacum, si absolutus à crimine, vel dispensatus ab irregularitate beneficium, quod paulò ante resignaverat, iterum recipit; non enim habuit animum dimittendi beneficium, qui statim illud recuperavit, ad instar debitoris, qui pecuniam solvit sub conditione eam repetendi; non enim censetur debitorem solvisse, si pecunia ita datur, ut iterum à solvente statim recipienda sit *l. qui sic solvit ff. de solut.*, Immo præsumptio, & quidem valida est, ita provisum resignasse beneficium, nè ex causa criminis ab Episcopo privaretur, denuò post absolutionem à crimine, & dispensationem ab irregularitate, illud recuperaturus, *ità expressè habetur in Constitut. Pii V.* §. *Postremò*.
14 In his itaque casibus vacant ipso jure beneficia, ac possunt liberè impetrari, quia verè, non præsumptivè censetur contracta à clerico simonia confidentiaria *ex Constitutione Pii V. ibi = in quovis horum casuum confidentiæ pravitas sit contracta =*, & consequentèr, quia agitur de præsumptione juris, & de jure, quæ jus firmum statuit ex speciali Constitutione Apostolica, non admittitur probatio in contrarium *Gloss. magistralis in cap. is qui fidem versic. contra præsumptionem de sponsal Gloss. in l. 1. ff. de probat. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 89. num. 16.*
15 Similitèr idem de aliis casibus, quibus eadem identitas ratio militat, dicendum est. Sane qui fidejubet pro clerico debitis onerato, ut deinde hoc intuitu resignationem beneficii obtineat, confidentiam committit *Rot. decis. 200. per tot. cor. Varall. part. 1.*,
16 sicuti infirmus simoniacus confidentiarius est, ubi beneficium alii resignat sub conditione illud repetendi, si ex infirmitate, quæ est causa resignationis, convalescat *Rot. dec 337.*
17 *part. 3. diversor. lib. 3.*, ita quoque talis censendus est, qui renunciat alii beneficium, ut deinde ille nepoti suo illud resignet *Rot.*
18 *decis. 86. cor. Seraphin.* Demùm confidentia incurritur, quoties concurrunt tales conditiones, seu conventiones, & tales afferuntur probationes, ac facti circumstantiæ, quæ movent animum Judicis ad ita judicandum *Paris. de resignat. lib. 14. quæst. 8. n. 1. cum seq. Cherubin. ad Constit. 85. Pii V. Rot. dec. 1359. cor. Seraph.*
19 Hæc est regula generalis, quæ aliis inserult casibus, quos transcribere supervacaneum est, quoniam ex iis, quæ dicta sunt *ex Constitut. Pii IV.*, & *Pii V.*, satis intelligitur, quid in aliis casibus sentiendum sit, præ-
20 sertim, quia Constitutiones Apostolicæ in materia confidentiæ casus in praxi frequentiores comprehendunt, non excludentes minus frequentes, & similes, ut constat ex dictis.
21 Quo vero ad secundum punctum sciendum quoque est confidentiam præsumptam argui ex mandato resignatarii inito ad favorem resignantis cum facultate locandi, & dislocandi bona ecclesiæ, seu percipiendi fructus, & proventus beneficii, *ita Pius V. in d. sua Con-*
22 *stitut.* §. *Recipiens*. Hoc tamen mandatum dupliciter potest concipi, vel simpliciter, vel nomine proprio; primo casu conjectura est levis ad probandam confidentiam, quia intelligi potest locationem, & fructuum exactionem factam fuisse nomine mandantis; secundo casu conjectura fortior quidem est, & quodammodo confidentiam præsefert, cum resignans nomine proprio exigat fructus beneficii, quod ad alium spectat, sed sola non sufficit, quia hæc est præsumptio juris tantum, quæ probationes in contrarium admittit *utraque Gloss. in d. cap. is qui fidem de sponsalib. & d. leg. 1. ff. de probat.*, ideoque coadjuvanda est aliis conjecturis, inter quas adscribitur, si resignatio facta sit expensis resignantis, isque fere omnes beneficii fructus perceperit, reservata modica fructuum portione favore resignatarii. Item si resignans officia, & functiones ecclesiasticas, quæ de jure competunt resignatario, indutus vestes canonicales, aut parochiales nomine proprio peregerit *Pius V. in d. Constitutione* §. *Si quis*; Hæc sane conjectura efficax est ad effectum, de quo agitur, & juridice potest inferri inter resignantem, & resignatarium ita conventum fuisse *Rot. dec. 1359. num. 9. cum seq. cor. Seraphin.*
23 Ex his itaque conjecturis interdum vacant ipso jure beneficia, interdum non, quod pendet ex probatione simoniæ confidentiariæ pro exequendis literis impetrantis: verum
24 in hoc proposito illud prætereundum non est, quod ubi confidentia probatur ex quatuor

præ-

præsumptionibus relatis in *Constit. Pii V.*, reijcienda est quæcumque appellatio, saltem in suspensivo, quoniam ex his præfigitur Judicibus certa regula, quæ nullo modo potest præteriri propter auctoritatem Papæ sic statuentis; è contra vero appellatio ad utrumque effectum admittenda est, ubi præsumptiones confidentiæ deducuntur ex Doctorum sententiis, prudentum responsis, decisionibus Tribunalium, præsertim si leves, debiles, aut dubiæ sint, & inter Doctores controvertantur, nec aliunde doceatur de præcedenti conventione, sine qua confidentia, etiam in judiciis civilibus favore impetrantis regulariter non probatur, *ita habetur in utraque Constitutione Pii IV., & Pii V.*

A D D I T I O.

S V M M A R I V M.

1 Confidentia committitur in pensionibus, ubi exemplificatur.
2 Clericus confidentiarius privatur reservatione fructuum, ubi quod pensio temporalis, seu laicalis ob confidentiam extinguitur.
3 Species simoniæ confidentiariæ est, ubi clericus fingit molestias super beneficio, ut auctoritate superioris reservetur pensio.
4 Ubi vera confidentia perpetratur, pensio extinguitur, & ejus translatio, ubi casus decisus à Benedicto XIII. declaratur num. 5.
6 Clericus pensione per fraudem, & collusionem obtenta est privandus.

1 Confidentia quoque in pensionibus ecclesiasticis, quæ ad instar beneficiorum regulantur, à clericis committi potest, quod fit, quando pensio auctoritate ecclesiastica uni reservatur, deinde post certum tempus ex privata, & tacita conventione alii solvitur; idque exemplificatur in patruo, qui alii resignavit beneficium ea lege, ut pensio sibi legitime reservata solvatur inde ejus nepoti. Sane hoc pactum sapit confidentiam, quia auctoritate privata pensio reservari non potest, ideoque si ea solvatur nepoti, statim extinguitur in patruo, ita enim ex continuis solutionibus nepoti directis inter resignantem & resignatarium hujusmodi conventionem initam fuisse præsumitur *ex constitutione Pii V.* §. *nec quisquam*, ubi quod clericus confidentiarius privatur ipso jure fructibus, pensionibus, aliisque rebus ecclesiasticis *Paris. de confiden. quæst.*58. *num.*57.

2 Item quoque confidentiarius privatur reservatione fructuum, nam reservatarius loco pensionarii habetur, immo ipsis etiam fructibus ipso jure spoliatur ex hoc capite, & consequenter pensio temporalis, seu laicalis, quæ appellatione fructuum venit, ob confidentiam extinguitur *ex constitutione Pii, de qua supra, Paris. d. quæst.*58. *num.*60. *cum seq.*, & hoc in pœnam excessus, ac propter criminis detestabilitatem.

3 Species insuper simoniæ confidentiariæ est, ubi clericus fingit sibi molestias inferri super beneficio, ut eo dimisso auctoritate Papæ seu Episcopi, annua pensio sibi reservetur: Non enim dolo, & fraude, sed canonico titulo, & justa ex causa pensio ecclesiastica obtineri debet, deinde ea, quæ per fraudem, & collusionem facta sunt, de jure non tenent *l.*3. *ff. de collusion. detegen. Innocent. in cap. audivimus eodem titulo.*

4 Discrimen tamen est inter primum, & secundum casum, quoniam ubi vera confidentia perpetratur, ipso jure extinguitur pensio, immo etiam translatio, prout casus accidit in pensionario, qui ex indulto sibi concessopensionem transtulit, si postea idem translator exigat pensiones translatas, remanet talis translatio nulla, immo pro rata translata extinguitur pensio, eaque tam transferens, quam translatarius remanent ipso jure respectu pensionis translatæ privati, *ut declaravit Benedictus XIII in ejus motu proprio sub die* 11. *Kal. Febr.* 1726.

5 Hæc tamen intelligenda sunt, si transferens nomine proprio exegisset fructus pensionis translatæ, vel cum translatario ita convenisset, vel si ex facti, & temporis circumstantiis id tacite inter partes actum fuisse appareret cum similibus, *& ita procedit motus proprius Benedicti XIII.*, secus ubi percepit fructus assensu, seu mandato translatarii, tunc sicuti excluditur quævis simoniæ species, ita cessat *d. motus proprius*, ac pœna juris, & ratio solida est, quia id censetur actum à translatario in signum grati animi erga ipsum transferentem, & consequenter hoc non obstante pensionis translatio est valida, si enim translatarius fructus pensionis translatæ cuique sibi benevio libere cedere potest, multo magis transferenti, à quo ipse beneficium pensionis translatæ recognoscit *Romana pensionis* 9. *Januarii* 1733. *coram Eminentissimo Aldovrando*, & ita practicatur in curia.

6 E' contra clericus pensione, quæ per fraudem, & collusionem ipsi auctoritate superioris reservatur, privandus est, cum dolus delictum sit, hac pœna dignum *cap. cum clerici de pact. cap. audivimus de collusione detegenda, ubi scribentes.*

ARGUMENTUM.

An vacent ipso jure Beneficia, ac Pensiones ob crimen læsæ majestatis humanæ, & an delictum patris noceat filio in beneficiis, ac pensionibus *ad interpretationem Text. in cap. vergentis de hæreticis cap. cum secundum eodem titulo in 6. Canon. si quis 6. quæst. 1. l. quisquis C. ad legem Juliam Majestatis.*

SUMMARIUM.

1 Ob crimen læsæ majestatis humanæ ipso jure confiscantur bona.
2 Ob dictum crimen quilibet fiscus confiscat in statu suo.
3 Quis pro delicto in uno loco perpetrato, alibi non est puniendus.
4 Notantur Principes, qui hac gaudent prærogativa.
5 An ob crimen læsæ majestatis humanæ clericus beneficiis sit privatus, vel privandus, prima opinio affirmat privandum esse, secunda asserit ipso jure privatum, quæ verior est 6.
7 Crimen læsæ majestatis humanæ æquiparatur crimini læsæ majestatis divinæ, ubi rationes.
8 Beneficia ecclesiastica non differunt à bonis temporalibus, ubi effectus,
9 Obedientia exhibenda est episcopis, ecclesiæ ministris, & supremo Principi.
10 Per offensionem Episcoporum, & Cardinalium vacant ipso jure beneficia: Item ex crimine perduellionis contra Principem, ubi differentia inter primarios Ministros ecclesiæ, & supremos Principes.
11 Concilium Toletanum declaravit ob crimen rebellioni episcopum omni honore privatum fuisse.
12 Refellitur *Diaz*, qui hujusmodi Concilium non approbat.
13 Ampliatur conclusio in Consiliariis Principis, Senatoribus reipublicæ, ubi declaratur.
14 An beneficia filiorum vacent ipso jure ob crimen læsæ majestatis humanæ commissum à patre, prima opinio affirmat 15., sed contra concluditur ibidem 16.
17 Clericus levibus conjecturis impetitus crimine læsæ majestatis ex persona patris beneficiis spoliari non debet.
18 Paritas inter hæresim, & crimen læsæ majestatis humanæ non concludit ad hoc, ut filius beneficio privetur ex delicto paterno.
19 Declaratur *Text. in cap. fœlicis de pœn. in 6.*

CAPUT XXXII.



1 AD tuendam non solum Romani Principis majestatem, verum etiam ad reprimendum multorum facinora, quàm fractis debitæ fidelitatis habenis adversus Romanum Imperium, in cujus tranquillitate totius orbis regularitas requiescit, hostili animo conantur, & humana, & divina præcepta, quibus cavetur, quod omnis anima sublimioribus potestatibus subjecta sit, sceleratissimis facinoribus, & assiduis rebellionibus demoliri, jure merito sancitum fuit, quemcumque laicum quavis dignitate constitutum, qui in crimen perduellionis inciderit, aut contra Romanum Principem conspiraverit, pœna capitis plectendum esse, incorporatis ipso jure omnibus, & quibuscumque bonis, ac juribus Cameræ Imperiali *l. quisquis Cod. ad leg. Jul. Majest.*, imo in pœnam tanti excessus judiciaria inolevit pra-
2 xis, ut quilibet fiscus in suo territorio bona, jura, & actiones ita delinquentis confiscare possit *Bald. in l. 1. in fin. cod. de summ. Trinit. & Fid. Catholic. Farinacc. in practic. criminal. quæst. 25. n. 100. Capyc. latr. consult. 131. num. 31. Roland cons. 78. num 14. lib. 2. de Luc. de regal. disc. 160. Surd. decis. 280. num. 9. Rot. decis. 16. num. 6. post primum vol. Farinacc. decis. 125. num. 9. cor. Merlin. decis. 32. n. 37. cor. Ansald. plene Rot. decis. ult. par. 14. recen.*, quod pariter speciale est in hoc crimine,
3 quoniam pro delicto uno loco perpetrato, alibi quis non est puniendus *l. unica C. ubi de crim. agi opor.*
4 Verum inter Principes, qui hac gaudent prærogativa, non solum adscribitur Romanorum Imperator, verum etiam Rex Hispaniarum, Galliarum, Poloniæ, Lusitaniæ, talis quoque est Princeps Pedemontanus, Respublica Januensis, Veneta, & Lucensis, aliique Principes, qui superiorem non recognoscunt, & cæteri omnes, qui habent jura, & regalia, quæ supremo Principi de jure competunt.
5 Hæc vera sunt de jure communi quoad pœnas, & bonorum confiscationem contra laicos perdueles, ut supra; Non levis tamen oritur quæstio de jure canonico, an scilicet clericus ob hujusmodi crimen ipso jure privatus sit, vel privandus beneficiis ecclesiasticis. Variant super hoc puncto Doctores, alii enim affirmant clericum privandum esse, quia in jure hujusmodi pœna non cavetur, *ita Bartol. in extravagan. qui sint rebelles num. 20. Farinacc. quæst. 116. num. 70. Diaz in prax. Criminal. cap. 119. per tot.*, deinde clericus immediate offendens Personam Principis proprie reus perduellionis non est, quoniam, ut quis talis dicatur, opus est, ut hujusmodi

jusmodi crimen committatur à subditis, & laicis, inter quos clericus annumerari non potest *Roland. cons 4. in princ. lib. 1. late* Gig. *de crim. læs. majestatis quæst. 63. per tot. lib. 3.* Si igitur clericus reus perduellionis non est, pænis rebellium puniri non potest, & consequenter ejus dignitates, beneficia, & ministeria ecclesiastica ipso jure non vacant, prout ipso jure confiscata sunt bona subditorum, & laicorum, qui contra Principem conspiraverunt, & ratio discriminis est, quia subditus propter hoc potest impune offendi, sed clericus, prout de jure, ab ecclesiastico judice condemnandus est *Roland. d. cons. 4. lib. 1. Barbat. cons. 22. in primo dubio lib. 3. Oltrad. cons. 43. per tot.*

6 At contrariam sententiam in puncto juris veriorem existimo auctoritati aliorum innixus quamvis enim literaliter id expressum in jure non habeatur, nihilominus ex tacita juris interpretatione id satis resultat, *ut notant: Rebuff. prax. benefic. tit. de mod. amitt. benef. num. 32. & in tractat. de pacific. possessor. num. 201. ante fin. Bernard. Diaz. prax. Crimin. cap. 119. per tot.* ubi refert exempla.

7 Probatur assumptum primo: Crimen læsæ majestatis humanæ æquiparatur crimini læsæ majestatis divinæ, & utrumque ponitur primum in ordine, utrumque offendit majestatem *Gloss. in l. manichæos versic. subire C. de hæretic.*, hæresis enim facit; quantum in se est; Deum mendacem, & rebellio indignum Principem, utrobique congrua congruis referendo horrendum crimen est; Porro si per hæresim vacant ipso jure beneficia, idem ex identitate rationis asserimus in crimine perduellionis *l. quisquis C. ad leg. jul. majest. l. Manichæos ibiq. Gloss. C. de hæretic.*

8 Probatur secundo, beneficia ecclesiastica, prout consistunt in jure percipiendi fructus, nil differunt à bonis temporalibus, quoniam beneficia jure administrationis, bona jure successionis, & dominii possidentur, utrobique jus est, alterum consistit in jure usufructus formalis, alterum vero in jure usufructus causalis *cap. 1. de præben. l. bonorum ff. de verbor. significat. Novar. decis. 233. num. 6.* ideoque si clerici ipso jure spoliantur bonis temporalibus, vacant quoque eorum beneficia propter læsam Principis majestatem *cap. vergentis de hæretic. cap. cum secundum eod. tit. in 6. l. quisquis C. ad leg. jul. majest.*

9 Probatur tertio. Summe interest ecclesiæ obedientiam exhiberi episcopis, aliisque primariis ecclesiæ ministris pro bonorum spiritualium administratione, decet quoque tutam esse personam Principis pro regimine reipublicæ, status, & Imperii; Ut igitur per
10 gravem offensionem Cardinalium, & Episcoporum vacant ipso jure beneficia ex mox suo loco referendis, ita vacant ex crimine perduellionis contra Principem, imo in hoc casu major ratio concurrit, quoniam Cardinales, & Episcopi sunt quidem primarii ecclesiæ, seu ecclesiarum ministri, sed suo capiti subordinati; Unde proprie loquendo Principes non sunt; At Princeps secularis vere est caput sui Principatus absque ulla subordinatione, & dependentia, ut per se patet.

11 Probatur quarto *ex Concilio Toletano 16. celebrato anno 643.*, ubi Sigisbertus Toletanæ Ecclesiæ Episcopus ob crimen rebellionis contra Principem omni honore, gradu, & dignitate Episcopali, rebusque aliis exutus, in perpetuum Carcerem fuit relegatus, quæ deinde pæna à PP. hujus Concilii ad omnes clericos seculares, & religiosos extensa fuit, *ita habetur in §. Sigisbertus §. ipse cum seqq. dicti Concilii*; Ultra quod Episcopi in hac sessione nihil de novo statuerunt quoad pænam vacationis beneficiorum, sed antiquos Canones innovarunt, idcircò cum hoc Concilium loquatur per verba absoluta, inde fit quæcumque beneficia clericorum ob crimen læsæ majestatis humanæ ipso jure vacare; quoniam verba absoluta latam, non ferendam præseferunt sententiam.

12 His non obstant ea, quæ obiicit *Diaz. in d. cap. 119. in fin.*, ubi hujusmodi Concilium inter Concilia Hispanica, seu Toletana non computat, quodque pæna vacationis beneficii expressa in jure non habeatur, unde id, quod ab Episcopis statutum fuit contra Clericos perduelles, tanquam de novo definitum, non quid renovatum censendum est, ut idem Auctor autumat. Sane ex his objectis non relevat primum, quia hic Auctor id asserit absque ulla ratione, & fundamento, immo loquitur contra ipsam praxim, nam qui mentionem faciunt de Conciliis Synodalibus, Provincialibus, & Nationalibus hujus inclytæ Monarchiæ; hoc, de quo agitur, inter Hispanica Concilia adscribunt, *ita testatur Card. de Aguirra de Concil. Hispan. Conc. 16.* Multo minus subsistit secundum, nam licet id literaliter expressum non sit, implicite tamen, & comprehensive id satis eruitur, tum ex rationibus jam relatis, tum & eo fortius ex dicto Concilio Toletano, quod perperam impugnatur *à Diaz.* contra communem Hispanorum sensum.

13 Ampliatur conclusio in Consiliariis Supremi Principis, & Senatoribus Reipublicæ, nam & ipsi pars corporis sunt, & potiuntur omnibus prærogativis Supremo Principi competentibus *l. quisquis Cod. ad leg. Juliam Maestat. Can. si quis 6. quæst. 1.* quod tamen intelligendum est, si odio Principis, odio Senatus Clericus conspiraverit, alioquin privandus erit beneficiis, vel aliter puniendus carcere, aut relegatione, sicuti Civis offendens Consiliarium Principis, aut Senatorem Reipublicæ ex vindicta privata arbitrio Principis non pænis perduellium plectitur *late Aldobrandin. Vot. decisiv. 1. impress. post Remboldt. ubi concordantes*; Consiliarii enim, & Senatores sunt quidem membra honorifica Principatus, seu Reipublicæ, sed vere Principes non sunt, & Principatum uti singuli non repræsentant.

14 Quo vero ad secundum punctum, an scilicet beneficia filiorum vacent ipso jure ob crimen læsæ majestatis humanæ commissum à Patre, idem videtur dicendum *ex d. leg. quisquis* §. *filii Cod. ad leg. Jul. Majest.*, ubi filii statim spoliantur omnibus bonis paternis, & avitis, vita dumtaxat ex clementia Principis reservata, quod speciale est in hoc crimine; Item quia efficiuntur infames, sed infamia privat dignitate, *l. infamia Cod. de Decurion. lib.*10., ergo filius, & respectivè clericus ob crimen rebellionis perperratum à patre ipso jure privatus est, vel privandus beneficiis ecclesiasticis, & eo fortius, si procedamus à pari cum hæresi, pro qua omnia beneficia filiorum statim vacant in odium patris juxta dispositionem juris, de qua supra *in cap.*26. *num* 2. *cum seqq.*

15 His accedit *Text.* planus *in cap. fælicis* §. *quod si quis de pæn. in* 6.. ubi quod ob hujusmodi crimen filii ipso jure privati sunt omnibus beneficiis, officiis, ministeriis, & dignitatibus ecclesiasticis. Sane ob crimen perduellionis vera Principis Majestas læditur *l. quisquis C. ad leg. Jul. Majest.*, è contra per *Text. in cap. fælicis* non Regia, sed Regiæ similis majestas offenditur, ideoque juridica videtur pœna privationis beneficiorum in filiis ob crimen rebellionis Patris contra Supremum Principem.

16 At contra concludendum est, quia iniquum admodum est filios privari beneficiis ex delicto parentum, deinde clericus non afficitur pœnis dictæ legis *quisquis* ex delicto patris, qui contra ejus rempublicam conspiraverat, & in sequelam jurepatronatus hæreditario, seu familiari privandum non esse merito fuit resolutum *apud Rot. decis.*351. *num.*3. *coram*
17 *Coccin.*; Idque verum puto, si Clericus levibus conjecturis, & indiciis impetitus sit, non enim decer ex delicto parentis filium veluti absque culpa beneficiis spoliari *Gloss. in Can. satis perversum distinct.*56. *Romanus singular.*693. *Conciol. resol. crimin. verb. crimen læsæ majestatis resol. unic. num.*14., quod ratio æqui, bonique exigit, præsertim sub Principe pio.

18 Rursus paritas inter hæresim, & crimen læsæ majestatis humanæ non concludit, quoniam juxta æquiorem sententiam ob hæresim patris filius non privatur beneficiis, ergo multo minus spoliandus erit ob crimen rebellionis, cum de jure gravius sit divinam, quam humanam lædere majestatem *cap. vergentis de hæretic. cap. cum secundum eod. tit. in* 6.

19 Denique non relevat *Text. in d. cap. fælicis* §. *quod si quis*, quoniam sæpe legislatores minora crimina variis ex causis majoribus pœnis solent coercere ad refrænandam delinquentium audaciam *Covarruv. var. resol. lib.*2. *cap.*8. *num.*4. *Consalv. de Villavieg. tract. de hæretic. quæst.*3. *num.*2. *versic. præsertim quia interdum*, ultra quam quod ibi agitur de pœna exorbitanti à jure, ideoque tanquam singularis, & nimium dura, ac odiosa, non est ad alios casus similes, vel majores extendenda; Demum *Text. in d. cap. felicis* loquitur de pœna filiorum respectu Patris Ecclesiasticum Principem offendentis, & consequenter non comprehendit filios, seu clericos ob crimen patris, qui contra secularem, & supremum Principem conspiravit.

A D D I T I O.

S V M M A R I V M.

1 Crimen læsæ majestatis humanæ parum differt à crimine læsæ majestatis divinæ, ubi quod ex hoc capite pensio amittitur.

2 Dispositio juris, quæ virtualiter comprehendit beneficia non est extendenda ad pensiones.

3 Clericus ob crimen perduellionis pensione privandus est.

4 Limita in pensione laicali etiam reservata super fructibus beneficiorum intuitu alimentorum.

5 Alimenta sub confiscatione ob hujusmodi crimen non veniunt.

6 Quid si clericus habeat pensionem laicalem concessam à Principe super regiis arrendamentis?

7 Quid in pensione reservata intuitu officii ministro à secretis Supremi Principis?

8 Filius privatur pensione intuitu patris reservata ob delictum ejusdem perpetratum contra Majestatem Regis, ubi rationes.

9 Pensio ob crimen à clerico commissum contra personam Principis Ecclesiastici extinguitur.

10 Appellatione bonorum, & jurium venit pensio.

1 Crimen læsæ majestatis humanæ parum differt ab eo, quo divina læditur majestas, ideoque etiam ex hoc capite pensio ecclesiastica amitritur, prout vacat ipso jure beneficium *l. quisquis C. ad leg. Jul. majest.*
2 *cap. cum secundum de hæretic. in* 6. Verum cum id satis controversum sit in beneficiis, rationi non congruit, ut dispositio juris, quæ virtualiter comprehendit beneficia, extendatur ad pensiones, quæ in rigore beneficia ecclesiastica non sunt *cap. ad audientiam* 2. *de rescript. cap. quamvis de præben. in* 6.

3 Itaque verius censeo clericum perduellem in Principem pensione non esse ipso jure privatum, sed privari posse; Ratio primæ partis est, quia clericus crimen perduellionis proprie non committit, cum Principi subditus non sit *Rolan. cons.*4. *in princ. lib.*1.; Ratio secundæ partis etiam patet, agitur enim de crimine, quod quscumque juris privatione dignissimum est ob reverentiam, & obsequium, quod Supremo Principi debetur.

4 Privari tamen non debet pensione ecclesiastica, seu laicali intuitu alimentorum reser-
5 vata super fructibus beneficiorum; Alimenta enim, ex quo cohærent personæ, & ab ea separari non possunt, sub confiscatione

ob

ob hujusmodi crimen non veniunt *Gig. de crimin. læs majest. quæst. 9. num 5. Surd. de alim. privileg. 19. tit 8. num. 15.*

6 Quid ergo, si clericus habeat pensionem laicalem concessam à Principe super regiis arrendamentis? Respondeo ipso jure extingui, sicuti cessat stipendium militare *l. desertorem ff. de re militar.*

7 Quid, si pensio super fructibus ecclesiasticis reservata sit laico ad tuendum honorificentius officium à secretis regis? Respondeo idem ut supra, quoniam sicuti ex capite hujus criminis minister officio ipso jure privatus est, ita etiam pensione intuitu officii reserva-
8 ta, immo privatus est filius ea pensione, quam contemplatione patris obtinuit, non enim potest filius frui pensione, qua pater ex hoc capite ipso jure privatus esset, si exigeret, *Rot. in Cochen. pensionis relat. per Garz. de benef. par. 11. cap. 10. num. 79. in fin. ibi = & cum pensiones fuerint ferè quatuor mille ducatorum, non quidem pro alimentis, sed ad dignitatem illam tuendam, quam uti intimus regis acquisierat, concessæ quoque dicebantur, unde & æquitas suadebat, & benignitas patiebatur, ut Guindosalvus remitteret id, quod contemplatione Patris delinquentis acquisiverat, in gratiam illius, cujus gravissimè majestatem Pater læserat, & ad dignitatem illam tuendam, qua ob tam grave delictum, immo delicta una cum patre fuerat privatus, ac perpetua infamia notatus reperiebatur* =; Quæ sententia vera est, quoniam jus, quod habet filius, est in patre, in quo & erant merita, ergo jus desinere debet in filio ob demeritum patris majestatem Principis graviter offendentis; Et quamvis filius ex paterno vitio puniri non debeat, hoc tamen procedit in corpore, non autem in pensionibus, & juribus intuitu patris quæsitis, sicuti bonis omnibus paternis ex hoc capite ipso jure privatur vita dumtaxat ex clementia Principis reservata *l. quisquis Cod. ad leg. Jul. Majest. cap. vergentis de hæretic.*

9 E contra, si hoc crimen commissum sit contra personam Principis Ecclesiastici, indistinctè tenendum est pensionem clericalem, sive laicalem ipso jure extingui, quia clericus rebellis est, & uti talis de jure reputatur, & in sequelam pœnis rebellium subiicitur *cap. felicis de pœn. in 6. Can. satis perversum ibique Gloss. & Præpositus num. 4. distinct. 56. Can. si quis 6. quæst. 1. Graff. decis. aurear. par. 2. lib. 2. cap. 19. num. 18.*; & faciunt in materia pensionis *Text. in cap. cum secundum de hæretic. in 6. l. quisquis C. ad leg. Jul. Majest.*, ubi sicuti bona omnia, & jura ipso jure incorporantur fisco, ita vacat, & extin-
10 guitur pensio, quæ venit appellatione bonorum, & jurium *cap. 1. de præben. l. bonorum 1. ff. de verbor. signific. Novar. decis. 233. num. 6.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob crimen falsificationis literarum Apostolicarum *ad ornatum Text. in cap. ad falsariorum de crimine falsi.*

SUMMARIUM.

1 CRimen falsificationis literarum Apostolicarum inter publica delicta connumeratur, & quare.

2 Clericus falsarius tripliciter dicitur quoad vacationem, seu privationem beneficiorum. 3.

4 Falsificare rescriptum gratiæ de jure differt à falsificatione rescripti justitiæ, quod hodie abrogatum est ibidem, ubi de ratione.

5 Clericus falso obtinens per se, vel per alium literas Apostolicas non juvatur in re beneficiaria regula de triennali, aut decennali, ubi ratio.

6 Impetrans beneficium ex hoc capite in possessionem est immittendus, non obstante quacumque præscriptione.

7 Infamis repellitur à dignitatibus ecclesiasticis.

8 Clericus, qui literarum Apostolicarum falsarius non est, tueri se potest regula de triennali, licet literæ Apostolicæ sint falsæ, & multo magis possessione decennali. 9. Declaratur. 10.

11 Clericis falsariis literarum Apostolicarum pœna mortis infligitur.

12 An beneficium ipso jure vacet ex hoc capite, si Papa pœnam mortis commutet in perpetuos carceres, ubi affirmativè resolvitur, & respondetur objectis. 13., ubi quod remissa una pœna, non censetur remissa altera. 14.

15 Quæ sunt impedimenta, tot requiruntur gratiæ.

16 An clericus falsificans gratiosa rescripta, quæ expediuntur à Nunciis, & Legatis de latere, incidat in hanc pœnam, negativè concluditur. 17. 18.

19 Clerici de jure falsificantes supplicationes Papæ beneficiis ipso jure non privantur.

20 Amplia in clerico falsificante decreta Sac. Congregationis Concilii, & Episcoporum, & Regularium, ubi de ratione. 21.

CAPUT XXXIII.



1 Rimen falsificationis literarum Apostolicarum inter publica quoque delicta connumeratur, & quodammodo dicitur crimen læsæ majestatis humanæ, quoniam falsificatio directè tendit in damnum spiritualis Reipublicæ, ac frangit fidem Principis Ecclesiastici, quem summè decet integritas in omnibus actibus, & præsertim in rescriptis gratiosis beneficiorum, dispensationum matrimonialium, & his similium.

2 Tripliciter autem clericus dicitur falsificator literarum Apostolicarum, primo quia ipse falsas literas expedivit, secundo quia scienter per alium falso obtinuit, tertio demum, quia in impetratione nullam quidem culpam habuit, sed inde habita falsitatis notitia usus est literis Apostolicis; In primis duobus casibus beneficia ecclesiastica ipso jure vacant, ita enim falsitatis reus est, qui per seipsum obtinet, sicuti qui per alium literas Apostolicas falsò impetrat *cap. ad falsariorum de crim. fals Speculat. in tit. de crim. fals. Rebuff. de pacif. possess. n. 204. Gregor. Tholosan de benef. cap. 26 n. 12. Lotter. de re benefic. cap. 30. n. 90. lib. 3. de Luc de benef. disc. 75. n. 13.*

3 In tertio verò casu clericus falsò utens literis Apostolicis beneficiis ecclesiasticis privandus est, vel aliter arbitrio Judicis juxta facti qualitatem, & malitiam utentis puniendus; non enim culpa fuit in impetratione, sed potius in executione; quod ratio ipsamet exigit, gravius enim de jure punitur malitia impetrantis, quam utentis negligentia, *ita literaliter deciditur in cap. ad falsariorum de crimin. fals.*

4 Et quamvis de jure aliud sit falsificare rescriptum gratiæ, aliud rescriptum justitiæ, cum falsificans rescriptum justitiæ beneficio privari non debeat, si desistat, neque rescripto utatur *per Text. in cap. accedens de crimin. fals*, hodie tamen contra Clericos falsarios acrius invehitur *Constitutio Innocentii X.* 28. ubi sancitur, quod clerici falsificantes rescripta gratiæ, & justitiæ privantur ipso jure omnibus beneficiis, & consequenter antiquata videtur dispositio *Text. in d. cap. accedens*, ubi distinguebatur inter rescripta justitiæ, & gratiæ; & justa quidem ratione. quia in utroque casu publica fides frangitur, & majestas Principis Ecclesiæ summopere deturpatur.

5 Ex his igitur tuto inferendum est, clericum obtinentem per se, vel per alium falso literas apostolicas non juvari in re beneficiaria regula de triennali, aut decennali, quia malæ fidei possessor est, qui nullo tempore præscribit jus beneficii *cap. si diligenti cap. vigilanti, cap. ult. de præscript.*; *cap. possessor*
6 *de regul. jur. in 6.*; Idcirco impetrans ex hoc
capite beneficium in ejus possessionem procul dubio immittendus est, non obstante quacumque præscriptione; & ratio est, quia Papa super hoc crimine non solet dispensare, & consequenter ex longæva possessione beneficii, revalidatio tituli non potest præsumi ob infamiam juris, & facti à clerico falsario jam contractam; Hæc sane inhabilitas oritur tum ex ipsamet falsificatione literarum apostolicarum, tum etiam ex ipsamet infamia, prout est effectus juris, nam clericus infamis à
7 beneficiis, & dignitatibus ecclesiasticis penitus repellitur *cap. infamibus, ibique Gloss. de regul. jur. in 6. l. 1. C de infamib. lib. 10. l. 2. C. de dignitat. lib. 12.*

8 E contra vero clericus, qui literarum apostolicarum falsarius non est, tueri se potest regula de triennali, licet literæ apostolicæ falsitatis vitio subjaceant, habet enim titulum coloratum, qui sufficit ad præscribendum beneficium *l. Barbarius ff. de offic. Prætor.*;
9 Multoque magis ei suffragatur possessio decennalis, nam per lapsum tanti temporis præsumitur dispensatio Apostolica, quæ ita proviso quodammodo debetur ex regula, quod deceptis subveniendum est, alioquin ex delicto alterius beneficium amitteret, quod ratio æqui, ac boni non patitur *cap. non debet de regul jur. in 6. l. sancimus C. de pæn.*;
10 Hæc tamen intelligenda sunt, si ita provisus bonâ fide beneficium possederit, si enim deinde conscius falsitatis factus sit, ac eisdem utatur literis apostolicis apprehendendo possessionem Ecclesiæ, tanquam malæ fidei possessor nequit præscribere, sed tenetur, vel beneficium dimittere, vel obtinere revalidationem tituli, dummodo tamen dimissio, resignatio, aut tituli revalidatio in fraudem, & præjudicium alterius obtenta non sit *cap. quamvis ibique Gloss. & interpretes de rescript. in 6. l. 2. §. si quis ff. ne quid in loc. publ.*

11 Ultra pœnam vacationis beneficii inflicta quoque est contra clericos falsarios literarum Apostolicarum pœna mortis, quæ vere, & proprie dicitur ordinaria apud criminalistas;
12 Unde dubium oritur, an vacet beneficium ipso jure, si Papa pœnam mortis clerico falsario debitam commutet in perpetuos carceres, triremes, aut relegationem; Punctum hoc tantum non invenio; censerem tamen pœnam vacationis beneficii remissam non esse, quoniam de jure pro uno, eodemque delicto duplex potest infligi pœna, quarum una corporalis sit, temporalis altera *Bald. in l. placet num. 16. C. de sacr. san. Eccl.* ubi dicit, quod pœna spiritualis non tollit temporalem, & è contra; Hic videtur casus, quia contra clericos literarum Apostolicarum falsarios duplex de jure, & apostolicis constitutioni-

bus

bus imposita est pœna, altera vacationis beneficii, quæ temporalis est & similis confiscationi bonorum, altera mortis, quæ corporalis denominatur; Si igitur verum est juxta *Baldi* sententiam, quod una pœna non tollit alteram, verum quoque erit, quod remissio unius pœnæ non infert remissionem alterius, quot enim pœnæ, tot gratiæ requiruntur, & consequenter non obstante, quod Papa ex speciali gratia commutaverit clerico falsario pœnam mortis in carcerem, aut relegationem, possunt beneficia clerici falsarii libere impetrari, seu tanquam vacantia idoneis clericis à Papa conferri *cap. ad Falsariorum ibique Abb.*, *& alii de crimin. fals.*

13 Nec turbat, quod *Baldus* loquatur de duobus diversis judicibus, prout exemplificat ibidem casum in crimine sacrilegii, quod est mixti fori, concludens, quod pœna spiritualis ab episcopo imposita contra sacrilegum non tollit temporalem à judice seculari inferendam, sed hic versamur in uno, eodemque Principe, qui clerico falsario pœnam ordinariam remittit, ergo per remissionem pœnæ ordinariæ, quæ major est, censetur remissa vacatio

14 beneficii, quæ est minor. Respondetur ita quidem *Baldum* loqui, sed tamen eadem militat ratio in Papa, qui pœnam mortis clerico falsario condonavit, nam sicuti Episcopus imponendo pœnam non tollit alteram, ita Papa remittendo corporalem non censetur remisisse temporalem, quod patet argumento confiscationis bonorum, a quo parum differt vacatio beneficii, si enim fiscus bona delinquentis cameræ regiæ jam incorporaverit, non amplius dimittit, etiamsi Princeps pœnam mortis delinquenti remittat, & ratio est, quia effectus confiscationis jam consumatus est, ac proinde pro recuperatione bonorum requiritur nova gratia, ita jus beneficii semel amissum ex hoc capite, amplius non reviviscit, nisi expresse à Papa restituatur *l.1 & 2. C. de senten. pass. Rot. decis.125. per tot. cor. Merlin.* Nec valet argumentum à remissione majoris pœnæ ad remissionem minoris, hoc enim procederet, si una pœna veniret in sequelam alterius, secus quando utraque stat de per se, quoniam tunc una sublata, superest alia, sicuti de duobus impedimentis uno sublato per dispensationem, re-

15 manet aliud juxta axioma, quot impedimenta, tot dispensationes *per Text. in cap. cum pro causa ibique Innoc. num.2. de senten. excommunicat. Can. si quem §. notandum versic. si plura 2. quæst.3. can.1. distinct.5. de pœniten.*

16 Dubitatio non levis oritur, an videlicet clericus falsificans literas, quæ gratiosè à Nunciis, aut legatis de latere expediuntur super beneficiis, dispensationibus, cum similibus, incidat in pœnam privationis beneficii ipso jure; & ratio dubitandi est, quia dispensationes, & provisiones Nunciorum, aut Legatorum dicuntur Apostolicæ, non enim nomine proprio, nec ordinariis facultatibus, sed nomine Papæ, & auctoritate Sedis Apostolicæ dispensant legati impedimentis, & conferunt beneficia ecclesiastica *cap. Abbatem de elect. in 6.*, & consequenter clerici falsificantes literas Nunciorum ipso jure spoliantur beneficiis, quia cum provisiones Nunciorum sint Apostolicæ, subjacent dispositioni *Text. in cap. ad falsariorum de crim. fals.*

17 Sed contra concludendum est, nam *Text. in d. cap. ad falsariorum* expresse loquitur de literis Papæ sub eo personalissimo vocabulo *literis nostris*, ideoque ex clara Legislatoris mente non comprehenduntur sub hac lege literæ nunciorum, aut legatorum, potissimum quia versamur in pœnis, in quibus stricta fieri debet interpretatio, & ita lex pœnalis tantum comprehendit, quantum loquitur, & non ultra, ne alias pœnæ juris extendantur ad alios casus contra prima principia; deinde illud verum est, quod omnes provisiones Papæ sunt apostolicæ, sed non omnes provisiones apostolicæ sunt Papæ, quamvis enim nuncii, seu legati conferant beneficia nomine Papæ, nihilominus collationes sunt ipsorum nunciorum, seu legatorum, non autem Papæ, & qui recipit beneficium, non à Papa, sed à nunciis, seu legatis recepisse omnino dicendum est, habent enim liberam facultatem inter plures concurrentes idoneos conferendi beneficia, quibus velint *l.unum ex familia §.1. ff. de legat.2.*

18 Ulterius majus crimen est falsificare supplicationes signatas à Papa ob injuriam, quæ infertur Principi ecclesiæ, quam falsificare literas nunciorum, qui ministri sunt, non

19 Principes, & tamen certum est, clericos falsificantes supplicationes Papæ jure communi beneficiis ipso jure non privari, nam *Text. in d. cap. ad falsariorum* loquitur de literis, non de supplicationibus, quod non sine ratione ita sancitum est, quoniam supplicatio signata est gratis adhuc informis, nec nomen gratiæ meretur, si inde literæ apostolicæ non expediantur, itaque vis falsificationis quoad effectum vacationis beneficii non consistit in initio, sed in executione literarum apostolicarum, quibus tunc gratia Papæ perficitur.

20 Sicuti falsificare decreta Congregationis Concilii, & Episcoporum, & regularium par est, vel majus crimen, quam falsificare literas nunciorum, nec clericus statim amittit beneficium ex hoc capite, licet extra ordinem puniendus sit, etiam privatione beneficii, si res gravis sit, aut qualitas criminis id exigat, *cap. gravem de excess. prælator.*. Hæc dicta sint in sola ratione dubitandi, ut per rationes oppositas nostra sententia magis firmetur, nam quod de clericis falsificantibus literas Papæ specialiter sancitum est, in aliis falsificationibus censetur consulto omissum, ne pœna locum habeat; & ita exigit auctoritas Papæ, ita expostulat major prærogativa conferentis beneficia, ita decet majestatem Principia ecclesiæ, quæ quidem rationes cessant in aliis inferioribus beneficiorum collatori-

toribus, & judicum literis, seu decretis *Ricciut decis.* 36., ubi testatur resolutum fuisse falsificanti literas Cardinalis vivæ vocis oraculo infligendam non esse pœnam privationis beneficii ipso jure *juxta text. in cap. ad falsariorum de crim. fals.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 FAlsificatio literarum apostolicarum quodammodo est crimen læsæ majestatis humanæ, & quare.

2 Pensio reservata intuitu officii spiritualis ob hujusmodi crimen extinguitur.

3 An pensio mixta ex hoc capite extinguatur, seu potius clericus ea privandus sit.

4 Pensio laicalis segregata à spiritualitate nihil aliud est, quam temporanea præstatio, seu stipendium.

5 Clericus, seu laicus literarum apostolicarum falsarius pensione laicali est privandus, sicuti ejus bona publicantur 6.

7 Limitatur in pensione laicali, seu clericali reservata super beneficiis intuitu alimentorum.

1 FAlsificatio literarum apostolicarum censetur quodammodo crimen læsæ majestatis humanæ, nam indirectè læditur majestas Papæ, & directè frangitur fides publica, quo
2 nil gravius; unde pensio reservata intuitu ministerii spiritualis ob hujusmodi crimen sine dubio extinguitur, quia hujusmodi pensio non est, nisi verum beneficium, quod comprehenditur sub dispositione *Text. in cap. ad falsariorum de crim. fals.*, præsertim si conferatur in titulum, prout alia beneficia ecclesiastica.

3 Si vero agatur de ea, quæ datur intuitu clericatus, seu ut clericus decentius vivere valeat, idem dicendum videtur, quoniam clericus falsarius perpetuo privatur omnibus beneficiis, quorum appellatione, saltem isto modo, venit pensio clericalis *Gloss. in cap. quicumque §. Ad hæc versic. beneficium de hæretic. in 6. Gig. de pension. quæst.* 19. *num.* 2., Deinde clericus degradatur, & uti laicus traditur curiæ seculari puniendus, unde ex defectu clericatus pensio extinguitur, vel saltem ea privandus est, cum clericus sit excommunicatus, ac perpetua infamia notatus *l. infamem ff. de pub. jud.*, ultra quod hodie contra falsarios literarum apostolicarum imponitur pœna mortis, quæ major est privatione beneficii *Farinacc. de falsit. quæst.* 151. *per tot.*

4 Demum de laicali, videlicet de ea, quæ segregata est à spiritualitate, non audeo asserere, quia talis pensio nihil aliud est, quam præstatio temporaria, seu stipendium; at quia clericus, seu laicus falsarius indignus est quocumque ecclesiæ beneficio, ideo hac
5 pensione privandum esse non dubito, sicuti
6 ejus bona de jure communi confiscantur *l.* 1. *§. final. ff. de crim. fals. §. Item lex cornelia Inst. de publ. judic.*

7 Limitatur dumtaxat in pensione laicali, seu clericali reservata super beneficiis contemplatione alimentorum, qua clericus, seu laicus non est privatus, nec est privandus ex hoc capite, quia alimenta sub confiscatione non veniunt *Surd. de alimen. tit.* 8. *privil.* 59. *num.* 15.

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii, & Pensionis ob offensionem Cardinalium *ad ornatum Text. in cap. fœlicis de pœn. in* 6.

SUMMARIUM.

1 PRæeminentiæ Cardinalium.

2 Clerici offendentes Cardinales ipso jure privantur beneficiis, non obstante quacumque præscriptione, ubi quod libere possunt conferri juris ordine non servato 3.

4 Offendens consiliarium Principis dicitur perduellis, item offendens Cardinalem, ibidem in fin.

5 Differentia inter consiliarios supremi Principis. & Cardinales.

6 Ob hujusmodi crimen beneficia ubique vacant, ubi de ratione.

7 Nec distinguendum est inter auctorem facinoris, aut socium. idem in receptatoribus, ubi declaratur.

8 Limita in clerico, qui ratum habuit, quod suo nomine gestum non est.

9 Limita, si clericus sit aggressus.

10 Limita, si promotio Cardinalis erat ignota apud offendentem.

11 Non incurrit excommunicationem, qui ignoranter percutit clericum non incedentem in habitu, & tonsura.

12 Miles non incidit in crimen læsæ majestatis, si casualiter offendat Principem.

13 In omnibus dignitatibus ecclesiasticis, ut quis dicatur qualificatus, requiritur acceptatio.

14 Privatur clericus beneficio offendens Cardinalem, qui dignitati renuncievit, etiamsi renunciatio inde à Papa acceptetur.

15 Ob hujusmodi crimen ipso jure privantur beneficiis filii, & nepotes offendentis.

16 Sed, an hæc pœna sit in praxi recipienda, videtur dubitandum.

17 Nuncii sedis apostolicæ parum differunt à Cardinalibus.

18 Clericus graviter offendens nuncium beneficiis privatus est, vel privandus.

19 Degradatio, quæ tollit exercitium clericatus, aufert etiam beneficia.

CA-

CAPUT XXXIV.

1 Uanta sit in ecclesia Cardinalium præstantia, quisquis non ignorat, præeminent enim quatuor Patriarchis orientalibus, licet contrarium teneat *Abb. in cap. antiqua n.6. de privileg.* Præeminent omnibus Episcopis, Archiepiscopis, & Primatibus ecclesiarum occidentalium, licet inter Archiepiscopum Ebaracensem in Anglia, & Cardinalem id acriter fuerit disputatum, donec ab augenio IV. *in constitutione* 15. favore Cardinalium quæstio decisa remansit, & justa quidem ratione, nam Cardinales sunt consiliarii Papæ, ac interfunt conciftoriis, quæ pro regimine universalis ecclesiæ fieri solent. Demum non cedunt Archiepiscopis, & insimul Electoribus Sacri Romani Imperii, quamvis adhuc sub judice lis sit, cedunt tamen regibus, quia ipsi reges non sunt, sed regibus æquiparantur. Quo igitur major est eorum dignitas, severioribus pœnis plectendi sunt eam graviter offendentes.

2 Quapropter jure optimo fancitum est clericos omnes beneficiatos, ac dignitatum ecclesiasticarum possessores, qui graviter offenderint, percusserint, seu, quod absit, occiderint, aut hostiliter Cardinales fuerint insecuti, ultra perpetuam inhabilitatem beneficiorum qnoad ipsos, & eorum filios usque ad secundam generationem masculinam, aliasque pœnas arbitrio Papæ infligendas pro qualitate criminis, privatos esse ipso jure omnibus beneficiis, dignitatibus, officiis, etiam laicalibus, quæ ipso facto vacare censentur, non obstante quacumque præscriptione triennali, aut decennali, quæ de jure recepta non est ob impossibilitatem obtinendi reititutionem in integrum qunad beneficia jam obtenta, & dispensationem quoad in posterum vacatura, *ita habetur in cap. fælicit, ibique omnes de pæn. in 6.*

3 Nec opus est servare ordinem Judicii, citando possessorem, vel personaliter, vel ad valvas, vel per proclama, multoque minus requiritur sententia declaratoria criminis, quæ in quibusdam casibus proferri debet, cum enim agatur de gravi excessu, fatis est, quod clericus de hoc, vel confessus, vel convictus sit, seu quod notorie constet, ut ille, ad quem spectat collatio, libere beneficium providere valeat *Gloss. in cap. fælicis versic. disponant de pæn. in 6.*; Et ratio hujus fanctionis

4 ea est, quia graviter offendens consiliarium supremi Principis, aut Senatorem Reipublicæ dicitur perduellis, acsi ipsum Principem offendisset, ita qui graviter offenderit Cardinales, utrobique enim Consiliarii, & Senatores, utrobique Cardinales sunt pars corporis ipsiusmet supremi Principis, seu Papæ *l. quisquis C. ad leg. Jul. Majest. ibi = de nece Virorum Illustrium, qui à Consiliis, & Consistorio nostro interfunt Senatorum, nam & ipsi pars corporis nostri sunt =*, quod etiam habetur *in d. cap. fælicis de pen. in 6. can. si quis 6, quæst. 1.*

5 Hoc tamen discrimen est, quod Senatores, aut Consiliarii Principis uti universi, seu collegialiter sumpti Senatum constituunt, ac Principem repræsentant, Cardinales vero, uti singuli habent in ventre Principatum, quod scire valde interest, quoniam conspirans contra vitam Senatoria, aut Consiliarii odio ipsius, non Senatus, aut Principatus, pænis perduellium non subjicitur *ex plene deductis per Aldobrandin. Vot. decis. 1. impress. post Rembold.*; E' converso graviter offendens, vel hostiliter persequens Cardinalem etiam odio ipsius crimen læsæ majestatis committit, ac pænas perduellium incurrit; Non igitur mirum, si ob tantum facinus beneficia ipso jure vacent pro omnibus juris effectibus *cap. fælicis de pæn. in 6.*

6 Nec ubi delictum perpetratum est, ibi tantum beneficia vacant, sed etiam alibi, & ubique existentia, ita pro honore supremi Principis hoc jure utimur, ut quilibet fiscus in suo statu bona, & jura perduellis sibi appropriare valeat *plene Rot. decis. ult per tot. par. 14. recen.*, par ergo ratio est pro Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ, nam eorum jurisdictio universalis est, ac totam complectitur ecclesiam, idcirco talis offensio perpetrata dicitur in eorum diæcesi, provincia, & territorio, quod Cardinales habent cum Papa *l. quisquis C. ad leg. Jul. Majest. cap. fælicis de pæn. in 6. Eugen. IV. constitut. 15. in fin.*

7 Nec distinguendum est quoad pænam privationis beneficii inter auctorem facinoris, aut socium, clericus enim, prout particeps excessus, pari pæna punitur; quod & verum est in receptatoribus, dummodo consanguinei non sint, quoniam sub hoc diffugio diu latent facinora sic delinquentium *Gloss. in cap. fælicis versic. socius, versic. receptaverit de pæn. in 6.*

8 Limita in clerico, qui ratum habuit, quod suo nomine gestum non est, nam, ut quis beneficiis ipso jure privetur ex hoc capite, necesse est, quod suo nomine facinus perpetratum sit, qualque inde ratum habeatur *Gloss. in cap. fælicis versic ratum de pæn. in 6.*

9 Limita insuper, si clericus aggressus sit, quoniam defensio est licita, justa, & necessaria, ac vim vi repellere licet contra omnes personas cujuscumque tituli, qualitatis, præeminentiæ, & gradus; merito sane, quia ubi aggressio est illicita, defensio est permissa *Gloss. in cap. fælicis versic. percusserit. de pæn. in 6.*. At de his fatis, hæc enim sunt certa juris principia, & vix indicantur ex præsuppositione regulæ supra præmissæ in hac mate-

R ria,

ria, in qua raro vacant beneficia ecclesiastica ob offensionem Principum Romanæ Curiæ.

10 Hoc tamen prætereundum non est, quod clericus percutiens, aut graviter offendens Cardinalem nuper creatum non cadit à jure beneficii, si ejus promotio erat ei ignota;
11 sicuti non incurrit excommunicationem, qui ignoranter percutit clericum incedentem
12 absque habitu, & tonsura; Item pœna læsæ majestatis non patitur miles, qui putans occidere hostem, casualiter Principem offenderit, quippe quia ad incurrendam pœnam privationis beneficii requiritur plena scientia qualitatis personæ; Ultra quod in omnibus collationibus beneficiorum, aut promotionibus, quæ fiunt à Papa in Concistorio, ut
13 quis dicatur qualificatus, requiritur dignitatis acceptatio, sine qua actus creationis, seu promotionis non est perfectus *cap. si tibi. absenti de praeben. in 6.*, immo requiritur, ut ita promotus Cardinalium utatur insignibus, sine quibus vir eminens non distinguitur à simplici clerico *ex constit. 1. §. 2. Eugenii IV. ibi = Præsenti constitutione decernimus, & declaramus per hujusmodi pronunciationem sic in secreto concistorio de quibusvis personis hactenus factam, seu in posterum faciendam alicui sic in Cardinalem in præteritum pronunciato, seu in posterum pronunciando nullum jus, seu titulum re, aut nomine acquisitum fuisse, neque aliquem pro Cardinali reputari, donec, & quousque Cardinalatus insignia realiter sint impensa, ibiq. Cherubin.*, & ratio est, quia si clericus scivisset qualitatem viri eminentis, forsan ab offensione abstinuisset, quod sufficit, ne locum habeat pœna juris, nam ignorantia facti, præsertim in pœnis, semper excusat.

14 E' contra autem, qui offenderit Cardinalem, qui dignitati renunciavit, incidit in pœnam privationis beneficii, etiamsi deinde renunciatio à Papa acceptetur, & ratio est, quia sic renuncians semper remanet Cardinalis, donec ejus renunciatio à Papa fuerit admissa *cap. ex transmissa cap. admonet cap. in præsentia in fin. de renunciat.*

15 Demum etiam illud singulare notandum est, quod filii, & nepotes ob hujusmodi crimen ab Avo, seu Patre commissum ipso jure priventur quovis officio, quscumque alia dignitate, etiam Pontificali, sublata quacumque regula de triennali, decennali, & ultra *cap. felicis §. quod si quis de pæn. in 6.*, ad instar criminis læsæ majestatis humanæ, pro quo bona filiorum ob patris crimen ipso jure fisco incorporantur *l. quisquis §. filii C. ad leg. Jul. Majest.*

16 Sed, an hæc pœna quoad filios, & nepotes sit recipienda, videtur dubitandum, & ratio dubitandi ex eo depromitur, quia sicuti ob hæresim patris filii de æquitate non spolientur beneficiis, & officiis ecclesiasticis *ex plene deductis supra in cap. 26.*, ita fortius id in hoc casu dicendum est ex ratione *Text. in cap. vergentis de hæretic.*, ubi quod longe gravius est divinam, quam humanam lædere majestatem, quod absque ulla dubitatione procedit in nepotibus, de quibus non loquitur *Text. in d. leg. quisquis §. filii*, & ita, si Judex essem, rigorem juris in praxi temperandum censerem, quod & ratio suadet, quia nemo ex delicto alterius debet puniri *l. ob crimen ff. de pæn. l. sancimus C. eod. tit.*

17 Denique Nuncii Sedis Apostolicæ parum differunt à Cardinalibus, conferunt enim beneficia ecclesiastica, & amplissimis potiuntur prærogativis ex potestate, quam habent, le-
18 gatorum de latere *cap. 1. de offic. legat. in 6.*. Præterea clericus, qui graviter Nuncium offenderit, beneficiis ecclesiasticis privatus est, vel privandus. Sane clericus hujus criminis reus incidit in crimen læsæ majestatis, violat enim securitatem publicam *l. 1. in princip. ff. ad leg. Jul. Majest.*, & qui violat pacem, dignitate exui debet *can. qui contra 24. quæst. 1.*, imo sicuti laicus pacis violator capite plectitur, ita clericus degradatur *in puncto Roman. conf. 365. num. 1. 2. 3.* degradatio
19 enim, quæ tollit clericatus exercitium, aufert etiam beneficia, quæ sine clericatu retineri non possunt, quod potissimum verum est in degradatione reali, de qua extat *Text. in cap. 2. in fin. de pæn. in 6.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Offensio Cardinalium est crimen læsæ majestatis divinæ, & humanæ.
2 Pensio clericalis, laicalis, & mixta ob hujusmodi crimen extinguitur, ubi idem in Papa.
3 Cardinales potiuntur privilegiis supremo Principi competentibus.

1 Offensio Cardinalium procul dubio est crimen læsæ majestatis divinæ, & humanæ; divinæ, quia sunt primarii Sacerdotes ad regimen universalis ecclesiæ præsignati; humanæ, quia sunt Senatores, & Consiliarii Papæ; ac proinde sicuti vacant officia temporalia, bona, & jura confiscantur, ita
2 in pœnam hujus excessus extinguitur pensio, nulla præmissa distinctione inter pensionem clericalem, laicalem, & mixtam *cap. felicis de pæn. in 6.*, eo modo, quo pensio extinguitur ob offensionem Papæ *l. quisquis C. ad leg jul. majest. cap. eum secundum de hæretic.*
3 *in 6.*, Cardinales enim, uti Senatores ecclesiæ eisdem potiuntur privilegiis, & juribus supremo ejus capiti competentibus *l. quisquis, ibique scribentes C ad leg. jul. majest. cap felicis de pæn. in 6.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob offensionem Episcoporum, & an id locum habeat in Episcopis electis, aut confirmatis, sed nondum consecratis, aliisque Prælatis habentibus jurisdictionem quasi episcopalem *ad ornatum Text.in Clement.1. de pœnis*.

SUMMARIUM.

1 AN Episcopatus sit major Cardinalatu, distinguitur.
2 An Archipræsbyter sit major Archidiacono, distinguitur.
3 Clericus offendens proprium Episcopum ipso jure privatur beneficiis existentibus in Civitate, aut Diœcesi.
4 Clericus offendens proprium Episcopum committit sacrilegium, & crimen læsæ majestatis divinæ, & humanæ.
5 Episcopi in hoc æquiparantur Cardinalibus.
6 An clericus Episcopi suffraganei graviter offendens Archiepiscopum incidat in pœnam privationis beneficii, ubi ratio dubitandi, sed contra concluditur 7.8.
9 Idem similiter de Prælatis inferioribus habentibus jurisdictionem quasi episcopalem, sed contra ibiden n. 10.
11 Pœnæ interficientis Episcopum non habent locum in interficiente Prælatum inferiorem.
12 Electus ad Episcopatum non est proprie Episcopus.
13 Appellatione Episcopi non venit electus, & confirmatus.
14 Clericus offendens Episcopum electum, seu confirmatum non incidit in hanc pœnam.
15 In pœnis non est facienda extensio de persona ad aliam.
16 An clericus incidat in hanc pœnam, si graviter offendat Episcopum, à quo obtinuit beneficium, quod situm est non tam in sua, quam alterius Episcopi Diœcesi, distinguuntur casus 17.18.
19 Filii clericorum offendentium Episcopum beneficiis non privantur, sed tantum inhabiles fiunt.
20 Filii clericorum offendentium Episcopum non possunt in eadem Diœcesi beneficia permutare, etiamsi auctoritas Episcopi intervenerit, imo si permutatio facta sit coram Papa, ubi declaratur.
21 Permutatio facta ab eo, qui est incapax permutandi ex delicto paterno, nullam habet juris firmitatem, & potest annullari, sed uterque compermutans habet regressum ad beneficium.
22 *Clementina 1. de pœnis* non comprehendit beneficium canonice obtentum à filio, & inde permutatum.
23 Clericus capax potest beneficium cum ipso commutatum præscribere, secus incapax, ubi quod beneficium incapacis potest conferri, aut impetrari, ibidem in fin.
24 Clericus incapax ex delicto paterno cautus sit ante impetrationem obtinere tituli revalidationem, si ad suum beneficium regressum habere non possit, ubi quod revalidatio tituli debeatur, & quare?
25 Clericus incapax ex delicto paterno potest permutationem facere cum beneficio alterius Diœcesis, ubi assignatur ratio.

CAPUT XXXV.

1 EPiscopatus jure divino institutus primaria est in ecclesia dignitas, & major Cardinalatu, quod tamen verum est quoad ordinem, & characterem Episcopalem, non autem quoad jurisdictionem, dignitatem, seu officium *Bart. in l.1.num.4. ff. de appellat.* Ita id receptum est in aliis dignitatibus ordinatione Apostolica in ecclesia
2 erectis. Archidiaconus enim major est Archipræsbytero quoad dignitatem, & minor quoad ordinem sacerdotalem *cap.1. de offic. Archidiac. cap.1.ibique omnes de offic. Archipræsbyt.* Præterea sicuti dispositio juris acriter persequitur offendentes Cardinales *ex dictis in cap. antecedenti*, ita æquum est, ut similibus pœnis Episcopalis dignitas propugnetur.
3 Clericus itaque, qui graviter offenderit, percusserit, aut, quod horrendum dictu est, occiderit proprium Episcopum, privatur ipso jure omnibus beneficiis, officiis, præbendis spiritualibus, aut temporalibus, quas in Civitate, aut Diœcesi possidet, vel titulo canonicæ institutionis, vel titulo deputationis ecclesiasticæ, inhabilitatis prorsus ejus filiis usque ad secundam generationem masculinam, ac sublata quacumque spe dispensationis pro assequendis in posterum beneficiis *Clement.1. §. à fœudis de pœn. Gregor. Tholosan. de benefic. cap. 26. num. 10. Rebuff. prax. benefic. tit. de mod. amitten. benefic. num.40.* nam qui sic temerè deliquit, quicum-
4 que ille sit, clericus, aut laicus, committit sacrilegium, & reus est criminis læsæ majestatis divinæ, & humanæ, cum Episcopus in sua Civitate, & Diœcesi sit primus sacerdos, & Principis figuram gerat, prout Pa-
5 pa cum Cardinalibus in tota ecclesia, & in hoc parificatur Episcopus Cardinali, quoniam uterque vocatus est in partem sollicitudinis, sicuti Papa in plenitudinem potestatis *cap. ad honorem de auctoritat.& us. pall.*
6 Quæres, an clericus episcopi suffraganei graviter offendens Archiepiscopum incidat ipso facto in pœnam privationis beneficii? Et videtur quod sic, quia, ubi major est dignitas, ibi quoque major debet esse pœna. Sane sicuti per offensionem Papæ, & Cardinalium ubique vacant beneficia, quia Papa, & Cardinales pro Diœcesi habent totam

 eccle-

ecclesiam, ita per offensionem Archiepiscopi vacant beneficia, quæ extant in Provincia, & per offensionem Primatis vacant ea, quæ extant in Regno, nam Archiepiscopus in subditos suffraganeorum exercet jurisdictionem *cap. Pastoralis* 11. *ibique Innocen. & alii de offic. ordinar.*

7 Sed contra concludendum est, quoniam Archiepiscopus nullam habet jurisdictionem in Civitate, & Diœcesi suorum suffraganeorum *cap.* 1. *de offic. ordinar. in* 6., nisi in certis casibus, videlicet in visitandis ecclesiis totius Provinciæ, convocandis Conciliis Provincialibus, recipiendis appellationibus, *ut notat Quarant. in summ. Bullar. versic. Archiepiscopi auctoritas*; In reliquis Archiepiscopus habet propriam Diœcesim, in qua ordinariam exercet jurisdictionem, & nihil differt ab Episcopo; Omnis enim potestas Archiepiscopi, quæ olim competebat in subditis suorum suffraganeorum, hodie penitus abrogata est *per Text. in cap.* 1. *de offic. ordinar. in* 6. *Abb. & Butr. in cap. Pastoralis eod. tit. in antiqu. Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæst* 22. *num.* 41. *cum seqq.*

8 Verum cessat quævis quæstio, quoniam *Clementin.* 1. *de pæn.* loquitur de proprio Episcopo ibi = *à feudis insuper, & beneficiis, quæ ab ecclesia, cui sic offensus præest Episcopus, obtinet, cadat hoc ipso* = Unde clericus Episcopus suffraganei graviter offendens Archiepiscopum non incurrit pænas Clementinæ, cum Archiepiscopus non sit pastor clerici sic delinquentis, licet privari possit, ut infra patebit.

9 Idem similiter videtur posse dici de Prælatis inferioribus habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem cum Territorio separato, qui parum differunt ab Episcopis, dispensant enim in casibus Episcopo reservatis, publicant indulgentias, exequntur dispensationes matrimoniales *juxta decretum Tridentini*, & demum habent Vicarium in spiritualibus, & temporalibus, qui clericis justitiam administrat, & consequenter clericus graviter offendens proprium Prælatum eo ipso cadit à beneficiis, prout disponitur *in d. Clementina*.

10 Contrarium tamen verius est, quamvis enim Prælatus inferior habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, nihilominus Episcopus non est, quia ad constituendum verum Episcopum utraque requiritur potestas, ordinis nempe, ac jurisdictionis, & una deficiente quis Episcopus non est ad effectum inferendi hanc pænam contra clericum, qui Prælatum suum graviter offenderit *Clementin.* 1., *ibique Gloss in princ. de pæn. Fagnan. in cap. eam te num.* 16. 17. *de rescript. Piton. discept. eccles.*

11 *cap.* 108. *num.* 9. *cum seqq. tom.* 4., ubi quod pæna interficientis Episcopum locum non habent in interficiente Prælatum inferiorem.

12 Denique eadem ratio concurrit in Episcopo electo, nondum tamen confirmato, seu consecrato, proprie enim Episcopus non est, quod & verum est, etiamsi ita electus administret bona temporalia Episcopatus, prout in pluribus ecclesiis electivis consuetudine id receptum est, immo etiam spiritualia ex indulto Apostolico, quoniam ita electo deest potestas ordinis, quæ per consecrationem acquiritur, deest enim potestas jurisdictionis, quæ per confirmationem de jure obtinetur *cap. nosti cap. ex transmissa, ibique Gloss.*

13 *in fin. de election.*; Immo appellatione Episcopi non venit Episcopus electus, & confirmatus, si nondum consecratus sit *Gloss. in cap.* 1. *de religios. dom. ibi = electus in consecratione nomen assumit Episcopi. Aretin. in cap. meminimus num.* 1. *cum plurib. seqq. de*

14 *accusat. & inquisit.* Ergo beneficia clerici graviter offendentis electum, & confirmatum in Episcopum ipso jure non vacant;

15 Et ratio clara est, quia non est facienda in pænis extensio de persona ad aliam *cap. odia de regul. jur. in* 6. *l. factum §. final. ff. eod. l. interpretatione l. respiciendum l. hodie ff. de pæn.*

16 Dubium, & quidem grave in proposita materia potest excitari, an clericus incidat in pænam clementinæ, si temere offendat episcopum, à quo obtinuit beneficium, quod situm est, non tam in sua, quam alterius episcopi diœcesi; Resolutio præsentis dubii pendet à sequenti casuum distinctione, quorum primus est, ubi episcopus habet ex speciali indulto, aut transactione potestatem tantum conferendi beneficia in ea ecclesia, quæ est de diœcesi alterius, hoc casu clericus graviter offendens episcopum collatorem non incidit in pænam privationis beneficii; Non enim episcopus est, qui confert beneficium, sed qui clericum ita delinquentem judicat, & condemnat, & utramque in eum exercet potestatem ordinis, & jurisdictionis. Cum igitur episcopus collator neutram exerceat potestatem contra clericum, qui eum sic graviter offenderat, sequitur beneficia hujus clerici ipso jure non vacare. Sane episcopus sic offensus non exercet potestatem ordinis, quia non est Pastor hujus ecclesiæ, quæ est de alterius episcopi diœcesi, multo minus habet potestatem jurisdictionis, quoniam hæc spectat ad episcopum, cui clericus offendens subiectus est; nec talis potestas inferri potest ex collatione beneficii, quia hæc est jurisdictio voluntaria, non contentiosa, ergo clericus offendens episcopum, qui ipsi contulit beneficium, non incidit in pænam *Clementinæ*, quæ dumtaxat locum habet, ubi offensus est vere & proprie episcopus offendentis.

17 Secundus casus est, ubi inter duos episcopos transactione conventum est, ut ecclesia, de cujus pertinentia inter ipsos concertabatur, sit utriusque diœcesis, & utrisque quidem episcopalis competat jurisdictio, sed alternatim, quod potest fieri, prout practicatur inter duos parochos possidentes domum in confiniis utriusque parochiæ. hoc casu clericus temere offendens episcopum, qui gaudet alternativa, incidit in pænam privationis

nis beneficii, qui enim habet alternativam, vere præest huic ecclesiæ uti episcopus cum potestate ordinis, & jurisdictionis, E' contra vero clericus hujus ecclesiæ injuriose percutiens episcopum, qui tunc temporis alternativa non gaudebat, pœnam *Clementinæ* non incurrit, quoniam episcopus, qui non est turnarius, habetur, acsi esset extraneus pastor, exemplo patroni existentis in turno, qui pro ea vice solus est dominus,& solus collator, nec alii patroni veluti carentes turno ullam vocem habere reputantur, perinde acsi patroni non essent *Rot. decis.* 14. *num.*3. *par.*12. *rec. Vicen. canonicatus* 3. *Februar.* 1702. §. *justitia Varmatien. canonicatus* 2. *Decembris* 1705. §. *cum enim*, *Monasterien. canonicatus* 18. *Martii* 1707. §. *fuit siquidem cor. Scotto*, *Placentina parochialis* 22. *Martii* 1719. §. *substulit coram Cerr. Pistorien. beneficii* 11. *Junii* 1717. §. *consensit coram Herrer. Mediolanen. canonicatus* 13 *Maii* 1718. §. *Etenim in fine cor. R. P. D. Corio.* Ita à pari, privari tamen poterit beneficio ab ordinario loci, cui talis clericus subjectus est, quoniam gravis percussio episcopi etiam non sui, crimen gravissimum est, & hac pœna dignissimum *Decius in cap. At si clerici col.* 2. *de judiciis*; *Aretin. in cap. cum non ab homine col.* 2. *eod tit.*

18 Tertius casus est, ubi duo episcopi exercent in hac ecclesia promiscue jurisdictionem episcopalem sub ea lege, ut unus agere non valeat sine assensu alterius; hoc casu cum uterque sit hujus ecclesiæ Pastor, uterque habeat potestatem episcopalem, & unus conferat beneficia, seu visitet ecclesiam de consensu alterius, clericus iniuriose percutiens unum, vel alium episcopum eo ipso privatur beneficio, quod in hac ecclesia possidet *Clementin.* 1. §. *à feudis de pæn.*

19 Hæc de jure vera sunt quoad clericos graviter offendentes proprium episcopum, at eorum filii, licet beneficiis canonice obtentis non priventur, de jure tamen inhabiles fiunt ad alia beneficia acquirenda, &

20 consequenter in eadem diœcesi nequeunt cum alio permutare beneficia, quia permutatio est nova beneficii assecutio, quæ prohibetur, *ita Gloss. in Clement.* 1. §. *obtinenda*, *ibiq. Vitalin. num.* 50. *de pæn.*; quod verum est, etiamsi episcopi auctoritas intervenerit, episcopus enim in hoc dispensare non potest, etiam in iis casibus, in quibus ex justa causa permutationes admittit *juxta Text. in cap. quæsitam de rer. permutat*; quod extenditur, quamvis permutatio facta sit coram Papa, quia non præsumitur dispensasse impedimento contracto ab uno ex compermutantibus ex de-

21 licto paterno, nisi exprimatur; Ideoque talis permutatio nullam habet juris firmitatem, immo potest, & debet ab episcopo de facto annullari, sed uterque compermutans habet regressum ad suum beneficium, obtenta tamen nova collatione, quæ de æquitate debetur, præsertim si probabilis ignorantia juris eos excuset, nam beneficia permutata vel de jure, vel de facto vacant *Gloss. in cap.* 1, *ibiq. Franch. & Geminian. de rer. permutat. in* 6.

22 Et quamvis videatur, quod ille, qui contraxit inhabilitatem ex delicto patris, sit incapax obtinendi beneficium ex dicta Clementina, nihilominus cum agatur de beneficio proprio, & canonice obtento ante delictum patris, omnis æquitas suadet in hoc casu, ut ad illud debeat omnino reintegrari, non enim hæc est libera, seu voluntaria beneficii assecutio, sed est necessaria, & debita collatio, quæ sub *Clementina* non continetur, ultra quod permutatio est nulla ipso jure, quæ proinde collatione non indiget *cap. non præstat. de regul. jur. in* 6.

23 Quid ergo, si uterque compermutans diu beneficium possederit? Respondeo, quod clericus capax potest beneficium præscribere, quia habet titulum coloratum *l. Barbarius ff. de offic. Prætor. Gloss. in cap. suscitatus versic. servum de rescript. Gloss. in cap. ad probandum versic. innodatus infin. de senten. & re judic.*, eique suffragatur regula de triennali, quæ tuetur quemcumque possessorem cum titulo colorato, è contra clericus incapax ex delicto paterno nullo modo se tueri potest regula de triennali, vel possessione decennali, immo quadragenaria *Clement.* 1. *de pæn*; *ibi: omni spe dispensationis adempta*, Ideoque beneficium incapacis potest ab episcopo conferri, seu impetrari à Papa, & collatio, seu impetratio subsistinetur, quia delictum patris reddit incapacem filium ad obtinendum, & præscribendum beneficium in eadem diœcesi etiam vigore permutationis.

24 Clericus igitur incapax ex delicto paterno ante impetrationem cautus sit obtinere tituli revalidationem, quæ à Dataria non denegabitur, præsertim si ad beneficium, quod suum erat, regressum habere non possit, forte quia per triennium, seu decennium ab alio compermutante pacifice possessum sit, ne alias remaneat privatus obtento, & obtinendo, idest suo, & alterius, quod repugnat.

25 Hæc tamen non procedunt, si incapax ex delicto patris permutaverit beneficium existens in civitate, aut diœcesi episcopi sic offensi cum alio, quod est de jurisdictione alterius, nam talis permutatio valet, dummodo causa justa, & necessaria concurrat in permutatione, cum inhabilitas filii, cujus pater offenderat proprium episcopum, restricta sit ad locum, cui sic offensus præest episcopus, ideoque ad alia loca, quæ sunt de diœcesi alterius, non extenditur *Gloss. in Clement.* 1. *versic. Civitate de pæn. ubi scribentes.*

ADDI-

A D D I T I O.

S U M M A R I U M.

1 CLerici pensionarii graviter offendentes proprium episcopum sunt rei crimine læse majestatis humanæ, & divinæ, ubi de ratione.

2 Pensio clericalis, & mixta ob gravem offensionem episcopi extinguitur.

3 Amplia in pensione laicali.

4 Clericus graviter offendens Prælatum simplicem, seu cum potestate quasi episcopali pensione privandus est.

1 NOn minor est ratio in clericis pensionariis, qui temere offendunt proprios pastores, nam ita delinquentes dicuntur rei criminis læsæ majestatis humanæ, & divinæ, cum episcopus in sua diœcesi gerat figuram Principis, & primi Sacerdotis; Unde prop-
2 terea propter gravem episcopi offensionem pensio clericalis, mixta, immo etiam laicalis ipso jure extinguitur; sane de clericali; & mixta id apud me certum est, quoniam hujusmodi pensiones, vel sunt beneficia, vel cum eis conveniunt, *ut pluries dictum est in*
3 *hoc tractatu*: De laicali vero ne dubitandum quidem est, ut enim clericus eo ipso privatur ex hoc capite omni commodo, quod ab ecclesia obtinet *Clement.1. de pæn.*, ita etiam pensione laicali, quæ nihil aliud est, quam quid temporarium.

4 Quo vero ad alios Prælatos exercentes jurisdictionem quasi episcopalem, ut sunt Abbates, & similes, *Clementina* cessat; unde clericus, qui graviter offenderit Prælatum simplicem, sive habentem jurisdictionem quasi episcopalem, quacumque pensione privandus est, agitur enim de crimine qualificato hac pæna sine dubio puniendo *Aretin. in cap. cum non ab homine column 2. de judic. Dec. in cap. at si clerici num.252. eod. tit, in puncto Gabriel conf.187. per tot. lib.2.*

A R G U M E N T U M.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob assassinium, & an id locum habeat in homicidio qualificato *adornatum Text. in cap.1. de homicid. in 6.*

S U M M A R I U M.

1 POenæ contra laicos, & clericos assassinos, ubi quod contra clericos inducta est ipso jure beneficiorum vacatio.

2 Ampliatur pœna, quamvia mandatum ad occidendum effectum non habuerit, immo etiamsi à mandante fuerit revocatum, dummodo occisio, vel mutilatio secuta sit, ubi ratio primæ, & secundæ partis.

3 *Decius, & Franchus* tenent pœnam privationis locum non habere, nisi in delicto consumato, vel ubi deventum est ad actum occisioni, vel mutilationi proximum, sed contra, ibid.

4 Ampliatur in mandatario, dummodo ad actum occisionia devenerit. ubi differentia inter mandantem, & mandatarium.

5 Mandatarius pœnitentia ductus potest executionem non perficere, ubi casus *Licurgi in Plutarco*.

6 An mandatum ad occidendum differat quoad hoc à mandato de verberando.

7 An mandatum ad occidendum differat quoad hanc pœnam à mandato de mutilando.

8 Ampliatur in mandatario, qui excedens fines mandati, delictum consumavit.

9 Beneficium non vacat ex mandato ad mutilandum, effectu non secuto.

10 An clericus minor ætate ipso jure privetur beneficio, si per mandatarium christianum hominem occiderit, ubi negativa sententia, sed contra concluditur 11.

12 Ubi non imponitur pœna mortis, non est insligenda pœna privationis beneficii.

13 Argumentum à pœnis corporalibus ad pœnas temporales non valet.

14 Pœna ordinaria minorari, aut mutari potest, secus pœna privationis beneficiorum.

15 Assassinium committitur, quando quis de mandato Domini occidit christianum *juxta opinionem Ancharani, & aliorum*.

16 Impugnatur hæc opinio, ubi rationes.

17 In crimine assassinii non parcitur minori viginti quinque annorum quoad pœnam ordinariam.

18 Pœna privationis beneficii non est ordinaria.

19 Beneficia vacantia ex hoc capite possunt libere conferri, aut impetrari absque ulla sententia declaratoria.

20 Sylvester, & alii tenent sententiam declaratoriam requiri. quod declaratur, ibid.

21 Privatus beneficio per sententiam legis tenetur ad fructuum restitutionem à die commissi criminis.

22 Pœna privationis beneficii ipso jure locum habet in mandato ad occidendum christianum, secus infidelem.

23 Collatio beneficiorum ea hoc capite vacantium quandoque spectat ad Papam, quandoque ad Episcopum, ubi explicatur, & distinguitur.

24 Episcopus vi consuetudinis potest conferre etiam in mensibus Papæ beneficia ex hoc capite vacantia, sed contra, ibid.

25 An propter homicidium qualificatum vacent ipso jure beneficia, prima opinio affirmat, secunda negat, quæ verior est 26.

27 Clericus ob homicidium qualificatum traditur quidem curiæ secolari, sed beneficium non vacat.

28 Clericus ob homicidium qualificatum citius privandus est beneficio.

29 Clericus assassinus nil differt ab homicida quoad beneficia obtinenda.

30 Collatio beneficii obtenta à Clerico non substinetur, non facta mentione delicti.

31 Ampliatur, si clericos condemnatus sit à Judice laico.

32 Ex sententia nulla ob defectum jurisdictionis contrahitur infamia facti.

C A P U T XXXVI.



1 Non minus jus civile, quam canonicum laicos, & clericos assassinos ultore ferro persequitur; jure enim civili laicis pœna mortis, & quidem qualificata infligitur, ut ita juxta mensuram delicti, sit & plagarum modus; jure autem canonico ultra similes pœnas, quas criminalistarum judicio relinquimus, contra clericos ipso facto, & absque ulla sententia declaratoria inducitur vacatio beneficiorum, quæ procul dubio gravissima est, ac pœnæ ordinariæ assimilatur *cap.1. ibiq; omnes de homicid in 6.*

2 Hæc autem pœna locum habet, quamvis mandatum ad occidendum effectum non habuerit, immo etiamsi à mandante revocatum fuerit, dummodo tamen occisio, aut mutilatio secuta sit; Et ratio primæ partis est, quia per ipsum mandantem non stetit, quo minus assassinium commissum sit, proindeque pro commisso habetur., quod deliberato animo ex parte mandantis ad actum deductum fuit; Ratio autem secundæ partis in eo consistit, quia mandanti imputandum est, si mandatarius contra ipsius voluntatem mandatum complevit, dum scire poterat hoc fieri potuisse, prout inde factum, & secutum fuit, adeoque assassinium quoad ipsum mandantem jam consumatum censetur; Sufficit ergo quoad primam partem, quod mandatarius acceptaverit mandatum cum promissione pecuniæ &c., & satis quoque est quoad secundam, quod mandatarius non obtemperaverit, utrobique enim clericus reus assassinii dicendus est, utrobique ipso jure privatur beneficiis *cap.1. ibique Gloss. versic. manda-*
3 *verit de homicid. in 6.*, licet *Decius*, *Franchus*, *& alii* teneant pœnam privationis beneficii ipso jure locum non habere, nisi in delicto consumato, vel ubi deventum est ex parte mandatarii ad actum occisioni, vel mutilationi proximum, quod tamen tutum non est, nam sicuti ex solo mandato, & per mandatarium acceptato cum oblatione, vel promissione pecuniæ, delictum dicitur consumatum, ita ipso jure vacant beneficia clerici, qui ad occidendum mandatum dedit *ex plene firmatis per Rot. decis.603. num.5. per tot. par.4. rec. tom.1.*

4 Ampliatur in clerico mandatario, mandans enim, & mandatarius de jure pari pœna puniuntur *l.1. §. dejecisse versic. quoties ff. de vi, & vi armat.*, cum hoc tamen discrimine; quod mandans etiam effectu non secuto, beneficiis, officiis, & dignitatibus ecclesiasticis ipso jure privatur, dummodo tamen oblationem, vel promissionem pecuniæ ex parte ipsius, & acceptationem mandati ex parte alterius intervenisse sufficienter probetur; E contra autem ex parte mandatarii ultra mandati acceptationem pro homine occidendo, requiritur, quod faciat diligentias, de quibus sufficienter constare debet, ut ipso jure beneficio privetur; Et ratio discriminis est, quia mandare nihil aliud præsefert, quam delictum jam consumatum, sed acceptare mandatum id non importat, cum respectu mandatarii mandatum pendeat ab executione *Geminian. in cap.1. num 10. de homicid. in 6. Rot. d. decis.603. par.4. rec.*
5 *tom.1.*; Et propterea ex parte mandatarii non dicitur completum, nisi per executionem, quam potest non perficere pœnitentia ductus, vel potius simulatè acceptare mandatum non ad perficiendum, sed potius ad evitandum delictum beneficio temporis, *ut de Lycurgo testatum reliquit Plutarch.* in ejus vita, qui ad occurrendum impietati uxoris prædefuncti fratris, quæ meditabatur fœtum in utero conceptum perdere, ut Regnum, quod per nuptias cum Lycurgo, deficiente Regis defuncti sobole, sibi spondere præsumpserat, occuparet, ipse inquam Lycurgus simulatè se obtulit, puerum, quem masculum peperisset, enecare, ipsum tum nuper natum, & ad se à matre allatum coram populo, & Principibus adduxit, & ut Regem publicè acclamavit, regio more nutriri curavit.

6 Quæres primo, an mandatum ad occidendum differat quoad hoc à mandato ad verberandum; Respondeo differre, quamvis in utroque casu homicidium secutum sit; Sane in mandato ad occidendum clericus reus est assassinii etiam effectu non secuto, quia assassinium jam consumatum est in mente mandantis, multo magis effectu secuto *ex juribus jam dictis*; At in mandato ad verberandum clericus non est reus pro effectu, de quo agitur, quoniam verberatio expleri potest sine homicidio, ergo homicidium, quod deinde contigit, mandatario, non mandanti imputandum est, & consequenter vacat quidem beneficium ex parte mandatarii, qui vere assassinus est, sed non ex parte mandantis, qui pœnis homicidæ potest tantum puniri, & beneficio privari *cap. ultimo ibiq. Monach. de homicidio in 6.*

7 Quæres secundo, an mandatum ad occidendum quoad hanc pœnam differat à mandato de mutilando, & videtur quod sic, quia clericus per hujusmodi mandatum necem non appetit, prout in mandato ad occidendum, adeoque clericus per mandatum de mutilando beneficium ipso jure non amittit. At ratio non concludit, quoniam mandatum de mutilando est actus, qui regulariter fieri non potest citra mortis periculum, ac proinde mors superventa mandanti imputanda est, acsi mandatum ad occidendum dedisset; Ergo cleri-

clericus in hoc casu privatus est ipso jure be-
neficio, nam id potuit, imo debuit cogitare
l. quoniam multa C. ad leg. jul. de vi public.
vel privat. Canonistæ in cap. ultimo, ibique
Probus ad Monach. num.6. de homicid. in 6.

8 Hæc à fortiori procedunt in mandatario,
qui excedendo fines mandati delictum consu-
mavit; Sane mandans est reus in causa, ipsi-
que imputatur excessus mandatarii; Sed
mandatarius est reus in effectu, acsi ipse pro-
ditor esset, & consequenter clericus manda-
tarius ipso jure amittit beneficium *cap. 1. de*
homicid. in 6.

9 Cæterum effectu non secuto, non vacat
beneficium mandantis, nec mandatarii ex
præciso mandato ad mutilandum; Non man-
dantis, quia homicidium prohibuit; Non
mandatarii, quia non consumavit delictum,
sine quo nunquam habet locum pœna juris,
quod patet, quoniam ex mandato ad muti-
landum effectu non secuto, neuter est assassi-
nus, nec pœnis assassinii potest puniri, ideo-
que neuter privatus est beneficiis, si ambo
clerici sint, & in hoc differt madatum ad oc-
cidendum à mandato de mutilando.

10 Quæstio est de clerico minoris ætatis, an
nempe ipso jure amittat beneficium, si per
mandatarium christianum hominem prodito-
rie occiderit? Quæstio videtur resoluta ex
dispositione legum civilium, quoniam mi-
nor ratione ætatis pœna ordinaria non puni-
tur, sed commutatur in relegationem, exi-
lium, carceres arbitrio judicis; Idcirco
contra clericos ætate minores pœna privatio-
nis beneficii de jure imposita non est, & qua-
tenus imposita esset, de jure est remittenda,
vel commutanda in aliam mitiorem, & cor-
poralem; Ætas enim minorilis vitiorum ple-
na, & consilii infirma, non est capax pœnæ,
quæ contra veros homicidas, & proditores
de jure infligitur *Text. sunt expressi in cap. 1.*
& 2. de delict. puer. l. auxilium §. in deli-
ctis ff. de minor. l. si ex causa §. nunc viden-
dum ff. eod. l. 1. §. impubes ff. ad S. C. Sillan.
l. excipiuntur ff. eod.

11 Sed contra concludendum est, quia jura
civilia loquuntur de laicis minoris ætatis, non
de clericis, quorum causæ secundum jura ca-
nonica adjudicantur; Ultra quod minor in
beneficialibus habetur pro majore, *cap. si*
annum de Judic. in 6. gloss. in cap. ex parte
verb. quamvis minor. versic. si minor de resti-
tut. spoliat.; Ergo beneficia clerici minoris,
ob assassinium ipso jure vacant *cap. 1. de homi-*
cid. in 6.

12 Nec turbat, quod ubi non imponitur pœna
mortis, quæ ordinaria est, non fit de jure infli-
genda clericis minoris ætatis pœna privatio-
nis beneficiorum, quæ similis est ordinariæ,
13 & ordinaria appellatur. Respondetur non
valere argumentum à pœnis corporalibus ad
pœnas temporales, stat enim bene simul,
quod de jure civili, & multo magis canoni-
co pœna ordinaria, & corporalis clericis mi-
noribus remittatur, & tamen ob hujusmodi
crimen beneficia ipso jure vacent, & ita res
se habet, quoniam utroque jure pœna ordi-
naria contra clericos ætate minores locum
non habet ex juribus jam dictis, secus ubi
agitur de pœna privationis beneficii, & ratio
clara est, nam effectu non secuto mandans
pœna mortis non punitur *Cortiad. decis. 101.*
num. 12., sed tamen beneficiis ipso jure pri-
14 vatus est, & ideo pœna ordinaria potest mi-
norari, aut mutari, sed pœna privationis
beneficiorum, cum in jure certa sit, minora-
ri, aut commutari non potest *Rot. d. dec. 603.*
in fin. par. 4. rec. tom. 1.

15 Nec iterum objiciatur, quod tunc vere
assassinium committatur, quando quis de man-
dato Domini Christianum occidit, quoniam
qui ex hujusmodi mandato alium occidebat,
vocabatur servus, seu nutritius, qui crede-
bat se posse salvari *ita Gloss. in cap. 1. de homi-*
cid. in 6. in addition., *ubi ponit casum*, seu
quando datur mandatum infideli ad occiden-
dum christianum *juxta opinionem Archidiac.*
num. 2. Jo. Andr. num. 10. & Ancharan. in 8.
notabili hujus Text., inferendo ex hoc, quod
si clericus major etate assassinus non est ex
mandato dato personæ extraneæ ad occiden-
dum, multo minus talis dicendus erit clericus
16 minoris ætatis. Quandoquidem opinionem
Archidiaconi, & aliorum in hoc sensu ita stri-
cto, & rigoroso non admittimus, quippe
quia praxis est assassinos eos omnes esse, qui
per pecuniam mandant hominem christianum
occidi, & mandatarios, qui spe præmii alle-
cti vere Christianos occidunt, nulla habita
distinctione inter Dominum mandantem, &
servum mandatarium, inter mandatarium
christianum, vel infidelem, inter clericum
majoris, vel minoris ætatis, & in sequelam
hi omnes tanquam assassini comprehenduntur
sub dispositione Textus, qui indistincte, &
generaliter loquitur *juxta veriorem senten-*
tiam, de qua Gloss. in d. cap. 1. versic. additio
in fine de homicid. in 6. Gabriel. de maleficiis
concl. 1. num. 18. Paris. cons. 166. num. 3. lib. 4.
Alexander. cons. 165. num. 1. & 3. lib. 7. d. de-
cis. 603. num. 4. par. 4. recen. tom. 1.

17 Additur, quod in crimine assassinii quoad
pœnam ordinariam non parcitur minori vigin-
tiquinque annorum, nec habet locum *Text.*
in l. auxilium §. in delictis ff. de minor. ut re-
fert. Porr. fasciculus rer. criminal. § assassi-
nium versic. minori annis Cortiad. decis. 95.
num. 35., multo igitur minus habendus est
respectus ad minorilem ætatem clerici quoad
privationem, seu vacationem beneficii, cum
18 hæc pœna vere ordinaria non sit, sed tantum
similis denominative, & lato modo; Unde
propterea ob hujusmodi crimen indistincte
19 vacant ipso jure beneficia, & tanquam va-
cantia possunt ab eo, cui id de jure compe-
tit, libere conferri absque ulla sententia
declaratoria criminis, nec citato possessore
ecclesiæ, aut præbendæ sic vacantis *cap. 1.*
ibique Gloss. versic. libere de homicid. in 6.
cap. licet de præben. in 6. cap. fœlicis, ibiq.
Gloss. vers. disponant de pœn. in 6.

20 Et quamvis *Sylvester in §. Assassinus*,

Suarez.

Suarez de legib. lib.5. cap.8. num.15. teneant requiri sententiam declaratoriam criminis, nihilominus id potest admitti in foro conscientiæ, ut interim non secuta declaratoria possit clericus retinere beneficium, lex enim pœnalis in hoc judicio non ita rigorose obligat, prout in foro externo, in quo privatus beneficio per sententiam legis potest constrin-
21 gi ad restitutionem fructuum à die commissi criminis *Gloss.* quæ non est alibi *secundum Bald. in auth de incest. nupt. § Imminere per totum in fine Felin. in cap de quarta num.33. de præscriptionibus Gonzal. ad regul.8. cancellariæ Gloss.15. num.150. Azzor. tract. moral.tract 2. lib.7 cap.17. quæst 2. effect.2. Vela de pœnis delictor. cap.15. quæst 74. Garz. de benefic. part.11. cap.10 num 54. Lotter. de re beneficiar. lib.3. quæst.33. num 70. ad.78. Pignatell. consult 88. num 122. tom.9 Navarr. conf.41. de homicid. conf 69. conf.97. n.1. de Simon. conf.14. per tot. de cleric.excommunic.*

22 Declaratur tamen, quod d. pœna privationis ipso jure locum habet dumtaxat in mandato ad occidendum christianum, secus vero, si ageretur de occisione personæ infidelis, quia *Text. in d. cap.1.* requirit hanc qualitatem, quæ propterea debet probari ad pœnam subeundam *Felin in cap. ita quorumdam in princ. de judæis Alexand consult.num 3 lib.2.*

23 Collatio autem beneficii ex hoc capite vacantis non semper ad Papam, nec semper ad Episcopum pertinet, sed secundum alternativam, & regulam mensium: siquidem si mandatum ad occidendum à clerico datum sit in mense apostolico, collatio beneficii spectat ad Papam, quamvis effectum habuerit in mense ordinarii, quia in crimine assassinii quoad mandantem dies mandati, non dies executionis attenditur, cum ipsum mandare sit delictum consumare *Gloss. additionalit in cap. 1. de homic d. in 6.*, & *constat ex dictis*, si vero assassinium deinde à clerico commissum sit, dies executionis attenditur respectu vacationis beneficii contra mandatarium, Unde, si executio in mense Papæ facta sit, ad ipsum provisio spectabit *ex regula 8. hodie 9. cancellariæ*, ex qua reservantur Papæ omnia beneficia quomodocumque vacantia, aliter libere conferat ordinarius, nisi præventive beneficium à Papa impetratum sit *cap. dudum de præben. in 6.*

24 Sed, si esset in Diœcesi, in qua situm est beneficium, consuetudo conferendi omnia beneficia, quæ vacarent propter delictum, etiam in mensibus Papæ reservatis, tunc licite posset ordinarius conferre, esto quod delictum in mense apostolico fuisset commissum. *ut docet Gloss. in cap. cum in ecclesiis versic. dictam consuetudinem de præben. in 6.* Hodie autem hæc limitatio tuta non est, cum ex eadem regula mensium, de qua supra, quæcumque consuetudo in contrarium sublata sit, ut ibi, nisi ordinarius habeat indultum conferendi beneficia in mensibus reservatis, prout hoc potiuntur, qui ad supremas ecclesiæ dignitates creantur, & promoventur.

25 Disputant in hac materia canonistæ, an propter homicidium qualificatum vacent ipso jure beneficia ecclesiastica. Prima opinio affirmat, quia atrocitas criminis crescit ex qualitate personæ, sicuti ex solo mandato inest assassinio; differunt sane inter se occidere simplicem civem, & occidere Patrem, aut fratrem, Principis consiliarium, Senatorem reipublicæ, multo magis sacerdotem, Parochum, & similes. Si igitur vacat ipso jure beneficium ob assassinium perpetratum contra simplicem civem, vacabit quoque propter homicidium qualificatum, si non vi legis, saltem ex mente legislatoris, quoniam ubi æqualis criminis atrocitas concurrit, talis præsumitur voluntas conditoris canonis, & sic homicidium ex qualitate superaddita parum differre videtur ab assassinio *tradunt Abb. in cap. at si clerici num 39. in princ. de judiciis Felin. in cap. inquisitionis column.1. in fin. num.5. de accusat.*; Ino homicidium commissum contra sacerdotem dicitur crimen læsæ majestatis divinæ *Gigas de crimin. læs. majestat. lib.1. quæst.2. Boer. in tractat de seditiosis §. Præsupposito etiam num.7 Bolognett. conf.75. per tot.*, ac reputatur sacrilegium juxta opinionem *Menoch. de arbitrar. cas.389. num.15. centur.4.* Sic quoque occisio Senatoris, seu consiliarii largo modo dicitur crimen læsæ majestatis humanæ, quia uterque gaudet privilegiis supremi Principis *l quisquis C. ad leg. jul. majestat.*; Hæc à fortiori procedunt in parricidio, fratricidio cum similibus, nam qualitas sanguinis exuberare videtur ad inducendam hanc pœnam *ex auctoritatibus jam dictis*.

26 Secunda opinio indistincte negat, quoniam vacatio beneficii ex DD. sententiis, ex canonistarum auctoritate contra clericos reos qualificati criminis induci non potest, sed necessaria est auctoritas Principis habentis potestatem condendi leges; cum igitur in jure de assassinio dumtaxat mentio fiat, nimium exorbitans est pœnam vacationis beneficii ex eo inductam extendi ad homicidium etiam qualificatum *Aretin. in cap. cum non ab homine col.2. num.52. de judic. Dec. in cap. at si clerici num.252. eod tit. Gabriel. conf.196. num.7. lib.1. conf.187. lib 2. Bernard. Diaz. in sua prax. criminali cap.96. tit. de parricidio in fine, ubi dicit hanc esse communem sententiam*; Et ratio evidens est, quia omne assassinium includit homicidium etiam qualificatum, sed non è contra. Porrò casus homicidii qualificati tanquam omissus non cadit sub dispositione *Text. in cap.1 de homicid. in 6.* sed sub aliis juribus, quæ loquuntur de homicidio in genere, *prout habetur in tit. de judic.*, & *tit. de homicid. voluntar.*, & specialiter sub decreto Tridentini *sess.14. cap.7.*, ubi nil cavetur de vacatione beneficii ex homicidio simpliciter sumpto.

27 Et quamvis clericus ob homicidium qualificatum tradi soleat curiæ seculari *ex deductis per Spad. conf.110. per tot. lib.1.*, nihil tamen ex hoc inferri potest ad vacationem

28 beneficii, id enim jure cautum non est; verum qualitas criminis hunc parit effectum, ut clericus durius puniendus sit, nam sicut gravius delinquit, qui voluntarie occidit consiliarium Principis, Senatorem Reipublicæ, & Gubernatorem Regni, eoque magis, qui occidit Patrem, fratrem, aut sacerdotem, ita facilius, & citius beneficiis spoliandus est *cap. cum non ab homine de jud. Gabriel Leonf.* 187. *in fin lib.* 2.

29 Hæc vera sunt quoad obtenta beneficia, sed quoad obtinenda nil differt clericus assassinus ab homicida simplici, seu qualificato; uterque enim indignus est, uterque incapax be-
30 neficiorum; unde propterea merito *per Sacram Rotam* resolutum fuit collationem beneficii à simplici homicida obtentam in curia non substineri, non facta mentione delicti, idque ex duplici ratione, altera ex defectu voluntatis Papæ, qui si qualitatem delicti scivisset, forsan, vel saltem difficilius gratiam concessisset *cap super literis de rescript.*, altera ex capite contractæ irregularitatis, quæ perpetuo clericum reddit inhabilem, & indignum ordine, & beneficiis *ex Tridentin. sess.* 14. *cap.* 7. *in puncto Rot. in Turritana canonicatus* 19. *Junii* 1724. *cor. Eminentissimo Aldrovando*.

31 Quod fortius procedit, si clericus Inquisitus à judice condemnatus fuisset *Rot. in Turritana Parochialis* 20. *Januarii* 1727. §. *Ceterum coram R. P. D. Ratto*, & 10. *Decembris* 1727. §. *Final. cor. Eminentissimo Cincio*, immo pro hujusmodi effectu sufficit sententia
32 nulla ex defectu jurisdictionis, quippe quia per hujusmodi sententiam contrahitur infamia facti, quæ penitus reijcit clericum à beneficiis *Decius in cap. at si clerici num.* 118. *de judic. ibi = unde videmus. quod ex processu nullo, infamia facti irrogatur = Gloss. in l.* 2. *Cod. de dignit. lib.* 11. *ibi = Et hoc est valde notabile, quod infamia facti, sive per sententiam, sive alias illata repellit a dignitate Azzon. in summa ex quib. caus. infamia irrogetur*, quod est notandum.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Pensio extinguitur ob assassinium.
2 Amplia in pensione laicali.
3 Appellatione bonorum venit pensio laicalis.
4 An clericus ob simplex homicidium ipso jure privetur pensione, affirmative resolvitur ex Tridentino.
5 Verbum *omni beneficio* etiam pensionem comprehendit.
6 Contrarium resolvit *Sacra Congregatio Concilii* ubi declaratur 7.

1 Clericus ob assassinium, de quo tamen probabilibus constare debet argumentis, habetur pro deposito ab ordinibus, ac pro publice diffidato etiam absque ulla sententia declaratoria *cap.* 1. *in fin. de homicid. in* 6., ideoque merito inferri potest pensionem clericalem ob assassinium ipso jure vacare & extingui, quoniam clericus depositus caret statim exercitio ordinum, sine quo pensio non potest subsistere, & uti diffidatus non differt a laico, qui potest impune offendi.

2 Amplia in pensione laicali, nam indignus est fructibus ecclesiasticis, qui tam atrox crimen ausus fuit perpetrare, unde clericus statim privatus remanet, deinde ob assassinium, ultra pœnam privationis beneficiorum, incurritur etiam ipso jure altera privationis omnium bonorum temporalium *ex d. cap.* 1. *in fin. de homicid. in* 6., pensio enim
3 laicalis venit appellatione bonorum *l. bonorum* 1. *ff. de verbor. significat. cap.* 1. *de præben.*

4 Quæstio est, an clericus per homicidium voluntarium ipso jure privetur pensione clericali; affirmandum videtur *ex Tridentino sess.* 14. *cap.* 7., ubi decernitur, quod voluntarius homicida omni careat beneficio, quod
5 quidem verbum *omni*, cum sit universale, etiam pensionem, quæ lato modo venit appellatione beneficii, comprehendit *Gigas de pension. quæst.* 28. & *quæst* 86. *utrobique n.* 2.

6 Placuit nihilominus super hoc puncto Sacræ Congregationi Concilii edere declarationem, ut Tridentinum loquens de beneficio, non extendatur ad pensionem *ita habetur in Januen.* 13. *Februarii* 1639., & *in Novarien.* 24. *Aprilis* 1655. *Barbos. ad Concilium d. cap.* 7. *num.* 7. *Suarez disput.* 44. *section.* 3. *num.* 34. *lib.* 5., quæ sane declaratio licet ratione non careat, cum in pœnis non debeat fieri extensio de uno casu ad alium, dura tamen mihi semper visa est ex decreto Tridentini mox relato, ac proinde eam dumtaxat
7 admittendam censerem in pensionibus intuitu servitii jam præstiti, alimentorum, paupertatis, seu in stipendium reservatis, non autem in aliis habentibus aliquod ministerium spirituale, quoniam istæ pensiones ratione oneris spiritualis nil differunt à beneficio ecclesiastico, quod datur propter officium *cap final. de rescript. in* 6., & *alibi sæpè*. Hæc dicta sint in sola ratione dubitandi, nihil super hoc puncto firmando, reverenter enim amplector declarationes Eminentissimorum Cardinalium Sacræ Congregationis Concilii interpretum, nec à communi DD. sententia, de qua supra, licet mihi recedere, ne videar, aut sim in hac opinione singularis.

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob homicidium perpetratum à Patrono contra Rectorem, Canonicos, Beneficiatos, & Clericos Ecclesiæ Patronalis, & an id locum habeat in casu opposito, & quid si à Canonico committatur contra Concanonicum ejusdem Ecclesiæ *adornatum Text. in cap. in quibusdam §. cum igitur de pæn.*

SUMMARIUM.

1 PAtroni quandoque conspirarunt in necem Pastorum, & Clericorum Ecclesiæ Patronalis.

2 Patroni tenentur defendere Pastores, & Ministros Ecclesiæ Patronalis.

3 Patronus ob occisionem, seu mutilationem Pastoris, seu Ministrorum Ecclesiæ ipso jure privatur Jurepatronatus.

4 Feudatarius non servans fidelitatem Domino ipso jure privatur feudo.

5 Juspatronatus ob hujusmodi crimen libere redit ad ecclesiam cum facultate conferendi beneficia, ubi tamen distinguitur inter Papam, & Episcopum.

6 Donatarius causa ingratitudinis privatur re donata.

7 Patronus quoad fundationem ecclesiæ dicitur donans, sed quoad jus præsentandi dicitur donatarius, quod explicatur ibidem.

8 Ampliatur pæna, si patronus ita deliquerit contra alium clericum ecclesiæ patronalis.

9 Ampliatur ad juspatronatus competens ex privilegio.

10 Ampliatur ad juspatronatus competens pluribus uti singulis, vel pluribus collegialiter sumptis, ubi declaratur, & infra 13.

11 Limitatur in jurepatronatus familiari, vel gentilitio.

12 Limitatur in jurepatronatus mixto.

14 Ampliatur conclusio, si Canonicus Concanonicum occiderit, vel mutilaverit.

15 Ampliatur in clerico parochiano occidente, seu mutilante parochum ecclesiæ, in qua possidet cappellaniam, seu beneficium, idem in quolibet clerico extraneo, ibidem.

16 Ampliatur in vicario occidente præpositum, cujus dignitati vicaria unita est.

17 Præpositus occidens vicarium privatur ipso jure vicaria, seu jure præsentandi.

18 Præpositus occidens vicarium præpositure privandus est.

19 Coadjutor ipso jure privatur officio coadjutoris, si occidat, vel mutilet coadjutum.

20 Substitutus interficiens instituum jus substitutionis amittit.

21 An beneficiatus propter homicidium patroni ecclesiæ ipso jure amittat beneficium, ubi fundamenta pro patrono, sed contra concluditur 22., etiamsi patronus esset præbendatus.

23 Beneficiatus ex hoc capite citius privandus est beneficio.

24 Filii Patroni occidentis Rectorem Ecclesiæ patronalis redduntur inhabiles ad assequenda beneficia, & Prælaturas Religionis usque ad quartam generationem.

CAPUT XXXVII.

1 PAtroni ecclesiarum olim in tantam se erexerunt audaciam, & in tantam proruperunt insolentiam, ut in necem Pastorum, & canonicorum, quos ipsi vel instituerunt, vel ordinario loci instituendos præsentarunt, temere ausi fuerint conspirare, quod quam sit inhumanum, & alienum ab omni ratione naturali, canonica,
2 & civili omnibus innotescit; ideo enim Patroni dicuntur, quia pastorem, canonicos, beneficiatos, & ministros ecclesiæ patronalis defendere tenentur *can. filiis 16. quæst. ult.*

3 Præterea si quis per se, aut per alios eum, qui præest ecclesiæ, aliosque ministros ausu nefario occidere, aut mutilare præsumpserit, si Patronus sit, juspatronatus, si vicedominus, vicedominatum, si advocatus, advocatiam prorsus amittat, non enim rationi congruit, ut ea, quæ ad defensionis subsidium inventa sunt, ad depressionis dispendium retorqueantur *cap. in quibusdam §. cum igitur, ibique Abb. num.6. Ancharan. n.5. de pæn. Gabriel. cons.196. num.6. lib.1.*

4 Casus est in materia feudali, nam feudatarius non servans fidelitatem Domino, ipso jure privatur feudo, quod libere revertitur ad Dominum *cap.1. ubi feudistæ quemadmodum feudum amittatur*; ita juspatronatus, administratio ecclesiastica, vicedominatus, & his similia ob hujusmodi crimen libere re-
5 deunt ad ecclesiam cum plena facultate conferendi aliis clericis idoneis juxta dispositionem juris, & secundum distinctionem, quam in capite antecedenti attulimus inter Papam & Ordinarium, nam si homicidium rectoris ecclesiæ patronalis commissum sit à patrono in mense Apostolico, provisio ecclesiæ spectat ad Papam, alias competit episcopo, vel capitulo juxta regulam mensium, vel concordata *Rot. in Virdunen. Canonicatus 6. Martii 1595., & 19. Junii d. anni coram Pamphilio*, quas decisiones per extensum refert *Garz. de benefic. par.5. cap.3. num 43.*; nisi tamen Papa prævenerit, prius beneficium sic vacans conferendo *cap. dudum de præben. in 6.*

6 Similis quoque casus est *in cap. ult. de donat. & l. ultim. cod. de revocand. donat.*

ubi habetur donationem ex causa ingratitudinis donatarii erga donantem ipso jure revocari, quæ quidem jura valde congruunt casui de quo agitur, quoniam patronus quoad
7 erectionem, seu fundationem ecclesiæ dicitur donans, sed quoad Jus præsentandi dicitur donatarius. Primo casu dicitur donans, quia ecclesiam fundat, & erigit de propriis redditibus congruam dotem assignando, tum pro ecclesia patronali, tum etiam pro pastore, canonicis, & ministris eidem sedulo inservientibus; Secundo casu dicitur donatarius, quia ecclesia vi dotationis, & fundationis patrono, ejusque successoribus jus præsentandi reservat *cap. nobis de jurepatr. can piæ mentis, Canon. Frigentius 7. quæst.1.*; Porro patronus ob necem pastoris ecclesiæ jus præsentandi statim amittit, sicuti ob donatarii ingratitudinem donatio ipso jure revocatur *cap. ult. ibique gloss. de donat. l. ultim. Cod. de revocan. donation.*, & ratio est, quia non minus ingratus est ecclesiæ patronus ob occisionem, seu mutilationem rectoris, quam donatarius ob injuriam donanti irrogatam.

8 Similiter id verum est, si patronus ita deliquerit contra alium clericum ecclesiæ patronalis *cap. in quibusdam de pæn. ibi = rectorem, vel clericum alium ipsius ecclesiæ*; Nec appellatione clerici veniunt solum ii, qui ecclesiasticis officiis destinati sunt per primam tonsuram, verum etiam omnes alii, qui per ordines ecclesiasticos eidem ecclesiæ inserviunt, ut sunt canonici, portionarii, beneficiati, sacerdotes, & præsbyteri, omnes enim hi appellatione clericorum continentur *canon. duo sunt 12. quæst.1.*

9 Fortius, si juspatronatus competat ex privilegio Apostolico, si enim patronus ob hujusmodi delictum prorsus amittit juspatronatus, quod ei debetur ex rigorosa justitia, multo magis statim privabitur, si competat ex gratia Apostolica; Ultra quod *Textus in d. cap. in quibusdam* loquitur indistincte, ac per consequens de quocumque jurepatronatus debet interpretari.

10 Nilque refert, an Juspatronatus debeatur pluribus uti singulis, vel pluribus collegialiter sumptis, cum hoc tamen discrimine, quod, ubi competit pluribus uti singulis, omnes statim privantur, si omnes contra rectorem, vel clericum ecclesiæ ita deliquerint, alioquin, si unus, vel duo tantum facinus ausi fuerint perpetrare, pro his duabus unciis, seu vocibus juspatronatus libere transit ad ecclesiam cum facultate præsentandi, dummotamen Juspatronatus sit hæreditarium, prout in dubio præsumitur *ex Clement. plures de ju-*
11 *repatronatus*, secus si familiare sit, aut gentilium, tunc enim transit ad descendentes ex providentia Fundatoris *l. familiaria ff. de religios. & sumptibus Funerum L. Jus sepulchri cod. eod. titulo, Tondut. quæst. benefic. cap.73. num.6. & 16. 17. Rot. decis. 602. num.5. par.19. recen.*

12 Quod & verum est, si Juspatronatus mixtum sit, & ratio est, quia dispositio Juris loquitur de Jurepatronatus hæreditario, *ita habetur in d. Cap. in quibusdam ibi -- Nihil ad hæredes perveniat*, ideoque ad hæredes, & Agnatos simul pæna Juris non extenditur ex recepta conclusione, quod in materia pænali, præjudiciali, & rigorose interpretanda mixtum sub simplici non continetur *latè Gonzalez ad regul.8. Cancellariæ Gloss.9. num.20. Surd. decis.174. num.14.*

13 Si vero Juspatronatus competat pluribus uti Collegialiter sumptis, dubium non est eos Jure præsentandi prorsus privari, si omnes, seu major pars Capituli, Collegii, & Universitatis in necem Rectoris Ecclesiæ Patronalis conspiraverint *Cap. in quibusdam de pæn. Ancharan. cons. 158. num. 11.* secus est, si unus de Capitulo, Collegio, seu Universitate crimen hoc perpetrasset, quoniam Juspatronatus competit Capitulo uti Corpus repræsentanti, non singulis de Capitulo, adeoque delictum unius aliis non præjudicat *cap. non debet de regul. jur. in 6. l. si quis suo 33. ibique Gloss. in versic. nota Cod. de inoffic. testam. l. paterfamilias ff. de hæredibus instituendis, Ancharan. d. cons.158. num.11.*

14 Ampliatur conclusio, si canonicus concanonicum, si beneficiatus conbeneficiatum, si clericus alium ejusdem ecclesiæ clericum occiderit, aut mutilaverit, indignus enim est possidere canonicatum, præbendam, aut portionem, sive etiam stipendium ecclesiasticum, qui in ecclesia ita deliquit, ad instar homicidæ, qui propter delictum in ecclesia commissum non gaudet privilegio immunitatis respectu ejusdem ecclesiæ, in qua deliquit *cap. ult. de immunit. eccles. Gloss. in cap 1. in fin. de homicidio voluntario*; Quod ideo sacris legibus statutum est, quia propter emulationes, & odia privata canonicorum, & beneficiatorum hæc facinora interdum contigerunt *cap. in quibusdam §. cum igitur Rot. in d. Virdunen. canonicatus 6. Martii 1595. & 19. Junii ejusdem anni coram Pamphilio*, ubi habetur, quod propter homicidium perpetratum à canonico contra alium concanonicum, canonicatus statim vacat.

15 Ampliatur quoque in Clerico Parochiano, qui ob homicidium commissum contra Parochum ipso jure amittit cappellaniam, seu beneficium, quod in eadem Ecclesia Parochiali possidebat *Gabriel. cons.196. lib.1.*, immo hæc pæna locum habet in quocumque clerico extraneo, qui ibidem fruatur stipendiis, aut præbendis temporariis, quoniam eadem concurrit ratio ingratitudinis, quæ statim parit vacationem stipendii, & præbendæ *cap. in quibusdam de pæn. cap. ult. de donat. l. ultim. Cod. de revoc. donat.*

16 Ampliatur insuper in Vicario occidente, seu mutilante Præpositum, cujus dignitati annexa est Vicaria; Præpositus enim verè est Pastor Ecclesiæ unitæ cum cura habituali, sicuti præest Vicarius perpetuus cum cura actuali, seu cum exercitio administrandi Ecclesiæ Sacramenta; Deinde, si hoc habet

locum

locum in eo, qui occidit suum conbeneficiatum, multo magis procedit in Vicario, qui Præposito subordinatus est; Demum si clericus occidens alium clericum ejusdem ecclesiæ statim amittit beneficium, multo magis privatus erit Vicarius occidens Præpositum, & hoc propter candem rationem injuriæ illatæ ecclesiæ, cujus Pastorem quis occidit, cum absonum sit, & horrore plenum, quod quis ministret in ea ecclesia, in qua deliquit, & ut memoria tanti sceleris arceatur.

17 E contra Præpositus, si occidat Vicarium,
privabitur ipso Jure Vicaria, seu jurepræsentandi Vicarium, tanquam patronus ho-
18 micida, ut supra, sed Præpositura non vacat, quia non deliquit contra ecclesiam, in qua sita est, privandus tamen est tanquam homicida ex dispositione juris *cap. cum non ab homine de judic. cap. 2. de cleric. pugnant. in duell. Salzed. pract. criminal. cap. 94. per tot. Marcùs decis 398. num. 1. par. 2.*

19 Ampliatur demum in Coadjutore, qui
occidit, vel mutilavit coadjutum, seu alium canonicum, & clericum ecclesiæ, cui ipse inseruit; Si enim beneficiatus pro hoc crimine amittit beneficium, in quo habet jus in re, multo magis coadjutor, qui habet jus ad rem *Gloss. in cap. unic. versic. & hoc est verum de cleric. conjugat. in 6.*; Hæc tamen ratio generalis est, ac tangit omnes clericos, & beneficiatos ecclesiæ, ut supra innuimus, sed quoad coadjutum à coadjutore occisum, seu mutilatum specialis ratio con-
20 currit; Nam substitutus interficiens institutum, & hæredem gravatum jus substitutionis amittit, ne ex propria culpa lucrum sentiat *l. Cicero ff. de pæn. l. si ab hostibus § final. ff. solut. matrim.*, ita à pari, nam coadjutor est substitutus coadjuti, & habet jus in spe super beneficio, sicuti substitutus respectu instituti, seu hæredis gravati super fideicommisso.

21 Dubium quidem grave superest in hac materia non omittendum, an nempe beneficiatus propter homicidium patroni ecclesiæ ipso Jure amittat beneficium? Plura sunt super hoc puncto Jura, quæ patrono favere videntur, nam donatio ipso Jure resolvitur ob ingratitudinem donatarii *cap. ultim. de donat. l. ult. Cod. de revocand. donat.*; Item legatum tacite revocatur propter supervenientes inimicitias inter legantem, & legatarium *l. inimicitiæ ff. de his, quibus ut indignis*, quod pariter constat ex pluribus capitulis in usibus feudorum, Vassallus enim privatur feudo ob ejus ingratitudinem contra dominum *cap. 1. ex quib. caus. feud. amittatur*, imo ob homicidium ejusdem contra dominum temere perpetratum feudo statim spoliatur *cap. 1. quib. mod. feud. amittatur cap. 1. quæ fuit prima causa feudum amittendi, cap. 1. an ille, qui interfecit fratrem &c.* Hæc sine dubio applicari videntur juribus patroni ecclesiæ, nam beneficiatus non tam est donatarius patroni, quam ecclesiæ, cum ab utroque beneficium receperit; Item patronus ecclesiæ talis denominari potest, prout ille, qui respectu domini habet utile dominium; Si igitur donatio, legatum, feudum ipso jure auferuntur ob ingratitudinem donatario, legatario, & feudatario, idem dicendum est de beneficiato, qui assensu patroni beneficium obtinet; Sane patronus plus Juris habet in ecclesia patronali ratione dominii, collationis, aut præsentationis, quam beneficiatus ratione administrationis, & tituli; Unde atrocitas criminis par est respectu beneficiati occidentis patronum, prout patroni conspirantis in necem rectoris ecclesiæ patronalis.

22 Sed contra concludendum est, quoniam
hujusmodi lex canonica edita est favore ecclesiasticorum, seu ministrorum ecclesiæ, in quorum necem patroni quandoque conspirare præsumpserunt, ideoque ad favorem patroni non potest extendi, nec interpretari, quod verum puto, etiamsi patronus esset ex lege fundationis præbendatus ecclesiæ, quod non repugnat *juxta Gloss. in cap. cum M. Ferrariensis versic. receperunt de constitut.*, quippe quia in patrono deest qualitas clerici, aut beneficiati, quæ necessario de jure requiritur, ut ipso jure vacet beneficium ex hoc capite *cap. in quibusdam de pæn.* Verum beneficiatus, qui in necem patroni conspiravit, ci-
23 tius privandus est beneficio *cap. cum non ab homine de Judic. cap. 2. de cleric. pugnant. in duell.* & constat ex dictis *in cap. antecedenti num. 28.*

24 Quod diximus de patrono occidente recto-
rem, seu clericos ecclesiæ patronalis extenditur ad eorum filios, qui propter homicidium perpetratum à patre contra ecclesiæ rectorem, seu beneficiatum, cujus ipse est patronus, redduntur inhabiles usque ad quartam generationem non solum ad beneficia, sed etiam ad clericatum, ac prælaturas religionis, nisi fuerit cum eis ab Episcopo dispensatum *cap. in quibusdam in fin. ibique Gloss. de pæn.*

ADDI-

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 AN pensio ipso jure extinguatur, si clericus titularem ecclesiæ, seu alium, a quo recipit pensionem, occiderit; vel mutilaverit, prima sententia affirmat. 2. secunda negat, quæ verior est. 5.

3 Donatio ob ingratitudinem ipso jure revocetur.

4 Pensio ecclesiastica nihil aliud est, quam donatio obtenta ex dispensatione ecclesiæ.

6 *Textus in cap. in quibusdam de pœnis* pensionem non comprehendit.

7 Differentia inter donationem, quæ à lege revocatur ex causa ingratitudinis, & pensionem clericalem.

8 Clericus occidens Rectorem, seu beneficiatum pensione clericali, quam ab eo exigit, privandus est.

9 Ampliatur, ut clericus, seu laicus ex hoc capite pensione laicali privari debeat.

1 QUæstio superest, an scilicet pensio ipso jure extinguatur, si clericus titularem, seu alium ecclesiæ clericum, à quo recipit pensionem, occiderit, vel mutilave-
2 rit. Affirmant *Abb. in cap. at si clerici n 39. de judic.*, *& Felin. in cap. Inquisitionis columa.1. num.5. de accusat.*, ubi quod propter homicidium qualificatum vacat beneficium, ita à pari in pensione, regulariter enim, ubi vacat beneficium, extinguitur pensio *Gig.de*
3 *pension. quæst.54. per tot.* Deinde concurrit specialis ratio ingratitudinis, quæ sicuti revocat ipso jure donationem *l. ultima C.de revocan. donat*, *cap.ultim. ibique Gloss. de donat.*
4 ita etiam ex hoc capite perimitur pensio, quæ nihil aliud est, quam certa donatio quotæ, seu partis fructuum obtenta ex dispensatione ecclesiæ.
5 Negat *Gabriel. conf.187. num.12. lib.2.*, ubi in fine dicit clericum, qui proprium confessarium occiderit, pensione non esse eo ipso privatum, & ita in Rota obtinuisse testatur;
6 quæ opinio ratione non caret, nam *Text. in d.cap. in quibusdam de pæn.* simpliciter loquitur de beneficiis, nec concurrunt verba, quibus casus pensionis saltem ex mente legis comprehendi valeat ibi = *beneficiati beneficia prorsus amittant* = ideoque pænalis dispositio ad pensionem, quæ beneficium non est, extendi non debet *cap. ad audientiam 2. de rescript. cap. quamvis de præben. in 6.*, *& in terminis pensionis Adden.ad Rot. decis.1. n.9. par 9. rec.*, quæ sententia verior est.
7 Nec obstant jura in contrarium adducta, ideo enim donatio ob ingratitudinem ipso jure resolvitur, quia utroque jure canonico, & civili cautum est; Unde hæc argumenta concludunt in beneficiis, in quibus pœna privationis ob hujusmodi crimen de jure imponitur; Sed in pensione, de qua in Textu nulla fit mentio, nil juvant. Deinde regulariter verum est, quod ubi vacat beneficium, etiam pensio extinguatur, quod *Gigas in dicta quæst.54.* exemplificat in matrimonio, militia, & religiosa professione, ideoque id patitur limitationem in pluribus casibus, de quibus supra disseruimus, & etiam in hoc, in quo agitur de extendenda lege pœnali à bene-
8 ficio ad pensionem. Clericus igitur occidens, seu mutilans rectorem, seu beneficiatum pensione clericali per sententiam Judicis privandus est, quod speciale est in hoc crimine propter indignitatem, & ingratitudinem clerici erga ecclesiam, à qua pensionem exigit.
9 Ampliatur, ut clericus, seu laicus pensione laicali reservata tamen super redditibus ecclesiasticis, privari debeat ex hoc capite ob eandem identitatis rationem; quæ militat in pensione clericali, seu mixta, quoniam ob delictum quia privatur jure suo *Gloss. in l. justitia ff. de justit. & jur.*, *Gloss. in l. auxilium versic. committit ff. de minor.*, ubi quod propter delictum quis beneficium amittit, quod tamen non firmo, quia legem expressam non habeo, & auctoritas mihi deest; Cogitabis.

ARGUMENTUM.

DE privatione Jurispatronatus, & vacatione Beneficiorum, ac Pensionum ipso jure ob indebitam Bonorum, & Jurium Ecclesiæ usurpationem *ad ornatum Tridentini Sess.22. cap.11.*

SUMMARIUM.

1 RES destinatæ in pauperum necessitates ad humanos usus non debent transferri, nec usurpari:

2 Appellatione jurium ecclesiasticorum quid veniat.

3 Patroni usurpantes jura & bona ecclesiarum olim ut sacrilegi damnabantur ad pœnas carceris arbitrio ordinariorum.

4 Patroni ecclesiarum usurpantes ut supra poterant ab ordinariis excommunicari.

5 Hodie patroni usurpatores, & occupatores jurium ecclesiæ ipso facto incurrunt excommunicationem.

6 Patroni temere usurpantes jura ecclesiastica eo ipso privantur jurepatronatus.

7 Am-

7 Ampliatur ad juspatronatus honorificum, ubi declaratur. 8.
9 Non omnis occupatio importat privationem jurispatronatus, sed opus est, ut sit temeraria.
10 Ampliatur, etiamsi patronus ex lege fundationis habeat facultatem capiendi possessionem ecclesiæ propria auctoritate.
11 Ampliatur, etiamsi patrono competant ex lege fundationis fructus ecclesiæ vacantis.
12 Legatarius occupans propria auctoritate possessionem rei legatæ legato privatur, ubi de ratione ibidem in fin.
13 Ampliatur pœna in clerico patrono, qui ultra privationem jurispatronatus, ipso jure spoliatur quibuscumque aliis beneficiis, quæ possunt libere conferri, aut impetrari.
14 Vacationes beneficiorum ob indebitam bonorum alienationem, ob occupationem beneficii, & usurpationem jurium ecclesiæ inter se differunt.
15 Impetrans beneficium ex uno capite non comprehendit beneficium vacans ex alio, nisi adiecta sit clausula quovis modo ibidem 16.

C A P U T XXXVIII.



1 Atio juris expostulat, ut ea, quæ semel Deo dicata sunt, ad humanos usus non transferantur, tantum abest, ut possint temerè occupari, aut usurpari, prout aliquando fit à patronis, feudatariis, vicedominia, & advocatis, immo etiam clericis, quibus de jure commissa est administra-
2 tio, & defensio jurium ecclesiasticorum, quorum appellatione veniunt bona, census, fructus, jurisdictiones, & quæcumque obventiones, quæ tam inter canonicos, beneficia-
toa, & ministros ecclesiæ distribuuntur, quam quæ in pauperum necessitates convertenda sunt, & usibus piis applicanda, ita habetur *in cap. femel. de regul. jur. in 6. Canon. quæ semel* 19 *quæst.*3. *Canon. nulli liceat Canon. prædia* 12. *quæst.*2.
3 Olim patroni, feudatarii, & vicedomini usurpantes jura, & bona ecclesiarum tanquam sacrilegi damnabantur ad pœnas carceris, exilii, seu relegationis *Canon. prædia* 12. *quæst.*2. *Can attendendum* 17. *quæst.*4., aliisque pœnis ecclesiasticis plectebantur arbitrio Ordinariorum, qui modo durius, modo remissius juxta qualitatem criminis contra usurpatores jurium ecclesiæ procedebant. Hodie tamen pœnæ omnes, quas invenit antiquitas, partim arbitrariæ, partim obsoletæ, partim contrario usu abrogatæ sunt;
4 Quinimmo patroni ecclesiarum poterant quidem ab ordinariis locorum excommunicari, sed honoribus, præeminentiis, & jure præsentandi propter hujusmodi usurpationem, & occupationem non privabantur, *ita habetur in cap. in quibusdam in principio de pœn.*
5 Tractu temporis, crescente cupiditate, & avaritia hominum, creverunt pœnæ ecclesiasticæ; Unde ex Bulla Cœnæ contra hos usurpatores, & occupatores imposita fuit excommunicatio ipso facto incurrenda; Neque hoc visum fuit satis, quia experientia rerum magistra compertum est censuras ecclesiasticas ab his penitus contemni; Unde opus fuit temporales superaddere pœnas, ut ita patroni ecclesiarum, sive laici, sive clerici ab his nefariis criminibus prorsus compe-
6 scerentur; Quapropter ex novo decreto Tridentini sancitum fuit patronos omnes, qui bona, & jura ecclesiastica temere usurpare, aut occupare præsumpserint per se, aut per interpositas personas, ultra excommunicationem latæ sententiæ, etiam jurepatronatus eo ipso privatos existere, *ita habetur ex Triden. sess.*22. *cap.*11., *ubi Barbos. n.*13. *Pignatell. consult.*11. *per tot. tom.*7.
7 Idque fortius receptum est in jurepatronatus honorifico, quod regulariter habent Patroni in ecclesiis regularium; Hoc enim per violentam ecclesiæ occupationem statim amittitur, & quidem facilius, quam juspatronatus, de quo supra, & ratio est, quia citius amittuntur honores, qui ab ecclesia singulari privilegio impartiuntur, quam jura, quæ patrono competunt ex rigorosa justi-
8 tia; Hæc tamen vera sunt, si nempe dolo, aut malitia patroni per vim, & arma ecclesia regularis occupata sit, *ita Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium in Januen. jurispatronatus* 1730.
9 Unde non omnis occupatio inducit privationem jurispatronatus *Rot. in Craccovien. Parochialis Kyensis* 4. *Febr.* 1705. *coram Cafarello, confirmata die* 20. *Januarii* 1706. *coram Omanna*, sed requiritur, quod sit illicita, & temeraria, prout sumitur in jure *l.* 2. *ff. de colleg. illic.*, *l. si is contra quem cod. de ædif. privat.*
10 Ampliatur, etiamsi patronus ex lege fundationis haberet facultatem capiendi possessionem ecclesiæ propria auctoritate; Non enim licet patrono manu armata, seu, ut dicitur, more belli, ecclesiam temere occupare, sed potius tenetur auctoritate judicis possessionem ecclesiæ apprehendere, alioquin patronus incidit in pœnas Tridentini; quia rationi non congruit, ut injuriarum occasio inde oriatur, unde jura nascuntur *l. meminerint, l. si quis in tantam C. unde vi cap. qualiter de accusation. Gloss. in l. unica in princip. cod. ne quis in sua caus., ibi = vel jus sibi dicat in exequendo, & latius habetur in dicta Januen.*
11 Ampliatur insuper, etiamsi patrono ex lege fundationis fructus ecclesiæ vacantis reservati sint, quod assensu diæcesani fieri potest *juxta Gloss. in cap. generali versic. fundatione de electiou. in* 6., quoniam facultas percipiendi fructus ecclesiæ vacantis intelligitur prout de jure, ut nempe patronus teneatur eos capere de manu æconomi ad id deputati, ac prævio ordinarii decreto, exem-
12 plo legatarii, cui licet debeantur fructus rei

lega-

legatæ, nihilominus propria auctoritate, & invito hærede, non potest apprehendere rei legatæ possessionem *l. non est dubium, ibique Gloss. & Castren. cod. de legat. Gomez variar. resolut. tom. 1. cap. 11. tit. de legat. num. 10. in fin. versic. ex quibus etiam Dilectus in tractat. de arte testandi rubric. de legat. cautel. 12. in princip.*, ita à fortiori id dicendum est de patrono, qui vi, & armis occupat jura ecclesiæ, expellendo œconomos, & ministros; Nec dispar ratio est assignabilis, nam legatario debentur fructus rei legatæ ex voluntate testatoris, & dispositione legis, patrono ex lege fundationis, & ordinarii assensu; Si igitur legatarius apprehendens propria auctoritate possessionem rei legatæ, statim cadit ab omni jure legati, ita patronus temere, ac violenter usurpans sibi jura ecclesiæ jurepatronatus eo ipso privatus existit *ex Tridentino d. sess. 22. cap. 11. Laucett, decis. 458. n. 2, tom 2.*

13 Ampliatur demum in clerico patrono, qui ultra privationem jurispatronatus spoliatur ex hoc capite omnibus, & quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, & incapax efficitur ad alia obtinenda arbitrio ordinarii *ex Tridentin. sess. 22. cap. 11. in fin.*, *Sacra Congregatio in Neapolitana 24. Januarii 1632.*, & in sequelam hujusmodi beneficia statim vacant, & libere possunt conferri ab ordinario, si vacaverint in suo mense, dummodo tamen reservata non sint, aliter libere impetrantur à Papa, & impetratio de jure subsistit, etiamsi non præcesserit ulla sententia declaratoria, quæ tantum requiritur in executione, ut nempe clericus violenter usurpans jura ecclesiæ possessione beneficii de facto spolietur *cap. licet, ibique Gloss. de præben. in 6. Gloss. in cap. 1. versic. disponant de homicid. in 6.*, *& alibi passim*.

14 Hinc nota triplicem esse beneficiorum vacationem, quæ habent inter se similitudinem; Alia est propter indebitam bonorum ecclesiæ alienationem, alia fit per intrusionem, seu violentam beneficii occupationem, alia demum propter usurpationem bonorum, & jurium ecclesiæ inducitur, & hujusmodi vacationes inter se non debent confundi, quia quævis ex his independenter ab alia juris effectus parit; Et quidem primæ sunt de jure, prout in suis locis disseruimus, hæc vero inventa est à Patribus Tridentini;

15 Unde impetrans beneficium ex capite alienationis non comprehendit vacans ex capite intrusionis, & occupationis beneficii, aut usurpationis jurium ecclesiæ, & è contra, nisi clausula *quovis modo* adjecta sit *cap. susceptum de rescript. in 6. Rot. decis. 212. n. 1, coram Ubaldo*.

16 Hæc obiter dicta sint, ut impetrantes beneficia in Curia sciant unum modum vacationis valde ab alio differre, prout sunt in hoc discreta jura, & præsertim Tridentinum, à quo pœna privationis jurispatronatus contra patronum, & vacationis beneficii contra clericos merito indicta est.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Patronus temere usurpans jura ecclesiastica, seu occupans per vim ecclesiam patronalem pensione privatur, & alimentis, ubi rationes.

2 An clericus patronus propter usurpationem jurium ecclesiæ patronalis ipso facto privetur pensione, quam possidet super eadem ecclesia, duplex est opinio. 3.

4 Limita, si pensionem possideat super alio beneficio.

5 Duplicitas pœnarum in jure repugnat.

1 PAtronus ecclesiæ temere usurpans sibi jura ecclesiastica, seu per vim occupans ecclesiam patronalem, expellendo ministros ecclesiæ, censetur eo ipso privatus pensione, quam sibi reservavit fundator, vel superior ecclesiasticus contemplatione alimentorum, sicuti enim ob hujusmodi crimen jurepatronatus, aliisque juribus honorificis patronus eoipso privatus existit *ex Tridentin. sess. 22. cap. 11.* ita multo magis pensione, & alimentis, *authen. multo magis cod. de Sacrosf. Eccles.*, *Surd. de aliment. tit. 7. quæst. 32. num. 6. 9.* ubi quod præstanda non sunt alimenta patrono, qui contra ecclesiam ingratitudinem commisit.

2 Quæres, an clericus patronus possidens pensionem super beneficio propter usurpationem jurium ejusdem beneficii, eo ipso privetur? & videtur quod sic, *quia Tridentinum in d. cap. 11.* loquitur de privatione quorumcumque beneficiorum, quorum appellatione lato modo venit pensio *Gigas de pens. quæst. 19. n. 2. quæst. 28. & quæst. 86. num. 2.* Deinde clericus patronus temere usurpans jura ecclesiæ fit indignus pensione sibi reservata in eadem ecclesia, imo fit ingratus temere usurpando jura ecclesiastica, ideoque ex hoc capite pensio extinguitur, sicuti ob gratitudinem resolvitur donatio *cap. ultimo, ubique Gloss. de donat. l. ultima cod de revocan. donation.*, Hæc opinio videtur probabilis, & satis fundata ex juribus jam dictis.

3 Mihi tamen magis placet, clericum patronum ob hujusmodi crimen esse privandum, quoniam in rigore pensio non est beneficium ecclesiasticum *Cap. quamvis de preben in 6. Barbos. tract. var. in verb. beneficii appellatione num. 2.* Item quia usurpatio jurium ecclesiasticorum scandalosum crimen est, & hac pœna dignissimum *ex cap. gravem cap. ex litteris de excess. Prælator.*

4 Dixi in eadem ecclesia, nam de pensionibus, quas patronus clericus possidet super aliis beneficiis, & ecclesiis, non improbabiliter judicabis, si dices, non esse ex hoc capite privandum, ut ita clericus patronus in ea tantum ecclesia, in qua deliquit, puniatur, & non ultra, alioquin duplici pœna

5 puniretur, altera privatione jurispatronatus, altera amissione pensionis, quod repugnat, prout alibi dictum est *ex capitulo at si clerici in fin. de judic. l. sanctio legum in fin. ff. de pœnis.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE pœnis Episcoporum, & de privatione Beneficiorum, ac Pensionum ipso jure contra clericos, qui cogunt alios ad dimittenda, seu renuncianda Beneficia *ad ornatum Text. in Clementin. multorum §. quod si inferiores de pœn.*

SUMMARIUM.

1 EPiscopi, aliique Prælati cum potestate episcopali, qui cogunt beneficiatos ad dimittenda, seu renuncianda eorum beneficia per triennium suspensi sunt à perceptione fructuum episcopalium.

2 Clerici cogentes per vim, & metum possessorem ad dimittendum, seu resignandum ejus beneficium, privantur ipso jure beneficiis antea legitime obtentis, ubi de ratione.

3 Ampliatur, si clericus coactus sit renunciare bona intuitu religionis, ubi declaratur 5.

4 Beneficium sub renunciatione bonorum, quæ fit intuitu religionis, continetur.

6 Differentia quoad vacationem inter beneficium clerici cogentis, & beneficium per coactionem resignatum.

7 Patroni, qui clericos capiunt, & captos detinent, ut beneficia resignent, jurepatronatus privati, vel privandi sunt, sed contrà ibidem, ubi quod patroni ipso facto incurrunt excommunicationem.

8 Clericus patronus cogens alium, ut suum beneficium resignet, ipso jure privatur beneficiis, non jurepatronatus.

9 Temperatur conclusio, si clericus coactus sit resignare beneficium ex causa criminis.

10 Temperatur conclusio in officiis temporalibus, seu capellaniis laicalibus, ubi de ratione.

11 Clericus cogens alium resignare beneficium non est inhabilis ad alia obtinenda.

CAPUT XXXIX.

1 Otandum est primo in præsenti capite Episcopos, aliosque Prælatos habentes jurisdictionem quasi episcopalem, qui per se, aut per alios cogunt beneficiatos ad dimittenda, seu resignanda eorum beneficia per triennium suspensos esse à perceptione omnium fructuum episcopalium *Clementin. multorum in principio de pœn.*, unde nihil hic pro piscatoribus Romanæ Curiæ.

2 Notandum secundo canonicos, beneficiatos, & ecclesiasticos omnes, qui per vim, & metum per se, aut per alios cogunt clericos ad dimittenda, vel resignanda beneficia ad eorum, vel aliorum favorem ipso jure incurrere pœnam privationis beneficiorum, de quibus ante erant canonice provisi, quoniam clerici, seu ecclesiastici, qui cogunt, aut malis artibus curant alium beneficio privare, dignum est, ut propriis beneficiis ipso jure spolientur *Clementina multorum §. quod si inferiores de pœnis, ibique Vitalin. aliique Interpretes*.

3 Nilque refert, an clericus coactus sit expresse renunciare beneficium, vel tacite sub bonorum renunciatione, quæ fit intuitu religionis profitendæ; Coactio enim non tam super bonis cadit, quam super beneficio,
4 quod in renunciatione bonorum sine dubio continetur *Fagnan. in cap. statuimus num.* 18. *in fin. de regular, ubi testatur ita fuisse resolutum per Sac. Congregationem Concilii*;
5 Potissimum si deinde clericus sic delinquens, beneficium dimissum ab Ordinario, vel à Papa obtinuerit, quod sufficit, ut locum
6 habeat pœna Clementinæ, cum hac tamen differentia, quod beneficium Clerici sic cogentis vacat de jure, dimissum vero per vim, & coactionem vacat de facto; Primum quidem potest impetrari, nisi obstet triennalis possessio, nam clericus habet titulum coloratum, & potest præscribere, quia non efficitur inhabilis ad idem, vel aliud beneficium obtinendum; Potest etiam impetrari secundum, non obstante possessione decennali, & ratio est, quia resignatio est nulla, & invalida ex defectu consensus *l. qui in carcerem ff. de eo, quod metus causa, cap. Abbas de renunciat. Rot. cor. Bich. decis.* 327. *per tot.*, unde cum possessio vitiosa sit, ultra decennalem, etiam triennalis possessio, & quidem pacifica de jure requiritur, præsertim contra resignantem *Rot. decis.* 411. *in fin. lib.* 2. *coram Puteo decis.* 8. *num.* 1. *coram Cassador. ad regul.* 4. *Cancellariæ*, imo ne id quidem prodest, si resignatarius passus est judiciales molestias à resignante *ex late deductis per Rot. decis.* 395. *num.* 14. *cum seqq. coram Bich.*

7 Et quamvis patroni, qui clericos capiunt, & captos detinent, ut sua beneficia resignent, jurepatronatus privati sint, vel privandi ob eandem rationis identitatem, quæ militat contra ecclesiasticos cogentes ut supra, nihilominus contra patronos cessat hæc pœna, quia *Clementina* loquitur de clericis, non laicis, *ut habetur ibidem in principio*, & clarius *ex cap. sciant cuncti de election. in 6.* ubi patroni spoliantes clericos bonis, & bene-

beneficiis ipso facto incurrunt excommunicationem,

8 Verum id non habet locum in clericis insimul & patronis, qui si cogant, seu procurent per se, aut per alium, ut quis sua resignet beneficia, statim spoliantur beneficiis liberæ collationis, non jurepatronatus, quod eis competit ex fundatione, vel privilegio Apostolico *Clementin. multorum* § *quod si inferiores de pœnis*,

9 Temperatur conclusio primo, ut non procedat, si clericus ex causa criminis, aut scandali coactus fuit resignare, sufficit enim, ut resignatio valeat, quod resignans se inhabilem agnoscat *cap. 1. de renunciat. in 6.*, sufficit conscientia patrati criminis, sufficit clamosa, seu scandalosa diffamatio *cap. nisi cum pridem, ibique Butr. num. 5. de renunciat. Rot. decis. 25. num. 12. coram Cels.*, hoc sane casu non injusta coactio, sed justa causa, qua quis cogitur ad beneficium resignandum, seu dimittendum, attenditur, sicuti metus, quem quis patitur ob propria crimina, renunciationem non rescindit, quia dicitur metus justè incussus *l. 3. §. sed vim ff. de eo, quod metus caus. l. accusationis Cod. eod. tit. d. decis. 25. in fin. cor. Cels*; Ultra quod *Clementina* intelligitur de clerico, qui sine ulla causa cogit alium sibi, vel alii resignare beneficium, seu illud simpliciter dimittere, secus ubi justa causa concurrit, quia qui secundum legem alium spoliat beneficio, pœnam non meretur.

10 Temperatur secundo conclusio in officiis temporalibus, seu cappellaniis laicalibus, quoniam *Clementina*, quæ loquitur de beneficiis, non potest extendi ad ea officia, capellanias, & præbendas, quæ beneficia ecclesiastica non sunt, idque expresse resultat ex dicta *Clementina*, quæ edita est pro ecclesiasticis contra ecclesiasticos, pro clericis contra clericos beneficia possidentes, alioquin comprehenderentur etiam laici in ecclesia præbendati, quod est absurdum,

11 Notandum ultimo, quod clericus cogens alium sibi, vel alii resignare beneficium, non efficitur inhabilis ad alia obtinenda, hoc enim in *Clementina* non cavetur; Item quia inhabilitas incurritur, ubi delictum irrogat infamiam, ut in crimine hæresis, schismatis, falsificationis literarum Apostolicarum, assassinii, & his similium; Sed qui cogit alium resignare beneficium, nullam incurrit infamiam, ac etiam quia *in dicta Clementina multorum* nulla fit mentio de inhabilitate ad alia in posterum assequenda, ergo clericus, qui ita deliquit, potest absque dispensatione alia beneficia obtinere, seu impetrare.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Clericus cogens alium resignare beneficium pensione, quam habet super illo, vel alio beneficio, privatus non est.

2 Pensio in rigore non est beneficium,

3 Clericus cogens, ut supra, pensione non est privandus,

4 Clericus non semper privatur pensione, prout spoliatur beneficiis, ubi exemplificatur,

5 Limitatur, si clericus, qui coegit alium ad sibi resignandum beneficium, habuerit possessionem, contradixerit in judicio, appellaverit, quod late explicatur, ibidem,

1 Ex dictis infero clericum, qui alium coegit ad resignandum beneficium, pensione, quam habet super illo, vel alio beneficio, non esse ipso jure privatum, quia clementina loquitur simpliciter de beneficiis, ideoque non
2 comprehendit pensionem, quæ in rigore beneficium non est *cap. ad audientiam 2. de rescript. cap. quamvis de præben. in 6.*; Deinde clericus ita delinquens non est incapax beneficiorum, quæ in posterum vacare contigerint, *Gloss. in Clementin. multorum ver-*
3 *sic. obtentis de pœnis*, ergo multo minus pensione ex hoc capite privandus erit.

4 Nec semper clericus privatur pensione, prout spoliatur beneficio, ut in simplici homicida, perjuro, & damnato ad perpetuas triremes, ut dicam infra *in cap 1. lib. 2. in additione*, ita à pari,

5 Limitatur, si clericus, qui coegit alium ad sibi resignandum beneficium habuerit ejus possessionem, deinde se opposuerit adversus resignantem petentem beneficii reintegrationem, in judicio de facto pluries contradixerit, temere appellaverit, & demum causam fuerit prosecutus usque ad sententiam, tunc enim evicto beneficio cessat regressus ad pensionem super eodem beneficio favore ipsius reservatam *cap. si beneficia de præben. in 6.*, ubi quod clericus, qui se opponit in causa, & prosequitur judicium super secundo beneficio, non potest amplius redire ad primum, quod contemplatione secundi libere dimiserat, & latius habetur *apud Rot. dec. 585. coram Cerr.*; Ita à pari, pensio enim parum differt à beneficio, cum utrobique detur jus percipiendi fructus ex dispensatione ecclesiæ, optime Gigas *de pens. quæst. 49. num. 8.*, ubi quod pensionarius, qui minus juste impetrat beneficium, super quo pensio ipsi erat reservata, sciens alium habere meliora, & potiora jura, & nihilominus hoc non obstante petiit sibi de illo provideri, tunc pensio dicitur extincta, sicuti qui acquirit proprietatem, quam ad alium spectare sciebat, usumfructum amittit, *l. si tibi fundi ususfructus ff. quemadmodum ususfruct. amitt.*, quæ opinio, licet non careat difficultate, *ut suo loco dictum est*, nihilominus in hoc casu, in quo agitur de vi illata in resignatione beneficii, omnino recipienda videtur, tum quia temere litigans dicitur esse in dolo *l. si quis ff. depositi*, tum etiam quia coactio, seu vis & dolum sapit, & delictum præsefert hac pœna dignum *l. 2, §. dolo cum seqq. ff. vi bon. rapt.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & privatione Pensionis ob crimen nefandum *juxta constitutionem* 72. *Pii V.*

SUMMARIUM.

1 VAcatio beneficii ex hoc capite potius omittenda est, quam explicanda, & quare.
2 Clerici quandoque hoc crimine coinquinati sunt.
3 Modus honestatis in scribendo servandus est.
4 Divisio materiæ.
5 Laici ob hujusmod crimen ad ultimum supplicium damnantur.
6 Jure canonico contra clericos pæna privationis beneficii indicta non est.
7 Limita ex Constitutione Pii V.
8 Ob hujusmodi crimen contrahitur infamia juris & facti, & de jure publicantur bona 9. licet id in praxi non servetur, ibidem.
10 Hujusmodi crimen semel, vel bis commissum non inducit vacationem beneficii, sed requiritur, quod clerici hoc crimen exerceant, ubi explicatur.
11 An pæna privationis beneficiorum locum habeat in clericis, qui exercent pessimum vitium cum diverso sexu, prima opinio negat, secunda affirmat, quæ verior est 12.
13 Constitutio Pii V. ad bestialitatem non extenditur, licet id ex mente legislatoris comprehendi videatur.
14 Beneficia ex hoc capite vacantia non impetrantur in Romana Curia, ubi rationes.

CAPUT XL.

1 MOrum honestas exigit, ut vacationes beneficiorum, quæ ex turpissimis oriuntur criminibus, potius omittendæ sint, quam explicandæ; Vereor enim, ne ex hoc discursu scandalum in pusillis oriatur, ac jurisprudentiæ tyronibus non afferat materia illud scientiæ incrementum, quod primarius finis est scribentis ad publicam utilitatem; Deinde hæc, quæ de hujusmodi crimine enucleanda sunt, raro accidunt in praxi disputanda; His etiam accedit, quod clerici omnes, quorum vita solet esse ecclesiasticæ disciplinæ conformis, ab hac labe totaliter alieni sunt præsupponendi, itaut supervacaneum omnino videatur de hujusmodi vacatione disputare.

2 Verum ad hoc movet animum *Constitutio Pii V.*, qui ex regimine, quod habuit in universali ecclesia, satis in praxi didicit non ita raros esse casus, ut inter tot ecclesiasticos non fuerit, qui hoc crimine se coinquinari non erubuerit; Unde propterea rationi incongruum non erit nonnulla in hac materia superaddere, ut ea, quæ criminalistæ agunt pro imponenda pæna mortis, hic canonistæ
3 agnoscant in vacatione beneficii, dummodo tamen in scribendo honestatis modus servetur *juxta textum in l. ex damniff. de damn. infect.*; Ultra quod, qui canonicis, & civilibus legibus vacant, virilis sunt ætatis, & in sacris, & prophanis literis versatissimi, adeout in his cesset quævis scandali suspicio,
4 scientibus enim legem loquor. Dicam itaque in præsenti capite de pluribus, primo de pænis juris civilis, secundo de pænis juris canonici, tertio de vacatione beneficiorum, *juxta pianam constitutionem*, & in quibus casibus hæc locum habeat, & à quibus beneficia sic vacantia conferantur.

5 Siquidem de jure civili laici, qui de hujusmodi crimine convicti, aut confessi sunt, ad ultimum supplicium damnantur *l. 1. §. qui puero ff. de extraordinar. crimin §. Item lex Julia instit. de publ. Judic l. cum vir. C. ad leg. Jul. de adulter.*; Hoc enim gravissimum crimen est, & valde præjudiciale reipublicæ in se, & in effectibus; In se, quia homines debilitantur viribus tum ad procreandam sobolem, tum etiam ad defendendum principatum; In effectibus, quia civitates olim igne combustæ perierunt, & nostris temporibus huic crimini imputantur pestilentiæ, & terremotus, qui turbant rempublicam, & civibus spoliant principatum, *ut habetur in authen. ut non luxurientur contra naturam homines, cap. clerici de excessib. prælator.*

6 De jure autem canonico contra clericos pæna ordinaria indicta non est, sed secundum majorem, seu minorem delinquentium malitiam clerici ordinariorum arbitrio puniebantur, & ita quandoque beneficiis, præbendis, & dignitatibus privati sunt, quandoque corporalibus affecti sunt pænis *can. flagitia, can. usus naturalis 32. quæst. 7. cap. clerici de excess. præ'ator. Baronius sub Paschali II Anno 1102. lit. C. tom. 12.* refert hoc crimen in Anglia depositionis pæna punitum fuisse.

7 Ut autem in posterum coerceatur omnium malitia, præsertim clericorum, qui intra limites honestatis renuunt se continere, sancivit Pius V. *in constitutione 72.* ut laici hujusmodi crimen exercentes pæna ordinaria mulctentur, & clerici omnes ipso jure spoliati sint beneficiis, & quibuscumque officiis ecclesiasticis, ac nudati omnibus privilegiis clericalibus curiæ seculari tradantur, cum

perpetua inhabilitate obtinendi alia similia, vel dissimilia officia, seu beneficia ecclesiastica,
8 ca, quippe quia clericus ob hujusmodi crimen contrahit infamiam juris, & facti, quæ arcet ab obtinendis beneficiis, & ecclesiasticis dignitatibus *cap. infamibus, ibique Gloss. de regul jur. in 6. l. 2. cod. de dignitatibus lib. 12.*
9 prout laicorum bona ipso jure publicantur *juxta Gloss. in cap. cum secundum versic. naturæ contraria de hæretic. in 6. Barbat. cons. ultim. num. 1.*, licet in praxi contrarium servetur *teste Julio Claro in §. Sodomia*, ubi dicit in Senatu Mediolani adesse contrariam declarationem, quamvis in puncto juris hæc opinio vera sit.
10 Hoc tamen certum est, quod hujusmodi crimen ex malitia, aut fragilitate semel, aut bis perpetratum, non inducit statim privationem beneficii, sed opus est, ut à clericis exerceatur, *& ita loquitur constitutio 72 Pii V. Azzor. instit. moral. lib 3. part. 3. cap. 19. de pæn. Sodomitic. crimin. litt. A. Graff. in decis. aureis cap 90. num. 3. lib. 2.*, nam ubi clerici hoc vitium non exercent, beneficiis ipso jure non spoliantur, sed ab episcopo puniendi sunt juxta sacrorum canonum dispositionem. Verum tunc exercent clerici, quando per tres vices nefandum crimen perpetraverunt, exemplo blasphemi, qui per tres vices prorumpens in blasphemias contra Deum, & Beatissimam Virginem, ipso jure incidit in pænam privationis beneficii, *ut dicam in sequenti capite*; sed hoc argumentum non stringit, quoniam contra blasphemos ita definitum est in concilio Lateranensi; è converso contra sodomitas id cautum non habetur; Unde totum arbitrio judicis reponendum est, qui ex majori, seu minori clerici sic delinquentis malitia, ac pensata loci consuetudine, quæ dicitur optima interpres, poterit procedere ad privationem beneficiorum, vel per sententiam juxta antiquos canones, vel per declarationem *juxta constitutionem Pii V.*
11 Disputant canonistæ, ac moralistæ, an pæna privationis beneficiorum ipso jure locum habeat in clericis, qui exercent pessimum vitium cum diverso sexu; Negant non pauci, licet enim non servetur modus, servatur tamen sexus diversitas, quæ sufficit ad evitandam juris pænam, immo quodammodo videtur coitus maris, & fæminæ non comprehensus per Pium V., qui loquitur de nefando crimine inter personas ejusdem sexus *Barbos. in cap. Clerici num. 10. de excess. Prælator.*, ubi utramque refert opinionem *Azzor. instit. moral. lib. 3. par. 3. Cap. 19. Scortia ad Select. Pontific. Constit. theorem. 255. in fine, ubi allegat. Divum Thomam, Cajetanum, & alios.*
12 Affirmant cæteri, quia vera quoque Sodomia datur intèr personas diversi sexus, & tunc fit, ubi non servatur modus naturalis, ac coitus exercetur venere præpostera; hæc sanè est quædam species subalterna, sed vera Sodomia appellatur, prout talis est inter eos, qui sunt ejusdem sexus, nec ullum discrimen intercedit inter unam, & aliam speciem, ac per consequens Clericus, sivè uno, sivè alio modo crimen, de quo agitur, exercens pænam privationis beneficii statim incurrit; *docent Fragos. de regim. reipubl. par. 1. cap. 62. disp. 4. §. 18. num 252. versic. illud autem notandum Clar. in §. sodomia num. 2. Gomez. in l. Tauri 80 num. 33. ubi refert ita fuisse judicatum*, quæ opinio verior est, & communiter in praxi recepta.
13 Fatemur in hac re *constitutionem Pii V.*, quæ loquitur de sodomia, non extendi ad bestialitatem, quamvis hoc crimen sit plusquam nefandum; ratio desumitur ex mente hujus Pontificis, qui ideo mentionem de bestialitate non fecit, quia hæc raro accidit in praxi, imitatus sic jura civilia, quæ dumtaxat adaptantur ad casus, qui frequenter accidere solent *l. nam. ad ea l. neque in fin. ff. de legib.*; Nihilominus etiam hujusmodi casus in *constitutione Pii V.* virtualiter ex mente legislatoris videtur comprehensus ob majoritatem rationis, quæ id dictat, & exigit.
14 Cæterum beneficia sic vacantia conferunt dumtaxat ordinarii locorum, dum hujusmodi impetrationes non practicantur in Romana Curia, & quidem summo jure, quia sic non propalantur crimina, non publicantur scandala in maximum ordinis clericalis opprobrium; Item quia valde dedecet Principem ecclesiasticum audire hujusmodi impetrantium supplicationes *Lotter. de re benefic. cap. 31. in fin. lib. 3.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Pensio ob hujusmodi crimen non extinguitur; sed clericus est privandus, ubi rationes.

2 Clericus ob hujusmodi crimen deponitur ab ordinibus, ubi quod pro aliis carnis delictis clericus beneficiis, & pensionibus non privatur.

1 Quamvis *Constitutio Pii V.*, quæ loquitur de beneficiatis, non comprehendat clericos pensionarios, itaut verius sit pensionem ecclesiasticam ob hujusmodi crimen non extingui ex regula de non extendendis pœnis de uno casu ad alium, nihilominus clericus pensione privandus erit; agitur enim de crimine, quod tendit in damnum Reipublicæ, & in dedecus ordinis ecclesiastici, unde pœna privationis debita est, & condigna, dummodo tamen hoc vitium à
2 clerico exerceatur; deinde quia clericus deponitur ab ordinibus, sine quibus pensio clericalis non potest subsistere; quamvis pro reliquis carnis delictis, quæ sunt de minoribus, clerici beneficiis, & pensionibus privari non debeant *per Text. in cap. at si clerici §. de adulteriis de judiciis*, quod speciale est in hoc crimine ob nimiam ejus turpitudinem.

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob blasphemiam juxta sanctionem Concilii Lateranensis celebrati sub Leone X., *ut habetur in ejus Constitutione* 7. §.33.

SUMMARIUM.

1 MAledictio, & blasphemia inter se de jure differunt.
2 Maledicus tripliciter de jure sumitur.
3 Omnis blasphemus est etiam maledicus, non è contra.
4 Maledicus punitur arbitrio Judicis, blasphemus jure divino pœna mortis mulctabatur, ubi idem de jure civili.
5 Hæc pœna non servatur in praxi, ubi quod laicis publica pœnitentia imponitur.
6 Clerici blasphemi ab ordine ecclesiastico de jure deponuntur, & beneficiis privantur, ibidem in fine.
7 Clericus blasphemus contra Deum, & Gloriosissimam Virginem pro prima, & secunda vice tenetur ex pluribus beneficiis unum dimittere, & pro tertia convictus omnibus beneficiis ipso jure spoliatur, ubi rationes 8.
9 Limitatur, si clericus propter iram, & ebrietatem in blasphemias proruperit.
10 Clericus maledicus contra Deum nil differt à blasphemo.
11 Beneficia vacantia ob blasphemiam in Romana Curia non impetrantur, & quare.

CAPUT XLI.

1 
Aledictio, & blasphemia inter se de jure differunt; illa enim contra homines invehitur, hæc contra Deum, illa gravis propter obsequium hominibus exhibendum, hæc gravissima propter reverentiam Deo debitam; utrobique crimen publicum est, & publica vindicta mulctandum cum differentiis, quas mox referam.

2 Maledicus itaque contra Principem tripliciter sumitur, vel ex levitate, vel ex insania, vel ex injuria; primo, & secundo casu maledicus contemnendus est, & miseratione dignus, tertio vero casu ad Principem remittitur plectendus *l. unic. Cod. si quis Imperatori maledixerit, Innocen. in cap. 1. de maledicis*. Verum hic non agitur de maledicis contra Principem, sed de blasphemis contra Deum, non de laicis, sed de clericis, & hactenus de maledicis aliqua præmissa sunt,
3 quia illi parum differunt ab istis; sane omnis blasphemus est etiam maledicus, non è contra, quod patet ex varietate pœnarum, quæ con-
4 tra utrumque crimen impositæ sunt, quoniam maledicus utroque jure canonico, & civili arbitrio Judicis punitur ex juribus jam dictis, blasphemus autem pœna mortis mulctabatur *ex levitico cap.* 4., cui inhærens jus civile similem pœnam decrevit, *ut habetur in authentic., ut non luxurientur contra naturam homines in fine*, immo Deum contemnens parricidii pœna plectebatur, *ut ait Valerius*
5 *maximus cap. 1. de religione*, quod tamen in praxi non servatur, nam laicis publica pœnitentia imponitur cum aliqua pœna extraordi-
6 naria citra mortem arbitrio Judicis, Clerici vero ab ordine ecclesiastico deponuntur *Canon. si quis 22. quæst. 1.*, ac per consequens, jure Canonum inspecto clerici blasphemantes per sententiam Judicis beneficiis, & officiis ecclesiasticis privandi sunt.

Tractu temporis, crescente hominum malitia, creverunt blasphemiæ, & blasphemantes, inter quos (quod horrendum dictu est) clerici etiam numerabantur, contra quos opus fuit, ut ecclesiastica jura acrius insur-
7 gerent. Quapropter discussa hac materia in Concilio Lateranensi, merito à Patribus definitum fuit, ut clericus blasphemus contra Deum, & Gloriosissimam Virginem pro prima, & secunda vice teneatur, si plura possideat beneficia, unum dimittere arbitrio Episcopi, & pro tertia vice convictus omnibus beneficiis, officiis, & ministeriis ecclesiasticis ipso jure privatus sit, *ita habetur in d. Concil. Lateranensi* §. *Ad abolendam celebrato sub Leone X.* quod deinde innovarunt *Julius III. Constit. 23 & Pius V. Constit. 5.* §. *Ad abolendam*.

8 Rationes, quæ moverunt Patres huius Concilii, plures sunt, quia blasphemus æquiparatur hæretico; item blasphemus directe tendit in injuriam Dei, quæ gravior est crimine læsæ majestatis humanæ. Verum hæc sunt generalia argumenta; accedamus ad specialia, quæ magis urgent. Sane blasphemus pro prima vice privatur fructibus unius anni, in reliquis quasi contemnendus; pro secunda dignus est miseratione, & uno tantum beneficio spoliatur, & consequenter amittit potius privilegium retinendi plura beneficia, quam unum, si vero unum possideat, per sententiam privandus est tanquam indignus; demum pro tertia vice clericus blasphemus fit indignissimus beneficiis, & præbendis propter consuetudinem peccandi, & punitur pœna, *de qua supra, ex sententia Patrum Concilii Lateranensis, & apostolicis Constitutionibus Julii III., & Pii V. mox relatis*.

9 Hæc

9 Hæc tamen temperanda sunt, si clericus propter iram, & ebrietatem in blasphemias proruperit, nam excusandus est, seu potius monendus, ut se abstineat in posterum sub pœnis arbitrio Judicis, sicuti excusatur minor, furiosus, & mente captus *l. respiciendum §. Delinquunt ff. de pæn. l. omne delictum §. Per vinum ff de re milit. Canonistæ omnes in cap. 2. de maledic.*

10 His prænotandum accedit, quod clericus maledicus contra Deum nihil differt à blasphemo, & quamvis maledictio regulariter contra homines compleatur *ex l. unica Cod. si quis Imperatori maledixerit*, nihilominus etiam contra Deum dirigi potest, non enim vis stat in verbis, sed in quem verba diriguntur, attendendum est. Siquidem qui verbis contumeliosis in homines delinquit, maledicus est, qui vero contra Deum, maledicus est, & blasphemus insimul; utrobique clericus tertia vice convictus de maledictione, seu blasphemia ipso jure amittit omnia beneficia *ex eodem decreto Concilii Lateranensis*, quod promiscue utitur verbis *maledixerit*, *seu blasphemaverit*, paria enim sunt contra Deum maledicere, & blasphemare.

11 An autem beneficia, quibus clerici ex hoc capite privati denunciantur, vacent apud sedem resolvere non curo, immo parum expedit id scire, quoniam similes impetrationes non practicantur in Romana Curia ex privilegiis inquisitorum hæreticæ pravitatis, qui clericos de hujusmodi crimine convictos cum Episcopo, vel etiam sine ejus assensu beneficiis privant, seu privatos declarant *juxta decretum Concilii Lateranensis*, & *apostolicas Constitutiones, de quibus supra*, ac deinde sententiam sine actis juxta stylum huius tribunalis communicant ordinariis, qui beneficia sic vacantia libere conferunt juxta dispositionem juris, dummodo tamen specialiter reservata non sint.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Clericus per tres vices blasphemus, & ab ordinario monitus pensione privatus est, vel privandus.
2 Verbum *quæcumque* nihil excludit, & pensionem comprehendit.
3 Clericus blasphemus parum differt ab hæretico, ubi illatio.
4 Blasphemia gravissimum crimen est, & hac pœna mulctandum.

1 Clericus per tres vices blasphemus contra Deum, & Gloriosissimam Virginem, & ab ordinario monitus non destiterit, pensione clericali privatus est, vel privandus *ex concilio Lateranensi sub Leone X. Constitut 7. §. 33. ibi = quæcumque habuerit =*,
2 quod quidem verbum *quæcumque* tanquam distributivum, & generale omnia includit, & nihil excludit *cap solitæ de majoritat. & obedientia Jason. conf. 124. col. 5. versic. tertio pondero lib. 4*, ideoque etiam pensionem, quæ beneficio convenit, sine dubio comprehendit *Felin. in cap. postulasti versic. quarta declaratio de rescript.*

3 Deinde clericus blasphemus parum differt ab hæretico, dum nonnulla Deo attribuit, quæ ejus naturæ repugnant *Divus Thomas secunda secundæ quæst. 13. articul. 1. Sylvester in summa verb. blasphemia Covaruv. in cap. quamvis part. 1. §. 7. num. 8. de pact. in 6.*, sed hæreticus, ut diximus, ipso jure amittit pensionem, ergo hic clericus saltem spo-
4 liandus erit; ultra quod blasphemia crimen gravissimum est, & hac pœna sine dubio mulctandum *Can. Imperatores 11. quæst. 3. Can. non invenitur 23. quæst. 4.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob vindictam transversalem, & crimen abortus *juxta Constitutiones Pauli II., & Sixti V.*

SUMMARIUM.

1 CLerici ob homicidium qualificatum ipso jure non privantur beneficiis.
2 Limita in casu vindictæ transversalis, & abortus.
3 Vindicta transversalis quid sit?
4 Ob vindictam transversalem vacant ipso jure beneficia.
5 Pejus est occidere innocentem, quam personam qualificatam, ubi rationes.
6 *Constitutio Pauli* II. comprehendit clericos cujuscumque diœcesis.
7 Abortus gravissimum, & publicum crimen est.
8 Distinctio inter fœtum animatum, & inanimatum fit, ut locum habeat pœna mortis, seu incurratur irregularitas, sed quoad vacationem beneficii indistincte sufficit abortus, ibidem 9.
10 Ampliatur in eo, qui dedit mulieri potionem ad evitandum scandalum.
11 Limitatur, si clericus per accidens fuit causa abortus, secus si causa necessario abortum inferat, ibidem. 12.
13 Qui vult causam, vult etiam effectum cum illo connexum.
14 *Constitutio Sixti V.* quoad hanc partem derogata non est.
15 Hæc materia magis est accommoda Theologis, & Moralistis in foro conscientiæ, quam Canonistis, & Legistis in foro externo.

CAPUT XLII.

1 QUamvis clerici ob homicidium qualificatum ipso jure non priventur beneficiis *juxta veriorem sententiam, de qua testantur Diaz, in prax. criminal. cap. 96. tit. de parricid. in fin. Adden. ad de-*
2 *cis. 1. num. 9. par. 9. recen.*; Nihilominus id non procedit in his duobus casibus, nempe vindictæ transversalis, & abortus; Ita hæc privationis pœna, quæ à jure omissa est, *per Constitutiones Pauli II. & Sixti V.* hic suppletur, nam criminum atrocitas, quæ inde ex hominum malitia crevit in Ecclesia, dedit causam, seu occasionem successoribus in Primatu apostolico edendi singulares leges, ut clerici omnes in posterum ab his atrocibus delictis penitus arceerentur.
3 Ut autem scias, quid sit vindicta transversalis, præmittere oportet, quod olim Romæ pravus inoleverat usus, ut si quis alii gravem intulisset injuriam, injuriatus, seu offensus vel per se, vel per alium vindictam perpetrabat non contra injuriantem, sed contra ejus consanguineum, affinem, seu attinentem, qui non erat particeps, nec conscius injuriæ, seu offensionis; Hæc erat vindicta transversalis, quia ita offensus per se, vel per alium, qui sibi curam assumebat, interficiebat innocentem, quo nil durius.
4 Porro ad tollendum hujusmodi abusum, & pro securitate innocentium singulariter contra clericos sancitum fuit, ut ob hujusmodi crimen ipso jure vacent beneficia ecclesiastica, *ita habetur in Constitutione* 4. *Pauli II.*
5 Sane pejus est occidere innocentem ex vindicta transversali, quam Sacerdotem, Senatorem Reipublicæ, seu Consiliarium Supremi Principis; & ratio disparitatis est, quia in homicidio qualificato regulariter concurrit gravis, vel levis causa, imo interdum culpa, vel saltem aliqua emergit occasio ex parte occisi, sed in homicidio ex vindicta transversali nulla penitus causa concurrit, idcoque atrocitas, quæ inest homicidio qualificato, crescit in homicidio ex vindicta transversali; Deinde huic crimini natura magis resistit, cum agatur de homicidio perpetrato contra personam innocentis; Hæc juxta sensum meum est vera, & juridica ratio, qua motus fuit Paulus II. ad decernendam contra clericos hujusmodi pœnam.

Nec opponas, quod Constitutio Apostolica sit tantum specialis, & edita pro eradicando pravo usu vindictæ transversalis, qui tunc temporis Romæ invaluerat, & sic non obligat, nisi clericos immediate subjectos
6 statui ecclesiastico; Respondetur quod pravus usus fuit quidem causa Apostolicæ Constitutionis, sed tamen hæc restringi non potest ad clericos status ecclesiastici, perinde ac si esset lex laicalis, non Apostolica, & ratio est, quia Sacri Canones promulgati sunt pro causa, seu facto, quod in uno, vel alio loco accidit, & tamen obligant omnes ecclesiasticos, & clericos cujuscumque diœcesis, ita à pari, quia cum *Constitutio Pauli II.* sit Apostolica, procul dubio jus commune statuit, & decernit.
7 Post vindictam transversalem sequitur abortus, qui pariter gravissimum crimen est, & publicum, quia directe tendit ad destruendam multiplicitatem specierum contra ordi-
8 nem divinæ providentiæ; Nec interest, an fœtus sit animatus, vel non, hæc enim distinctio fit, an intret pœna mortis, seu incurratur irregularitas, *ut notat Thesaur. decis. 12. num. 4.* Sane non valet illatio; fœtus est

est inanimatus, ergo beneficia ipso jure non
vacant, prout non habet locum pæna ordinaria, nec ulla contrahitur irregularitas; Et
ratio disparitatis est, quia ad incurrendam
pænam mortis, & irregularitatem necesse
est, quod fœtus sit animatus, ut ita clericus procurans abortum dicatur reus homici-
9 dii; Sed quoad vacationem beneficii id non
requiritur, quoniam sufficit delictum in potentia, cum ita videatur necare, qui præfocat partum, prout qui impedit generationem, exemplo fructuum, qui pro natis habentur ex ipsamet nascendi potentia, & ita
indistinctè loquitur *Constitutio* 87. §.2. *Sixti V.*, ubi insuper beneficia ex hoc capite
vacantia Sedi Apostolicæ reservantur *Lotter. de re benefic. lib.3. quæst.31. num.51. Anan. cons.1. per tot. Jacob. de Graff. decis. aur. 63.*
10 Ampliatur in eo, qui dedit mulieri potionem pro impedienda generatione, nilque refert, an id dederit ad evitandum scandalum,
vel ex alia motus causa, nam si fœtus est inanimatus, clericus reus est homicidii ex ipsamet seminis præfocatione, si vero est animatus, clericus est homicida voluntarius, ideoque indistinctè condigna est privatio beneficii
ipso jure, *ut literaliter sancitur in Constitutione Sixti V.*
11 Limitatur, si clericus per accidens fuit
causa abortus, sicuti enim non fit irregularis, prout exemplificatur in clerico adultero
ex mente Gregorii XIII., *de qua testatur Navarr. consf.35. in appendic.*, ita beneficiis nec
privatus est, nec privandus; Siquidem ea,
quæ casualiter accidunt, culpæ non sunt imputanda, & ideo nocere non debent *l.1.C.de his, qui ante apert. tabul.*, cum casus, non
12 culpa causa sit abortus, secus est, si causa
culposa necessario inferret abortum, quamvis
enim in mente clerici non fuerit, nisi culpa,
tamen ab effectu non poterat præscindere ex
13 regula, qui vult causam, vult etiam effectum cum eo connexum, unde in hoc casu
14 prævalet, quod in veritate est *juxta Constitutionem Sixti V.* quæ quoad hanc partem derogata non est *ex Const.8.Gregor.XIV.*
15 At de hac privationis pœna satis dictum sit,
quoniam materia est magis accommoda Theologia, & Moralistis in foro conscientiæ, quam
Canonistis, & Legistis in foro externo.

A D D I T I O.

S U M M A R I U M.

1 Vindicta transversalis crimen qualificatum est, sicuti abortus.

2 Clericus utrobique pensione privatus est, vel privandus. 3.

1 Vindicta transversalis crimen qualificatum est, sicuti abortus, primum directè tendit contra legem divinam, & dilectionem proximi, secundum tum contra legem, tum etiam contra divinam providen-
2 tiam; Utrobique igitur clericus pensione ipso
jure privatus est *ex utraque Constitutione Pauli, & Sixti*, quorum prima confiscationem bonorum imponit, secunda tradit clericum curiæ sæculari puniendum, vel saltem
3 privandus est *cap.cum non ab homine de judic. cap. graven: cap. ex literis de excess. Prælator.* Quod etiam speciale est in hisce criminibus
propter eorum detestabilitatem.

A R G U M E N T U M.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis propter duellum *ex Constitutionibus Julii II., Leonis X., Pii IV., Clementis VIII., & aliorum.*

S U M M A R I U M.

1 Duellum quid sit.
2 Duellum non est, si coacta sit acceptatio ex parte alterius.
3 Duellum aliud est solemne, aliud minus solemne.
4 Clericus offerens, vel acceptans sponte duellum jure antiquo beneficiis spoliabatur, si homicidium, vel mutilatio membrorum inde contingat, nulla habita distinctione inter utrumque duellum.
5 Jure novo clerici pugnantes in duello indistinctè privati sunt ipso jure omnibus, & quibuscumque beneficiis.
6 Episcopus jure antiquo clericis duellantibus causa cognita poterat dispensare quoad beneficia & ordines, ubi declaratur.
7 Limita ex constitutionibus apostolicis, ubi quod beneficia vacant etiam effectu non sequuto, sive clerici per se, sive per alium in duello pugnaverint.
8 Clerici duellantes sunt inhabiles ad assequenda beneficia sine dispensatione apostolica.
9 Ampliatur conclusio ad officia ecclesiastica, seu laicalia.
10 Clerici virtualiter continentur sub decreto Tridentini.
11 Limita, si clericus post provocationem, & acceptationem inde pænituerit.
12 Eques recusans duellum ob actionis improbitatem non excludit ab ordine equestri, ubi declaratur.
13 Differentia inter equites, & clericos quoad duellum.
14 Limitatur, si provocatio, seu acceptatio duelli facta sit in calore iracundiæ.
15 An clericus, qui provocavit alium ad duellum, & alter non acceptavit, nec ad locum venit, beneficiis ipso jure privatus sit, prima opinio negat, secunda affirmat, ibidem 16., quæ verior est.

C A·

CAPUT XLIII.



1 Uellum nihil aliud est, quam pugna singularis ex condicto; Hæc est definitio ab omnibus recepta, nam duellum idem sonat, ac bellum, quod fit inter duos, quorum unus libere provocat, & alter
2 sponte acceptat, Quod si provocatio ex parte unius sit spontanea, & acceptatio ex parte alterius coacta sit, proprie non erit duellum, quia non est pugna ex condicto, licet dubitari possit, an ex parte provocantis duellum sit quoad pænas juris, ut mox dicam.

3 Duellum insuper aliud est solemne, aliud minus solemne; Primo casu duellum fit cum assistentia patrinorum in certo loco, seu campo, aliisque conditionibus ad rem non facientibus; secundo casu fit inter duos in loco privato sine patrinorum interventu, *ut notant Joan. de Lignar. in tract. de duell.*; Hoc posito.

4 Notandum est primo, quod clericus jure antiquo offerens, vel acceptans sponte duellum beneficiis, & officiis per sententiam judicis spoliabatur, si homicidium, vel mutilatio membrorum inde contingeret *cap. 1. de clericis pugnantibus in duello*, nulla habita distinctione inter duellum solemne, vel minus solemne; & ratio est, quia duellum non est prohibitum dumtaxat propter scandalum, quod forsan in duello privato cessare videtur, sed quia regulariter mors unius, vel alterius, & quandoque utrjusque solet contingere, quæ ratio utramque duelli speciem absque dubio comprehendit *ex cap. 1. de torneamentis Put. decis. 329. per tot. lib. 3.*

5 Jure autem novo clerici pugnantes in duello ipso jure privati sunt omnibus, & quibuscumque beneficjis ecclesiasticis, nulla habita distinctione inter duellum solemne, aut minus solemne, inter provocantem, & provocatum, quoniam sicuti in solemni scandalum oritur, & mors cum periculo animarum regulariter accidit, ita in minus solemni scandalum proximum est, & periculum animarum, & corporum imminet, prout in duello formali, & solemni, *ita Julius II. constit. 19. Leo X. constit. 31.*, & signanter *Pius IV. constit. 21.*, *Gregor. XIII. & Clemens VIII.*

6 Notandum secundo, quod jure antiquo poterat episcopus clericis duellantibus, causa cognita, dispensare tam quoad ordines, quam quoad beneficia, si homicidium, aut mutilatio membrorum subsecuta non fuerit *cap. 1. in fin. de cleric. pugnan. in duell.*, sicuti si clericus per alium in duello pugnans commiserit homicidium poterat ab episcopo dispensari quoad beneficia tantum *cap. 2. de cleric. pugnan. in duell.*

7 Hæc tamen hodie ex constitutionibus apostolicis, de quibus supra, penitus abrogata sunt, nam beneficia clericorum pugnantium in duello ipso jure vacant, etiam effectu non secuto *Farinacc. cons. 9. num. 34.*; Nilque refert, an clerici per se, sive per alium in duello pugnaverint, utrobique enim tanquam homicidæ pænis duelli subjiciuntur *per Text. in l. 1. §. dejecisse ff. de vi, & vi armata ibi = non enim excusatus est, qui jussu alicujus dejecit, non magis, quam si jussu alicujus occidit l. ita autem §. gessisse ff. de administrat. tut. l., qui per alium ff. de regul. jur. cap. qui per alium eod. tit. in 6.*; Ultra quod clerici duellantes perpetuæ infamiæ notam incurrunt, quæ prorsus eos inhabilitat ab assequendis beneficiis, quæ quocumque modo deinceps vacare contigerint, nisi dispensatio apostolica obtineatur *cap. infamibus de regul. jur. in 6. l. 2. cod de dignitat. lib. 12.* & habetur *in Constitutionibus Apostolicis supra relatis*.

9 Ampliatur conclusio ad officia ecclesiastica, seu laicalia, quæ promiscue dantur clericis, seu laicis absque canonica institutione; Hæc enim quoque continentur sub censura constitutionum apostolicarum, quæ generaliter loquuntur de omnibus, & quibuscumque be-
10 neficiis; Item quia clerici virtualiter comprehenduntur sub decreto Tridentini *sess. 25. cap. 19.*, in quo magnates, feudatarii ipso jure privantur feudis, jurisdictione, dominio castri, seu loci, ut ibi; ergo à fortiori clericorum, seu laicorum officia ecclesiastica, seu laicalia ob duellum vacare censentur *Authen. multo magis Cod. de sacrosan. Eccles.*

11 Temperatur conclusio, ut locum non habeat, si clericus post provocationem, seu acceptationem duelli inde pænituerit, ad instar hæretici, qui statim abjurans beneficium recuperat, quamvis enim provocatio, seu spontanea duelli acceptatio sub hac pæna interdicta sit, nihilominus subita retractatio operatur, acsi de duello nihil actum fuisset, *Argumento Text. in l. qui sic solvit ff. de solut.*; Immo si scandalosa fuit provocatio, seu acceptatio duelli, absque dubio generosa reputanda est retractatio, & consequenter clericus non est privatus obtentis, nec ab obti-
12 nendis beneficiis arcetur; Sicuti eques recusans duellum non excluditur ab ordine equestri, immo magis habilitatur, si non ob ignaviam, & timorem, sed propter actionis improbitatem illud recusaverit *ita Valer. de differentia utriusque fori verb. vita, & honor differt. 1. concl. 4. Pater Mendo in tract. de jur.*
13 *accadem. lib. 3. quæst. 29.* Et in hoc differunt equites à clericis, quia equites non debent duellum recusare ob pusillanimitatem, quæ ordini equestri repugnat, sed in clericis recusatio duelli ob ignaviam omnino necessaria est, & valde convenit statui clericali, quoniam animi pusillanimitas, quæ apud equites infirmitas reputatur, in clericis vera est

fortitudo, ita enim (inquit Apostolus) infirma mundi Deus elegit, ut fortia quæque confundat.

14 Temperatur insuper, si provocatio, seu acceptatio duelli facta sit in calore iracundiæ, & ratio est, quia ex parte clerici provocantis, seu provocati deest liber consensus, sine quo nemo pœnas duelli incurrit, quod exemplificatur in disfida, quæ regulariter fit in calore iracundiæ, & ita dic de aliis similibus casibus, in quibus clericus coacte duellum acceptavit, ubi enim deest consensus, ibi duellum non est, nec pugna ex condicto *Ludovic. decis. Lucan* 11. *in fin. Graffett. de nece prodit* §. 2. *num.* 11. 12.

15 Quæstio superest, an clericus, qui provocavit alium ad duellum, & deinde alter non acceptavit, nec ad locum certa die, & hora destinatum venit, beneficiis ipso jure privatus sit; Negat *Ricc. resolut.* 52., ubi dicit, quod, ut quis teneatur pœnis duelli, necesse est, ut concurrant provocatio, & acceptatio, sine qua proprie non committitur duel-

16 lum. Affirmat *Ugolin. de potest episcop. cap.* 8. §. 2. *versic.* 5. *locum habet limitatio tertia ibi = tertio excipitur, qui provocatus est, seu non accepit* =; Ex quo sequitur non excipi provocantem; Et justa quidem ratione, quia constitutiones Apostolicæ de duello loquentes nihil dicunt de acceptatione, nihil afferunt de pugna, ideoque vis duelli stat in provocatione cum destinatione loci, diei, & horæ, *ita habetur in constit. Clement. VIII. ibi = ex proposito facientes, seu provocantes* =, deinde beneficium propter duellum ipso jure vacat, etiam effectu non secuto *Farinace. d. consi.* 9. *num.* 34., ubi refert extensionem Bullæ, ita à pari in casu, quo duellum acceptatum non sit. Sane non minus duellans est, qui provocat, quam qui post acceptationem non pugnat, immo secundum mentem constitutionum Apostolicarum, & præsertim Clementis VIII. ita reus duelli est, qui duellum facit, quam qui ad duellum provocat, ibi = *facientes, seu provocantes* =, quæ opinio mihi verior videtur quoad vacationem beneficii, de qua agitur.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 An clericus propter duellum privatus sit, vel potius privandus pensionibus ecclesiasticis; Prima opinio asserit privandum esse, sed contra concluditur 2.

3 Laicus duellans cadit ab omni jurisdictione, & jure Baroniæ.

4 Pensio venit appellatione bonorum.

5 Clericus duellans habetur uti diffidatus, & rebellis, ejusque bona ipso jure confiscantur, ubi de extinctione pensionis.

1 An clericus propter duellum privatus sit, vel privandus pensionibus ecclesiasticis, non immerito potest dubitari, & ratio dubitandi est, quia constitutiones Apostolicæ loquuntur de beneficiis, non de pensionibus, & consequenter clericus propter duellum pensionibus non erit privatus, sed potius privandus, ubi enim deest factum legis, facto hominis opus est, præsertim in pœnis, in quibus ratio non patitur, ut pœna juris, quæ loquitur de beneficiis, extendatur ad pensiones *l. interpretatione l. in pœnis ff. de pœn.*, & *alibi sæpe.*

2 Contrarium tamen verius esse in puncto juris arbitror, quoniam constitutiones Apostolicæ loquuntur per verba ampla, & effrænata de omnibus, & quibuscumque beneficiis, quorum appellatione venit pensio, licet ut quid temporarium habeatur *Gloss. in Clement.* 2. *versic. quodcumque de vit. & honest. clericor. Felin. in cap. postulasti num.* 8. *versic. quarta declaratio de rescript. ibi = vel aliud quodcumque beneficium comprehenditur præstimonium*, & *pensio = Caccialup. de pens.*

3 *quæst. ult. per tot. Gig. eod. tract. quæst.* 19. *num.* 2. *in puncto Ciarlin. controvers.* 115. *per tot. lib.* 1., Immo laicus duellans cadit ab omni jurisdictione, jure baroniæ, feudis, quæ ab ecclesia obtinet ex *Tridentin. sess.* 25. *cap.* 19., ita à fortiori in hoc casu, quia ap-

4 pellatione bonorum, & jurium veniunt pensiones quocumque titulo reservatæ sint *cap.* 1. *de præben. l. bonorum* 1. *ff. de verbor. signific. Rot. decis.* 78. *num* 3. *coram Marin. Andreas repetit. in decis.* 246. *num.* 3. *in fin. par.* 4. *rec. tom.* 1.

5 Denique clericus, qui pugnam in duello commiserit, habetur uti diffidatus, ac rebellis; Prout diffidatus nihil differt à laico, qui potest impune offendi, prout rebellis, omnia bona ipso jure confiscantur *ex Constitutione Pii IV.*, & *Clementis VIII.*, ergo ipso jure ob duellum pensio extinguitur ex Tridentini decreto, & constitutionibus Apostolicis, & *ex cap. vergentis de hæretic.*; Hæc vera sunt in puncto juris, sed parum servantur in praxi inter Principes, & Magnates, sive laicos, & ecclesiasticos, præsertim effectu non sequuto, quod ratio juris non patitur.

ARGU-

ARGUMENTUM.

De vacatione Beneficii, & Pensionis contra Ministros Romanæ Curiæ, qui mediante pecunia obtinent pro se, aut pro aliis procurant ecclesiasticas dignitates, officia jurisdictionis, judicaturas, ac gratias apud Sedem Apostolicam *ad ornatum Constitutionum Pii V., Gregorii* XIII., *& Clementis VIII.*

SUMMARIUM.

1 Laudes Romanæ Curiæ.

2 Quandoque Curia Romana ex avaritia, & ambitione Ministrorum passa est in existimatione detrimentum, ubi declaratur.

3 Differentia inter simoniam, quæ fit ab ecclesiasticis, & quæ committitur à Ministris, Officialibus, & Prælatis Romanæ Curiæ,

4 Vacant ipso jure omnia beneficia Prælatorum, qui pro se, & aliis mediante pecunia procurant ecclesiæ dignitates, & officia jurisdictionis.

5 Ob hujusmodi simoniam vacant prælaturæ. & officia vacabilia, requiritur tamen sententia declaratoria.

6 *Constitutio Pii V.* non servatur in praxi, & quare,

7 Vacant ipso jure beneficia officialium, & clericorum Romanæ Curiæ, qui dant, vel promittunt pro obtinenda gratia, vel justitia apud Sedem Apostolicam, ubi exemplificatur 8.

9 Privantur ipso jure beneficiis Prælati, & Officiales Romanæ Curiæ, qui per pecuniam impetrant aliis officia laicalia, mixta, & communia status ecclesiastici.

10 Judices Romanæ Curiæ ipso jure amittunt beneficia, si pecunia corrupti justas, vel injustas pronunciant sententias.

11 Casus notabilis Gregorii XIII.

12 Ampliatur pœna privationis beneficii ad omnes clericos status ecclesiastici, dummodo Papæ officiales sint.

13 Limitatur, si dona, & munera à ministris accepta sint ex tacito, seu expresso consensu Papæ.

14 Clerici dantes, & promittentes pro obtinenda gratia, seu justitia apud Sedem Apostolicam non subjacent confiscationi bonorum, secus qui pro se, seu pro aliis dignitates ecclesiasticas procurant.

15 Constitutio *Pii V.* valde differt à Constitutionibus *Gregorii XIII. & Clementis VIII.*

CAPUT XLIV.

1 
Curia Romana, quæ emporium juris, & jurisprudentiæ, aliarumque scientiarum magistra, ac caput omnium Tribunalium merito denominatur, ita est aliena à turpi quæstu in ejus ministris, & officialibus, ut ne mutata quidem, sed continuata, immo aucta videatur integritas antiquorum Judicum, qui nullo habito respectu ad qualitatem personarum, eas protulerunt sententias, quas in Codicibus impressas legimus, videmus, & tenemus, immo sicuti olim eruditissimis affluebat consiliariis, & assessoribus, ita hæc omnia hodie exuberant in Cardinalibus, Prælatis, & Judicibus, quorum vota integra sunt, & probatæ sententiæ, ut experientia rerum magistra id satis ostendit.

2 Verum tamen est, quod ex nonnullorum avaritia, & ambitione passa est, & patitur Curia Romana maximum in existimatione detrimentum, & critici contra ipsam sæpius linguas acuunt, venalem appellantes, at immerito, quia ex pravis unius, vel plurium ministrorum factis non potest ullo modo tota universitas pergravari, ac venalitate notari tot alii ecclesiastici, ministri, & Judices, qui tribuunt unicuique jus suum juxta regulas jurisprudentiæ, immo eorum consilio beneficia, officia, & dignitates juxta Canonum instituta dignissimis à Papa conferuntur, ut videmus in creationibus Cardinalium, promotionibus Episcoporum, & Prælatorum tum in hoc Principatu, tum etiam in universali ecclesia; Præterea, ut in posterum ministri Papæ, & officiales Romanæ Curiæ ab omni turpi quæstu se abstineant, & criticorum linguæ penitus obmutescant, hæc censui indicanda, quæ tangunt vacationem beneficiorum contra ministros, prælatos, & officiales procurantes pro se, aut aliis per pecuniam supremas ecclesiæ dignitates, seu dantes, vel promittentes pro obtinenda gratia, vel justitia apud Sedem apostolicam.

3 Antequam veniam ad vacationes beneficiorum, de quibus mox dicturi sumus, præmittendum est, hic non agi de vacationibus ex capite simoniæ realis, conventionalis, & confidentiariæ, de quibus supra in suis locis diximus, sed tantum de iis, quæ resultant ex facto ministrorum Papæ, officialium, & Prælatorum Romanæ Curiæ; quamvis enim utrobique simonia committatur, nihilominus major est, quæ fit à ministris, & officialibus Papæ in Romana Curia, quam ab ecclesiasticis extra, & alibi occasione resignationis beneficiorum, quoniam simonia, quæ committitur à ministris Papæ, infert damnum

capiti, & membris, & universali ecclesiæ; E contra vero ea, quæ fit ab ecclesiasticis in resignationibus beneficiorum in Diœcesi tantum scandalum producit; Itaque non mirum, si una simonia ratione majoris præjudicii, gravioribus puniatur pœnis, ut infra patebit, his positis.

4 Dico primo, quod vacant ipso jure omnia beneficia, officia Ministrorum, Prælatorum Romanæ Curiæ, qui pro se, & aliis mediante pecunia procurant ecclesiasticas dignitates, & officia jurisdictionis administrationem habentia, adjecta insuper pœna confiscationis omnium bonorum, degradationis, perpetuæ infamiæ, & mortis, *ita Pius V. Constit.* 140.

5 § 3., & in sequelam etiam vacant prælaturæ, quæ ex patrimonialibus redditibus erectæ sunt, vacant insuper officia vacabilia, quamvis propriis pecuniis empta sint, si enim ipso jure confiscantur bona, & jura, ac damnantur ad pœnam degradationis, infamiæ, & mortis, qui pro aliis procurant, & obtinent supremas ecclesiæ dignitates, & officia jurisdictionis, eisdem absque dubio pœnis subjecta erunt officia vacabilia, & prælaturæ, quæ veniunt appellatione bonorum, potissimum quia immediate subjacent dispositioni Papæ, à quo ortum, & nomen desumunt. Hæc sane Constitutio *Pii V.* afficit tantum Prælatos, seu Clericos, qui Papæ benevoli pro se, & aliis facilius possunt mediante pecunia procurare dignitates, & officia jurisdictionis, ut supra; requiritur tamen sententia declaratoria facti, ut quis bonis, juribus, officiis, prælaturis vere privatus existat *cap. cum secundum in fin. de hæretic. in 6. Peregrin de jure fisci lib.4. tit.4. num.8. & alibi frequenter*.

6 Hujusmodi autem constitutio quoad pœnam mortis, infamiæ, & confiscationis bonorum contra clericos & magnates non servatur in praxi, quia nimium continet rigorem; Et quamvis *Gloss. in l. ad splendidioris Cod. de diversf. offic. lib.*12. dicat, quod delicta magnatum puniri non soleant, quodque in hoc justitiæ claves errent, nihilominus id non est semper verum, puniuntur enim, sed mitius, quod decet, nam in pœnis infligendis de jure habendus est respectus ad dignitatem, & qualitatem personæ *cap.2. de offic. jud. delegat. in 6.* Laudandus quidem in hoc zelus Pii V., qui ita rigorosam edidit sanctionem, ut benevoli, ac ministri Papæ, qui per pecuniam procurant dignitates, & officia ut supra, metu gravissimarum pœnarum perterriti à simonia in posterum abstinerent, sed tamen rigor juris in praxi temperatus non videtur vituperandus, scriptum est enim summum jus summam esse injuriam, & omne quod nimium est, in vitium converti *Gloss. in authen. ut determinat. sit num. cleric. in princip. in verbo bonum, & in authen. de immensf. donat collat.*7. *in verbo placet*.

7 Dico secundo vacare quoque ipso jure officia, & beneficia Aulicorum, seu Officialium Romani Pontificis, & aliorum Clericorum, qui dant, vel promittunt pro obtinenda gratia, vel justitia apud Sedem Apostolicam; Pari enim passu ambulant, qui accipiunt, sicuti qui dant, vel promittunt

8 *ita Gregorius XIII. constit.*24., licet severius puniendi sint accipientes, quam dantes, aut promittentes, nam officiales Papæ quodammodo delinquunt in officio, peccant ante faciem supremi Principis, cujus majestas nimium deturpatur propter illicitam negociationem beneficiorum, officiorum, ac rescriptorum apostolicorum ex gratia, vel justitia; & ita in praxi servatum est, nam quidam ex officialibus Papæ temporibus nostris privati sunt beneficiis, officis, administrationibus, & præ'aturis, quidam relegati, relicta congrua pro alimentis, quidam demum coacti fuerunt dimittere eorum beneficia, præsertim curam animarum habentia, *juxta Text. in cap. nisi cum pridem. ibique Butr. num.5. versic. nota primam causam de renunciat. Paris. de resignat. lib.5. quæst.3. num* 8.

9 Dico tertio eisdem pœnis privationis beneficiorum ipso jure subiici omnes Prælatos, Officiales, & Ministros Romanæ Curiæ, qui mediante pecunia impetrant aliis officia laicalia, mixta, & communia status ecclesiastici, quia eadem concurrit ratio in hisce officiis, prout in beneficiis, & dignitatibus ecclesiasticis; Et quamvis super his vera simonia non committatur, cum sint officia temporalia, quæ concernunt regimen politicum status ecclesiastici, nihilominus ex potestate Principis fieri potest, ut qui per pecuniam procurat hæc officia, habeatur uti simoniacus ad omnes juris effectus, & eisdem subjaceat pœnis, sicuti dantes, seu promittentes pro obtinenda gratia, vel justitia apud Sedem Apostolicam; Et ratio est, quia hujusmodi officia sunt de majoribus ecclesiastici principatus, ac dari non solent, nisi juxta meritum prælatis, aut clericis Romanæ Curiæ, *ita habetur in Constit.*10. *Clementis VIII.*

10 Dico quarto, quod Judices Romanæ Curiæ amittunt ipso jure beneficia, officia, & prælaturas, si pecunia corrupti justas, vel injustas pronunciant sententias, dilationes cum causa, vel sine causa concedunt, ita enim iniquus est Judex, qui sententias profert, prout qui mediante pecunia concedit dilationes; nec refert, an sententia definitiva sit, vel potius interlocutoria, utroque enim casu Judex vendit justitiam,& judicium sapientum pervertit, *ut habetur in auth. novo jure Cod. de pæn. judic. ibi = dignitate, seu cingulo amisso= & in Constit.*24. *Gregor. XIII.*,

11 cui, ut ferunt historiæ, casus accidit, cum officio Judicis in Romana Curia persungeretur. Sane Gregorius ut Judex nihil accepit, sed potius dedit, ut justam sententiam libere proferret, seu prolatam ab alio confirmaret; Hinc proinde admiranda est justitia Gregorii, sed non minoris ponderis est integritas Judicum Romanæ Curiæ in edendis decretis, in pro-

pronunciandis sententiis, in proferendis votis decisivis in tribunalibus, assembleis, & congregationibus.

12 Verum pœna privationis beneficii non solum afficit prælatos Romanæ Curiæ, sed etiam clericos omnes status ecclesiastici, *ut notat Cherubin. in commentar. Bull. Clem. VIII.* Quod tamen intelligendum est, si quid à clericis datum sit officialibus, & ministris Papæ, alioquin si alii, quam officiali datum sit, beneficia non vacant ex hoc capite, quippe quia Constitutiones Apostolicæ loquuntur de datis, & acceptis ab officialibus, & ministris Papæ, qua qualitate cessante, cessat & pœna.

13 Hæc unice videntur limitanda, si munera, & dona, aut pecuniæ à ministris, & officialibus accepta sint ex tacito, seu expresso Papæ assensu; Videtur enim per hujusmodi assensum purgata quæcumque simoniæ species, *juxta Gloss. in l. Barbarius ff. de offic. Prætor. l. 1. ff. ad leg. Jul. de ambitu*, ubi quod simonia, & lex Julia de ambitu non habet locum in Urbe *Clar. in § Simonia num. 6. Decian. cons. 84. num 9. tom 1. lib. 5.*

14 Denique illud prætereundum non est, quod dantes, seu promittentes pro obtinenda gratia, seu justitia apud Sedem Apostolicam privantur quidem officiis, beneficiis, & dignitatibus ecclesiasticis, non tamen subiacent confiscationi bonorum, nec locum habent pænæ inflictæ *ex Constitutione Pii V.*, quia de hisce pænis Constitutiones *Gregorii*, & *Clementis* non loquuntur, quod secus est in iis officialibus, qui pro aliis procurant mediante pecunia ecclesiasticas dignitates, & officia jurisdictionis; Ratio disparitatis ea est, quia gravius crimen est in ministro Papæ procurare per pecuniam supremas ecclesiæ dignitates, & officia administrationem habentia, quam rescripta gratiæ, & justitiæ

15 apud Sedem Apostolicam; Unde Constitutio *Pii V.* valde differt quoad pænas à Constitutionibus *Gregorii XIII.*, & *Clementis VIII.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Judices Romanæ Curiæ pecunia corrupti, sicuti dantes, seu promittentes, ut supra, pensionibus ecclesiasticis sunt privandi.

2 Minister, seu officialis Papæ procurans pro se, & aliis mediante pecunia, ecclesiasticas dignitates, & officia jurisdictionis; pensionibus ipso jure privatus est, ubi quod requiritur sententia declaratoria. 3.

4 Pensio ex legis interpretatione continetur *sub constitutione Pii V.*

1 Jure cautum non est, quod judices Romanæ Curiæ pecunia corrupti ipso jure amittant pensiones. nec ex mente legislatoris potest *constitutio Gregoriana* ad id extendi, sicuti non extenditur ad dantes, vel promittentes pro obtinenda gratia, vel justitia apud sedem apostolicam; Ita ergo judices pecunia corrupti, prout dantes, seu promittentes, ut supra, pensionibus ecclesiasticis sunt privandi ob infamiam, *juxta Text. in l. final. cod. de pæn. judic. ibi efficitur infamis*: & *generaliter habetur in cap. gravem cap. ex literis de excess. Prælator.*

2 E contra Prælatus, seu clericus procurans pro se, & aliis mediante pecunia ecclesiasticas dignitates, & officia jurisdictionis, pensionibus ecclesiasticis ipso jure privatus est, sicuti confiscationem omnium bonorum, amissionem quorumcumque officiorum, degradationem, perpetuam infamiam, & mortem ipso jure incurrit *ex constitutione* 142. *Pii V.*,

3 requiritur tamen sententia declaratoria, quæ privet, vel privatum declaret clericum, officialem, seu ministrum, ut supra possessione exigendi pensionem, prout in crimine læsæ majestatis divinæ, assassinii, & duelli superius prænotatum est; Pensio enim non nisi

4 ex justa legis interpretatione continetur *sub constitutione Pii V.*; quæ de beneficiis ecclesiasticis, omnibus bonis, & officiis loquitur.

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis, si Clericus suspensus à jure ob crimina non probata contra electum, seu postulatum, in eadem Ecclesia temerè administrat *ad interpretationem Text. in cap. 1. in fine de electione in 6.*

SUMMARIUM.

1 CLericus, qui contra alectom, seu postulatum objecta crimina non probat, trienoalam suspensionem à bebeoeficiis incurrit, & temere administrans eisdem ipso jure privatur.

2 Clericus obiiciens alternative plura crimina elacto, si nihil probat, privatur beneficiis, secus si unam tantum probet.

3 Ampliatur distinctio, etiam si compulative falso crimina objecerit.

4 Claticos axcipiens delictis contra elactum, seu postulatum incurrit hanc pænam, ubi exemplificatur.

5 Claricus calumoiosus privatus non est omnibus beneficiis, sed tantum iis, quæ possidet io eadem ecclasia, lo qua calumniam perpatravit.

6 Suspensio est stricti juris, nec potest extandi ad aliam ecclesiam.

7 Suspensus simpliciter ab officio in nullo alio beneficio potest administrare, aliter potest privari beoeficio.

8 An episcopus falso obiiciens crimina contra electum, seu postulatum incurrat suspensionem, & privationem Episcopatus, & aliorum beneficiorum, quæ possidet, distinguitur. 9.

10 Episcopus comprehenditur *sub Clementina 1. de sequestrat.* si violaverit sequestrum, & quare?

11 Episcopus incurrit pænas Bullæ cænæ ob recursum ad judices laicos.

12 Episcopus ob recursum ad judices, ut supra, non privatur jurisdictione episcopali, ubi declaratur.

13 *Textus in cap. 1. de elect. in 6.* contra calumniatores non comprehandit episcopum.

14 Episcopus in santentiis, & mandatis, quibus suspensio incurritur, oon continetur, nisi de eo specialis fiat mentio.

15 *Textus in cap 1. de elect. in 6.* loquitur de clericis calumniatoribus contra electos.

16 An episcopus possit clerico calumniatori dispensare, & beneficia conferre.

17 Claricus suspensus, & temere administrans ecclesiam est incapax beneficiorum.

18 Beneficium vacans ob calumniam contra electum potest libere impetrari.

19 Clericus administrans in contemptum suspensionis beneficio privandus est.

CAPUT XLV.

T in posterum quævis causa removeatur clericis calumniandi electos, seu postulatos, contra quos ab emulis, & invidis obiici solent nonnulla crimina, quæ aut omnino falsa sunt, aut non probantur, quod sæpe fit, ne ita electi, seu postulati ab Ordinario, aut à Papa confirmationem obtineant, merito sacris legibus sancitum fuit, quod ubi clericus crimina opposita contra electum, seu postulatum intra terminum ab episcopo præfigendum non pro-
1 bet, ipso facto incurrat triennalem suspensionem à beneficiis, & si propria temeritate se ingerat in administratione, tanquam calumniosus, & irregularia ipso jure privatur eisdem beneficiis obtentis in eadem ecclesia, in qua calumniam perpetravit *cap. 1. §. final. de election. in 6. cap. cupientes §. cæterum eodem tit.* Sane ecclesia non impedit justas oppositiones, quæ sine dubio in beneficiis electivia necessariæ sunt, ne criminosi, aut indigni ad ecclesiasticas promoveantur dignitatea, sed prohibet, ne falso contra electoa, & postulatoa obiiciantur crimina, quoniam calumnia grave crimen est, ac privatione beneficii dignum, quando versamur in beneficiis collativis *cap. 1. de calumniator.*; Cum igitur id plerumque accidat in electivis ob invidiam, & emulationem concurrentium, opus fuit pænam privationis beneficii ipso jure contra clericos calumniatorea decernere, ut ita facilius ab hoc gravi crimine se abstinerent, quod summopere decet statum clericalem.

Dupliciter autem possunt à clericis contra electos, & postulatos obiici crimina, vel alternative, vel copulative; Si alternative
2 ita distinguendum est; Aut nullum ex obiectis probatur in judicio, tunc clericus incurrit pænam calumniatoris, & privationis beneficii, si temerè administret; Aut unum saltem probatur, tali casu clericus liber est à quacumque calumniæ pæna; hæc enim est natura alternativorum, quorum unum sufficit verificari *cap. in alternativis de regul. jur. in 6. cap. inter cæteras, ibique Fagnan. de rescript.*, & de jure civili sunt Text. expressi *in l. si heredi ff. de condit. instit. l. sub diversis, l. quod traditum, ibique Gloss. in fin. l. cum pupillus §. 1. ff. de condit. & demonstrat. l. si plures Cod. de condit. insert. l. quod vulgo ff. de manumiss. testam. l. si ita quis ff. de verbor. obligat.*

3 Si vero copulative, iterum distinguendum est, aut nihil probatur contra electum, & postulatum, tunc clericus dicitur calumniator ad effectum, de quo agitur, aut unum crimen probatur, quod sufficit, ne electus con-

confirmationem obtineat, tunc secus, non enim dicitur calumniosus, qui plene probat, quod sufficit ad impediendam confirmationem juxta mentem legislatoris *Gloss. in cap. 1. versic. defecerit*, *ibique Compostellan.*, *& Interpret. de elect. in 6.*

4 Hæc indistinctè vera sunt, etiamsi clericus crimina contra electum, seu postulatum dumtaxat falsò excipiat, calumnia enim non tam in actione, quam in exceptione consistit *l. 1. ff. de senten. & re judic.*, quod exemplificatur in duobus electis, si enim uterque petat confirmationem. primus, quia electus est à majori parte, secundus, quia primus est indignus, ac plura per viam exceptionis obiicit crimina, quæ credit se posse probare, & deinde in judicio non probat, si interim in ecclesia administret, pœnam privationis beneficii incurrit; Hæc enim est calumnia, quæ obiicitur electo per viam exceptionis, ac eosdem producit effectus, quos parit calumnia per viam actionis.

5 Ita igitur clericus calumniosus privatus non est omnibus beneficiis, sed tantum iis, quæ possidet in eadem ecclesia, in qua calumniam perpetravit, obiiciendo falsò crimina contra electum, suspensus enim à beneficio in una ecclesia, non est suspensus ab alio,

6 quod alibi extat, dum suspensio est stricti juris, nec potest extendi de una ad aliam ecclesiam *cap. si compromissarius de elect. in 6. cap. si canonici, ibique Gloss. in versic. illius ecclesiæ de offic. ordinar. in 6. Gloss. in cap. 1. versic. beneficiis cap. cupientes versic. in ipsa ecclesia utrobique de elect. in 6.*, ac per consequens privatus beneficio unius ecclesiæ ex capite calumniæ non est privatus alio beneficio, quod possidet in alia ecclesia, in qua crimen, de quo agitur, contra electum non perpetravit, secus est in suspenso simpliciter ab officio, seu exercitio ordinis, qui in nullo

7 alio beneficio, aut ecclesia, etiam extra diœcesim existente potest administrare, & si temere administret, potest beneficio privari. & ratio disparitatis est, quia beneficia sunt plura, & inter se distinguntur; E contra officium, seu exercitium ordinis semper est idem, ita una est Fides, unum Baptisma, unum Sacerdotium *Can. quisquis 4. quæst. 5. Can. si quis Presbyter 7. quæst. 1.*, *Gloss. in cap. cupientes versic. in ipsa ecclesia de elect. in 6.*

8 Quæres, an episcopus objiciens falsò crimina contra electum incurrat triennalem suspensionem, & privetur episcopatu, aliisque beneficiis, si interim temere administret? Respondeo episcopum uti talem sub legis censura non comprehendi, nisi de eo specialis fiat mentio *cap. si compromissarius in fin. Gloss. in cap. cupientes versic. suspensos de elect. in 6.*; Unde ex hoc capite episcopatus non vacat.

9 Quo vero ad alia beneficia, seu dignitates, quas possidet episcopus vi indulti, seu consuetudinis in eadem ecclesia, distinguendum est inter ea beneficia, quæ veniunt in sequelam episcopatus, itaut eo ipso, quod quis promotus est in episcopum, electus quoque est in canonicum vi consuetudinis, quæ in pluribus ecclesiis vim juris obtinuit *cap. à collatione, ibique Gloss. de appellat. in 6. cap. postulasti de concess. præben. ubi interpretes*, hoc casu, sicuti non est suspensus, nec privatus episcopatu, ita non est suspensus à beneficiis, & dignitatibus, quas in eadem ecclesia possidet; aut vero retinet vi indulti canonicatum in eadem ecclesia, tunc videndum est, quam figuram gerat episcopus in electione, si enim repræsentat personam simplicis canonici, hoc casu objiciens falsò crimina electo incurrit triennalem suspensionem, & in sequelam privatur canonicatu, si interim temere administrat, ut supra, si vero interveniat uti episcopus, tunc nullam pœnam incurrit, etiam quoad canonicatum, quem retinet vi indulti Apostolici ex ratione, de qua supra.

10 Nec turbat, quod *Text. in d. cap. 1. de elect. in 6.* loquatur per verba *si quis*, quæ uti generalia etiam episcopum includunt, prout continetur *sub Clementin. unic.* si violaverit sequestrum, includitur sub Bulla Cœnæ, si recursum habuerit ad Judices laicos; Respondetur, ideo episcopum contineri *sub Clementin. unic. de sequestrat.*, quia sequestrato episcopatu, cessant absurda, & inconvenientia, dum sequester confert beneficia, & jura episcopalia in temporalibus, & spiritualibus administrat, *ut notat Gloss. marginalis ibidem*;

11 Item sub Bulla Cœnæ continetur, quia episcopus in sua diœcesi acerrimus est defensor jurium ecclesiasticorum, & ideo delinquit contra proprium officium ob recursum ad Judi-

12 ces laicos; Ultra quod, nisi recursus fit notorius, ut privetur ex hoc capite episcopatu, ejusque jurisdictione, requiritur sententia declaratoria, quæ eum privet, vel privatum declaret, alioquin ratione publici officii valide exercet jurisdictionem episcopalem, conferendo beneficia *l. Barbarius ff. de offic. Prætor. Rot. decis. 534. num. 3. decis. 602. num. 5. par. 1. rec.*, *ubi concordantes*.

13 At in hoc casu episcopus nullam incurrit pœnam, quia agitur de delicto privato, deinde plura orirentur absurda, si episcopus sub hac lege includeretur, non enim posset beneficia conferre, nec clericos promovere, cum similibus in maximum præjudicium Ecclesiæ,

14 Cleri, & Populi; Demum recepti juris est episcopum in sententiis, & mandatis, quibus suspensio incurritur, non contineri, nisi specialiter exprimatur *per Text. expressum in cap. quia periculosum de sent. excommunicat. cap. si compromissarius in fin. de elect. in 6.*; Porro si episcopus falsò objiciens crimina electo non incurrit triennalem suspensionem, multo minus privatus erit episcopatu, aliisque beneficiis, ut supra, privatio enim venit in sequelam administrationis interim gestæ durante tempore suspensionis.

15 Accedit, quod *Text. in d. cap. 1. de elect. in 6.* loquitur de clericis eligentibus, qui contra

tra electum nonnulla objiciunt crimina, ut impediatur confirmatio ab episcopo inde obtinenda, *ut habetur in figuratione casus allati à Gloss. ibidem*, ergo si Textus de aliis loquitur, episcopus non includitur; Ultra quam quod non est ita facilis calumniandi occasio in episcopo, qui ad supremum ecclesiæ culmen evectus est, quod dici non potest de aliis clericis inferioribus, qui sæpe calumnias contra electum confingunt, ut eo excluso, ad vacantem ecclesiam facilius promoveantur.

16 Quæres insuper, an episcopus possit clerico calumnioso dispensare, & beneficium ex hoc capite vacans eidem conferre? Respondeo non posse, quia clericus calumniosus perpetuo privatus est beneficio, absque ulla spe illud recuperandi *cap. 1. in fin. de elect. in 6. ibi = ipso jure perpetuo sit privatus nullam super hoc de misericordia spem, aut fiduciam habiturus = cap. cupientes §. cæterum in fin. de elect. in 6.*, & generaliter habetur *in cap. commissa §. porro Gloss. in cap cupientes §. cæterum versic. perpetuo, cap. licet canon, ibique Gloss. versic. privatus circa medium, cap. avaritiæ de elect. in 6. cap. eum in cunctis in fin. versic. si canones de elect. in antiqu.*, ubi quod clericus, qui beneficio privatus est, & suspensus temere in eo se immiscet, efficitur inhabilis, incapax, & perpetuo indignus.

17 Deinde clericus suspensus à beneficio aliud obtinere non potest, præsertim si in eo, quod jam possidebat, temere se ingesserit *cap. cum dilectus, ibique Gloss. versic. à suspensis de consuetud. cap apostolicæ, cap si celebrat de cleric. excommunicat. ministran. Barbos. alleg. 72. num. 91. Garz. de benefic. par. 7. cap. 14 num. 1. cum seq.*

18 Hæc à fortiori procedunt in clerico, qui contra electum, seu postulatum, ut supra, calumniatus est, ideoque beneficium vacans ex hoc capite potest ab episcopo, ptout de jure, conferri, aut à Papa libere impetrari non obstante quacumque præscriptione triennali, decennali, quadragenaria, & ultra, quoniam dispensatio præsumpta non admittitur contra claram voluntatem conditoris canonis, sed requiritur expressa, & quidem apostolica, cum, ut jam dictum est, clerico sic calumnioso Episcopus de jure dispensare non valeat.

Hæc sane est specialis beneficii vacatio à jure inventa ob frequentes calumnias, quæ contra electos, seu postulatos ab invidis, & emulis clericis ejusdem ecclesiæ confingebantur, ideoque in aliis suspensionibus, & irregularitatibus, quæ à jure, vel ab homine contrahuntur, cessat hæc pæna, licet clericus administrans in contemptum suspensionis
19 beneficio privari debeat *Garz. de benefic. par. 11. cap. 10. num. 47. Guidonpap. decis. 558. per tot.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 An clericus calumniator contra electum, seu postulatum pensione ecclesiastica privari debeat, juxta hinc inde adducuntur à.
2 Declaratur *Textus in cap. 1. de calumniatoribus*,
4 Distinguitur in hac quæstione, ubi res exemplo declaratur 5.
6 Clericus calumniator contra electum, & postulatum non est ita facile privandus pensione ecclesiastica.
7 Clericus calumniator, ut supra privatus beneficiis non est spoliandus etiam pensione, ubi de ratione.

1 Quæstio est, an clericus calumniator contra electum, seu postulatum pensione ecclesiastica ipso jure privatus sit, vel privandus; & videtur quod sic, quia clericus calumniator infamiam juris, & facti incurrit *leg. Athletas §. Calumniator ff. de his, qui notantur infamia*; Sane infamia ipso facto privat omnibus officiis, honoribus, gradibus, & dignitatibus civilibus, & ecclesiasticis *l. infamia Cod. de decurion. lib. 10. l. judices C. de dignitat. lib. 12.* Ergo clericus calumniator pensione ecclesiastica privatus est, vel privandus, potissimum si pensionem exigat ab eo, contra quem nonnulla in ejus electione crimina falso objecit, & habetur *in cap. 1. de calumniatoribus*, ubi clericus beneficio ob calumniam fuit privatus, cur idem dicendum non est de pensione clericali?

2 Sed contra concludendum est, nam *Text. in cap. 1. in fin. de elect. in 6.* non comprehendit pensionem, quæ valde differt à beneficio *cap.*
3 *quamvis de præben. in 6.* Nec obstat *Text. in cap. 1. de calumniator.*, quoniam, ut ait *Gloss. ibidem versic. privari*, id actum fuit à Papa ex plenitudine potestatis, ideoque tanquam casus singularis non est ad pensionem ullo modo extendendus ex juribus jam dictis.

4 Verum in hac quæstione cum distinctione procedendum est. Aut crimen, quod clericus calumniator contra electum coram ordinario detulit, privatione pensionis dignum est, & pensionarius se inscripserit ad pœnam talionis, tunc accusator, si nihil probaverit, pensione privandus erit, si sit clericus ejusdem ecclesiæ *Can. qui non probaverit 2. quæst. 3. Can. qui calumniam 5. q. 6. Can. qui crimen 2. quæst. 8.*, secus si crimen delatum pœnam privationis pensionis non meretur; tunc enim clericus ita calumniator exilio, suspensione, aliisque pœnis levioribus arbitrio Episcopi est puniendus, quod mihi verius videtur *ex deductis per Salzed. prax. criminal. cap 65.*, ubi dicit, quod ea pœna, qua puniretur electus, si de crimine convictus esset, puniendus est objiciens convictus de calumnia, est distinctio, quæ
5 quoad hanc pœnam non fallit; pone enim, quod clericus ecclesiæ, & insimul pensionarius objiciat contra electum, & postulatum homicidium qualificatum ibi, vel alibi perpetra-

petratum, utique talis electus, probato crimine cum hac qualitate beneficiis, & pensionibus privandus est *ex alibi dictis*, ita ergo à contrario clericus falsò objiciens contra electum crimen qualificatum, quod deinde non probatur, pensione, quam exigit ab eadem ecclesia, erit sine dubiò ipoliandus *ex juribus mox relatis*.

6 Fateor tamen, quod agitur de re, quæ valde pendet ab arbitrio Judicis, & præsertim cum pœna talionis ab aula recesserit, & ideo clericus ejusdem ecclesiæ ob hujusmodi calumniam non ita facile privandus est pensione, prout ipso jure spoliatur beneficiis, sed tamen potest dari calumnia, quæ talem pœnam exigat contra clericum, & insimul pensionarium ejusdem ecclesiæ, ut in casu allato prænotatum est.

7 Illud autem certum est, quod clericus privatus ex hoc capite beneficio non debet spoliari etiam pensione sibi reservata super eodem, vel alio beneficio ejusdem ecclesiæ, quoniam satis punitur in eo, in quo deliquit, alioquin clericus calumniator, ut supra, duplicem pœnam sustineret, quod ratio juris non patitur *cap. at si clerici in fin. de judic.*, *l. sanctio legum in fine ff. de pæn.*

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii, & Pensionis, si resignans, aut permutans intra viginti dies obierit *ad ornatum regulæ* 19. *Cancellariæ*.

SUMMARIUM.

1 REgula de viginti inventa est ad evitandas fraudes in resignationibus beneficiorum.
2 An regula de viginti comprehendat resignationes, quæ fiunt inter vivos, resolvitur affirmative ibidem.
3 Beneficium utrobique vacat morte resignantis, non renunciatione, si resignans intra 20. dies decedat, etiamsi resignatio effectum habuerit.
4 Ampliatur, etiamsi nulla fraus ex parte resignatarii intervenerit, ubi de ratione.
5 Duplex concurrit vacatio, si resignans intra 20. dies obierit:
6 Captus ab hostibus fingitur ex lege cornelia mortuus à die captivitatis.
7 Beneficium, quod vacat renunciatione, fingitur vacare per obitum resignantis.
8 Impetrans per obitum præfertur alii, qui obtinuit sub eadem data beneficium uti vacans per renunciationem.
9 Impetrans per renunciationem cum clausula *quovis modo*, si prior est in data, præfertur impetranti per obitum resignantis.
10 Regula de viginti comprendit omnia beneficia, & commendas.
11 Amplia in commendis equitum melitensium, secus in commendis militium S. Stephani, & his similium.
12 Amplia ad beneficia de jurepatronatus laicorum, ubi declaratur.
13 Amplia in resignationibus, quæ fiunt coràm nunciis, & ordinariis *contra Decium*, ubi de ratione.
14 Regulæ cancellariæ habent in seipsis æquitatem.
15 Resignans re integra potest mandatum revocare. ubi declaratur.
16 Revocatio dupliciter fieri potest, ubi explicatur.
17 Clericus invitus non est privandus beneficio, quod non vult resignare, ubi quod beneficium vacat morte resignantis, non renunciatione.
18 Per simplex mandatum ad resignandum, beneficium non vacat.
19 Per obitum resignantis re integra mandatum procuratoris expirat.
20 Beneficium vacat per liberam dimissionem factam coram ordinario.
21 Beneficium vacat renunciatione, si resignans ultra 20. dies supervixerit, ubi declaratur.
22 Argumentum à contrario sensu in jure est fortissimum.
23 Beneficium vacat renunciatione, si Papa huic regulæ derogaverit.
24 Ut beneficium vacet renunciatione, probanda est superviventia resignantis ultra 20 dies, si adiecta sit clausula, dummodo non vacet per obitum, & quare.
25 Regula de viginti non comprehendit officia, quæ promiscue dantur laicis, & clericis, abbatissis, & canonissis in Germania.
26 Regula de viginti non habet locum in coadiutoriis.
27 Coadiutus obligatur ad residentiam.
28 Beneficium licet videatur vacare per obitum coadiuti, tamen coadiutoria cum futura successione vacationem impedit. 29.
30 An regula de viginti locum habeat in cessione juris litigiosi, distinguitur.
31 Regula de viginti comprehendit permutationes beneficiorum, ubi de vacatione in fine.
32 Beneficium superstitis vacat renonciatione, & quare.
33 Superstes compermutans habet regressum ad suum beneficium. nec semper requiritur expressa collatio, sed sufficit tacita, & assignatur ratio ibidem in fine.

CAPUT XLVI.

1 Isponit *regula* 19. *Cancellariæ* omnes resignationes, seu permutationes beneficiorum nullas, & invalidas esse, si resignans, aut permutans intra viginti dies à die præstandi consensus computandos obierit, idque statutum est propter fraudes, quæ in hisce actibus frequenter committebantur in præjudicium ecclesiarum. Sane sicuti in ultimis voluntatibus quandoque mortui testati sunt, ita etiam in hoc casu mortui non raro resignarunt beneficia, dum resignatarius nimium beneficii cupidus non curabat de voluntate resignantis, dummodo beneficium assequeretur, & sic ex defectu consensus

resignantis beneficium obtinebat absque canonica institutione, quod est contra omnes juris regulas, quoniam voluntas Papæ inde admittentis resignationem præsupponit omnia extrema habilia ad beneficium valide consequendum. Quapropter, ut deinceps penitus tollatur occasio obtinendi beneficia per fraudes, & machinationes, inventa est hujusmodi regula, quæ dicitur *de Infirmis*, & locum habet, ubi probatur obitus resignantis intra viginti dies.

2 Olim inter antiquos glossatores acriter concertatum est, an huic regulæ subjacerent beneficiorum resignationes, quæ fiunt inter vivos ab iis, qui sunt sanæ mentis, affirmantibus nonnullis, cæteris autem negantibus, quod videtur probabilius, quia hæc regula edita est pro infirmis resignantibus, ideoque ad resignationes, quæ fiunt inter vivos, extendi non potest. Hanc tamen controversiam sustulit *Clemens VII.* addendo ea verba, *etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ*. Et ratio est, quia non minus in ultimis voluntatibus, quam in contractibus fraudes quotidie experimur.

3 Utroque igitur casu vacat beneficium morte resignantis, non renunciatione, si resignans intra viginti dies decedat, etiamsi resignatio effectum habuerit, & capta fuisset per resignatarium possessio beneficii, quia decretum irritans in eadem regula insertum inficit titulum, & possessionem *ex plenè deductis per Rot. decis.* 186. *decis.* 253. *num.* 13. *par.* 9. *recen.*

4 Nec ullo modo talis resignatio defendi potest, forte quia resignatarius nullam commiserit fraudem, inferendo ex hoc, quod ubi cessat fraus, locum non habeat regula, quæ in præsumptione fraudis fundatur. Respondetur, quod fraus quidem potest deesse in casu particulari, sed non cessat in universali, lex enim non respicit singula generum, sed genera singulorum, & adaptatur ad ea, quæ facile, non quæ raro accidunt *l. nam ad ea*, *l. neque in fin. ff. de leg.*; Idque ultra rationem manifestum fit, nam regula ipsa literaliter resignationes annullat, non attento, an fraus ex parte resignatarii intervenerit, vel non, *ut docent Lotter. de re benefic. lib.* 3. *quæst.* 15. *in principio*, *Card. de Luc de benefic. disc.* 125. *Rot. d. decis.* 186. *part.* 9. *rec.*, *& alibi passim*.

5 Quomodocumque igitur fiat beneficii resignatio, illud certum est, quod duplex concurrit vacatio, si resignans obierit, ut supra, altera vera per renunciationem, altera ficta
6 per obitum, sicuti jure civili habemus, quod captus ab hostibus fingitur *ex leg. cornelia* ab eo tempore captivitatis mortuus, licet id verum non sit, *leg. Pater*, *leg. postliminium*, *& tot. tit. ff. de captivis*, *& postliminio re-*
7 *versis*; ita beneficium, quod verè vacat renunciatione, fingitur vacare per obitum, quod à Papa, justitia ita exigente, fieri potest *per Text. in extravag. execrabilis*, *ibique Gloss. vers. vacare de præben. ibi = Nota ex potestate Principis ecclesiæ induci fictionem vacationis beneficii*, *ubi alias non esset*, *naturam enim rei immutare potest in aliam*, *& fingere esse*, *quod alias vere non est*, *l. si is, qui pro emptore, ibique Bart. num.* 44. *ff. de usucap*, *Lotter. de re benef. lib.* 3. *quæst.* 15. *per tot.*

8 Ex dictis infero, & illatio sine dubio juridica est, quod in hoc casu fictio prævalet veritati, ideoque ex duobus provisis sub eadem data, qui beneficium obtinuit per obitum, præfertur ei, qui idem uti vacans per renunciationem impetravit, quod verum est, etiamsi uterque literas Apostolicas expediverit; & ratio clara est, quia qui expressit verum, seu id, quod à lege verum fingitur, in assecutione beneficii debet præferri alii, qui verum quidem expressit, sed fictione juris falsum reputatur *cap. susceptum in fin. de rescript. in* 6.

9 E contra autem impetrans beneficium uti vacans per renunciationem, quod vere vacavit per obitum, præfertur tantum alii, si sit in data anterior *cap. capitulum de rescript. cap. si eo tempore eod. tit. in.* 6. *cap. eum*, *cui cap. si soli de præben. in* 6., præsertim si in literis Apostolicis inserta sit juxta stylum clausula *quovis modo*, quæ omnem vacationis modum comprehendit *Rot. decis.* 49 *num.* 5. *par* 2. *recen. decis.* 37. *num.* 10. *cor. Ludovis. decis.* 212. *num.* 1. *cor. Ubald.*

10 His positis regula, de qua agitur, generalis est, & comprehendit omnia beneficia, officia, canonicatus, dignitates, parochiales ecclesias, immo, & commendas perpetuas; commendatarius enim cum facultate percipiendi fructus ad vitam nihil differt à titulari *Rot. decis.* 22. *num.* 4. *cor. Put. lib.* 1. *decis.* 523. *num.* 54. *par.* 19. *recen.*, opus tamen est, ut de commenda fiat mentio, alioquin resignatio erit nulla, & commenda vacavit morte commendatarii, saltem de fa-
11 cto, non renunciatione. Item locum habet in commendis, quæ nihil differunt à beneficiis ecclesiasticis, prout sunt commendæ equitum melitensium, secus est in aliis, quæ sunt dumtaxat administrationes laicales, prout commendæ militum S. Stephani, Calatravæ, de Spatha, & his similium, quæ huic regulæ procul dubio non subjacent, quia beneficia ecclesiastica non sunt, ut patet.

12 Ampliatur conclusio ad beneficia de jurepatronatus laicorum, quæ sicuti sunt vere ecclesiastica beneficia, ita cadunt sub hac regula, dummodo aliter in fundatione cautum non sit, eo enim modo, quo potest fundator beneficii adjicere conditiones juri contrarias, potest quoque superaddere, ne beneficium ab ipso fundatum huic regulæ subjaceat, & ita accedente consensu patroni beneficium vacat renunciatione, quamvis resignans intra viginti dies decesserit. Hæc tamen procedunt, si sincere, & bona fide resignatio facta sit, alioquin si fraus ex parte resignatarii concurrat, forte quia ab infirmo consensum extorsit, beneficium vacat morte,

non

non renunciatione, & consequenter post obi-
tum resignantis potest patronus alium libere
præsentare ad beneficium, quamvis ante,
vel post resignationi consensum præstiterit,
quoniam consensus intelligitur præstitus sub
conditione, si resignatio de jure subsistat,
deinde datus censetur à patrono, ut resigna-
tarius canonice beneficium assequatur, non
ut se in eo intrudat cum invalido, & infecto
titulo, cui canones resistunt *per Text. in
cap.2. de renunciat. in 6. Oldrad. cons.324.
num.6. versic. quinto renunciat fraudolenter
Cravett. cons.82. num.3. lib.1.*
13 Ampliatur insuper in resignationibus, quæ
fiunt extra curiam coram legatis, nunciis,
& ordinariis, quippe quia fraus etiam præ-
sumitur ex parte resignatarii ob decessum re-
signantis ut supra *Rebuff. de nominat. quæst.17.
num.17.*, *& cons.72. num.8. in fin.*, *idem ad
regul. de infirm. Gloss.3. versic Item si quis*;
*Coebier. ad regul.18. alias 19. Cancellar. n.20.
Crescen. decis.12. alias 61. de renunciat.* quid-
quid in contrarium consuluerit *Decius
cons.224. num.4.*, cui nullo modo deferendum
est, dum loquitur contra communem DD.
Sententiam, & ratio est, quia non debent
esse melioris conditionis nuncii, legati, &
14 ordinarii, quam Papa; Ac etiam quia re-
gulæ Cancellariæ erutæ sunt ex jure civili,
canonico, ac naturali, & in se ipsis habent
æquitatem, unde non tam nuncios, legatos,
& ordinarios, quam Papam ipsum sine dubio
obligant.
15 Rursus notandum est, quod resignans po-
test re integra mandatum revocare, dum-
modo tamen ea, quæ necessaria sunt ad ejus
revocationem, tam respectu resignatarii,
quam ejus procuratoris in curia servaverit
*late Rot. in Leodien. Pastoratus, seu Vicariæ
15. Maji* 1711. *coram Priolo.* Hæc autem re-
16 vocatio dupliciter fieri potest, vel in forma
juridica per intimationem factam procurato-
ri, vel in forma extrajudiciali, videlicet per
literas, seu nuncium *Gloss. in Clement. unic.
de renunciat. Tondut. quæst. benef. cap.26.*
17 *num.16. Boer. decis.207. per tot.*; Non enim
patitur æquitas, ut quis invitus privetur be-
neficio, quod non vult amplius in alium trans-
ferre; & consequenter beneficium morte re-
signantis, non renunciatione vacat, prout
vacat ecclesia, si resignans ante gratiam si-
gnatam à Papa mortuua sit, vacatio enim ab
eo dimetitur, qui possidet ecclesiam, & ple-
num jus habet in beneficio, quod à se non
abdicavit per simplex mandatum ad resignan-
dum, nam ex communi, & recepta senten-
18 tia beneficium vacat non ob mandatum ad
resignandum, sed post formalem consensum
præstitum in Camera, aut Cancellaria, à quo
resignatio beneficii perficitur *Paris. de resi-
gnat. lib.8. quæst.8. num.41. Lotter. de re be-
nef. lib.3. quæst.16. num.54. Tondut. quæst.
benef. tom.2. cap.188. num.4. Rot. decis 191.
num.13. cor. Cels. in Ferrarien Canonicatus 5.
Martii* 1698. §. *potissimum in fin. coram Pio.*
19 Deinde per obitum resignantis re integra
mandatum procuratoris expirat, ergo bene-
ficium alio modo vacat præter renunciatio-
nem, videlicet per mortem *Gloss. in Clement.
unic. ibique Vitalin. Zabarell.*, *& alii de
renunciat.*

Videamus nunc, quando beneficium vacat
renunciatione, quod pluribus etiam modis
20 potest accidere, primo quidem per sponta-
neam dimissionem factam coram ordinario
statim vacat beneficium, & alteri potest à col-
latore conferri *Rebuff. prax. benef. par.3. tit.
de resignat. Azzor. oper. moral. par.2. lib.7.
cap 19. quæst.1. aliique passim.*
21 Secundo vacat renunciatione, si resignans
ultra viginti dies supervixerit, dummodo
aliunde fraus, & dolus, ut supra, non pro-
betur; Si enim intra 20 dies beneficium va-
cat morte, ergo extra 20 dies vacat renuncia-
22 tione, ita arguendo, à contrario sensu, quod
in jure fortissimum est argumentum, & com-
muniter receptum *ex l.1. §. hujus rei, ibi-
que Gloss. in versic fortissimum ff. de offic. ejus,
Mantic. de tacit. lib.2. tit.14. num.1. Sperell.
decis.143. num 19*, *& 20. lib 2.*
23 Tertio vacat renunciatione, si Papa huic
regulæ derogaverit, cessat enim præsumptio
fraudis, in qua fundatur regula de infirmis,
potissimum si resignans gravi infirmitate de-
tentus 30. vel 40. diebus, & ultra supervi-
xerit, nam tunc resignatio facta præsumitur
animo providendi ecclesiam, non fraudandi
*Gabriel, cons.193. n 9. tom.2. Rot decis.440.
num.3. in fin. par.3. recen. decis.1433. num.8.
cor. Coccin. in Augustana Canonicatus 30.
Aprilis* 1731. §. *haud relevante coram R.P.D.
Ratto*, ubi quod resignatarius ex hoc capite
præfertur in executione literarum Apostolica-
rum alteri, qui beneficium tanquam vacans
per obitum impetravit.
24 Quarto, ut beneficium vacet renunciatio-
ne, probanda est superviventia resignantis
ultra 20. dies, si adjecta sit clausula, dum-
modo non vacet per obitum. Hæc sane clau-
sula quandoque adijcitur ex motivis pruden-
tialibus, quia Papa per hanc provisionem
non intendit præjudicium aliquod irrogare
juribus ordinarij *Rot. decis.355. num.12. cor.
Emer. Jun.*
25 Cæterum regula, de qua agitur, non com-
prehendit officia, quæ promiscue dantur lai-
cis, & clericis, dantur Abbatissis, & Ca-
nonissis in Germania, multo minus continet
præbendas laicales, unde hujusmodi officia,
& præbendæ post admissam scienter à Papa
resignationem statim vacant renunciatione,
saltem de facto, nec opus est superviventia
ultra 20. dies, quoniam regula de infirmis
loquitur de beneficiis ecclesiasticis, non offi-
ciis, de præbendis spiritualibus, non de lai-
calibus.
26 Multo minus locum habet in coadjutoriis,
nam coadjutus non resignat, nec dimittit
beneficium, sed Papa providet *nunc pro tunc*,
ne ecclesia interim debitis defraudetur servi-
tiis, quibus propter impotentiam coadjutus
commode perfungi haud potest; quod nullam

27 habet dubitationem, quoniam coadjutus obligatur ad residentiam, nec potest abesse ab ecclesia sine licentia Episcopi, non quidem propter servitium chori, à quo est exemptus, sed propter alia negotia ecclesiæ, & capituli, quæ à coadjutore expleri nequeunt, *ita Sacra Congregatio Concilii in unaCarthaginen.prima Decembris* 1618. *Barbos. univers. Jur. eccles. lib.*2. *cap* 10. *num.*29.31. *de coadjutoriis, Frisingen. Canonicatus* 2.*Julii* 1714. §.*Etenim in fin cor.Ansald.*

28 Et quamvis beneficium videatur vacare morte coadjuti, cum coadjutor non sit canonicus, nec præbendatus, immo tenetur exequi gratiam post mortem coadjuti, & capere possessionem beneficii *Rot. decis.*456. *num.*6.*decis.*637. *num.*4 *par.*1. *recen.decis.*413. *in annotat. num.*5. §.*Hinc mortuo coram Pam-*

29 *phil.*, nihilominus coadiutoria admissa cum futura successione *nunc pro tunc* vacationem impedit *Rot. dec.*1148. *num.*2. *cor. Seraphin.*, quod verius est.

30 An regula de viginti locum habeat in cessione juris litigiosi, & incerti, quod inter duos provisos in judicio contenditur. Dubium cum distinctione resolvitur, si enim cedens beneficium non possidet, tunc regula penitus cessat, fecus si ultra jus cedat quoque possessionem beneficii, & ratio disparitatis est. quia cessio juris dubii, & incerti non inducit novam vacationem, è contra cessio juris, & insimul possessionis, in quibus beneficium consistit, resolvitur in veram resignationem, quæ proinde subjacet quoad omnia regulæ cancellariæ, *ut explicat Amayden. de styl. Datariæ lib.*1. *cap.*18. §.3. *num.*67. *cum seq.*, & consequenter beneficium vacat vel de jure, vel de facto, morte, vel renunciatione juxta prædecessum, vel superviventiam cedentis, ut supra.

31 Denique huic regulæ subjacent permutationes beneficiorum, quæ ex causa fiunt coram Papa, vel Ordinariis; sane, si unus ex compermutantibus intra 20. dies decedat, ejus beneficium vacat morte, non renunciatione; & ratio est, quia permutationes beneficiorum nil differunt à resignationibus, quæ fiunt ad favorem certæ personæ, ac eisdem juribus regulantur *ex cap.*1. *de rerum permutatione in* 6., unde beneficium sic vacans potest libere ab Episcopo conferri *Tondut. quæst. benef. cap.*69. *num.*6. *lib.*1., sed

32 etiam vacat beneficium superstitis *cap.*1. *de rer. permut.in* 6. *Federicus de Senis quæst.*156. *num.*1. *decis.*1. *num.*4. *de rer. permut.in novis Rot. decis.*7. *de rer. permutat. in antiquis*, quoniam sicuti titulus, & possessio perditur per renunciationem, ita & per permutationem *Rot. decis.*4. *de renunciat. in novis, de-*

33 *cis.*7.*de rer.permutat.in antiquis*, licet idem compermutans, & superstes, dummodo nihil aliud obstet, possit redire ad suum beneficium obtenta tamen nova collatione *Garz. de benefic. par.*11. *cap.*3. *num.*29. 30., neo semper requiritur expressa, sed sufficit tacita *Gonzal. ad regul.*8. *cancell. Gloss.*14. *num.*43. *cum seqq.*, & ratio est, quia in collatione beneficiorum de jure non requiritur aliqua forma verborum *Rot. decis.*124. *num.*2. *cor. Put. lib.*3.*Adden. ad decis.*15. *num.*1. *part.*3. *recen.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 AN regula de viginti locum habeat in pensionibus, quæ ex indulto Papæ in alios transferuntur, distinguitur.

2 An dicta regula locum habeat in reservatario fructuum distinguitur.

1 QUæres, an regula de viginti locum habeat in pensionibus, quæ ex indulto Papæ in parte, vel in totum in alios transferuntur. Distinguit super hoc puncto *Gig. de pension. quæst.*58. *num.*1., aut pensio data est in titulum, aut non, primo casu habet locum regula de viginti, quia pensio data in titulum nihil differt à beneficio *Canonistæ in cap. conquerente de cleric. non residen.*, secus secundo casu, quia pensio non est, nisi quid mere temporarium, quod beneficium non est, nec sub nomine beneficii continetur *cap. ad audientiam* 2. *de rescript. cap. quamvis de præben. in* 6. *Tridentin. sess.*21. *cap.*2. *de ref.* Deinde facultas transferendi tota pendet à voluntate transferentis, ideoque penitus cessat regula, quia cessat præsumptio fraudis, quæ non raro fit inter resignantem, & resignatarium, interquos pro beneficio resignando quædam contractus species iniri solet.

2 Quæres insuper, an dicta regula locum habeat in reservatario fructuum. Punctum tactum non invenio, tamen cum distinctione resolvendum censeo; aut reservatarius fructuum etiam cum facultate transferendi non habet, nisi jus percipiendi fructus ad vitam tantum, hoc casu translatio fructuum huic regulæ non subjacet, quia reservatarius nihil differt à pensionario habente indultum transferendi pensionem; aut vero ultra facultatem percipiendi fructus potitur etiam facultate peragendi ea omnia, quæ competunt vero titulari, hoc casu reservatarius transferendo omnes fructus in alium regulæ de viginti subjacet, quoniam translatio in hoc casu vera est resignatio beneficii, & sicuti qui sic resignat, subjacet Constitutioni de publicandis *ex sententia Gomez ad regul. cancell. tit. de publican. quæst.*2., de qua infra *in cap.*49. *de vacatione ob non publicationem*, ita subjacet et regulæ *de infirmis resignantibus*, quia utrobique eadem militat juris ratio, & disciplina.

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Eccleſiæ Parochialis, ac Penſionis ob non ſervatam formam concurſus *juxta Conſtitutionem* 33. *Pii V.*

SUMMARIUM.

1 CUra animarum nobilis eſt, ſed periculoſa. 2.
3 Eccleſiæ Parochiales olim conferri non poterant, niſi clericis habilibus, & idoneis.
4 Tridentinum quoad eccleſias parochiales antiquos canones innovavit.
5 Deinde ſtatuit, ut beneficia parochialia per concurſum clericis magis idoneis conferantur.
6 Quid decrevit Pius V. ſuper concurſu Eccleſiarum Parochialium?
7 Vacat ipſo jure beneficium, ſi epiſcopus abſque ullo concurſu de illo providerit.
8 Vacat ipſo jure beneficium, ſi tempore inhabili concurſus ſit intimatus.
9 Hujuſmodi vacationes ſunt impropriæ, & quare.
10 Omiſſio, & nullitas concurſus inducunt vacationem parochialis eccleſiæ.
11 Limita, ſi concurſus ad cautelam ſit intimatus.
12 Vacat ipſo jure beneficium minus idoneo in concurſu ab epiſcopo collatum, ubi quod hæc eſt propria vacatio. 13.
14 Privatur ipſo jure beneficio, qui præelectus ab epiſcopo in concurſu non curavit intra quatuor menſes præſentare præelectionem coram Papa.
15 Limita in caſu juſti impedimenti.
16 Factum Principis reputatur inter caſus fortuitos, ubi quod impetratio beneficii ex hoc capite non ſubſtinetur.
17 Vacat ipſo jure eccleſia parochialis, & novus concurſus eſt convocandus, ſi præelectus ante obtentam collationem à Papa deceſſerit.
18 An vacet ipſo jure beneficium, ſi in primo concurſu nullus clericus comparverit, & deinde ordinarius novo concurſu intimato, minus idoneum præelegit, diſtinguitur.
19 Eccleſiæ parochiales unitæ non indigent formali concurſu, ubi declaratur. 20.
21 Pluribus eccleſiis parochialibus vacantibus plures poſſunt convocari concurſus, ſed unus etiam ſufficit. 22.

CAPUT XLVII.

1 On minus nobilis, quam
periculoſa ab omnibus
cenſetur cura animarum,
quam libenter in ſe aſſumunt
paſtores eccleſiarum
parochialium; nobilis, quia
dicitur ars artium, ac pro
ejus recto regimine ſcientia,
prudentia, & magna idoneitas in ita proviſis
de jure requiritur, nec eminens exuberat,
dum agitur de ſalute animarum, quæ toto indiget
homine, ſicuti pro ſalute corporis peri-
2 tiſſimos in arte adhibemus; periculoſa, quia
de animarum ita commiſſarum perditione
paſtores eccleſiarum Deo ſunt redditari rationem;
Varii olim pro conferendis eccleſiis parochialibus
canones emanarunt, ita de jure
3 antiquo hujuſmodi beneficia conferri non poterant,
niſi clericis habilibus, & idoneis
ſcientia, ætate, gravitate, ac morum honeſtate
*ad Text. in cap. cum in cunctis §. inferiora
de election. cap. quia nonnulli de cleric.
non reſiden. cap. grave nimis cap. de multa
de præben. cap. licet canon de election. in 6.*,
4 Nec aliter Tridentinum ſub Paulo III. providit,
quoniam quoad ætatem, gravitatem,
aliaque juris requiſita nihil aliud ſtatuendum
cenſuit, niſi antiquos canones, qui in diſſuetudinem
abierant, innovare, *ita habetur in
cap. 1. & 3. ſeſſ. 7. de reformat.*
5 Deinde agnoſcens quid peculiare in hiſce
eccleſiis novum edidit decretum, ut in poſterum
beneficia parochialia per concurſum clericis
dignioribus, & magis idoneis ab
epiſcopis eſſent conferenda, alioquin omnes
proviſiones nullæ, & ſubreptitiæ cenſeantur,
*ut conſtat ex cap 18. ſeſſ. 24. ibique Barbos. &
alii de reformat.* Verum quia non deerat modus
eludendi hujuſmodi decretum conciliare,
dum ordinarii locorum nimis dilatantes juris
arbitria, concurſum prorogabant non ſemel,
ſed pluries in præjudicium curæ ani-
6 marum, hinc merito *Pius V.* remedium attulit,
ſtatuendo prorogationem ab ordinariis
extendi non poſſe, niſi ad alios decem dies,
&, ſi minus idonei ad eccleſias parochiales
intra quatuor, vel ſex menſes præeligebantur,
quod ex nimio affectu ordinariorum erga benevolos
ſæpius contingebat, conceſſit idem
Pontifex facultatem aliis libere impetrandi
hæc beneficia, acſi iterum vacarent, *ita habetur
in conſtitut. 33. prælaudati Pontificis.*
His poſitis, plura notanda ſunt, quæ faciunt
ad præſentem tractatum vacationis be-
7 beneficiorum. Primo vacat ipſo jure beneficium,
ſi epiſcopus abſque ullo concurſu de
eo providerit clericum idoneum, & habilem,
ut ſupra; non enim ſufficit capacitas in genere,
prout in beneficiis ſimplicibus, dignitatibus
& canonicatibus, ſed requiritur,
quod in concurſu probata ſit. *Rot decif. 310.
num. 17. part. 16. recen. decif. 303. num. 11. co-
8 ram Burratt.* Vacat ſecundo, ſi tempore inhabili
concurſus ab ordinario ſit intimatus; paria
enim ſunt non facere, & facere, ſed extra
9 tempus à lege permiſſum. Hujuſmodi tamen
vaca-

vacationes impropriæ sunt, quoniam ecclesia parochialis potius vacat, ut prius, quam ob omissam Tridentini formam, si quidem provisio ecclesiæ parochialis facta absque concursu, vel extra tempus à lege concessum nullam habet roboris firmitatem ob decretum irritans, quod *in Tridentino*, *& constitutione Pii V.* continetur, & ita provisus nullum jus in re, sive ad rem, sine quo proprie non datur vacatio, in ecclesia parochiali acquirere potuit; Verum quidquid sit de hoc, il-
10 lud certum est, quod omissio, aut nullitas concursus novam inducunt vacationem parochialis ecclesiæ, & consequenter potest impetrari à Papa ex hoc capite; & ratio est, quia jus conferendi ecclesiam parochialem devoluitur ad Papam, cujus auctoritati specialiter reservatur *Rot. decis.317. num.3. versic. justificatio, & num.12. par.16. decis.32. num.1. par.18. recen. decis.80. num.1. & a. cor. Ubag. Aprutina Præpositura 18. Februarii 1695. §. parverunt §. Hoc namque coram Ursino.*

11 Hæc tamen procedunt in lis ecclesiis parochialibus, in quibus necessariò concursus est convocandus, secus si ad cautelam ab Episcopo intimatus sit, nam sicuti non est in posterum servandus, prout contingit in beneficiis unitis *ex deductis per Rot decis.595. n.4. cor. Cavaler. decis.1312 num.11. versic.neque refert cor. Coccin. decis.16. per tot. par 6. decis 516 per tot. part 18. recen.*, ita si convocatus sit, non obligat præcisè ordinarium, ut debeat illum literaliter servare magis idoneum inter approbatos præeligendo; nihil enim magis contrarium est consensui, quam error *l. si per errorem ff. de jurisdict. omn. judic*, præsertim quia error excusat Episcopum, qui poterat super hoc beneficio concursum non convocare *l. error facti in fin. l nullis ff. de jur. & fact. ignorantia, Gloss. in l.emancipata C. eod. tit.*, idque multo magis procedit, si error sit facti *l.1. l.4. l. error ff. de jur. & fact. ignorantia, l si quis, l. error, l. si post C. eod. tit. Rot. decis.595. num.5. cor. Cavaler. decis.203. num.15. cor. Bich., decis.330. num 27. par.9. decis.516. num.13. par.18. rec. decis.247. num.3.4. cor. Molin. lib.1,*

12 Tertio vacat beneficium, quod minus idoneo in concursu Episcopus contulit, nam per hujusmodi collationem prælectus acquirit jus in re cum plena auctoritate administrandi ecclesiam parochialem in spiritualibus, & temporalibus *ex ipsamet Constitutione Pii V.*, quæ favore oppositoris, aut impetrantis admittit dumtaxat appellationem in devolutivo.

13 Hæc sane est proprie vacatio, quoniam *ex Constitutione Piana* prælectus acquirit jus in beneficio, & ex eadem privatur, si doceatur de irrationabili judicio episcopi, quod est fundamentum impetrantis, seu oppositoris, privatio enim supponit habitum, & vacatio jus in re *l. decem ff. de verbor. obligat.*, *cap. ad dissolvendum de despons. impuber.*

14 Quarto privationem beneficii incurrit, qui prælectus ab episcopo in concursu non curavit infra quatuor menses præsentare suam prælectionem coram Papa pro obtinenda collatione Apostolica; Jus enim, quod ita provisus in ecclesia parochiali obtinuit, ob non petitam Apostolicam institutionem resolvitur *ex Constitutione Pii*, sicuti qui inter tres menses non petit confirmationem Apostolicam, omni jure electionis eo ipso privatur *ex deductis in cap 17. de vacat. ob non petitam intra tres menses confirmat.*

15 Quæ tamen limitantur in casu justi impedimenti, quod proprie evenit, ubi inter Regem, & Papam commercium interdictum est, nam generaliter omne facti impedimentum operatur, ne prælecto in concursu currat tempus *cap. final. de election. cap. quia diversitatem de præben. l. unica §. final. C. de annalib. exception. utrobique interpreter*,
16 præsertim si impedimentum causatum sit ex facto Principis, quod inter casus fortuitos adscribitur *l. Lucius Titius ff. de evition.*, ac per consequens impetratio ecclesiæ parochialis obtenta ab alio ex hoc capite contra prælectum in concursu de jure non subsistit, quoniam tempus incipit currere à die, quo impedimentum facti sublatum est, seu quando inter Regnum, & Sedem Apostolicam differentiæ penitus cessaverunt.

17 Denique ipso jure vacat ecclesia parochialis, pro cujus collatione novus concursus est convocandus, si prælectus ante obtentam collationem à Papa decesserit, vel juri, quod ex prælectione quæsivit, renunciaverit *cap. si electio de elect in 6 Garz. de benefic. par.9. cap.2. num.222. cum seqq. ubi casus*, sicuti nova electio fieri debet, si electus ante acceptationem, vel decedat, vel inhabilis efficiatur, nam sicuti electus acquisivit jus in re, sive ad rem in beneficio, dignitate, & officio ecclesiastico, ita prælectus in concursu, cum non sit assignabilis ratio disparitatis inter unum, & alium casum, nempe inter electionem, & prælectionem,

18 Quæstio est, an vacet ipso jure beneficium, si in primo concursu nullus clericus comparverit, deinde ordinarius, novo concursu convocato, minus idoneum prælegit? Quæstio cum distinctione resolvitur; Aut ordinarius in secundo concursu se retulit ad dispositionem Tridentini, aut secundum concursum discretive à primo intimavit, primo casu vacat ipso jure ecclesia parochialis, non item in secundo casu; Et ratio disparitatis est, quia ordinarius se referendo ad Tridentinum se subjecit ejus decreto, quod præcise tenetur servare, & consequenter iterum vacat ecclesia, si minus dignum, seu minus idoneum in concursu approbaverit *juxta Constitutionem Pii V.*; E contra vero ubi semel concursus, in quo nullus comparuit, convocatus est, non tenetur ordinarius amplius alium convocare, quia fit reversio ad jus commune, in quo sufficit eligere idoneum ætate, scientia, prudentia, & gravitate *cap. cum in cunctis §. Inferiora de election. cap. licet canon,*

canon. de electione. in 6.. Deinde ordinarius noluit se subjicere decreto Tridentini, convocando alium concursum à primo discretum *l. unica §. fin autem C. de caduc. tollen.*, ergo præelectio clerici digni, & habilis de jure sustinetur, licet magis idoneum postposuerit.

19 Parochiales autem ecclesiæ unitæ capitulis, monasteriis, vel dignitatibus non vacant, nisi de facto per obitum Vicarii, nec indigent formali concursu, quia electus, seu nominatus à Capitulo, Monasterio &c. non est Ecclesiæ Pastor, sed potius Vicarius, qui nomine Capituli, & Monasterii curam animarum exercet *ex constitutione* 47. *Pii V.*, *quod pluries firmavit Rot. decis.*102. *par.*1. *decis.*16. *par.*6. *decis.*5. *n.*2. *par.*7. *decis.*184. *num.*6. 8. *par.*8. *recen. decis.*17. *num.*2. *decis.*730. *num.*1. *decis.*442. *num.*19. *cor. Caprar. decis.*517. *num.*4. *tom.*2. *decis.*247. *num.*1. *tom.*1. *decis.*524. *num.*1. *tom.*2. *cor. Molin.*;

20 Quod intellige, si beneficium parochiale cum suppressione tituli capitulo, vel monasterio unitum sit, secus si unio facta sit in certa, seu quota fructuum, aliud enim est unio fructuum, aliud unio beneficii *argumento Text. in l. Papinianus ff. de minor.*, idcirco ubi unio cadit tantum super certa quota fructuum ecclesia parochialis per concursum est conferenda, adeout ob omissam, seu non servatam formam Tridentini, & Pii V. iterum vacare censeatur ad omnes juris effectus *in puncto Rot. decis.*219. *decis.*311. *par.*16. *decis.*150. *par.*17. *decis.*204. *par.*18. *rec.*, ubi quod beneficium sic unitum potest à quocumque tanquam vacans libere impetrari.

21 Pluribus demum ecclesiis parochialibus eodem tempore vacantibus, plures possunt ab episcopo convocari concursus, quot enim parochiales ecclesiæ, tot vacationes, quot vacationes, tot concursus; Id tamen necessarium non est, itaut hac forma non servata,

22 Beneficium ipso jure vacet. Sane communiter receptum est, episcopum pro pluribus ecclesiis parochialibus vacantibus posse unum indicere concursum, nam de jure expresse non cavetur, ut plures in pluribus ecclesiis parochialibus vacantibus concursus intimentur, & consequenter utraque forma citra nullitatem, & vacationem beneficii potest servari, & quidem prima, quia videtur conformior decreto conciliari, secunda, quia expresse non est contra literam, nec mentem PP. Tridentini, immo videtur modus magis expeditus, quia ita citius consulitur saluti animarum, & indemnitati ecclesiarum parochialium vacantium; Primus modus inter beneficialistas non controvertitur; Secundus auctoritate *Sac. Rotæ* resolutus est, *ut in decis.*1183. *num.*3. *cor. Molin. tom.*5.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Colletio Ecclesiæ Parochialis, & reservatio pensionis sunt actus correspectivi.
2 Colletio Ecclesiæ Parochialis facta minus idoneo, & pensio super eadem ecclesia reservata habent implicitum statum validitatis, ubi declaratur.
3 Annullata provisione Episcopi pensio favore alterius etiam extinguitur.
4 Pensio, & beneficii collatio sunt actus distincti, ubi declaratur 5.
6 Pensio reservata super beneficio parochiali, cuius præelectio non valet, vacat, & extinguitur, ac indiget revalidatione.
7 Limitatur, si antea pensio reservata esset.
8 Pensio reservata à Papa super beneficio, cuius impetratio est subreptitia, de jure sustinetur, & de differentia pensionis impositæ ab Episcopo super Ecclesia Parochiali, quem minus idoneo in concursu contulit.
9 Limitatur, si occasione renunciationis pensio loco alimentorum ab Episcopo reservata sit.
10 Renuncians privari non debet pensione, & beneficio.
11 Ob non factam publicationem beneficium ipso jure vacat, sed pensiones integræ manent.

1 Collatio ecclesiæ parochialis, & reservatio pensionis sunt actus correspectivi, dum eo tempore, quo Episcopus uni ecclesiam parochialem confert, alii pensionem reservat; sane implicitum statum validitatis
2 habet præelectio minus idonei in ecclesia parochiali, ergo quoque subsistit pensio, dummodo tamen contemplatione studiorum, paupertatis, aut alias ex gravi, & necessaria causa ab Episcopo reservata sit *late Tondut. de pension. cap.*1. Præterea, si annullatur
3 provisio Episcopi, quia forte minus idoneo in concursu contulit beneficium, extinguitur etiam pensio favore alterius reservata, quoniam corruente uno ex actibus correspectivis, corruit & alter *l. cum emptor. ff. de rescind. vendit. Abb. in cap. pervenit* 2. *num.*4. *versic. sed tu dic clarius de Jurejur. Gratian discept. forens. cap.*14. *n.*4. *lib.*1. *Roland. cons.*69. *n.*44. *lib.*4.

4 Nec objiciatur, quod nihil commune habeat pensio cum beneficio, adeoque cum sint actus distincti, uno perempto, alter non tollitur *Rot. decis.*213. *num.*18. *par.*6. *recen.* Deinde non repugnat, quod collatio ecclesiæ parochialis irrita sit ob non servatam Tridentini formam, & pensio de jure subsistat, dum-
5 modo justa causa, ut supra, concurrat; Respondetur collationem beneficii, & pensionis reservationem esse quidem inter se actus distinctos, sed unus actus sine alio expleri non potest, quoniam Episcopus nequit imponere pensionem ad vitam pensionarii, nisi etiam conferat ecclesiam parochialem; unde si col-
6 latio ecclesiæ ex integro fiat, irritum etiam sit quidquid ab Episcopo gestum est, itaque opus est, ut ex integro pensio revalidetur à Papa, qui impetranti, seu oppositori uti magis idoneo beneficium contulit, tamen super hoc debet supplicare pensionarius, cuius precibus procul dubio annuendum est, si pensio ex justa, & necessaria causa ab Episcopo imposita sit, ut supra.

7 Limitatur, si antea pensio reservata fuisset, & pen-

& pensionarius esset in possessione eam exigendi, actua enim irrationabilia Episcopi inde conferentis *contra decretum Tridentini* ecclesiam parochialem præjudicium irrogare non potest pensionario habenti jua quæsitum *l. rescriptum ff. de his, quibus ut indignis*, & qui non deliquit, non debet puniri, *l. sancimus C. de pæn.*, & in hoc casu verum est, quod beneficium, & pensionis reservatio sunt actus distincti, & separati *juxta Rot. decis.213. num.18. par.6. rec.*

8 Quod clarius habetur *ex deductis per Marescott. var resol. cap.18. num.47. lib.2. Soccin. cons.260. per tot. De Luc. de pension. disc.33. num.13. Rot. decis.658. num.4. cor. Dunozett. Junior.* ubi dicitur pensionem reservatam super beneficio, cuius impetratio erat subreptitia, de jure substineri ex ratione jam dicta, cui insuper alia adjicitur, quæ disparitatem casus evidenter ostendit, nam ideo pensio valet, quia ibi collator habebat illimitatam potestatem conferendi beneficium, & reservandi pensionem, quæ sane potestas cessat in Episcopo, qui ecclesiam parochialem pensione gravatam *contra Tridentini decretum* providit, sicuti enim tollitur potestaa Episcopo conferendi ecclesiam, ita in sequelam adimitur facultas reservandi pensionem; deinde ibi collatio beneficii non tenuit ex culpa impetrantis; hic ex culpa Episcopi perperam providentia.

9 Limitatur similiter, si occasione renunciationis pensio loco alimentorum clerico reservata sit, tunc enim ex facto Episcopi perperam conferentis ecclesiam parochialem, pensio non extinguitur, dum renuncians, & respective pensionarius beneficium à se non abdicasset, si pensio loco alimentorum reser-
10 vata non fuisset; alioquin ita renuncians privaretur pensione, & beneficio, quod est contra omnea juria regulas *Rot. decis.342.*
11 *num.11. par.19. recen.*, & facit ad hoc *Constitutio Gregorii XIII.85.* ubi ob non factam publicationem beneficium quidem iterum vacat, sed tamen pensiones, indulta, & reservationes integræ manent.

ARGUMENTUM.

De Beneficiis ecclesiarum parochialium vacantibus ob non servatam formam concursus, & quando pensio, seu congrua vicarii extinguatur juxta varia decreta sacræ congregationis *ad interpret. Trident. sess.24. cap.18.*

SUMMARIUM.

1 Decreta sacræ congregationis concilii æquiparantur prudentum responsis.
2 An laicus admitti possit ad concursum parochialis ecclesiæ vacantis.
3 Examen per concursum à Tridentino quo jure inventum.
4 Laicus potest præsentari ad beneficium familiare.
5 Capacitas in beneficiis requiritur tempore institutionis.
6 Quod de jure prohibitum non est, censetur permissum.
7 Laicus non potest admitti ad examen per concursum ex Tridentino, & resolutione sacræ congregationis.
8 Laicus est incapax beneficii.
9 Examen per concursum adnexum est ecclesiæ parochiali vacanti.
10 Laicus prohibitus obtinere parochiam censetur etiam prohibitus concurrere ad examen.
11 Regula, quod prohibitum non est, censetur permissum, quo jure procedat.
12 An in collatione ecclesiæ parochialis jurispatronatus ecclesiastici, & laici requiratur concursus, resolutiones sacræ congregationis concursui favorabiles.
13 Contrarium in *Bracaren.* censuit sacra congregatio, ubi de ratione.
14 Mixtum etiam sub simplici continetur in materia odiosa, quando eadem militat ratio.
15 Ecclesiæ parochiales non tam ex Tridentino, quam de jure dignioribus sunt conferendæ.
16 Portiones, quæ extant in ecclesia parochiali, & sunt beneficia curata, subiacent concursui, & vacant in mensibus apostolicis.
17 An ecclesiæ parochiales jurispatronatus laicalis, quæ jure devoluto conferuntur ab episcopo, subiaceant concursui, duplex opinio num.18.
19 Ecclesiæ parochiales jurispatronatus laicalis, si jure devoluto conferantur absque concursu, vacant in curia.
20 In beneficiis parochialibus, quorum collatio spectat ad capitulum, requiritur concursus.
21 Jus optandi ecclesias parochiales à Tridentino sublatum non est, an conferri debeant per concursum ibidem.
22 Archidiacono ex Tridentino ablata est facultas examinandi.
23 Inferiores collatores privantur ex Tridentino jure deputandi œconomos ecclesiæ parochiali vacanti.
24 Patroni ecclesiastici ex Tridentino privantur facultate libere præsentandi ad ecclesias parochiales, ubi jus conferendi ad inferiorem prælatum pertinet.
25 Episcopus inter approbatos tenetur digniorem eligere, aliter ecclesia parochialis vacat.
26 Examen factum cum tribus, vel quatuor examinatoribus Synodalibus cum aliis tribus, vel quatuor electis ab episcopo est contra formam Tridentini.
27 Item si factum sit pendente edicto cum termino quinquaginta dierum, & prorogatione ad aliud limitatum tempus, ubi quod vacant utroque casu ecclesiæ parochiales.
28 Vacat ecclesia parochialis, si clericus in examine repertus idoneus neglexit inde beneficium obtinere.
29 Item vacat, si comparuit concursui, & deinde examini noluit se subjicere.
30 Vacatio propria, & impropria quæ sit.
31 An in episcopatibus unitis valeat concursus pro ecclesia parochiali vacante in una diœcesi cum examinatoribus alterius, Cardinalium opiniones cum relatione ad sanctissimum num.32.
33 Concursus est nullus cum examinatoribus alterius diœcesis, si uterque episcopatus habeat jus congregandi synodum, ubi resolutiones.
34 Quid si adsit observantia in contrarium?
35 Concursus omnes sunt invalidi in ecclesiis parochialibus, si facti sint cum examinatoribus in synodo non deputatis.

36 An

36 An valeat impetratio beneficii, si synodus convocari non potuit.
37 Officium examinatorum post annum morte unius expirat.
38 Iudices simpliciter delegati, morte unius jurisdictionem amittunt.
39 Examinatores debent jurare se munus suum fideliter executuros, & quomodo illud exequi teneantur.
40 Examinatores de simonia convicti tenentur dimittere beneficia etiam ante obtenta cum inhabilitate in posterum.

CAPUT XLVIII.



PRo confirmatione eorum, quæ *in capite antecedenti* dicta sunt, nonnulla hic adjicere arbitrati sumus, quæ tangunt materiam ecclesiarum parochialium vacantium ob nullitatem concursus juxta varia Sacræ Congregationis Concilii decreta, quæ quoad
1 interpretandam mentem Tridentini non differunt ab iis prudentum responsis, quibus datum fuit à Principe, ut jura publice interpretarentur, regerent, & quotidie in melius producerent *l* 2. §. *post originem ff. de orig. jur.* §. *responsa instit. de jur. natural.* Hoc posito,

2 Olim dubitatum fuit, an merus laicus admitti possit ad concursum pro ecclesia parochiali vacante, & videtur admittendum esse, laicus enim quandoque ad electionem, quandoque ad faciendum sermonem, quandoque etiam ad causas matrimoniales invitatur, immo in causis, in quibus agitur de fide, etiam non vocatus interesse potest, ac se subscribit *Gloss. in can.*2. *vers. invitatur distinct.*63.;

3 Deinde examen per concursum pro ecclesiis parochialibus à Tridentino inventum est, ut quis sit instructus in iis, quæ ad scientiam, bonos mores, & fidem spectant *can. qui epis-*
4 *copus distinct.*23.; Demum laicus potest præsentari ad beneficium familiare, dummo lo intra quatuor menses ad primam tonsuram, seu ad ordines promoveatur *l. unum ex familia ff. de legat.*2. *Pitton. controver. patron. cap.*61. *Card. de Luc. de jurepron. discur.*45. *num.*7. *discur* 46. *num.*4 6., capacitas enim
5 in beneficiis non tempore examinis, sed tempore institutionis de jure requiritur *cap. si eo tempore de rescript. in* 6. ergo laicus potest admitti ad examen per concursum, dummodo tempore habili ad clericatum ascendat,
6 & ratio solida est, quia examen, quod prohibitum non est, de jure censetur permissum *Gloss. in can. pervenit distinct.*93.

7 At contrarium resolvit Sacra Congregatio *die* 11 *Decembris* 1621 *lib.*12. *decret. fol* 81., ubi ad dubium, an purus laicus admitti possit ad examen per concursum pro parochialibus obtinendis, *censuit non posse*: Placet hæc resolutio uti literaliter innixa decreto Tridentini, in quo mandatur tum patronis ecclesiasticis nominare clericos idoneos, tum etiam aliis, qui ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, nec hujus resolutionis deest
8 ratio, nam sicuti laicus est incapax obtinendi beneficium *cap. cum M. Ferrariensis de constit. cap. cum adeo de rescript., cap.*2. *de instit.*, ita incapax est examinis, quod inde ducit ad assecutionem ejusdem; Sane exa-
9 men per concursum ita adnexum est ecclesiæ parochiali vacanti, ut absque eo collatio irrita sit ex decreto Tridentini, Bulla Pii V. *Barbos. de paroch. lib.*1. *cap* 2. *num.*95. *cum aliis infra referendis*; Si igitur laico collatio
10 ecclesiæ ut quid subsequens de jure interdicta est, censetur etiam interdictum examen ut quid antecedens, eidemque parochiali adnexum *Gloss. in can.* 1. *vers dicere distinct.*8. *ibi = Qui enim unum dicit, dicit omnia, quæ sequuntur ex illo, & connexorum idem est judicium.*

11 Regula autem, scilicet permissum esse, quod prohibitum non invenitur, procedit in iis, quæ sunt de jure communi, secus de jure speciali, prout est examen per concursum à Tridentino præscriptum, tunc enim etiam examen censetur laico prohibitum ex hoc, quod non invenitur concessum *Gloss. in can. pervenit distinct.*93. *in princip. ibi = Argumentum ex hoc habes, quod illud videtur prohibitum, quod non ostenditur esse concessum, & est hoc verum in iis, quæ sunt de jure speciali*, & satis constat ex dictis.

12 Dubitatum insuper fuit, an in collatione ecclesiæ parochialis, quæ est jurispatronatus partim ecclesiastici, partim laicalis necessario intimandum sit examen per concursum; Variavit super hoc puncto Sacra Congregatio, nam necessarium esse concursum in parochiali ecclesia jurispatronatus mixti, prout meri ecclesiastici respondit *sub die* 9. *Julii* 1573 *lib* 14. *decret. fol.*608 *ibi = Congregatio præcipue attenta distinctione Felin. in tractatu, quando literæ Apostolicæ noceant patrono ecclesiæ, censuit in collatione parochialis juris patronatus partim ecclesiastici, partim laici servandam esse formam examinis per concursum, quam concilium præcipit in collatione ecclesiæ Parochialis jurispatronatus meri ecclesiastici*; Item servandum censuit, quando juspatronatus pro duabus partibus ad laicos, pro una tantum ad ecclesiam pertinet *sub die* 26 *Junii* 1579, *Montis regalis* 6 *Augusti* 1593 *lib* 7. *decret. fol.* 140. *ibi = Congregatio censuit etiam in jure patronatus, quod pro duabus partibus pertinet ad laicos, & pro una ad ecclesiasticos servandam esse concursum ex decreto Concilii Tridentini cap* 18 *sess.*24., *Nullius* 23 *Martii* 1594. *lib.*8. *decret. ibi = Item censuit in collatione parochialis ecclesiæ, quæ sit jurispatronatus partim ecclesiastici, partim laicalis servandam esse formam examinis per concursum, quam idem concilium cap.*18. *sess.*24 *præcipit in conferenda ecclesia parochiali, quæ sit jurispatronatus meri ecclesiastici*, *Cesenaten* 29 *Martii* 1653 *ibi = Sacra Congregatio censuit ecclesiam parochialem*,

quæ pro duabus partibus est de jurepatronatus
laicorum, pro una vero jurispatronatus eccle-
siastici conferendam esse per concursum ad p æ-
scriptum cap.18.seff.24. de reformat.
13 *At in Bracharen 24 Martii 1604 lib.10. de-*
*cret. fol.*80. censuit oppositum, forte quia
Tridentinum loquens de ecclesia parochiali
jurispatronatus meri ecclesiastici non com-
prehendit juspatronatus mixtum ex notis ju-
ribus, quod tamen verum non est, nam mi-
14 xtum etiam sub simplici comprehenditur,
ubi eadem ratio viget etiam in pænalibus,
& odiosis *Rot. decis.240. num.15. 16. Adden.*
ad decis 308. num.11. coram Ludovis., immo
mixtum judicatur de simplici, quod est po-
tentius *l. quæritur ibique Bald. num.3. ff. de*
stat. homin., sed potentius est juspatronatus
in ea parte, qua ecclesiasticum est, non qua
laicale, ergo in jurepatronatus mixto requi-
ritur concursus ad formam Tridentini ex mox
relatis resolutionibus, quæ omnem dubita-
tionem penitus tollunt, præsertim quia agi-
tur de re favorabili, & amplianda, prout
est forma examinis per concursum, vi cujus
15 non solum ex Tridentino, sed etiam de jure
ecclesiæ parochiales dignioribus sunt confe-
rendæ *cap. constitutis ubi omnes de appellat.*
Thomassin. vetus, & nova eccles. disciplin. de
benef part.2. lib.1. cap.40.
16 Eo modo, quo portiones, quæ extant in ec-
clesia parochiali, si sunt curata beneficia,
subjacent concursui, & vacant in mensibus
Apostolicis *Sacra Congregatio in Patavina 22*
Septembris 1592 ibi = Item censuit, si ecclesia
Sancti Laurentii sit parochialis, & illæ portio-
nes, quæ in ea existunt non tamquam Vicariæ
perpetuæ, sed tamquam beneficia curata ab
episcopo (ut ex provisionibus à monialibus fa-
ctis liquido constare poterit) conferri soleant,
utique locum esse cap.18. seff.24, & constit.
Pii V., & portiones prædictas cadere sub men-
sibus in vim regularum Sanctissimi Domini no-
stri reservatis; Sane de hisce beneficiis lite-
raliter Tridentinum non loquitur, & tamen
subjacent concursui, & vacant in Curia,
ita à pari.
17 Quæstio est, an ecclesiæ parochiales juris-
patronatus laicalis, quæ ab episcopo jure de-
voluto conferuntur, subjaceant concursui,
negat *Massobr. prax. haben. concurs requisit. 1.*
bub.22., & rationem adjicit, nam beneficia
parochialia jurispatronatus laicalis sunt
exempta à concursu, nec cadunt sub Tri-
dentino; idcirco hanc exemptionem non
amittunt, immo transeunt cum illa, si ob ne-
gligentiam patroni ad episcopum devol-
vantur.
18 At contrarium verius est, nam jus patroni
ad ecclesiam jam devolutum nil reputatur, &
attenditur dumtaxat persona episcopi confe-
rentis, quæ facit, ut juspatronatus laicale,
sublato præsentationis obstaculo, pro hac vi-
ce habeatur, ac si esset ecclesia liberæ colla-
tionis, quæ sine dubio subjacet concursui
Patavina 29 Novembris 1600 ibi = habita est
Congregatio Concilii in Palatio Apostolico,
cui interfuerunt DD. Cardinales Montelpar,
de Monte, Aquaviva, Blanchettus, Mantica,
Bonvisius, Sanctorum quatuor, in eaque pro-
posito d. dubio censuerunt omnes in collatione
hujusmodi parochialium, quæ jure devoluto
conferuntur, servandam esse formam exami-
nis per concursum, quia patronus non læditur,
& quia sublato obstaculo præsentationis, &
juris patroni illa vice exclusi, res redit ad or-
dinarii potestatem; Aliter si simpliciter, &
19 absque concursu conferantur, vacant apud
sedem, cui reservatæ sunt *ex constit. Pii V.*
33 de collat. eccles. parochial.; Porro opinio
Massobrii licet in hac materia concursus satis
versati tamquam singularis in praxi recipien-
da non est, eamque rejicit, & ratio per
nos adducta, & auctoritas Sacræ Congre-
gationis.
20 Insuper in beneficiis parochialibus, quo-
rum collatio spectat ad capitulum, concur-
sus est convocandus *Tarvisana 23 Februarii*
1636 ad secundum ibi = censuit adveniente
vacatione ecclesiarum parochialium etiam ad
collationem capituli spectantium esse eas præ-
vio concursu ad præscriptum Tridentini seff.24.
cap.18. omnino conferendas, quoniam eadem
militat ratio in ecclesiis parochialibus, in
quibus capitulum instituit, prout in iis,
quas confert episcopus inter approbatos ma-
gis idoneum eligendo ex Tridentini de-
creto.
21 Notandum tamen est Concilium jus optan-
di ecclesias parochiales non substulisse, neque
in ipsamet optione servandam esse formam
examinis, sed tamen, qui optant, debent
esse approbati in concursu, ita ut ecclesia
parochialis, quæ ultimo loco per optionem
vacat, conferri debeat per concursum; Hæc
tamen pendent ab observantia, an scilicet in
hisce ecclesiis parochialibus per optionem va-
cantibus concursus forma servari consueverit
Toletana 23. Septembris 1613., & 21. Ju-
nii 1614. ibi = Congregatio habita est in ædi-
bus Eminentissimi D. Cardinalis Sanctæ Cæ-
ciliæ, cui interfuerunt DD. Cardinales Mil-
linus, Serronius, de Monte, Justinianus,
omnes vero in eam sententiam venerunt optan-
di consuetudinem non fuisse à Concilio subla-
tam cap.18 seff.24., neque in ipsa optione ser-
vandam esse formam examinis per concursum,
si modo, qui optant, fuerint antea prævio
concursu approbati, cæterum ultimam paro-
chialem ecclesiam, quæ per aliorum optionem
vacat, nullatenus eos optare posse. qui in
concursu approbati non fuerint, concursum
vero inter eos instituendum, qui sunt ex gre-
mio ejusdem Congregationis; quod si nullus
ex eis idoneus concurrat, tunc demum exteros
quoque ad concursum esse admittendos, Man-
darunt tamen rursus perquiri, atque Congre-
gationi referri, num qui parochiales optant
pinguiores primi fuerint prævio concursu ap-
probati ab ordinario, an vero, cum vacat po-
sterior, forma concursus observari consueverit,
& ita rem totam in aliam Congregationem re-
jiecierunt.

22 At-

22 Attamen ex Tridentino sublata est facultas examinandi, quæ olim de jure competebat Archidiacono, hodie enim hæc facultas impartitur dumtaxat examinatoribus in Synodo deputatis, *ita die 14. Septembris 1624. super dubio*, an facultas de jure antiquo competens Archidiacono examinandi *ex cap. ad hæc de offic. Archidiac.* sit sublata per Concilium *sess. 24. cap. 18.*, ubi hæc facultas demandatur examinatoribus, licet ipse non sit unus deputatus in Synodo, *Sacra Congregatio censuit Concilium privasse Archidiaconum sua facultate examinandi*.

23 Privantur quoque inferiores collatores jure deputandi œconomos, administratores, & vicarios ecclesiæ parochiali vacanti, hoc enim jus ex Tridentino solis Episcopis commissum est; unde cum quæsitum fuisset, an vacante beneficio curam animarum habente, cuius collatio, seu institutio ad inferiores spectat, deputatio personæ ad custodiam, seu administrationem bonorum ejusdem beneficii, dum vacat, spectet ad Episcopum vigore *decreti 18. sess. 24.*, vel potius id sit collatoris, vel institutoris munus *juxta notata per Gloss. in cap. cum vos de offic. ordinar. Abbat, & alii in cap bonæ de appellat.*, Sacra Congregatio respondit *hanc custodiam, & administrationem bonorum pertinere ad vicarium, quem solus Episcopus deputat in Ravennaten 11. Maii 1582. lib 3. memorial. fol. 473.*, *& lib. 3. decret. fol 42.*

24 Rursus patroni ecclesiastici, si jus conferendi spectat ad inferiorem collatorem, privantur facultate præsentandi unum inter approbatos in concursu, Episcopus enim habet jus eligendi digniorem præsentandum à patrono ecclesiastico ei, ad quem spectat institutio *ex Triden. sess. 24. cap. 18.*, *Rot. decis. 640. num 6. par. 4. tom. 3. recen.*, sicuti

25 digniorem, seu magis idoneum inter approbatos in concursu tenetur providere de ecclesia paochiali vacante, si collatio ad ipsum pertinet, alioquin ecclesia parochialis vacat ad omnes juris effectus *Assisien 1. Augusti 1592 ibi = Congregatio censuit Episcopum debuisse omnino ex Concilio Tridentino magis idoneum eligere ex his concurrentibus, qui ab examinatoribus idonei fuerint denunciati, & propterea cum novo instituto examine elegerit alium, eique parochialem Archipræsbiteratum nuncupatum contulerit, & ita formam Tridentini non servaverit, plane nulla, & irrita est collatio, & parochialis tunc vacat, prout ante collationem hujusmodi vacabat, & Sanctæ Sedi Apostolicæ reservata extitit, sicuti cavetur in Constitutione Pii V. de collat. eccles. parochial.*

26 Denique illud etiam de jure certum est examen factum cum tribus, vel quatuor examinatoribus synodalibus cum aliis tribus, vel quatuor ab ordinario electis esse *contra formam Tridentini*, idcirco ad dubium, an concursus, & examen pro parochialibus providendis factum à tribus, vel quatuor examinatoribus synodalibus una cum aliis tribus, vel quatuor ab ordinario tantum deputatis sit contra formam Concilii Tridentini, & provisiones parochialium sic ab ordinario factæ sint nullæ, & Sedi Apostolicæ reservatæ, *Congregatio respondit esse contra formam à Tridentino Concilio præscriptam, nulliusque esse momenti, & collationem ad Sedem Apostolicam ex Constitutione Sancti Pii V. esse devolutam, Carthaginen die 7. Martii 1596. lib. 17. decret. fol. 314.*

27 Eodemque nullitatis vitio laborat examen factum pendente edicto cum termino quinquaginta, & ultra dierum, & prorogatione ad aliud limitatum tempus, si tamen plures in concursu comparuerint, & ita quoque ad dubium, an concursus, & examen pro parochialibus providendis factum, pendente edicto cum termino quinquaginta, vel plurium dierum, in quo plures concurrentes se inscribi fecerunt, & postea prorogato ad alios quindecim dies, vel plures, si: *contra formam Concilii Tridentini, & Constitutionis Sancti Pii V.* & provisiones parochialium taliter factæ sint nullæ, *Congregatio in d. Carthaginen respondit ad eamdem Concilii formam irritat, & inanes existere hujusmodi provisiones*, utroque igitur casu in pœnam Episcopi, qui legem Conciliarem non exequitur, vacant ecclesiæ parochiales, ut patet,

28 Sicuti vacat, si clericus idoneus repertus fidem habuit de idoneitate, deinde neglexit parochiam obtinere, novus enim concursus est convocandus, unde ad dubium, an ordinarius proposito edicto vacantis beneficii ad formam *d. cap. 18. sess. 24.*, & aliquo deinde reperto ab examinatoribus, qui fidem idoneitatis recepit animo obtinendi d. beneficium, nihilominus postea neglexit, vel pœnituit, possit iterum ponere aliud edictum ejusdem beneficii, *Sacra Congregatio respondit posse in Vintimilien Decembris 1587. lib. 5. decret. fol. 72.*

29 Similiter vacat ecclesia parochialis, ubi clericus comparuit, & deinde noluit examini se subjicere, nova enim concursus edicta apponenda sunt *Sacra Congregatio in Vicien 21. Aprilis 1592. ibi = item censuit, si vacante parochiali intra terminum edictorum unus, qui comparuit, noluit se subjicere examini, nec curat obtinere parochialem, esse ab Episcopo affigendum aliud edictum, rursusque vocandos oppositores.* Hæc tamen vacatio est

30 impropria, propius tamen accedit vacationi, quando quis prælectus in concursu deinde renunciat, nam jus, quod ex prælectione obtinuit, renunciatione amittit *cap. si electio de elect. in 6.*

31 Quæstio etiam non levis est, an in Episcopatibus æque, & principaliter unitis valeat concursus ecclesiæ parochialis vacantis in una diœcesi cum examinatoribus alterius; Dubium hoc propositum fuit *in Avellinu 22. Julii 1614.*, *in qua quinque ex Eminentissimis Patribus Torres, Gipsius, Pius, Pamphilius, & Biscia fuerunt pro negativa contra Simoncellum similem concursum ab Episcopo factum*

cum examinatoribus alterius diœcesis fuisse nullum, eo quia Episcopatus sint æque, & principaliter uniti; Pro validitate vero Verospius, & Antonius Barberinus, Ginnettus, & Cæsarinus fuerunt in voto, ut prius videretur super observantia, & ultimo statu, nec non caperetur informatio unionum episcopatuum, quæ æque, ac principaliter fiunt, ideoque attenta tali diversitate opinionum referenda esse vota, & rationes singulorum Sanctissimo Domino Nostro juxta stylum Sacræ Congregationis, & specialem ordinem sanctitatis suæ.

32 *Facta deinde relatione Sanctissimo Domino Nostro considerans Sua Sanctitas variationem opinionum Eminentissimorum Patrum, & quod controversia non versatur circa declarationem huius Sacræ Congregationis anno 1612. editam, quando adhibendi sunt examinatores unius episcopatus uniti pro validitate concursus, cum d. declaratio non controvertatur, sed difficultas restringatur, an adsint probationes sufficientes super hujusmodi unione, & observantia, ac aliis; quodque pro parte rei, & possessoris, nec non Episcopi, & Civitatis Avellinæ, de cuius interesse principaliter agitur. Supponitur suæ Sanctitati adesse alias probationes in promptu concludentiores, & quod resolutio circa hujusmodi probationes afficiat alios Episcopatus unitos, & consequenter aperiretur via controvertendi quamplures concursus ne dum in d. Episcopatu, sed & in aliis similibus episcopatibus unitis, ideo eadem Sanctitas dixit d. relatione Sacræ Congregationis firma remanente, cognitionem istius causæ ab eadem Sacra Congregatione remittendam ad Rotam, in qua potissimum discutiuntur articuli, qui concernunt probationes, depositiones testium, illorumque exceptiones, & similia* ita habetur *in d. Avellina 12. Augusti 1634.*

33 Cæterum præcisive à casu *d. Avellinæ*, cujus jura remissa fuerunt ad Sacram Rotam ob rationes ibidem allatas, veritas juris est examinatores unius episcopatus non esse idoneos pro examine alterius, si uterque episcopatus habet jus convocandi synodum, nam tunc leges unius episcopatus non obligant alium, & in utroque servanda est forma Tridentini pro ecclesiis parochialibus vacantibus *Acherontina & Materana 11. Augusti 1612.*, quæ est eadem, de qua fit mentio *in d. Avellina, Civitatis Castelli 24. Septembris 1638. ibi Sacra Congregatio respondit concursus fieri debere cum examinatoribus synodalibus diœcesis Civitatis Castellanæ, vel Hortanæ, in qua existit ecclesia parochialis vacans, non tamen episcopum in una ex dictis civitatibus teneri se personaliter transferre ad alteram civitatem, & diœcesim, sed posse dictos concursus facere in civitate, & diœcesi, in qua moratur adhibitis tamen examinatoribus civitatis, & diœcesis, in qua ecclesia parochialis vacavit.*

34 Verum opinionem *Verospii, Barberini, & aliorum*, qui validitatem concursus sustinuerunt, admittendam censerem, si adesset consuetudo in contrarium, quæ potest induci in hac materia concursus, in qua examen, quod fit cum examinatoribus alterius diœcesis, directe non repugnat decreto Tridentini; consuetudo enim legum est optima interpres *cap. cum dilectus de consuetudine, l. si de interpretatione ff. de leg.*, Deinde sicuti duæ legationes sub una, eademque persona legati reputantur pro una, tametsi unaquaque quoad limites, & prærogativas distincta sit *Innocen. in cap. novit in fin. de offic. legat*, idemque habetur in duabus provinciis unitis sub uno præside *ex l. unica ibiq. Gloss., & Bart. num. 11. cod. de Metropol. Beryto, lib. 11.*, & *Rot. decis. 418 num 3. coram Cavaler.*, ita duo episcopatus etiam æque, ac principaliter uniti quoad eumdem episcopum habentur pro uno, quod sufficit, ne ecclesia parochialis vacet ex hoc capite.

35 Denique omnes concursus de ecclesiis parochialibus facti cum examinatoribus in synodo non deputatis sunt invalidi, etiamsi multis ab hinc annis episcopus synodum non celebraverit, licet Sacra congregatio habito prius verbo cum sanctissimo prædictos concursus convalidare soleat *ut habetur in Placentina, & Cæsaraugustana 23 Augusti 1653.*

36 Hinc quæres, an valeat impetratio beneficii uti vacantis, si extra synodum examinatores fuerint deputati ex eo, quod synodus convocari non potuit: Respondeo impetrationem non valere, quia quando forma servari non potest, sufficit actum facere eo modo, quo fieri potest, nec examen vitiatur, si fiat cum aliis examinatoribus extra synodum deputatis, & in sequelam ecclesia parochialis non vacat *in puncto Rot. decis. 437. part. 4. recen. tom. 2.*

37 Interim tamen notandum est, quod officium examinatorum synodalium durat quousque alii in synodo deputentur, habet enim hanc tacitam conditionem prout præscribitur in decreto Tridentini, verum, si elapso anno unus moriatur, cessat etiam officium quoad alios, quia est de forma, ut sint sex in synodo approbati. *Sacra congregatio in Saonien., seu Neopien. 5. Februarii 1593. ibi item censuit examinatores synodales durare, donec alii in synodo deputati fuerint, verum, si elapso anno aliqui ex eis mortui fuerint, omnium offi-*

38 *cium expirare*; Eo modo, quo plures judices simpliciter delegati morte unius jurisdictionem amittunt *cap. uno de offic. judic. delegat. ibi uno delegatorum, vel arbitrorum rebus humanis exempto, eorum officium expiravit*; Et ratio est, quia censetur actum, ut omnes jus dicant, *ut notat Gloss. & interpretes ibidem*, ita à pari.

39 Notandum insuper, quod examinatores jurare debent humana affectione postposita munus suum fideliter se executuros, idque dicitur fideliter executum, si hi nec ante, nec post quidquam occasione examinis acceperint, deinde approbent in concursu, quos idoneos invenerint ad curam animarum, & reprobent indignos, ne alias præbeant occasionem aliis delinquendi, quasi aliquid acceperint apro-

probando eos, quos tenebantur reprobare optime *Cassiodorus var. lib 11. cap.8. ivi non solum nostras, sed & officii innoxias custodivimus manus, alioquin inutile bonum est judicem non accipere, & multis licentiam accipiendi præbuisse*; Quod si contra officium eos fecisse compertum fuerit, ultra graves pœnas arbitris provincialis synodi, tamquam simoniaci ab officio removendi sunt, ut in eo, in quo deliquerunt, puniantur *Authentica omnes peregrini cod. commun. de success. Gloss. in can. si quis vers. liminibus distinct.94.*, Et crescit
40 pœna, si enim tam ante, quam post occasione examinis aliquid vere acceperint, tam ipsi, quam dantes simoniæ vitium statim incurrunt, à qua absolui non possunt, nisi dimissis beneficiis quomodocumque etiam antea obtentis cum inhabilitate in posterum alia similia, vel dissimilia obtinendi *ex Trident. cap.18. sess.24.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 AN portio vicarii ecclesiarum vacantium assignari debeat ab episcopo habito respectu ad sustentationem, aut ad ipsarum vacantium valorem, vel ad ipsius vicarii qualitatem, ubi resolutio num.2., & ratio num.3.

4 An portio fructuum vicario debeatur, si ecclesiæ parochiali vacanti alii coadiutores jam deputati sint, ratio dubitandi, & decidendi num.5. ac resolutio num.6.

7 Portio fructuum vicario ecclesiæ parochialis vacantis assignari debet sub conditione, donec parochialis de rectore provideatur.

8 Dictio *donec* quid importet.

9 Ob provisionem ecclesiæ parochialis vacantis portio fructuum vicario assignata cessat, & extinguitur.

1 QUæritur primo, an fructuum portio constituenda ecclesiarum vacantium vicario curam exercenti, quousque ad novam institutionem deveniatur, referri debeat ad sustentationem, aut ad ipsarum vacantium valorem, vel ad ipsius vicarii qualita-
2 tem, *Sacra congregatio respondit die 11. Aprilis 1625. ad hæc omnia deferendum*; Re-
3 solutio sane juridica, nam arbitrium largitum à Tridentino episcopo in fructuum portionis assignatione regulam desumit à jure, à quo dirigi debet *Bart. in extravag. ad reprimendum verbo videbitur num.8. quomodo in læsæ Majest crimen procedat. Idem in l. finali § sed & si num 16. cod. com. de legat.*, *Rot. coram* Gregorio *decis.189. num.3. decis.323. n.1, part.16 recen.*

4 Quæritur 2., an portio fructuum vicario debeatur, si præventive adsint alii coadiutores deputati ad custodiam bonorum & ad curam ecclesiæ parochialis vacantis; Ratio dubitandi est, quia vicarius ex Tridentino *d. cap.18. sess.24.* deputandus est sub conditione, si opus sit: *ibi si opus fuerit idoneum in ea vicarium substituat.*, sed opus non est, si alii coadiutores ecclesiæ parochiali vacanti jam præventive deputati sunt, ergo portio fructuum vicario ab episcopo deputato non debetur.

5 Sed contra concludendum est, nam si opus sit, vel non, spectat ad episcopum, qui eo ipso, quod deputat vicarium ecclesiæ parochiali vacanti, satis declarat id opus esse, & ita cum obiisset plebanus ecclesiæ parochialis ordinarius deputavit œconomum, qui defuncti plebani vices gereret cum congrua fructuum portionis assignatione *ad præscriptum cap.18. sess 24.*

Quia tamen eodem concilii decreto deciditur hanc deputationem fieri debere sub conditione, si opus sit: Et in hac ecclesia adsunt quatuor coadiutores ipsius plebani, commissarius spoliorum renuit portionem fructuum vicario assignatam persolvere.

Econtra vero dicitur ordinarium, qui debet judicare de necessitate, vicarium tamquam necessarium deputasse, eumdemque curam sibi commissam exercuisse, nec deberi operarium fraudari mercede sua; unde supplicatur pro opportuna declaratione, an d. commissarius teneatur solvere portionem vi-
6 cario assignatam, necne *Sacra Congregatio respondit die 11. Aprilis 1625., solvat.*

7 Denique portio fructuum vicario assignari debet sub conditione. donec scilicet ecclesia parochialis de rectore provideatur *ex Trident. d. cap.18. sess.24.*, dictio *donec* importat con-
8 ditionem *Decius cons.620. num.2.*, & secundum alios est limitativa temporis *Jason. in l. sufficit n.5. ff. de condit. indebiti, Decius cons.584 n.11. & cons.637. n.12., Paris cons.25. n.16. &
9 cons.90. n.30. lib.2.* Idcirco portio fructuum vicario assignata ob provisionem, & insimul captam possessionem ecclesiæ parochialis vacantis cessat & extinguitur *ex l. in agris ff. de aquiren. rer. domin. Lage cum Geminiano cod. de transact. Decius d.cons.620. n.7. facit Gloss. in cap. finali vers. datur de rescript. in 6.* ubi quod privatus officio, beneficio quoque privatus intelligitur, cum sit ejus sequela.

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii, & Pensionis ob non publicationem resignationis *juxta constitutionem 85 Gregorii XIII.*

SUMMARIUM.

1 VAcant ipso jure beneficia ob omissam resignationis publicationem.
2 Ampliatur in resignatione facta clerico minoris ætatis.
3 Ampliatur in permutationibus beneficiorum.
4 Impedimentum facti quoad hoc non excusat, ubi declaratur.
5 Clericus, qui ob non factam publicationem beneficium impetravit, tenetur publicare resignationem, idem in ulterioribus impetrantibus 6.
7 Vacat ipso jure beneficium ob omissam publicationem, si renunciatio libere facta sit in manibus ordinarii.
8 Limita in libera dimissione beneficii facta coram Papa, & de differentia.
9 Limita in dimissione beneficii, quæ fit ob assecutionem alterius incompatibilis, ubi de ratione.
10 Limita in cessione juris facta clerico, qui jam possidebat beneficium, secus si cessio facta sit a possessore beneficii.
11 Episcopus beneficia in ejus manibus libere dimissa non potest conferre ejus nepotibus, ubi excipitur juspatronatus 12.
13 Collatio beneficii Patronalis obtenta per nepotem episcopi ex capite dimissionis publicanda est sub hac pœna.
14 Coadjutoria parum differt à resignatione.
15 Coadjutoria in pluribus locis solet publicari.
16 Ob non publicationem coadjutoria non extinguitur.
17 *Constitutio Gregoriana* non habet locum in ethicis, quæ communia sunt laicis, & clericis, ubi non inducitur vacatio, si omittatur, ibidem.
18 Quomodo vacet beneficium ob non factam publicationem? Variæ sunt opiniones 19. 20.
21 Hujusmodi vacatio non comprehenditur sub clausulis generalibus.
22 Beneficium ob omissam publicationem vacat tantum ficte, ubi explicatur.
23 Omissio publicationis per impetrantem concludenter probanda est, & quomodo 24.

CAPUT XLIX.



UT in posterum obviaretur etiam fraudibus, quæ inter resignantem, & resignatarium sæpissime committebantur in præjudicium ecclesiarum, & scandalum populorum, cum interdum resignans, interdum resignatarius officiis pastoralibus perfungerentur, constitutione Apostolica cautum habetur, ut
1 vacent ipso jure beneficia, si resignationis publicatio intra sex menses in Italia, & novem ultra montes facta non sit, concessa clericis facultate eadem libere impetrandi à Papa, cui specialiter reservata sunt *ex notissima constitutione 85. Gregorii XIII., de qua Rot. decis. 14. num. 44. cum seqq. decis. 140. par. 10. recen. decis. 172. decis. 191. cor. Cels. decis. 62. n. 1. cor. Ansald. decis 420 par. 19. rec. decis. 250. num. 2. cor. Molin. & in Aslorican. beneficii 31 Januarii 1715. §. justificatio, cor. Cerro, & in Corduben. beneficii 9. Junii 1732. cor. Eminentissimo Rezzonico, & alibi frequenter.*

2 Ampliatur conclusio in minore resignatario, cui etiam ignoranti currit tempus ad publicandam resignationem sub hac pœna; Et quamvis in minore regulariter cesset fraus, & in sequelam videatur, quod cesset constitutio, quæ inventa est ad obviandum fraudibus, nihilominus sub hac constitutione, quæ edita est favore animæ, etiam minor comprehenditur, & sic non facta publicatione intra tempus beneficio ipso jure privatur, quod mihi verius videtur *per Text. in cap. statutum, ibique Gloss. versic. numerandum de praben. in 6.*; Danda tamen est restitutio in integrum, si res sit integra, alias non, quoniam in præjudicium tertii minor in integrum non est restituendus *Rot. decis. 443 lib. 1 cor. Put. per tot.*

3 Hujusmodi autem publicatio etiam locum habet in permutationibus beneficiorum, quæ fiunt coram Papa, vel coram Ordinariis locorum justis de causis *juxta Text. in cap. quæsitum de rerum permutat*; Itque ob eamdem rationis identitatem, quia fraudes non tam inter resignantem, & resignatarium, quam inter compermutantes fieri possunt *Rot. decis. 132. num 12. par. 5. decis. 247. n. 4. par. 17. rec. decis. 23. num. 1. impressa post Cochier. de permutat. benefic. decis. 273. n. 1. par. 18. recen., decis. 662. num. 25 cor. Molin.*, & eo fortius, quia compermutantes remanent in possessione proprii beneficii, donec adipiscantur possessionem alterius, ac administrant jura ecclesiarum, & demum peragunt omnes ecclesiasticas functiones etiam in tempus à jure prohibitum, quod sine dubio sapit confidentiam, quoniam admissa permutatione, titulum beneficii amplius non
4 habent; Et ita est necessaria hujusmodi publicatio, ut ne facti quidem impedimentum excusare possit, nisi doceatur de diligentiis, & de recursu ad executorem, seu Judicem, ad quem spectat removere obstacula tum pro capienda possessione beneficii, tum etiam pro publicanda resignatione, & permutatione *Rot. decis. 331. n. 16. part. 15. decis. 483. n. 9. part. 18. recent.* Quod si de hisce diligentiis non doceatur, resignatarius, elapso tempore ad publicandam resignationem, statim cadit à jure beneficii, & nova inducitur vacatio

catio ob non publicationem *ex constitutione Gregorii XIII. Rot. decis.*273. *num.* 11. *par.*18. *recen.*

5 Quod æque militat in clerico, qui ob non factam publicationem beneficium impetravit, tenetur enim sub eadem pœna adimplere, quod resignatarius facere omisit, ac etiam quia impetrans subrogatur in locum resignatarii, ejusque personam repræsentat, adeoque sicuti resignatarius amittit ipso jure beneficium ob non publicatam resignationem, ita impetrator eandem vacationis pœnam incurrit *ex constit. Gregor. XIII. post med. ibi* = *& quicumque sit impetrans, eo omnia, quæ cedens à jure prædicto debebat, præstare teneatur* = *Rot. decis.*420. *num.*10. 11. *par.*19. *recen. tom.*2., quæ casum resolvit cum dispositione legis, quamvis rationem non dicat, quod sufficit in judicando *ex l. non omnium ff. de legib.*

6 Ampliatur in aliis ulterioribus impetrantibus beneficium ex hoc capite, quos indistincte *Gregoriana Constitutio* obligat sub hac pœna ad publicandam resignationem, etiamsi beneficium cum clausula motu proprio ab impetrantibus obtentum sit; Vis enim hujus clausulæ ea est, ut provisio Apostolica omnino substineatur, licet verus vacationis modus expressus non sit, sed tamen non tollit obligationem publicationis, quæ huic provisioni necessario annexa est, *ut literaliter disponitur in constit. Gregor. XIII., ibi* =, *& quicumque sit impetrans, aut gratiam simili motu habens &c.*

7 Itidem vacat ipso jure beneficium ob non factam publicationem intra tres menses, si renunciatio libere facta sit in manibus ordinarii, hæc enim subjacet iis fraudibus, quæ coram ordinariis non raro committuntur *Rot. decis.*1309. *num.*3. *cor. Seraphin. decis.*420. *par.*19. *recen. decis.*488. *num.*5. *cor. Molin.*; Et quamvis ex eadem identitatis ratione idem dicendum esset de libera dimissione beneficii

8 facta in manibus Papæ, nihilominus contrarium communiter receptum est ex ea solidiori ratione, quia *Constitutio Gregoriana* loquitur de libera renunciatione in manibus ordinarii, nec ulla fit mentio de dimissione beneficii libere facta coram Papa, ergo *Constitutio Gregoriana* tanquam exorbitans ad hunc casum extendi non potest ex notis juribus, ac etiam quia in iis, quæ pendent à libera dispensatione Papæ, cessat qualibet præsumptio fraudis, quæ ratio non cessat in dimissione beneficii libere facta coram ordinariis, nam experientia rerum magistra satis docet plures in hisce renunciationibus fraudes ab ordinariis commissas fuisse, quæ cum pervenerint ad aures *Gregorii XIII*, causam dederunt, ut etiam sub hac pœna renunciationes hujusmodi publicarentur, prout cavetur in resignationibus, quæ ad favorem certæ personæ in Romana Curia expediuntur; Et ratio est, quia in dimissionibus beneficiorum, prout in resignationibus, quæ à Papa recipiuntur, tacite, aut expresse partes regulariter convenlunt, sed in dimissione, quæ in manibus Papæ libere fit, solus Papa disponit, nec ulla fraus potest præsumi, quod pro certo admittitur *apud Rot. decis.*295. *in fin. par.*2. *recen. decis.*420. *par.*19. *recen. tom.*2., licet non his rationibus, & fundamentis.

9 E contra publicatio resignationis facienda non est in dimissione beneficii, quæ fit coram ordinario ob assecutionem alterius, hæc enim non est spontanea, & libera renunciatio, sed potius necessaria, quæ venit in sequelam incompatibilitatis beneficii *Rot. dec.*599. *par.*4. *diversor. decis*2060. *num.*8. *cor. Coccin.*

10 Multo minus publicationi locus est in cessione juris facta clerico, qui jam beneficium canonica institutione, & alio titulo præter resignationem possidebat; non enim cessionarius vi hujus cessionis, sed ex præcedenti titulo jus beneficii acquisivit *Rot. decis.*20. *n.*11. *decis.*37. *num.*8. *cor. Cerr.* secus si cessio facta sit ab eo, qui habebat possessionem beneficii, tunc enim cessio resolvitur in veram renunciationem, quæ sine dubio debet publicari, & beneficium iterum vacat, si publicatio juris cessi facta non sit *juxta constitut.* 85. *Gregor. XIII.*

Ulterius beneficia, quæ ex capite renunciationis ab episcopo conferuntur nepotibus, & consanguineis non vacant ex hoc capite,

11 sed potius continuat vacatio, quia episcopus hæc beneficia nepotibus, & attinentibus de jure conferre non potest *ex constitut.*58. *Pii V. Rot. decis.*420. *in princip. par* 19. *recen. tom.*2. excipitur tamen juspatronatus gentilitium, familiare, & hæreditarium, de quo potest ordinarius libere disponere ad favorem nepotis, & consanguinei. Extat super hoc declaratio Sac. Congregationis Concilii relata *per Quarant. in summa Bullar.* §. *resignationes beneficiorum* §. *cæterum*, & ratio est, quia juspatronatus, ut supra, debetur nepotibus, & consanguineis episcopi ex vera, seu præsumpta mente fundatoris, immo ordinarius videtur arctatus conferre beneficium consanguineis, si ita patronus velit, aut unum ex attinentibus præsentet instituendum; Itaque inverisimile est, quod Pius V. *in d. constitut.*58. innovare voluerit contra veram, aut præsumptam voluntatem fundatoris, aut contra factum patroni, qui aliter, quam quod præcipit Pius V., de beneficio patronali disponit.

12 Præterea ex his rationibus tutam, & bene fundatam puto resolutionem Sacræ Congregationis Concilii, quam absque ulla ratione, & discursu refert *Quarant. in suis commentariis*, ac per consequens collatio beneficii patronalis vacantis per renunciationem de jure subsistit in favorem nepotis, aut consangui-

13 nei episcopi, sed tamen hujusmodi collatio per nepotem, ant attinentem ita provisum publicanda est, quamvis enim juspatronatus non comprehendatur *sub constitutione Pii V. de non conferendis beneficiis renunciatis* in favorem consanguineorum, subjacet tamen *constitutioni Gregorii XIII. de publican. resignat.*

nam

nam juspatro natus beneficium ecclesiasticum est, ac venit sub regula generali de publican. sub hac pœna, *prout expresse disponitur in constit. Gregorii XIII.*, & habetur *apud. Rot. decis.422. num. 7. cor. Merlin.*

14 Denique resignatio æquiparatur coadjutoriæ, prout è contra coadjutoria parum differt à resignatione beneficii, utraque enim subjacet *regulæ Cancellariæ de consensibus*, ideoque caudjutoria ob non publicationem expirare videtur, prout ex hoc capite vacat ipso jure beneficium resignatum.

15 Et ita in pluribus locis solet publicari, maxime si agatur de Prælaturis habentibus jurisdictionem quasi episcopalem *Rot. decis.an. num.14. cum seqq. cor; Ansaldo*, ubi datur cautela, ut debeat publicari, si ita consuetum est; Hæc de consuetudine approbo, sed non de jure; licet enim coadiutoria similis sit resignationi, nihilominus vera resignatio non est, quoniam resignatarius est verus ecclesiæ prælatus, & tenetur præcise residere, ut admninistrare possit nomine proprio jura ecclesiæ; sed coadiutor pastor ecclesiæ non est, nec tenetur ad residentiam, nisi causative, imo quandoque ecclesiæ non inservit, si coadiutoria facta sit principaliter intuitu ipsius, non coadiuti; Item resignatarius habet beneficium, & dicitur titularis ecclesiæ, seu in ecclesia provisus, at coadiutor non possidet beneficium, nec ullum habet titulum ecclesiæ, seu in ecclesia, quia jus, quod habet, pendet à morte coadiuti, immo per obitum coadiutoris non vacat coadiuto-
16 ria, sed potius finitur; Et consequenter jus coadiutoris ob non publicatam coadiutoriam non expirat, prout vacat beneficium resignatarii, nam *Constitutio Gregoriana* resignatarium, de quo loquitur, obligat ad publicandam resignationem, non coadiutorem, de quo ibidem nulla fit mentio *Castropal. oper. Moral. disp.4. pun. 3. §. 6. de publicat. resignat. num.9.*

17 Multo minus locum habet Constitutio Gregoriana in officiis, quæ vere beneficia ecclesiastica non sunt, potissimum si laicis, & clericis sint communia, in his enim non est necessaria publicatio, quamvis coram Papa ad favorem certæ personæ resignentur, aut in manibus ordinarii libere dimittantur; quod si publicatio in ecclesia fiat, id ad consuetudinem, vel ad cautelam referendum est, quo omisso, non inducitur beneficii vacatio, quæ ex consuetudine non causatur, nec dari potest ex actu ad majorem cautelam inito *l. testamentum C. de testam.*

18 Controvertitur inter beneficialistas, quomodo vacet beneficium ob non publicationem? Prima opinio est beneficium vacare per obitum resignantis, idque deducitur *ex Constitut. Gregorii XIII. §. primo*, quod etiam ratione dubitandi dixit *Rot. decis.89. num.2. in fin. coram Royas*, jus enim, quod resolvitur in resignatario, transit ad resignantem, quæ opinio falsa est; quoniam resignans post admissam resignationem spoliavit se omni jure beneficii, & habetur pro mortuo *Paris. consil.93. num.25. lib.4. Rot. decis.104. num.8. cor. Cavaler.*, nec amplius jus, quod à se abdicavit, ad ipsum revertitur ex regula, quod renuncianti non datur regressus ad jura renunciata *l. quæritur §. si venditor ff. de ædilit. edict. cap. licet de jure jur. cap. quamvis de pact. in 6. cap. transmissa de renunciat.*, & in specie habetur *apud Rot. decis.322. num.13. cum seqq par.11. recen.*, ubi habetur, quod decedente interim resignante post admissam resignationem beneficium per ejus obitum non vacat.

19 Secunda opinio fundatur in eo, quod resignatarius acquirit jus conditionale, si nempe intra terminum juris publicatio fiat, qua omissa, ejus jus resolvitur, ac proinde beneficium vacat renunciatione, non propter omissam publicationem, *ita sentit. Lotter. de re benefic. lib 3. quæst.21. n.26. Rot. decis.191. num.5. cor. Cels.*, sed hæc opinio potest uti vera admitti, si resignatarius decedat post tempus datum ad publicandam resignationem, secus si intra tempus decedat, quoniam resignatarius acquirit quidem jus resolubile ob non impletam formam *Gregorianæ Constitutionis*, non tamen conditionale *in puncto Rot. decis.170. num.8. 9. par.17. rec.* ubi resolutum fuit beneficium vacare per obitum resignatarii, qui non adepta possessione decessit intra tempus ad publicandam resignationem.

20 Tertia opinio, quæ communiter in praxi recepta est, hoc utitur fundamento, privatur resignatarius beneficio ob non factam publicationem intra tempus à jure præfinitum, ergo nova inducitur vacatio, quod expressè arguitur *ex Constitutione Gregoriana*, quæ sicuti dat novam formam publicandi, ita novam parit vacationem beneficii, *in puncto Rot. decis.283. numer 7. coram Carill. decis. 89. num.7. cor. Royas, decis 322. n.14. par.11. recen.*

21 Probatur opinio, nam hujusmodi vacatio non comprehenditur sub clausulis generalibus, quibus subiacet vacatio per obitum, seu per renunciationem *cap. susceptum de rescript. in 6.*, sed opus est, ut exprimatur vacatio beneficii ob non publicationem, ergo hæc est nova vacatio ex defectu publicationis, non antiqua ex capite resignationis *Lotter. de re beneficiar. lib.2. quæst.54. num.154 Rot.*
22 *decis.89, num.6. cor. Royas*, Deinde rem subtilius repetentes asserimus, quod beneficium vacat non vere, sed ficte, non vere quia jus resignatarii ab initio resolvitur, ergo vacat vere per renunciationem, ficte, quia *Constitutio Gregoriana* id satis exprimit, si ejus verba perpendantur, ibi=*beneficia eo ipso vacare censeantur, ibi beneficium vacare censeatur*, *Hæc sane* verba juris fictionem non veritatem præseferunt, ergo beneficium vacat ficte, non vere, quod idem est, lex fingit beneficium vacare de jure ob omissam publicationem, licet de facto vacet per resignationem jam resolutam; Hæc dicta sint pro expli-

explicatione terminorum, ne capiatur quid pro quo, quod facile evenit, ubi lex fingit contra veritatem; Cœterum illud pro certo tenendum est, quod beneficium iterum vacat ex defectu publicationis, quamvis vacatio sit ficta, hæc enim à Papa fieri possunt, ut scilicet beneficium plenius vacet per fictionem, quam per veritatem *ad Text. in l. si is, qui pro emptore, ibique Bartol. num. 44. ff. de usucapion. cum aliis supra relat. in cap. 46. num. 7.*

23 His positis, omissio publicationis per impetrantem coucludenter probanda est, nec sufficit, quod resignatio publicata non sit per resignatarium, nam potuit fieri per resignantem *Rot. decis. 288. num. 2. cor. Ludovis.* multo minus probatur, quod publicatio facta sit extra tempus, nam potuit fieri alia intra tempus, cum publicatio actus sit de sui na-

24 tura iterabilis *Rot. decis. 210. num. 3. cor. Ludovis.* Probatur itaque per confessionem ejus, qui resignationem publicare debuit, vel ubi resignatarius expedivit literas post tempus à *Gregoriana* præfinitum; Hi sane duo sunt modi, quibus univoce probatur omissio publicationis ad omnes juris effectus, de quibus supra *Rot. d. decis. 219. num. 4. coram Ludovis.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Pensio imposita super beneficio ob omissam publicationem non extinguitur.
2 Pensio sub Gregoriana Constitutione non continetur, nisi erecta sit in titulum.
3 An reservatarius fructuum cum facultate transferendi teneatur servare constitutionem de publicandis resignationibus, distinguitur 4.

Beneficium resignatum ex capite non publicationis iterum vacat, & potest à quo-
1 cumque libere impetrari, sed pensio occasione resignationis, vel alio modo super eodem beneficio reservata ex hoc capite non extinguitur, *ita expresse habetur in Constitutione 85. Gregor. XIII.*, ubi integræ, & illesæ reservantur pensiones, ac fructuum reservationes intactæ remanent; Unde propterea resignans, ac respective pensionarius ob culpam resignatarii omittentis publicare resignationem, pensione non privatur *l. rescriptum ff. de his, quibus ut indignis*, quod & ratio suadet, quoniam ex delicto unius, alter puniri non potest *l. sancimus C. de pæn. Tondut. de pension. cap. 62 num. 24.*

2 Itaque ex mente, & litera *Gregorianæ Constitutionis* habes argumentum pensionem clericalem sub constitutione de publicandis non contineri, nisi erecta sit in titulum beneficii, tunc enim, ut potest resignari, ita subjacet legibus publicationis, & iterum vacat, & extinguitur, prout vacat beneficium ex hoc capite *ex juribus supra relatis*.

3 Quæstio est, an reservatarius fructuum cum facultate transferendi teneatur servare *Constitutionem Gregorii XIII.* Extant super hoc puncto hinc inde sententiæ, & decisiones, quas refert *Gomez ad regulam cancellariæ tit. de publicand quæst 2.*, quas videas
4 in casu concreto. Ego autem in hac quæstione paucis me expedio; aut reservatarius resignavit alii nudum titulum beneficii reservando sibi omnes fructus, & cætera jura tum spiritualia, tum temporalia, hoc casu publicatio non est facienda, quia ita reservatarius est idem, prout erat prius, *ita Gomez in dicta quæst. 2.*, potissimum cum hodie reservatarii fructuum loco titularium habeantur cum plena facultate peragendi ea omnia, quæ veris titularibus competunt; aut reservavit sibi fructus loco pensionis, tunc secus *Paris. de resignat. lib. 3. quæst. 5. num. 34. cum seqq.*

A R G U M E N T U M.

De vacatione Beneficii, & Pensionis, si clericus pro alio se examini subjecerit, aut alias contravenerit *Constitutioni Pauli IV.*

SUMMARIUM.

1 Divisio materiæ.
2 Clericus beneficium per examen alterius obtentum ipso jure amittit.
3 Hæc vacatio est ficta, inducta tamen à Constitutione Pauli IV.
4 Beneficia clerici examen pro alio subeuntis ipso jure vacant, ubi de ratione.
5 Hæc raro accidunt ob ordinariorum diligentiam.
6 Utroque casu beneficium tanquam vacans potest impetrari.
7 Obtinens beneficium cum intentione illud resignandi simoniam committit, ubi quod facta resignatione beneficium ipso jure vacat.
8 Vacat ipso jure beneficium resignatum animo obtinendi aliud.
9 Beneficium ipso jure vacat, si obtentum sit animo permutandi, ubi declaratur 10.

Z 11 An

11 An beneficium obtentum animo resignandi, & deinde ex justa causa in supplicatione expressa resignatum sit, vacet ipso jure? Resolvitur affirmative.

12 Limitatur, si habuisset animum perpetuo retinendi, licet deinde provisus ex causa resignaverit.

13 Beneficia non possunt de stylo Datariæ resignari, nisi postquam per triennium possessa sint.

14 Rescriptum ad beneficium vacaturum ob simoniam expirat.

15 Clericus, qui promisit augere majorem pensionem, quam beneficium ferre potest, debet beneficio spoliari.

16 Valet impetratio beneficii ex hoc capite, si summarie doceatur, quod clericus Constitutioni Paulinæ contravenerit.

CAPUT L.

1 Notandum in præsenti capite, quod pluribus modis vacant ipso jure ecclesiastica beneficia, primo si clericus examen subeat pro alio, ut iste beneficium assequatur, secundo si clericus per examen alterius provideatur de beneficio, aut hoc obtinuit cum intentione resignandi; tertio si beneficium cum hac intentione obtentum sub annuo redditu, aut pensione alii resignetur, *ita expresse sancivit Paulus IV. Constitut.* 12. *ubi Cherubin.*

Quoad primum modum dividitur inspectio inter beneficia obtenta ab alio per examen alterius, & ea, quæ clericus pro alio se examini subjiciens canonice jam possidebat; Quoad beneficia obtenta per examen alterius, res per se scandalosa est, hoc enim modo clericus illiterstus, indignus, aut alias incapax facile posset beneficium obtinere per alium, quod per se non potest ex defectu sufficientiæ scientiæ, & literaturæ; deinde ita provisus propter excommunicationem jam incursam privatur statim hoc beneficio, sicuti repellitur ut indignus à quolibet in posterum assequendo *cap. postulastis de cleric.*
2 *excommunicat. ministran.* Merito igitur clericus beneficium, quod per examen alterius assecutus est, statim amittit, & consequenter subjacet impetrationi *ex Constitutione Pauli IV.*

3 Hæc tamen vera vacatio non est, sed potius ficta, quoniam collatio, aut provisio beneficii per examen alterius nullam habet juris firmitatem, nullumque jus tribuit in beneficio, sed tamen vacatio est, & ex justa causa induci potest à Papa *per Text. in l. si is, qui pro emptore ibique Bartol. num.* 44. *ff. de usucap.* Item, quia beneficia per fraudem, & dolum obtenta iterum vacare censentur *cap audivimus de collus. detegen. ibi = non differas perpetuo spoliare = cap. cum clerici de pact. ibi = spolietis =.* Quæ fane verba important executionem, & denotant privationem ipso jure *Butr. in cap. final. num.* 15. *in fin. de postulan. Felin. in cap.* 2. *num.* 3. *& in cap. Rodulphus num* 25. *de rescript. cap. insinuatione in princip. de simon., & literaliter sancitur in d. Constitut. Pauli IV.*

4 Quo vero ad beneficia propria clerici examen pro alio subeuntis dubium non est, quo minus ipso jure vacent, etiam absque ulla sententia declaratoria Judicis *ex Constitut. Pauli IV.*, quoniam dignus est, ut amittat proprium, qui per fraudem, & dolum facit, ut alter de beneficio provideatur, præsertim cum id fieri non soleat, nisi sub annua pensione, seu sub aliquo commodo temporali *l. non fraudantur in fin. ff. de regul. jur.*, ubi quod nemo ex proprio delicto meliorem conditionem suam facere potest *l. in fundo ff. de rei vendicat. cap. sedes de rescript. Gloss. in cap. quia nonnulli versic. personalibus eod. tit.* ubi quod malitiis hominum non est indulgendum, & constat ex Constitutione *Pauli IV.* quod, & antea sancivit Benedictus XII. *Constitut.* 7.

5 Hæc tamen raro accidunt, ut clerici per examen alterius beneficia assequantur, dum regulariter locorum ordinarii solent esse informati de omnibus clericis Civitatis, & Diœcesis, præsertim pro Ecclesiis Parochialibus, in quibus formalis concursus indicitur; ultra quod apud acta describuntur nomina, patria, Diœcesis omnium concurrentium ex nova forma Tridentini; In Curia autem exigitur juramentum à petente beneficium, quod nempe non accipiat animo dimittendi, *ut refert Paris. de resignat. lib.* 9. *quæst.* 10. *num.* 4. 5., & in beneficiis parochialibus, quæ per concursum conferuntur, prohibetur examen per interpositam personam, *juxta Paulinam Constitutionem*, quæ in edicto concursus omnibus notificatur, quia non pauci ex concurrentibus eam ignorant; Verum interdum accidit, quod clericus per examen alterius beneficium obtineat, maxime in examine privato, in quo quis alium
6 se facile potest simulare. Idcirco in primo casu sufficit exprimere clericum obtinuisse beneficium per examen alterius, sicuti in secundo casu satis est ad intentum possessorem beneficii pro alio examini se subjecisse, utrobique enim ipso jure vacat beneficium, & valide impetratur *juxta Constit. Benedicti XII. & Pauli IV.*

7 Quo vero ad secundum vacationis modum ambigi haud potest, quo minus obtinens beneficium cum intentione illud resignandi simoniam committat *Achill. de Grass. decis.* 1. *num.* 5. *de offic. vicar.*, & ratio clara est, quia ita provisus ecclesiæ non vult inservire, sed potius negotium peragere, reservando sibi in resignatione annuam pensionem, seu aliud commodum temporale, quod importat veram simoniam, & sic facta resignatione beneficium ipso jure vacare censetur ex Paulina Constitutione.

8 Similis casus est de eo, qui resignat beneficium cum intentione obtinendi aliud jam vacans, privatur enim resignatarius beneficio in

in pœnam ipsius resignantis, qui illud à se abdicavit, ut aliud pinguius assequatur. Hoc sanè tum avaritiam, tum simoniam præsefert, ac facit, ut resignatio sit nulla, & invalida, & in sequelam beneficium sic resignatum vacat ad omnes juris effectus *juxta Constitutionem Pauli V.* de qua testatur *Rot. decis.* 117. *par.* 14. *recen. repetita in decis.* 193. & 194. *per tot. post Torr. de pact. futur. success. decis.* 251. *per tot. cor. Ubald.*

9 Idem quoque dicendum est, quando quis beneficium obtinet cum animo illud permutandi cum alio simplici, aut duplici, cum cura, vel sine cura; Hoc quidem *Constitutione Pauli V.* procul dubio interdictum est, etenim quidquid de jure sancitum est in resignatione, locum sibi vindicat in permutatione, quæ similis est resignationi, & ita prohibitum in uno casu sub pœna vacationis, censetur etiam prohibitum in alio, in quo eadem identitatis ratio concurrit *cap.* 1. *de rer. permutat. in* 6. *ibique Geminian. Franch. & alii Rot. d. decis.* 193. *num.* 10. *decis.* 194. *num.* 1. *post Torr. de pact. futur. success.*

10 Hæc ad praxim facile deduci possunt saltem pro foro externo, quamvis agatur de alienæ voluntatis interpretatione; siquidem si resignans post resignationem beneficii aliud obtineat, præsumitur primum renunciasse, ne obstet assecutioni alterius jam vacantis, & talis voluntas resignandi, seu permutandi in fraudem legis ex brevitate temporis, actu resignationis, & provisione alterius beneficii evidenter arguitur *Rot. d. decis.* 117. *par.* 14. *rec. decis.* 251. *per tot. coram Ubald.*, idque commune est, & applicabile utrique Constitutioni *Pauli IV.*, & *Pauli V.*, quoniam utrumque beneficium vacat, & utrumque sedi apostolicæ reservatum est, prout ambæ Constitutiones literaliter disponunt.

11 Quæstio est, an beneficium obtentum animo resignandi, & deinde post sex menses, seu annum ex justa causa in supplicatione expressa resignatum sit, vacet ipso jure? Respondeo vacare, nam hujusmodi resignatio facta est in fraudem legis, animo scilicet providendi nepotem, seu consanguineum, aut obtinendi pensionem, & commodum aliquod temporale; quod ratione non caret, nam si Papa scivisset sic provisum obtinuisse beneficium hoc animo, resignationem non admisisset *cap. super literis, cap. si proponente de rescript.* Nec valet causa in supplicatione expressa, non enim attenditur causa tamquam quid consequens, sed voluntas resignandi, tamquam quid antecedens;

Hæc evidenter ostendit fraudem resignantis, quod est primarium fundamentum Constitu-

12 tionis *Pauli IV.*, secus est, si ita provisus habuisset animum perpetuo retinendi beneficium, quod paulo post ex gravi causa coactus fuit resignare sub annua pensione, seu commodo temporali, hoc enim casu, causa resignationis attenditur, non præsumptio juris, in qua fundatur Constitutio Paulina, alioquin nimium durum esset privare beneficio, qui brevi tempore illud ex causa resignavit, nec unquam habuit animum resignandi, ut pensionem, aut commodum aliquod temporale reportaret, idque naturalis ratio dictat, licet in promptu non habeatur auctoritas, quæ id firmet.

13 Hodie tamen praxis est, quod, qui saltem per triennium possedit beneficium, potest libere resignare in manibus Papæ sub annua pensione, & commodo temporali, alioquin si triennium elapsum non sit, tenetur resignans declarare tempus, quo habuit beneficium *Paris. de resignat. lib.* 3 *quæst.* 2. *num.* 21. *Garz. de benefic. par.* 11. *cap.* 3 *num.* 46., & justa quidem ratione, nam si tempus, quo resignans beneficium possedit, breve est, resignatio rejicitur, aliter si justa causa concurrat, admittenda videtur, quod pendet ab arbitrio Datarii.

Cætera demum, quæ virtualiter, aut interpretative deduci possunt ex Constitutione *Pauli IV.*, non sunt præsentis inspectionis, tangunt enim punctum simoniæ realis, aut confidentialis, de qua actum est supra *in cap.* 30. & 31. Sane clericus habens rescriptum ad beneficium vacaturum non potest illud alii sub annua pensione renunciare, quod si cedat, aut

14 renunciet, ob simoniam realem rescriptum expirat *Dec. cons.* 141. *lib.* 1. *Roman. cons.* 317. *per tot.*, Item clericus, qui promisit augere majorem pensionem, quam beneficium ferre possit, ut ita facilius beneficium assequatur,

15 simoniam committit, & beneficio spoliari debet *cap. cum clerici de pact. Gig. de pension. quæst.* 41. *per tot. Rebuff. de pacific. possessor. num.* 319. *versic. octavo qui promittit Dec. d. cons.* 141. *num.* 1., & ita dic de aliis similibus casibus, de quibus fusius non loquimur, nec ea, quæ de simonia reali, conventionali, & confidentiaria abbi dicta sunt, inutiliter hic

16 repetantur; nam, ut valeat impetratio beneficii ex hoc capite, sufficit summarie docere, quod clericus Constitutioni *Pauli IV.* contravenerit.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Clericus subjiciens se examini pro alio cum pacto annuæ pensionis simoniam committit, & promissio non valet.

2 Pensio non potest imponi super beneficio auctoritate privata.

3 An clericus, qui pro alio examen subjit, pensione sibi super eadem Ecclesia Parochiali reservata privandus sit? distinguitur 4.

5 *Constitutio Pauli IV.* pensiones legitime reservatas non comprehendit.

6 Differentia inter simoniam realem, & conventionalem.

1 Clericus, qui pro alio examen subjit sub conventione annuæ, vel augendæ pensionis, simoniam committit ex Constitutione *Pauli IV.*, ideoque sicuti beneficium ita obtentum iterum vacat, ita promissio pensionis, ut supra, non tenet, sed resolvitur, quoniam
2 pensio auctoritate superioris, non pactis contrahentium super ecclesiasticis beneficiis reservanda est *cap. præterea de censib. Dec.consf.*141. *num.*2.*lib.*1.
3 Verum pro ratione dubitandi finge clericum possidere super ecclesia parochiali pensionem legitima auctoritate reservatam, deinde pro alio examini se subjciat, numquid hac pensione erit privandus? Casus cum distinctione resolvitur. Aut examen habuit effectum, quia ille, pro quo clericus examen subijt, Ecclesiam Parochialem assecutus est, vel non, quia alter concurrens, & magis idoneus provisus fuit; primo casu clericus pensione est privandus *per text. in cap. audivimus de collusion. detegen. cap. cum clerici de pact.*, ubi clerici, qui fingunt sibi inferri molestias super beneficio, ut ipsis pensio reservetur, beneficio spoliandi sunt, & in sequelam etiam pensione; item quia simoniam realem committit, qui subijt examen pro alio, effectu sequuto, præsertim si habuit commodum aliquod temporale, aut pensionis auctionem, idcirco clericus ob simoniam realem, pensione privandus est, prout beneficiis canonice obtentis de jure spoliari debet *Can. præsbiter* 1. *quæst.*1. *cap. sicut cap. de hoc de simon.* Demum ex parte clerici subeuntis examen pro alio accedit dolus, qui gravissimum crimen est, & habet hoc speciale, ut qui dolum commisit, pœna gravissima puniri debeat *Gloss. singularis in L.*1. §. *si apud servum versic. & delicta ff. depositi*, *ibi = nam & dolus delictum est* = quod valet ad multa, & specialiter contra clericum, qui alium se simulans in examine curavit, ut alter, & indignus beneficium ecclesiasticum obtineret.
4 Secundo casu non audeo asserere huic pœnæ locum esse, quia clericus subiiciens examini pro alio, non potest redargui, effectu non sequuto, nisi de simonia conventionali, pro qua beneficiis canonice obtentis non est privandus, ergo multo minus pensione super eadem Ecclesia Parochiali legitime reservata
5 ex ipsamet Constitutione *Pauli IV.*, quæ loquitur de beneficiis sæcularibus, & regularibus, aliisque pensionibus simoniace obtentis occasione simulationis, ideoque alias pensiones canonice reservatas non comprehendit.
6 Hæc distinctio mihi vera, & juridica videtur, quia simonia realis etiam extra ea, quæ quis deliquit, punitur, ultra quod, effectu sequuto, crescit delictum ex malitia, & dolo clerici subeuntis examen pro alio contra legitimas sanctiones *Benedicti XII. & Pauli IV.*; non sic in simonia conventionali, pro qua quis extra delictum non punitur *ex plenè deductis in cap.*30. *de vacat. ob simoniam realem, & conventionalem.*

ARGUMENTUM.

De vacatione ob apprehensam Possessionem Beneficii, & exactionem Pensionis literis apostolicis non expeditis *juxta constitutionem* 33. *Julii III.*

SUMMARIUM.

1 Gratia Papæ sola signatura, & verbo perficitur, ubi quod non potest amplius revocari.
2 Limita ex justa causa, ubi declaratur.
3 Gratia signata, & registrata dicitur adhuc informis.
4 Clericus apprehendens possessionem literis non expeditis beneficio ipso jure privatur.
5 Rascriptum Principis ex sola subscriptione vim habet.
6 Qui sine probatoria rescripti se ingerit in administratione, privatur gradu, & militia.
7 Ampliatur in omnibus beneficiis etiam patronalibus, & qualificatis.
8 Ampliatur in beneficiis alectivis.
9 Idem dicendum esset de provisis cathedralium ecclesiarum ubi, quod ecclesiis statim privantur ob non expeditas literas intra annum, sed contra, ubi prohibentur recipi à capitulis 10.
11 Ampliatur in eo, qui de pluribus beneficiis provisus est.
12 Canonicus obtinens secundum beneficium cum retentione primi, amittit secundum, sed non primum ob literas non expeditas.
13 Clericus privatus ex hoc capite est inhabilis ad idem beneficium, ubi exemplis res declaratur.
14 Provisus ab ordinario apprehendens possessionem beneficii per simplex rascriptum hanc pœnam non incurrit, nisi caveatur.
15 Vicarius Generalis potest capere possessionem officii sine literis.
16 *Constitutio Julii III.* non comprehendit provisos à nunciis.
17 *Constitutio Julii III.* non comprehendit ab ordinario provisum, qui novum rescriptum obtinuit à Papa super eodem beneficio, ubi declaratur.
18 An certum tempus à jure statutum sit ad expediendas literas apostolicas, ubi quod provisi habent annum pro expeditione, sed contra 19.
20 Beneficium non vacat post annum literis non expeditis.
21 Gratia Papæ etiam re integra ejus morte non expirat.
22 Nemo ex sola negligentia jus suum amittit
23 Gratia in beneficialibus non habet tempus definitum, infra quod exequi debeat.
24 Limitatur, ubi capitur possessio beneficii vigore Brevis.
25 Limitatur, ubi gratia expeditur in forma *rationi congruit*, ubi differentia inter mediatum, & immediatum successorem 26.
27 Provisus a Cardinali indultario tenetur intra certum tempus literas expedire sub pœna privationis beneficii.
28 Provisus à Principe indultario beneficium ipso jure amittit, si intra certum tempus confirmationem apostolicam non petat.

29 Impetrans beneficium ex hoc capite quid probare teneatur?
30 Possessor beneficii, literis non expeditis, non potest se tueri regula de triennali, sed requiritur decennalis.
31 Substinetur impetratio beneficii contra eum, qui literas extra semestre expedivit, ubi quod potest se tueri regula de triennali 32.

CAPUT LI.

1 Communiter receptum est gratiam Papæ in beneficialibus per solam signaturam, immo solo verbo de jure perfici *Clementin. dudum §. nos etenim ibique Gloss. de sepultur. Rot. decis.* 585. *num.* 2. *par.* 1. *recen.*, & clarius habetur *in Hidelsimen. canonicatus* 20. *Januarii* 1717. §. *Hinc nullum coram R.P.D. Cerro, confirmota* 14. *Martii* 1718. §. *Nec refragari coram Reverendissimo Ravennaten. Hipporegien. commendæ, seu præceptoriæ* 11. *Decembris* 1722. §. *Non relevante coram R. P. D. Ratto, confirmata* 12. *Martii* 1723. §. *Constant coram eodem*, ubi quod gratia per solam verbalem declarationem tribuit proviso jus perfecte quæsitum in beneficio, nec amplius potest ab ullo ministro, immo ab ipsomet Papa revocari, scriptum enim est, quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita, quod proprie decet Papam, qui vices Dei tenet in terria, decet ejus munificentiam, decet ejus majestatem beneficium ab eo collatum perpetuum esse *cap. decet de regul. Jur. in* 6.

2 Limitatur, si ex justa causa revocetur, prout quandoque ab ipso practicatur, quod est extra dubium, ac etiam à Datario, si gratia registrata non sit, dum Datarius dicitur organum Papæ, per cuius manus omnes supplicationes signatæ transire debent.

3 Et quamvis gratia signata, & registrata tribuat jus in beneficio, nihilominus dicitur adhuc informis, habet enim tacitam conditionem, si literæ apostolicæ expediantur, prout statuunt Constitutiones Pontificiæ, de quibus infra; Præterea ita provisus nequit possessionem beneficii apprehendere absque literarum

4 expeditione; aliter si possessio apprehensa sit, beneficium ipso jure vacat, & subjacet impetrationi, ac etiam quia non licet ita proviso fraudes committere in beneficiis, & irrogare præjudicium juribus Papæ, Datariæ, & Officialium, *ita Julius III. Constitut.* 33. *Felin. in cap. veniens num.* 3. *versic. adde de accusat. Mandoz. in regul.* 27. *Cancellar. de non judicando juxta formam supplicationis quæst.* 3. *num* 3. *quæst.* 4. *num.* 2. *versic. verum hodie, & in consil.* 66. *num.* 6. *Cassaneus consil.* 10 *num.* 13 *&* 24. *& fere per tot. Rot. dec.* 216. *decis.* 268. *decis.* 287. *par.* 6. *recen.*

Quod Constitutionibus Apostolicis sancitum est, etiam legibus civilibus definitum

5 esse comperimus, quoniam rescriptum Principis ex sola subscriptione vim habet *leg. sacri affatus Cod. de divers. rescript.* sed tamen expeditio rescripti omnino necessaria est, nec in administratione quis potest se ingerere sine

6 probatoria ejusdem, alioquin gradu, militia, & loco privatur, aliisque mulctatur pœnia *l. final. C. de offic. magistr. offic.* quæ loquitur de locis scholarium vacantibus.

7 Ampliatur primo in beneficiis, præbendis, personatibus, portionibus, officiis, & dignitatibus, immo & in beneficiis patronalibus, & qualificatis, prout loquitur *Constitutio Julii III.*, beneficia enim patronalia, etiam quovis modo qualificata cadunt sub ecclesiasticis dispositionibus in iis, quæ patronis præjudicialia non sunt, ergo beneficia patronalia ipso jure vacant ob apprehensam possessionem, literis non expeditis, *Paris. de resignat. lib.* 11. *quæst.* 3 *num.* 15. *Rot. decis.* 216. *par.* 6. *rec.*, & eo fortius, si juspatronatus competat ex privilegio apostolico, vel partim sit ecclesiasticum, partim laicale, ita enim provisus de his beneficiis tenetur solvere ea emolumenta, quæ jure divino Papæ debita sunt, ut patet.

8 Ampliatur secundo in beneficiis electivis; nam, ut electus privatur jure electionis, si administret ante confirmationem *ex deductis supra in cap.* 18. ita cadit à jure beneficii electus, & confirmatus ob apprehensam possessionem, literis non expeditis, dummodo agatur de beneficiis inferioribus, de quibus loquitur constitutio Julii I I.

9 Et quamvis idem dicendum esset de Prælatis, qui de Cathedralibus, Metropolitanis, Primatialibus Ecclesiis, aliisque Abbatiis, & & Dignitatibus concistorialibus providentur *ex constitut. Alexandri V.*, ubi quod promoti ad Episcopatus, & Archiepiscopatus omni jure, quod in hisce Ecclesiis quæsierint, statim spolientur ob non expeditas intra annum literas Apostolicas, quam constitutionem confirmavit *Julius II. constit.* 4., *&*

10 *Paul. IV. constit.* 11., nihilominus hujusmodi constitutiones antiquatæ sunt, & dumtaxat in praxi servatur *extravagant. Bonifacii VIII.* quæ incipit *injunctæ, de elect.* prohibens capitulis ecclesiarum cathedralium sub pænis ibidem expressis, ne Episcopos, Archiepiscopos, Abbates &c. recipere præsumant absque literarum exhibitione; quod si receperint, actus interim gesti annullantur, ideoque collatio beneficii facta ab episcopo, absque literis apostolicis recepto, nullam habet juris firmitatem, & in sequelam beneficium vacat, ut prius, immo est reservatum; & impetrabile à Papa, & ratio est quia annullatis actibus possessoriis, carent etiam effectu actus collativi, cum de jure non minus possessorius actus sit exactio fructuum Episcopatus, quam beneficiorum Collatio, quæ dignitati episcopali annexa est.

11 Ampliatur tertio in eo, qui de pluribus beneficiis provisus est, cum hac tamen differentia, quod provisus de duobus beneficiis eodem tempore cum clausuls, ut debeat intra certum tempus expedire literas, & obtinere dispensationem apostolicam, hoc casu elapso tempore de expediendis literis utrunque beneficium ipso jure vacat, non enim minus pro uno, quam pro alio beneficio dispensatione
12 opus est, si vero unum canonice possidest, & aliud obtineat facta mentione primi, & Papa conferat secundum, etiam cum retentione primi, amittit secundum, non primum, ob literas non expeditas *juxta constitutionem Julii III.* & ob non obtentam dispensationem *juxta constitutionem* 8. *Clementis VII.*

13 Advertendum tamen est, quod Clericus privatus primo beneficio ex hoc capite, inhabilis est ad idem, sed non aliorum in eadem, vel alia ecclesia in posterum vacantium *Sacra Congregatio in Placentina* 1. *Julii* 1592. *ibi = Item censuit provisum apostolicum apprehendentem possessionem beneficii literis non expeditis ex Julii III. Constitutione amittere beneficium, seu jus ad illud habens, & ad illud obtinendum de cætero inhabilem effici*. Clericus enim apprehendens possessionem beneficii, literis non expeditis, peccat quidem contra leges politivas, & ecclesiasticas, sed nullam contrahit infamiam juris, vel facti, quæ repellat ab assequendis, & ita in eo, in quo Clericus deliquit, punitur, ad instar *Constitutionis Gregorii XIII.*, quæ privat resignatarium beneficio ob omissam publicationem, & ad idem inhabilitat, sed pænam ad alia beneficia non extendit; simile habetur *in Constit. Pii V.*, quæ incipit *In conferendis*, ubi collatio beneficii Parochialis facta in concursu minus idoneo annullatur, seu irrita declaratur, interim tamen ità provisus contra formam *Tridentini*, & *Pii V.* aliorum beneficiorum incapax non est, ita à pari procedit *Constitutio Julii III.*, hæc enim non sunt prohibita, quia mala, sed mala, quia prohibita.

14 E' contra autem provisus ab Ordinario apprehendens possessionem beneficii per simplex rescriptum, non expedito Instrumento collationis, pænam privationis non incurrit,
15 nisi aliter caveatur, ad instar Vicarii Generalis, qui sui officii possessionem sine literis apprehendit *Card. de Luc. de benef. disc.* 131., & ita dic de provisis à Nunciis Hispaniarum, Galliarum, Germaniæ, Poloniæ, & Belgiæ:
16 Constitutio enim *Julii III.*, quæ loquitur de provisis à Papa, non potest ad alios, & similes casus extendi, cum aliud sit provideri à Papa, aliud à Nunciis, aliud ab Ordinariis locorum, & eo fortius, si provisus à Nuncio, seu Ordinario novum obtinuisset rescriptum à Papa super eodem beneficio,
17 cessat enim in hoc casu pæna *Julii III.*, si literæ non expediantur, quod duplici ratione probatur, primo, quia *Constitutione Julii II.* loquens in casu simplici, non habet locum in casu mixto ex juribus vulgatis. Secundo quia provisus ex rescripto Papæ non acquirit novum jus in beneficio, quod jam possidet, sed jus, quod ex præcedenti titulo obtinuit, plenius confirmatur, & possessio præventive capta continuatur, & magis confovetur *Rot. decis.* 205. *num.* 3. *par.* 1. *diversor. decis.* 216. *num.* 16. *par.* 6. *recen.*; Quod tamen verum est, si nova provisio Papæ eisdem modis, legibus, & clausulis, prout prima, concepta sit, tunc enim provisio Papæ nihil aliud est, quam prioris gratiæ confirmatio *Rebuff. prax. benef. tit. de nov. provis. in princip.*. Aliter est aliquid à priori gratia separatum, licet præcedentem titulum, à quo pendet, præsupponat; ac proinde obtinens novam provisionem tenetur expedire litteras sub hac pæna *Rot. decis.* 541 *n.* 3. *part.* 3 *divers.*, potissimum si habet diversam datam à prima, *ita distinguit Amayden. de styl. Datar. lib* 1, *cap.* 6. *num.* 36. *cum seqq.*, ubi insuper illud in hac re notandum adjicit, quod si medio tempore inter utramque provisionem quis beneficium certo modo impetrasset, & verus vacationis modus justificaretur, ille obtineret contra habentem novam provisionem, quæ vitia præterita non purgat; Quæ sane distinctio juridica est, imo hoc modo conciliantur opiniones hinc inde difformes.

18 Hinc dubium oritur, an certum tempus à jure statutum sit ad expediendas literas Apostolicas ab iis, qui de beneficiis in Romana Curia providentur? ad quod videtur respondendum ita provisis duplex præfixum esse semestre, aliud ad expediendas, aliud ad exequendas literas Apostolicas, & sic literas
19 gratiæ, prout justitiæ per annum durare satis resultat *ex cap. si autem cap. plerumque cap. ex parte de rescript.*, ubi habetur, quod post annum valet secundum rescriptum ad lites, etiam non facta mentione primi, ita à pari substinetur post annum impetratio beneficii, etiam non expresso, quod alter de hoc beneficio fuerat provisus. Jus enim, quod ia obtinuit, post anni lapsum resolutum fuit, & consequenter beneficium iterum vacat ob non expeditas & executas literas intra annum *ex juribus jam dictis*.

Hæc tamen juris fundamenta tuta non sunt, quia ubi agitur de literis Justitiæ, locus est præventioni, etiam post annum, si aliæ ab alio obtineantur *Gloss. in cap. plerumque in fin. de rescript. cap. ut debitus ibique Gloss. in versic.*
20 *si dicat de appellation.*. Si igitur valent post annum literæ justitiæ, multo magis rescripta gratiæ, majus enim acquirit jus gratiose provisus in beneficio, quam impetrans literas justitiæ, nec immerito, quia per literas justitiæ Papa mandat Judicibus delegatis, ut justitiam administrent, & tales Judices nullam habent jurisdictionem, nisi post præsentatas literas, at per literas gratiæ Papa confert beneficium, ac per consequens post annum durant literæ gratiæ, prout literæ justitiæ, nec ullo modo beneficium vacat, ergo subreptitiæ censendæ sunt post annum literæ

teræ impetratoriæ beneficii in præjudicium primi provisi *cap. quamvis de rescript. in 6. cap. si is, cui de præben. in 6. cap. 2. de religios. domib. extravag. ult. de concess. præben. l. 2. §. si quid à Principe ff. nequid in loc. publ.*, & quoad hoc extat regula Cancellariæ *de jure Tertii quæsito non tollen.*, & in specie habe-
21 tur *in cap. si super gratia de offic. Judic. delegat. in 6.*, ubi quod Gratia Papæ, etiam re integra ejus morte non expirat *Dec. cons. 168. per tot. Rot. decis. 192. cor. Pen. lib. 1. im-*
22 *press. venet.*. Deinde nemo ex sola negligentia jus suum amittit, nisi hoc expresse cautum sit *juxta sententiam Bart. in l. solent §. final. num. 7. ff. de offic. proconsul.*, vel nisi præfixus sit terminus, intra quem literæ sub hac pæna expediendæ sint *ex deductis per Innocen. & Panormitan. in cap. extirpandæ §. quia vero de præben. Rot. decis. 827. par. 3. diversor. lib. 3.*. Hæc mihi videntur probabiliora fundamenta, quoniam ob solam negligentiam non expedientis literas Apostolicas, beneficium nullo modo vacat.

Hæc dicta sint ad ornatum discursus, ac per quandam similitudinem, quam habent literæ
23 gratiæ cum literis justitiæ; Hodie enim certum, & indubitatum est, quod omnis gratia in beneficialibus à Papa signata, & registrata nullum habet tempus definitum, intra quod exequi debeat, ideoque gratia Apostolica super beneficio potest semper, & quandocumque expediri, nisi certum tempus, quo expediri debeat, appositum sit, *Rota decis. 656. num. 4. in fin. par. 2. rec.* prout in multis casibus tempus apponitur, quo elapso, beneficium iterum vacat ad omnes juris effectus, quod pluribus modis exemplificatur.

24 Et primò, quando capitur possessio beneficii vigore Brevis, quod continet clausulam, ut intrà sex menses à die captæ possessionis literæ expediantur sub pæna irritationis tituli, & possessionis, & privationis beneficii, quæ quidem privatio novam inducit vacationem, privatio enim supponit jus, titulum, & possessionem *cap. si eo tempore de elect. in 6. Rot. decis. 440. num. 12. decis. 416. num. 16. par. 4. tom. 2. recen. decis. 822. n. 3. cor. Ubald.*

25 Secundò quando Papa mandat, ut gratia concessa per prædecessores suos expediatur in forma *rationi congruit*, ita enim provisus à mediato successore, tenetur intra sex menses sub pæna privationis beneficii literas Apostolicas expedire *ex regula* 10. *Cancell.*

26 Dixi à mediato successore, quoniam pro gratia obtenta ab immediato successore nullum tempus ad expediendas literas statutum est, prout literaliter disponit hæc regula, quam etiam refert *Amayden. de styl. Datar. cap 21. num. 17. §. Totidem, ubi Rebuff. Mandoz. Cocchier., & alii*; ideo enim in gratia obtenta à mediato successore certum apponitur tempus, intra quod literæ expediri debeant, quia jam Papæ constat de negligentia provisi, qui longius distulit expeditionem literarum, & quodammodo spernere videtur gratiam Apostolicam, quæ ratio cessat in gratia obtenta ab immediato successore, qui usque ad obitum gratias solet signare. Cæterum æquitati etiam consonum censerem, si gratia immediati successoris esset longæva, & annosa, Datarium posse ex suia facultatibus clausulam adjicere, ut literæ intra sex menses expediantur sub pæna vacationis, prout interdum fit in gratia obtenta à Papa regnante.

27 Tertio literas Apostolicas expedire debet provisus à Cardinali indultario de beneficio excedente valorem vigintiquatuor ducatorum auri de camera, itaut si beneficium sit citra montes, intra quatuor, si ultra montes intra octo menses nova provisio à Sede Apostolica capienda sit, ita enim provisus habet jus in beneficio, imo vere est beneficiatus, dum possessionem, & collationem à Cardinali Indultario obtinuit, & consequenter lapso tempore pro capienda provisione Apostolica, beneficium ipso jure vacat, & potest, cessante impedimento, à solo Papa impetrari, cui reservatum est, & hoc in pænam provisi, qui jura, & emolumenta Cameræ Apostolicæ debita temere tentat defraudare.

28 Ita quoque provisus à Principe indultario beneficium ipso jure amittit vi decreti in ipsomet indulto inserti, si intra sex menses à die captæ possessionis confirmationem Apostolicam non petat, & est locus impetrationi vi indulti, in quo expresse cavetur, quod post lapsum sex mensium beneficium ipso jure vacat. *Rot. in Ulyssipponen. beneficii 4. Decembris 1600. coram Pamphil. decis. 18. de præben cor. Crescentio decis. 665. num. 2 & 8. par 2. recen. decis. 346. per tot. cor. Put. lib. 2. decis. 523. n. 65. cum seqq. par. 19. recen.*

29 Ex his igitur probandum est ex parte impetrantia, quod possessio beneficii à proviso capta sit literis non expeditis, quodque lapsum sit tempus à lege præfixum ad eas expediendas, nec id probatu difficile est, quoniam quoad hoc exuberant fides, & testimonia officialium, qui factis diligentiis in Dataria, & Secretaria, ac in Regestria asserant literas Apostolicas non fuisse expeditas; quodque alibi expediri non potuerint, aut quod expeditio tali tempore facta sit, ut ita Judex agnoscat, an intra, vel extra tempus literæ expeditæ sint, ac judicare possit
30 uni, vel alteri beneficium, potissimum quia possessor absque literis non potest se tueri regula de triennali, *ut ad literam disponit Constitutio Julii III. Rot. decis. 216. n. 8. 9. par 6. recen.*, prodest tamen ità proviso possessio decennalis, quoniam per lapsum tanti temporis præsumitur dispensatio Apostolica, seu quod alibi literæ fuerint expeditæ; Unde propterea possessor beneficii ob literas non expeditas tutus est possessione decennali, adversus impetrantem *de Luc. de benefic. disc. 91, & dis. 131. per tot., & alibi frequenter.*

C 1 2

Quæres, an impetratio beneficii sustineatur contra eum, qui literas extra semestre expe-
31 divit? Respondeo sustineri, paria enim sunt non expedire literas, ac nulliter expedire; Item expeditio facta extra tempus non revalidat titulum, quo provisus jam erat privatus *ex Constitutione Julii III.*, nisi aliud constet de mente Papæ; Sane privatus beneficio ob censuram ecclesiasticam, obtenta absolutione, illud non recuperat, sed indiget nova collatione, seu iterum supplicandum est *ex plenè deductis per Rot. decis*.83.
32 *num*.8. 9. *par*.7. *recen*., ita à pari; Tueri tamen se potest possessor adversus impetrantem triennali possessione, habet enim titulum coloratum, qui satis est ad præscribendum beneficium, nec triennalis possessio cum titulo colorato sublata est *ex Constitut. Julii III.*, quæ tantum loquitur de iis, qui literis non expeditis possessionem Beneficii apprehendere temerè præsumpserunt, idcirco dicta constitutio uti nimium à Jure exorbitans ad casum, quo literæ perperam expeditæ sint, non est extendenda, & ratio disparitatis est, quia, qui apprehendit possessionem beneficii literis non expeditis, dicitur intrusus, & injustus possessor, at expediens extra tempus pro possessore habendus est, ideoque in primo casu prodest dispensatio, quæ præsumptivè resultat ex possessione decennali, at in secundo casu sufficit triennalis, quia provisus possessionem beneficii nactus est, literis expeditis,

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 PEnsionarius non tenetur expedire literas apostolicas.
2 Regulariter in reservatione pensionis adjicitur decretum expediendi literas sub pœna privationis.
3 Pensionarius exigens fructus, literis non expeditis, pensionem amittit.
4 Literæ pensionis æquiparantur literis beneficialibus.
5 Limitatur, si cesset temeritas exigentis fructus pensionis ante expeditionem literarum, ubi casus.

1 PEnsionarius de jure non tenetur expedire literas Apostolicas, quia non comprehenditur *sub Constitutione Julii III.*, quæ loquitur de beneficiis, non de pensionibus, idcirco pensionarius exigens fructus ex sola signatura nullam pœnam incurrit.

2 Verùm hodie in reservatione pensionis regulariter adiicitur decretum expediendi literas sub pœna privationis eo ipso, & sic vi hujus decreti tenetur pensionarius literas expedire, alioquin temerè exigens fructus, literis non expeditis, statim cadit ab omni commodo pensionis *Mantic. decis*.286. *decis*.121. *in fin. par*.12. *recen. decis*.451. *per tot. coram Rembold.*, sicuti ipso jure amittit beneficium, qui literis non expeditis temerè apprehendit
4 ejus possessionem, Nam literæ pensionis æquiparantur literis beneficialibus *Gig. de pension. quæst*.100. *n*.13.

5 Limitatur, ut pœna juris locum non habeat, si cesset temeritas exigentis fructus pensionis literis non expeditis, casus notatu dignus est *in Romana expeditionis literarum apostolicarum* 21. *Junii* 1721. *Decret*.71., in qua *Sacra Congregatio Concilii* declaravit literas apostolicas reservationis esse exequendas, non obstante, quod ante illarum expeditionem exactus fuerit à cessionario titularis primus terminus pensionis maturatus, soluta per d. titularem ante maturationem termini, ejusque exactionem summa necessaria pro illarum expeditione.

ARGU-

ARGUMENTUM.

AN Beneficium nominati ab indultario ob non expeditas literas Apostolicas intra sex menses sub pœna privationis eo ipso vacet in Curia, vel extra, ad hoc ut iterum nominandi facultas redeat ad indultarium, vel potius ejus provisio spectet ad Papam; Et quid in Pensione reservata à Papa motu proprio pro persona nominanda, an scilicet facta nominatione, & signata supplicatione cum data in corpore extinguatur per obitum nominati literis non expeditis, vel potius facultas iterum nominandi ad Papam revertatur *ad intelligentiam text. in l. Boves §. hoc sermone ff. de verbor. significat. cap. si electio de elect. in 6., l. penult. Cod. de his quibus ut indign.*

SUMMARIUM.

1 INdulta à sede apostolica ordinariis concessa nominandi ad beneficia reservata sub pœna vacationis ob non expeditas literas intra semestre.

2 Beneficium ob non expeditas literas intra semestre ipso jure vacat vi decreti.

3 Indultarius uti ordinarius collator potest libere disponere de beneficio, quod ob non expeditas literas in suo mense vacavit, ubi de ratione.

4 An beneficium, quod ob literas non expeditas vacat in mense apostolico, vacet in curia, vel extra, stante indulto, duplex opinio num. 5., & 9.

6 Indultarius ex actu, quo pœna imponitur, commodum reportare non potest.

7 Quod verisimile est, habetur pro disposito, si Papa de hoc interrogatus idem respondisset.

8 Ubi indicta est privatio, ibi vacat beneficium.

10 Nemo puniri debet ex delicto alterius, & privari jure suo sine culpa.

11 Papa in vacatione beneficii ob literas non expeditas habet propter indultum manus ligatas.

12 Facultas nominandi non dicitur consumpta, si actus effectum non habuit, prout facultas eligendi ibidem.

13 Prima opinio verior, & quare.

14 Facultas nominandi per primum actum dicitur consumpta.

15 Nominatio ad beneficium reservatum trahit secum executionem juris.

16 Conciliatur utraque opinio.

17 Indulta nominandi, seu conferendi quandoque ad unum beneficium à sede apostolica conceduntur, quod explicatur ibidem.

18 An provisio, seu nominatio dicatur consumpta, si provisus intra sex menses decedat literis non expeditis, duplex opinio ibidem.

19 Distinguitur in hac quæstione inter facultatem simpliciter conferendi, & facultatem providendi.

20 Quid si Papa in indulto concessit facultatem conferendi, seu providendi? ibidem num. 21. 22.

23 Distinguitur, in hac re, sed distinctio rejicitur.

24 Nimia subtilitas à jure damnatur.

25 Indultum Principis late est interpretandum.

26 Indulta nominandi ad beneficia reservata ratione mensis per obitum Papæ vacant, & quare.

27 Episcopus confert beneficia, quæ vacant sede apostolica vacante, nisi ratione rei, vel personæ affecta sint, ibidem.

CAPUT LII.

1 Edes Apostolica quandoque Ordinariis locorum ob singularem prærogativam impartitur indulta ad vitam nominandi clericos ad beneficia ratione mensis reservata, ea tamen adjecta lege, ut nominatus teneatur *intra sex menses* literas apostolicas expedire, alioquin *dictis sex mensibus elapsis beneficium eo ipso vacare censeatur*, nisi ex parte nominati doceatur de legitimo impedimento, quo literæ apostolicæ expediri non potuerint; Quapropter de hac
2 beneficii vacatione noviter inducta vi decreti ambigendum non est, quoniam nominatus jus, quod vigore nominationis in beneficio obtinuit, ob non expeditas literas *intra semestre* statim perdit, prout in hisce indultis literaliter id cautum habetur.

3 Notandum tamen est in hac re, quod beneficium ob non expeditas literas potest vacare vel in mense Episcopi indultarii, vel in mense apostolico; Primo casu certum est apud omnes, quod indultarius non uti talis, sed uti ordinarius collator potest de hoc beneficio, quod in suo mense vacavit, liberè disponere, nam reservatio, quæ aderat tempore nominationis, ob non expeditas literas intra semestre statim expiravit; deinde indultum Papæ tribuit quidem facultatem nominandi ab beneficia vacantia in mense apostolico, sed non tollit potestatem conferendi id, quod indultario uti Episcopo de jure competit, alias indultum, quod in favorem Epis-

A 2 copi

copi indultarii emanavit, in ejus odium retorqueretur contra dispositionem juris *per text. in l. quod favore Cod de leg. Geminian. conf.30. cum dec. relat. per Rot. decis.346. lib.2. coram Puteo in Apostilla*.

4 Secundo autem casu quæstio gravis est, an beneficium, quod ob non expeditas literas vacavit in mense Apostolico, vacet in curia, vel extra ad omnes juris effectus, de quibus infra.

5 In hac itaque controversia prima opinio est beneficium vacare in curia, & in sequelam jus conferendi spectare ad Papam indulto non obstante, quoniam hæc vacatio inducta est in pœnam, quæ afficit tum clericum nominatum, tum etiam episcopum Indultarium, & quidem afficit nominatum, quia ob non expeditas literas intra tempus beneficio ipso jure privatur; afficit indultarium, quia ejus nominatio post lapsum semestris eo ipso resolvitur, afficit demum utrumque, quia beneficio

6 pœna imposita est, non personis; Idcirco inconveniens est, ut indultarius ex actu, quo pœna imponitur, commodum reportet; Item hoc modo facile fieret fraus juribus Dataria, eorumque Officialium contra verisimilem mentem Papæ, qui literas expediri mandavit sub hac pœna, quod enim verisimi-

7 le est, habetur pro disposito, si de hoc Papa interrogatus idem respondisset *Gloss. communiter recepto in l. tale pactum in fin. ff. de pact.*

8 *Rot. decis.351. in fin. coram Puteo lib.2.*; Demum vacatio à Papa vi decreti inducta est in curia ob literas non expeditas, ergo beneficium vacat in curia, ubi enim inducta est privatio, ibi vacat beneficium *Rot. decis.35. alios 86. de præben. in antiq. & alibi sæpè.*

9 Secunda opinio non minoribus innititur juris fundamentis favore indultarii, non enim verum est, quod culpa sit indultarii, sed nominati, qui intra sex menses literas Apostolicas expedire neglexit; Idque ratio suadet, nam indultarius juxta indulti tenorem nominavit, & sic in hoc nihil deliquit; è contra deliquit nominatus, qui formam indulti Apostolici adimplere temere recusavit, ergo beneficium stante indulto vacat extra curiam,

10 & ratio clara est, quia indultarius puniri non debet facultate iterum nominandi ex delicto alterius, nec privari jure suo sine culpa *l. Sancimus Cod. de pæn., cap. quæsivit de his, quæ fiunt à major. part. capit., can satis perversum distinct.56. can. inventum 16. quæst. ultima cap. conquerente de restit. spoliat.*

11 Rursus in hac vacatione Papa habet manus ligatas, quia ipsi obstat indultum, quas non habet indultarius, cui illud potius favet, & consequenter, quomodocumque vacatio contingat, beneficium vacat extra curiam, ejus-

12 que provisio spectat ad indultarium, non enim facultas nominandi dicitur consumpta, si actus effectum non habuit, sicuti non est consumpta electio, si electus decedat, renunciet, vel aliter beneficii fiat incapax *cap. si electio de elect. in 6.*

13 Hæc opinio ratione non caret, sed prima verior, & ratio adjicitur, quia daretur occasio procedendi in infinitum, quod repugnat, nam infinitas de jure est vitanda *Gloss. in l. qui bona §. final. vers. debet ff. de damn. infect. Abbas in cap.1. num.4. de privileg., Alexand. cons.19. n.9. lib.4. Rot. decis.346. in fin. coram Puteo lib.2.*

14 His accedit, quod facultas nominandi per primum actum dicitur consumpta, cum versemur in dispositione hominis *l. boves §. hoc sermone ff. de verbor. significat. Rota decis.386. num.3. part.2. rec.*; præsertim si concurrat acceptatio beneficii, quæ actum nominationis plene perficit *cap. si tibi absenti*

15 *de præben. in 6.*; Immo ipsamet nominatio facta ab indultario trahit secum executionem juris, nec amplius locus est variationi ex parte ipsius, quia semel clericum valide nominavit *per text. in l. apud Aufidium ff. de opt. legat. Bart. in l. servi electione ibiq. Bald., utrobiq. num.2. ff. de legat.1. Gratian discept. foren. cap.58. num.12.13. lib.1. Sard cons.264. num.34. lib.2.*

16 Ego tamen censerem utramque opinionem fœdere distinctionis posse conciliari; aut enim indultum loquitur simpliciter de facultate nominandi ad beneficia vacantia ratione mensis Apostolici, tunc per nominationem & acceptationem beneficii dicitur consumpta facultas nominandi *juxto primam opinionem*, aut vero indultum munitum est amplissimis clausulis, quibus sufficienter constat, quod quomodocumque vacatio contingat, beneficium iterum vacet extra curiam, tunc facultas nominandi revertitur ad Indultarium *juxta secundam opinionem*, nec talis facultas dici potest consumpta, ubi aliter apparet de mente Papæ *ad tradita per Bald. in l. invitus in fin. Cod. de procurat.*, & admittitur *per Rot. decis.346. num.2. coram Puteo lib.2.*

17 Ulterius notandum est, quod non omnia indulta conferendi, seu nominandi ad beneficia reservata ad vitam indultarii, sed quandoque ad unum beneficium ab eadem Sede Apostolica conceduntur, quod contingere solet in creatione episcopi, ut ita in actu congratulationis clericum sibi benevolum de beneficio etiam affecto facilius possit providere cum onere expediendi literas sub hac pœna;

18 Unde dubitatur, an provisio, seu nominatio dicatur consumpta per primum actum, qui non habuit effectum, forte quia provisus intra tempus expediendi literas decessit. Negat textus *in cap. si electio de elect. in 6.*, ubi si electus renunciet, vel moriatur, facultas eligendi iterum revertitur ad capitulares; affirmat *text. in l. apud aufidium ff. de opt. legat. cum Gloss. in l. unum ex familia versic. mutetur ff. de legat.2.*, ubi quod variatio in electionibus non permittitur, variatio enim in quacumque re signum est inconstantiæ, quæ de jure damnatur *Gloss. in l. in causæ ff. de procurat. Gloss. in l. si impubes vers. totom ff. de Carbon. edict.*

19 Ve-

19 Verum in hac quæstione etiam distinguendum puto; aut episcopo data est simpliciter facultas conferendi, aut providendi ecclesiam, primo casu collatio spectat ad Papam, quia beneficium ob non expeditas literas ut supra vacat in curia; Item quia facultas episcopi indultarii per collationem beneficii dicitur plene consumpta *l. eum qui certarum §. ultimo ff. de verbor. obligat. l. boves §. hoc sermone ff. de verbor. significat.*; Secus secundo casu, quia per actum, qui non habuit effectum, dici non potest, quod adhuc ecclesiæ provisum sit *Gloss. singularis in cap. si compromissarius vers. consentire de elect. in 6. ibi = distinxerunt quidam, an detur potestas providendi, an eligendi, ut in primo casu iterum possit eligere, quia adhuc non est provisum, in secunda non, quæ distinctio satis æqua videtur*, idem dicit *Abbas in cap. quia propter ibiq. Joannes Andreas de elect. Felin. in cap. in literis Calum. 3. de offic. delegat. Bart. in l.2. num.5. in fin. ff. de opt. legat.*

20 Quid ergo, si Papa in indulto dederit facultatem conferendi, seu providendi ecclesiam de uno beneficio affecto? Respondeo resolutionem quæstionis pendere ab indulti tenore,

21 qui in hac re semper est attendendus *cap. recepimus cap. porro de privileg.*

22 Dico tamen beneficium vacare extra curiam, quia verbum *providere* quemcumque modum vacationis comprehendit *Rot. decis.141. num.2. part.1. recen.*; Deinde non dicitur provisum ecclesiæ, si provisus intra semestre decesserit *juxta opinionem Gloss. de qua supra*.

23 Scio tamen, quod quis poterit subtiliter distinguere, an verbum *conferat* prius præcedat, & subsequatur verbum *provideat*, vel è contra, ut primo casu verbum *provideat* idem sonet, ac verbum *conferat*, à quo regitur, verba enim in potiori significatu sunt accipienda, secus è contra ex ratione opposita, ut in simili diximus *in cap.3. in additione num.8. de vacat. ob matrim.*

24 Sed tamen ista distinctio non placet, quia nimia subtilitas à jure damnatur *l. actio ff. de negot. gest. ibi = Hæc subtilitas supervacua est Gloss. marginalis in l. si tibi pecuniam ff. si certum petatur, l. sicut § si debitori ff. quib. mod. pign., vel hypotech., Gloss. in l. si mulier vers. subtilitatem ff. de jur. dot.*, neque admittenda in indulto, quod emanavit in honorem episcopi nuper creati ad episcopa-

25 tum; Indultum enim Principis late est interpretandum, & comprehendit etiam casum, in quo provisio effectum sortita non fuerit ex præsumpta mente Papæ concedentis indultum nominandi, seu conferendi pro una vice beneficia reservata *cap. olim de verbor. significat., cap. odia de reg. jur. in 6 l. beneficium ff. de constitut. Princip.*

26 Denique obiter notandum est, quod indulta concessa ad vitam Episcopis, Legatis, & Cardinalibus conferendi, providendi, & nominandi ad beneficia ratione mensis Apostolici reservata per obitum Papæ vacant ex ea satis solida ratione, quia per obitum Papæ expirant regulæ Cancellariæ, & reservationes beneficiorum *Gonzalez ad reg.8. Cancellar. §.5. proœm. num 46., Paris de resignat. lib.11. quæst.2. num.31. Caputaquem decis.86. num.3. lib.1. Seraph'n. decis.980. num.12., Merlin. decis 192. num 4 lib.1. Rot. decis 121. num.8. 9 part.19 recent.*, sed vacant ad tempus, prout ad tempus cessant regulæ Cancellariæ; Quapropter hia publicatia, quod statim fit post electionem Papæ, ea reviviscunt.

27 Interim autem episcopus ut solus ordinarius collator indultis non obstantibus libere confert omnia beneficia, quæ vacant Sede Apostolica vacante, dummodo tamen vel ratione rei, vel personæ specialiter affecta non sint, prout sunt primæ dignitates, & monasteria, aliaque beneficia actualiter possessa à collectoribus, subcollectoribus, familiaribus Cardinalium cum similibus; Hæc enim Sede Apostolica vacante spectant ad Indultarium, si tamen indultum ad hæc beneficia extendatur, alioquin vacant in Curia, seu apud Sedem, eorumque provisio pertinet ad Papam futurum, nam reservationis qualitas, quæ aderat usque ab initio vivente Papa, per ejus obitum non cessat, sed potius durat ex regula, quod beneficium semel affectum semper remanet affectum *in punct. Rot. decis.192. n.5., & per tot. coram Merlin.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 AN pensio assignata cum data in corpore extinguatur per obitum nominati, vel potius facultas iterum nominandi revertatur ad Papam, ubi casus.
2 Gratia, quoties constat, de quo die facta sit, habet datam.
3 Data quid importet.
4 Gratia declaratoria personæ habet datam in corpore gratiæ principalis ex mandato Papæ.
5 Ubi Papa nominat ad pensionem, jam adest altera gratia provisionis beneficii.
6 Nominatio quid sit.
7 Nominationes ad pensionem non dantur parva, sed magna data ex stylo Datariæ.
8 Nominationes ad pensionem quomodo de stylo Cancellariæ expediuntur,
9 Stylus Datariæ, & Cancellariæ facit legem.
10 Longævus, & quotidianus usus declarat mentem Papæ concedentis.
11 In supplicationibus nominationum ad pensionem apponitur à Datario verbum *Datum*.
12 Parva data, & magna, ejusque formula.
13 Verbum *Datum* apponitur in supplicationibus nominationum, & pro quo effectu.
14 In supplicationibus, quæ dantur à Datario, duæ apponuntur datæ, quod explicatur ibidem.
15 Verbum *Datum* non importat datam, nec initium datæ.
16 Gratia provisionis, & reservationis pensionis cum data dicitur perfecta.
17 Gratia perficitur solo verbo Papæ.

18 Gratia Papæ probatur ex singrapha Prodatarii.
19 Gratia perficitur ex signatura Papæ.
20 Sola signatura perficit gratiam, & dat jus ante datam.
21 Collatio facta à Papa solo verbo tribuit jus perfectum in beneficio.
22 Differentia inter nominationes ad pensionem, & alia gratiarum genera.
23 Literæ in forma *rationi congruit* dantur ad conservandum jus.
24 Differentia inter gratiam, & datam.
25 Datarius ex causa potest lacerare supplicationes signatas, & datatas, secus sine causa, ibidem.
26 Facultas nominandi per primum actum censetur consumpta.
27 Facultas transferendi pensiones intelligitur pro prima vice.
28 Pensio extinguitur morte pensionarii, prout ususfructus.
29 Gratia non signatura Papæ, sed data perficitur.
30 Facultas nominandi primo actu non dicitur consumpta in materia repetibili, item si menti disponentis satisfactum non sit ibidem num. 31.
32 In nominatione regia facultas nominandi iterum redit ad Principem, si actus non habuit effectum.
33 Pensio sine data per obitum nominati non extinguitur, & quare.
34 Ut pensio extinguatur per obitum nominati, requiritur literarum expeditio.
35 Gratia signata, & datata literis non expeditis remanet inutilis, & imperfecta.
36 Gratia signata, & datata operatur, ut pensio sit affecta, sed nollum jus tribuit, ubi de ratione.
37 Literarum expeditio requiritur ad probationem gratiæ, non ad ejus perfectionem.
38 Gratia reservationis pensionis dicitur informis, ubi Papa mandat expediri literas.
39 Pensio non requirit expeditionem literarum, sed exacta literis non expeditis annullatur.
40 Gratia reservationis pensionis, cujus fructus exigi non possunt, non dicitur undequaque perfecta, ubi de ratione.
41 Papa habet omnia jura in scrinio pectoris, & in suis actibus imperfectum non patitur.
42 Actus non dicitur perfectus, si partim factus sit, & partim non.
43 Literæ dicuntur expeditæ, quando sunt plumbatæ, ubi quod facultas nominandi dicitur consumpta.
44 Differentia inter collationem beneficii, & nominationem pensionis.
45 Literæ, quæ ex facto ministrorum Datariæ in aliud tempus differuntur, habentur pro expeditis.
46 Pensio hoc casu extinguitur per obitum nominati literis non expeditis.
47 Pensio extinguitur literis non expeditis, si in reservatione ita cautum sit, ubi casus.

1 SEquitur altera non minus utilis, quam in praxi necessaria juris disputatio, an scilicet pensio à Papa motu proprio in actu provisionis beneficii reservata pro persona nominanda, & facta inde nominatione, ac signata supplicatione cum data in corpore per obitum nominati extinguatur, vel potius facultas iterum nominandi ad Papam revertatur; casus accidit *anno* 1724., cum enim Sanctæ Mem. Benedictus XIII. *sub die* 16. *Junii d. anni* contulisset abbatiam, seu monasterium Sanctæ Mariæ de Petroia, ac SS. Hyppoliti, & Cassiani ordinis Sancti Benedicti Civitatis Castelli Cardinali Zondadario cum reservatione annuæ pensionis scutorum 400. pro persona, seu personis nominanda, seu nominandis, prout paulo post pro rata scutorum 300. nominavit idem Pontifex Cardinalem Spadam, qui habita de hac reservatione pensionis notitia per singrapham Cardinalis Prodatarii, dedit supplicationem, quæ etiam à Papa fuit signata; cumque Cardinalis Spada reservatarius à die supplicationis signatæ interim obiisset literis apostolicis non expeditis, prout in actu nominationis Papa mandaverat, hinc orta fuit controversia inter Cardinalem Zondadarium titularem, & abbatem commendatarium, & Datariam Apostolicam super extinctione d. pensionis, pro qua dirimenda deputavit Papa particularem Prælatorum Congregationem, coram qua acriter disputatum fuit, an pensio ut supra reservata per obitum Cardinalis Spada esset extincta.

2 Dicebat itaque scribens pro Cardinali Zondadario titulari, quod gratia reservationis pensionis favore Cardinalis Spada habebat datam *sub die* 16. *Junii* 1724., quoties enim constat, de quo die gratia à Papa facta extitit,
3 utique talis gratia dicitur habere datam, quæ nihil aliud facit, quam designare diem, & tempus, quo ea fuit concessa *Ubert. de citat. cap.* 10. *num.* 337., *Rosa de execut. liter. apostolic. p.* 1. *cap.* 1. *num.* 46. *Piton. discept eccles.* 5. *num.* 8. *vers. unde mirabar*, *Varall. decis.* 88. *num.* 2., & 3. *part.* 3.

4 Constabat insuper de declaratoria personæ ejusdem Cardinalis Spada reservatarii, quæ pariter habebat suam datam in corpore, mandavit enim ibi Summus Pontifex, ut gratia nominationis expediretur sub data gratiæ principalis, nempe provisionis Abbatiæ in Commendam ad favorem Cardinalis Zondadarii, & insimul reservationis pensionis ibi = *Nominandum esse jussimus, & per præsentes nominamus, ac literas Apostolicas sub illius data expediri volumus & mandamus*. Quando igitur Papa expressè voluit, & mandavit gratiam nominationis ad pensionem expediri sub data gratiæ principalis, & sub illa die, qua reservatio facta fuit, negari non potest, quo minus gratia cum effectu sit Datata ab ipsomet Papa concedente, *ut in simili probat Amayden. de styl. Datar. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 26., *Achill. de Grass. decis.* 18. *num.* 13. 14. *de procurat.*

5 Idque ad evidentiam demonstrabatur, tum ex natura, & qualitate nominationis, tum etiam ex stylo Datariæ, & Cancellariæ; & quidem ex natura, & qualitate nominationis, quoniam ubi Papa nominat ad pensionem, jam adest altera præcedens gratia provisionis Monasterii, & insimul reservatio pensionis signata, datata, & registrata cum suis literis desuper expeditis favore Titularis, seu Commendatarii; Quod ostendit totum fuisse completum in prima supplicatione, ubi facta est provisio, & insimul reservatio, ad quam uti ad suum initium nominatio personæ reservatarii retrotrahi debet,
6 cum nominatio nihil aliud sit, quam declaratio personæ, cui usque ab initio à Papa reservata fuit pensio, qui enim declarat, non disponit, neque tunc actum facit, sed jam factum aperit *l. adeo §. cum enim ff de acquiren. rer. domin.*, *Salgad. labyrint. credit. part.* 1.

*part.*1. *cap.*42. *num.*39., *Card. de Luca de pens. disc.*20. *n.*4., 5., *Tondut. eodem tract. cap.*21. *num* 17.

7 Prout quoque inspecto stylo Datariæ, & Cancellariæ, nam pro eo quod attinet ad Datariam hujusmodi nominationes utpote habentes Datam in corpore de mandato Papæ non datantur parva Data à Præfecto Datarum, minusque datantur à Datario magna Data, neque registrantur in regestro supplicationum, & carent etiam secunda parte, ubi apponuntur clausulæ generales, *ut liquet ex exemplari, & probatur ex fide officialium.*

8 Pro eo vero quod attinet ad Cancellariam, quando devenire vult ad expeditionem Bullarum, nihil aliud fit, nisi quod exhibeatur supplicatio nominis signata à Summo Pontifice, cujus vigore sumitur de manu custodis præcedens supplicatio provisionis, & reservationis pensionis, super qua Bullæ sub eadem Data expediuntur ad favorem nominati, idcirco juxta stylum Datariæ, & Cancellariæ supplicatio nominis habetur pro datata, ut mandavit Papa in ejus corpore
9 sub illamet die reservationis, cui stylo sine dubio standum est, dum legem facit *Cochier. ad reg Cancellar. quæst.*43. *num.*65. *& seqq., Amayden de styl Datariæ lib.*1. *cap.*35. *num* 7., *Rota decis.*356. *num.*8. *part.*1. *recent.*

10 Ultra quod in hac re satis est longævus, & quotidianus usus, ex quo evidenter colligitur, qualis sit mens, & intentio Papæ concedentis circa gratiam nominationis *Rot. coram Puteo decis.*347. *num.*2. *lib.*1, *decis.*614. *num.*28 *part.*4 *recent. tom.*3., *Foroliovien. Parochialis* 26. *Aprilis* 1706. §. *præmaxime, confirmata* 17. *Junii* 1707. §. *eo certius coram Omanna.*

11 Et quamvis in supplicationibus nominationum ad pensiones jam expeditis, ut in exemplari, apponi soleat de manu, & charactere Cardinalis Prodatarii illud verbum *Datum*, quo tamen carebat supplicatio Cardinalis Spada reservatarii, nihilominus id non afficere autumabat practicus defensor Cardinalis Titularis, quia verbum simpliciter inscriptum absque ulla designatione diei, & temporis non importat Datam, neque parvam,
12 neque magnam; Non parvam, quia hæc apponitur à præfecto Datarii, & extenditur sub sequenti formula ibi = *Romæ Kalendis Aprilis anno primo*; minusque magnam, quia hæc apponitur quidem à Datario, sed extenditur in ampliori forma, quam parva Data in modum sequentem ibi = *Datum apud Sanctum Petrum Kalendis Aprilis anno primo, ut testatur practicus Amayden. de styl. Datar. lib.*1. *cap.*6. *num.*5. *&* 8.

13 Deinde hoc verbum *Datum*, ne superfluum sit, apponitur à Datario ad effectum recognoscendi, quod facta est confrontatio cum libro componendarum, & quod veritas ita se habeat, patet, quia postmodum à præfecto datarum describuntur ad Datarium supplicationes, quæ datam exposcunt, quæque datatæ sunt parva data, ipse Datarius videndo prædictum signum statim extendit datam magnam, aliæ vero supplicationes, prout sunt nominationes ad pensionem, quæ nullo modo requirunt datam apponendam a præfecto datarum, quia jam datatæ sunt in corpore provisionis ab ipsomet Papa, non deferuntur amplius ad Datarium, sed remanent cum illo signo *Datum*, quod non importat datam, nec initium datæ, sed est quædam tantum adnotatio, seu signum de confrontatione jam facta, ut dictum est, in libris componendarum, ut probatur ex testimonio officialium Datariæ, quibus in hac re utpote ad eorum officium spectante plena fides est adhibenda *ad tradita per Cochier ad reg.Cancellar.quæst.*43 *num* 65. *Amayden de styl.Datar.cap.*15 §.15. *num* 74. *Rot. decis.*119. *num.*5. *coram Comitul. decis.*191.*num.*11.*coram Cels., decis* 322.*num.*11. *part.*5., *& decis.*106. *num.*8. *part.*18. *recen., & in Foroliovien parochialis* 26. *Aprilis* 1706.
14 §. *Præmaxime coram Omanna*, & ratio est, quia in supplicationibus, quæ datantur à Datariæ ministris, duæ apponuntur datæ, una dicitur parva, quæ apponitur à præfecto datarum, & est data matrix, altera dicitur magna, & apponitur à Cardinali Prodatario, quæ si per errorem discordet à matrice, debet ad illius formam aptari; unde illud verbum
15 *Datum* non est neque initium datæ, quia nullum designat diem, & tempus, quod datæ proprium est *Amayden de styl. Datariæ lib.*1. *cap.*6. *num.*3. *cum supra relat.*

16 Quapropter ex his inferebat practicus defensor Cardinalis Zondadarii, quod utraque gratia tam provisionis monasterii, quam reservationis pensionis fuerat *ab ipsomet die* 16. *Junii* 1724. in toto suo esse perfecta *juxta ea, quæ tradunt Merlin. decis.*281. *num.*5., *Rot.dec.*628. *num.*6. *part.*4. *tom.*1., *decis* 678. *num.*16. *part.*19. *recent.* Quod nullam videbatur admittere dubitationem, quoniam ad
17 gratiæ perfectionem sufficit voluntas, & dispositio Papæ solo verbo declarata, *ut bene inquit Rebuff.ad concordat. de mandat. apostolic.* §.1. *Gonzalez ad reg.*8. *cancellar Gloss.*1a. *num.*46. *Lotter de re benef. lib.*2. *quæst.*23. *num.*30. *cum seqq. Corrad. prax. dispensat. lib.*2. *cap.*8. *num.*15., *de Luca de præeminen. discurs.*28. *num.*2. *Rot. decis.*1769. *num.*4.
18 *coram Coccin.*, & in terminis de gratia summi Pontificis sola, & simplici singrapha Prodatarii testificantis late habetur decisum *in Hidelsimen canonicatus* 20. *Junii* 1717. § *nullius coram R.P.D.Cerr. confirmata* 14. *Maii* 1718. §. *De medio cum duob.seqq.coram Reverendissimo Ravennaten.*

19 Clarius ubi, ut in hypothesi, Papa signavit ad favorem Cardinalis Spada supplicationem nominationis ad pensionem, tunc enim certum est ex tali signatura gratiam dici undequaque perfectam, & habere totam quidditatem, & essentiam *Staphil de liter. grat. tit. quib. mod. expirent literæ ad beneficia num.*8., *Rosa de execut. liter.apostolic. par.*1. *cap.*1.

cap. 1. num. 57. Paris. de resignat. lib. 8. quæst. 2.
num. 8., & lib. 10. quæst. 1. num. 1. Lotter de re
benef. lib. 3. quæst. 1. num 4., Amsyden de
styl. Datar. lib. 1. cap. 32 num. 12., Rot. de-
cis. 658. num. 24., 36. coram Bich. decis. 118.
n 10. part. 18, decis. 078. n. 13 p. 19. rec. Hipore-
gien commendæ, seu præceptoriæ 11. Decem-
bris 1722. § Non relevante coram Ratto, con-
firmata 12. Martii 1723. §. constans coram
eodem, & in terminis pensionis, quod gratia
dicatur perfecta sola signatura tradit Gigas
de pens. quæst 34. num. 1., & 6. de Luca de
20 pens. discur. 1. num. 5. imo sola signatura per-
ficit gratiam, & dat jus proviso etiam ante
datam Paris. de resignat. quæst. 24. num 3,
cum seqq. Garzias de benef. part. 6. cap. 2.
num. 10. 11. Amayden de styl. datar. cap. 32.
num. 17. Varall decis. 301. num. 4. part. 3. Mo-
21 bedan. decis. 9. in fin. ut lite pendent., &
quod collatio facta à Papa per solam verba-
lem declarationem absque ulla alia signatura
supplicationis tribuat proviso jus perfecte
quæsitum in beneficio habetur in Hidelsimen
canonicatus 20. Januarii 1717. §. Hinc nullum
coram Cerr. confirmata 14 Martii 1718. §. nec
refragari coram Reverendissimo Ravennaten
Hiporegien commendæ, seu præceptoriæ 11.
Decembris 1722. §. non relevante coram Ratto,
confirmata 12. Martii 1723. §. constans coram
eodem.
22 Hæc est differentia inter gratiam nomina-
tionis pensionis, & alias gratias beneficiarias,
quoniam in hac, de qua agitur, totum de-
pendet à signatura Papæ, neque datatur à
Præfecto datarum, quia datam habet in cor-
pore provisionis, è contra alia gratiarum ge-
nera, quæ datam exposcunt, expediuntur
cum sola signatura in forma rationi congruit,
ut testantur officiales, quod utique ad eviden-
tiam comprobat per solam signaturam fuisse
jus plene quæsitum nominato, & ratio est,
23 quia literæ in forma rationi congruit unico
dantur ad conservandum jus antiquum, non
autem ad quærendum de novo Rebuff. in
prax. part. 2. tit. de grat. rationi congruit
num. 18. Cochier ad reg. cancellar. reg. 9. alias 8,
num. 11.
24 Hinc proinde verum est, quod simpliciter
dicunt DD., quod gratia tribuit jus in bene-
ficio, pensione, & præstimonio, data autem
ostendit tempus gratiæ, neque actum suspen-
dit, aut imperfectum facit Varall. decis. 88.
num. 2. 3. part. 3.
25 Et quamvis Cardinalis Prodatarius habeat
facultatem lacerandi supplicationes signatas,
non inde sequitur ex sola Papæ signatura non
fuisse jus quæsitum nominato, tum quia ea-
dem est in Datario facultas lacerandi suppli-
cationes etiam datatas, cum tali potestate
non careat, nisi post regestrum Paris. de resi-
gnat. lib. 8. quæst. 7. num. 196., Gonzalez ad
reg. 8. cancellar. Gloss. 15. §. 2. num. 33. Sarnen.
in reg. de jur. Tert. non tollen. quæst. 2. in fin.
Garz. de benef. part. 4. cap. 2. num. 16. Amayden
de styl. datar. lib. 1. cap. 10. num. 2., Rosa de
execut. liter. apostolic. par. 1. cap. 9. num. 10.,
tum etiam quia talis facultas non est exerci-
bilis pro libito Datarii, sed tantum ex justis,
& legitimis causis, hoc est, vel ubi gratia
clam, & subdole subrepta foret ab ejus ma-
nibus, vel ubi extorta appareret contra for-
mam ejusdem decreti, secus autem ubi nulla
concurrit Iusta causa, tunc enim tali faculta-
te uti non potest, ut admonet Cardinalis de
Luca de pens. discur. 1. num. 4. Rot. decis. 281.
num 9. coram Merlin.
His addebam, quod Papa contulit abba-
tiam, seu monasterium Cardinali Zondada-
rio, eodemque contextu reservavit pensionem
pro persona nominanda, quam deinde decla-
ravit, & insuper supplicationem signavit,
26 unde quoad ipsum facultas nominandi plene
censetur consumpta, & in sequelam alium
nominare non potest l boves §. hoc sermone ff.
de verbor. significat., l. hæc conditio ff de con-
dit & demonstrat., Gabriel. de leg. lib. 6.
conclus. 2. num. 4., & 5. Rot decis. 423. n. 4.
part. 1. decis. 86. num. 3. in fin. part. 2. recent.
27 Eo modo, quo facultas transferendi pen-
sionem, quæ datur Cardinalibus, Prælatis,
& Clericis Romanæ Curiæ, intelligitur
etiam pro prima vice, nisi aliud exprimatur,
Mandozz. tract. de signat. grat. tit. de trans-
lat. pens. §. rursus in vim clausulæ, Rot.
in Oxomen. pensionis 20. Maii 1598. coram
Litta: potissimum si ita nominatus gratiam
acceptaverit, ac dederit ejus ministris man-
datum expediendi literas Apostolicas, nam
acceptatio plenum jus tribuit in pensione
cap. si tibi absenti de præben. in 6.
Ex his omnibus inferebat practicus defen-
sor Cardinalis Zondadarii Titularis pensio-
nem sic reservatam Cardinali Spada ejus mor-
te extinctam remansisse, pensio enim reserva-
tur ad vitam, & æquiparatur usufructui, &
28 sicut ususfructus morte usufructuarii finitur,
ita per obitum reservatarii pensio extinguitur
§. finitur instit. de usufruct., l. antiquitas
Cod. eodem tit., Gigas de pens. quæst. 1. n. 5.,
& quæst. 12. n. 1.
E' contra autem ex parte Datariæ opponeba-
tur, & quidem juridice, hujusmodi gratiam
reservationis pensionis non fuisse datatam, &
sic remansisse imperfectam, & inutilem,
nec causare potuisse extinctionem pensionis,
ideoque locum esse iteratæ nominationi ad
favorem alterius pro libito Papæ, quoniam
29 ad gratiæ integrationem non sufficit sola
Papæ signatura, sed etiam requiritur data
ad text. in l. si qua beneficia Cod. de diver.
rescript. cap. eam te ibique Gloss. vers. datam
de rescript., Gloss. in cap. statutum vers. cano-
nicis rescript. in 6., ubi quod data inspicitur
in gratiosis rescriptis cap. quamvis ibiq.,
Gloss. in princip de rescript. in 6., ubi quod
inter plures, qui prior est in data, præfertur
in beneficio Gigas de pens. quæst. 22. num. 16.,
Lotter de re benef. lib. 2. quæst. 23. n. 10. 31.,
& ratio clara est, quia in verbo, & signatura
Papæ gratia fit ad obtinendum beneficium,
sed in data beneficium jam collatum est, da-
tum enim nihil aliud de jure importat, quam
con-

concessum §. *de augmentis authen. de nupt.* non mirum igitur, si gratia assumit initium, vim, efficaciam, & essentiam à data *Rot. decis.*341. *n.*9. *coram Seraphin.*

Ex his satis videtur responsum omnibus juribus plene adductis per practicum defensorem, qui in hac causa scripserat pro Cardinali Zondadario Titulari, & Abbate commendatario, sicuti quoque respondetur verum esse, quod omnis dispositio, seu facultas nominandi pri-
30 mo actu consumitur, sed tamen id fallit in materia, quæ suapte natura est repetibilis, prout est facultas nominandi ad beneficia, & pensiones, hoc enim casu nihil obstat, quo minus facultas iterum nominandi integra remaneat in Principe, ita regulam limitat *Tiraquel. in d. l. boves* §. *hoc sermone ff. de ver-*
31 *bor. significat.*; sicuti etiam talis facultas non censetur consumpta, quoties menti disponentis plene satisfactum non est, quod quidem verificatur, si nominatus ad pensionem cum sola Papæ signatura præmoriatur *Gratian. discept. foren. cap.*58. *num.*5. *cum seqq. cap.*746. *num.*12. *Rot. decis.*423. *num* 3. *in fin. part.*1. *decis.*405. *in fin. part.*2. *recent.*
32 quod & docet praxis in nominationibus regiis, quæ ob præmorientiam nominati effectum non habuerunt, tunc enim iterum facultas nominandi ad Principem revertitur, perinde ac si nominatio facta non fuisset *cap si electio de elect. in* 6.

Et quamvis hujusmodi causa, quæ tunc ventilabatur inter Cardinalem Zondadarium, & Datariam Apostolicam, decisa non fuerit, sed potius sopita per amicabilem compositionem, cum Dataria collatis nonnullis aliis beneficiis Cardinali Zondadario iterum nominaverit ad pensionem, ut mihi supponitur, nihilominus ejus jura mihi probabiliora videntur, quam ea, quæ supra adducta sunt per
33 defensorem Cardinalis Zondadarii, & consequenter pensio sine data nullo modo fuit extincta, quia sine data nihil datum censetur juxta dispositionem juris, & auctoritatem *Lotterii*, *Sacræ Rotæ*, de quibus supra.

34 Immo in hac quæstione potest juridice defendi necessariam esse expeditionem literarum, ut pensio dicatur extincta per obitum nominati, quod satis eruitur ex mente Papæ, qui eo ipso, quod nominat ad pensionem Cardinalem, seu Prælatum, mandat, & vult, ut per reservatarium literæ expediantur ibi = *Nominandum esse jussimus, prout per præsentes nominamus, ac literas Apostolicas super reservatione d. pensionis juxta prædictæ supplicationis formam, vim, continentiam, & tenorem, & sub illius data pro eodem Cardinali expediri volumus, & mandamus non obstantibus quibuscumque*, ideoque
35 ex mente Papæ gratia signata, & datata remansit inutilis, & imperfecta literis non
36 expeditis, itaut gratia nihil aliud operari possit, quam quod pensio sit affecta ex appositione manus, nullumque jus tribuat proviso, titulus enim non dicitur perfectus, & in suo esse ante expeditionem literarum Apostolicarum *Piton. discept.*99. *num.*46. *tom.*3. *cum ibi relat.*

37 Et licet verum sit, quod literæ Apostolicæ ad probationem gratiæ, non ad ejus perfectionem de jure requirantur *Amayden de styl. Datar. cap.*32. *num* 12., nihilominus id
38 non procedit, quando Papa aliter mandavit, tunc enim gratia reservationis pensionis adhuc dicitur informis literis non expeditis ex mente Papæ sic disponentis *per text. in l. Sacri affatus Cod. de diver. rescript.*

39 At inquies gratiam esse perfectam, quia pensio non requirit expeditionem literarum, nec opus est, ut capiatur possessio, prout fit in beneficiis, sed tantum exigi non potest, si literæ non expediantur, & exacta ante expeditionem annullatur *ex Constitutionibus Gregorii XIII. Sixti V., & Clementis VIII., Lotter de re benef. lib.*1. *cap.*37. *n.*6. *adden. ad Ludovis. decis.*440.; Respondetur,
40 quod gratia reservationis pensionis, cujus fructus exigi non possunt ante expeditionem, non potest dici undequaque perfecta, nam si talis esset, possent exigi, & sine dubio à reservatario exigerentur, ergo gratia literis non expeditis per obitum nominati evanescit, iterumque per Papam alter potest nominari, quod videtur speciale in hac nominandi facul-
41 tate, nam Papa habet omnia jura in scrinio pectoris *cap.*1. *de constit. in* 6., & in suis actibus imperfectum non patitur *l. cum ad Sillanianum Cod de his quibus ut indignis ibi = ne Princeps philosophiæ plenus aliquid imperfectum videatur sanxisse*; Immo in his, quæ requirunt perfectionem ex debito justitiæ, prout est in hoc casu expeditio literarum, actum, qui effectum non habuit, Princeps non considerat *d. l. ad Sillanianum in fin. ibi = Nihil enim actum esse credimus, dum aliquid superest addendum Gloss. in l. solvendo ff. de verbor. significat. ibi = Item nota, quod non videtur aliquid esse, nisi perfectum sit Bald. in d. l. cum ad Sillanianum ibi = Nota quod, Princeps philosophiæ plenus censetur nihil reputare actum, si aliquid speciale remanet agendum, & hoc est verum in his, quæ requirunt perfectionem ex debito justitiæ adden. ad Bart. Castren. ibidem num.*4. *Becc. cons.*13. *num* 7. *lib.*1.

42 Deinde actus non dicitur perfectus, quando est partim factus, & partim non *l.* 2. *ff. de origin. jur. ibi = ipsi animadverterant aliquid deesse*; Idcirco, ut gratia dicatur perfecta, & pensio per obitum nominati extincta, requiritur expeditio literarum, nec sat est,
43 quod literæ pervenerint ad plumbum, sed opus est, ut sint plumbatæ *Lotter. de re benef. lib.*1. *quæst.*37. *num* 11., & hoc casu vere, & proprie remanet consumpta in Papa facultas nominandi *ad text. in l. boves* §. *hoc sermone ff. de verbor. signif. Piton. discept.*98. *num.*8. *tom.*3.

44 Hæc est differentia inter collationem beneficii, & nominationem pensionis, nam in beneficio nihil interest, an provisio habeat effectum

effectum

fectum, vel non quia illud semper vacat conferenti ex appositione manus; non item pensio, quæ nonnisi semel in alium transferri potest, idcirco translatio, seu nominatio intelligi debet cum effectu, ut pensio extinguatur per obitum nominati; Deinde beneficium semper extat, etiamsi vacet, pensio non extat; sed extinguitur, & sic collatio beneficii, quod est, de novo fit, sed pensio potius præservari debet, ne extinguatur, ut alia nominatio fiat iterum cum effectu, alias inutilis esset actus nominationis in Principe, quod repugnat ex dictis; Demum Papa confert beneficium, & nominat ad pensionem juxta dispositionem juris, sed dispar est ratio inter collationem beneficii, & nominationem pensionis, ergo literis non expeditis vacat beneficium, sed non pensio; En tibi disparitas, quæ mihi juridica videtur, aliud enim est collatio beneficii, aliud nominatio pensionis *l. Papinianus ff. de minor.*

45 Verum tamen est, quod si literæ non fuerint expeditæ ex culpa ministrorum Datariæ, qui ad aliud tempus earum expeditionem distulerunt, tunc in odium ipsorum habentur pro expeditis favore Titularis, si interim reservatarius moriatur, nam & diligentia reservatarii ei valdè prodest, & negligentia ministrorum Datariæ nihil nocere debet *ad text. in l. jure civili ff. de condit.&*

46 *demonstrat.*, & ita procedunt deducta *in Tusculana, seu Nullius pensionis*, in qua habita *die Novembris* 1738. Congregatione coram Eminentissimo Cardinali de Gentilibus Prodatario pro certo habitum fuit pensionem R. P. D. de Cavaleriis Nuncii Lusitaniæ cum Data juxta stylum per ejus obitum fuisse extinctam etiam literis non expeditis.

47 Denique literis non expeditis extinguitur pensio, si in reservatione ita cautum sit, ita Benedictus XIII. prævio assensu regio reservavit pensionem ducatorum quingentorum ad favorem Hospitalis sancti Gallicani Urbis super quadam abbatia, seu beneficio existente in statu Mediolani ea lege, ut literæ reservationis pensionis eodem contextu expedirentur cum literis provisionis, alias reservatio nulla sit; Cum autem ministri d. Hospitalis neglexerint literas Apostolicas expedire ad formam reservationis, merito declaratum fuit per R. P. D. Valenti Datarium hujusmodi pensionem fuisse extinctam *Comen. beneficii* 1731. *per acta Datariæ*.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob captam possessionem per simplex transumptum *juxta Constitutionem* 50. *Innocentii X.*

SUMMARIUM.

1 FRaudibus, quæ à provisis, & ministris committi solent, occurrendum est.
2 Possessio capta per transumptum privat ipso jure beneficio.
3 Notarii, & officiales ipso jure priventur officiis, si subscripserint transumpta literarum, seu supplicationum apostolicarum, & clerici ultra privationem inhabilitantur ad idem beneficium.
4 Differentia inter officiales, & provisos.
5 Differentia inter falsarium literarum apostolicarum, & eum, qui utitur transumpto.
6 Valet impetratio beneficii ob captam possessionem per simplex transumptum, secus ob simplicem transumpti expeditionem, ubi declaratur 7.
8 *Constitutio Innocentii X.* non tollit triennalem possessionem.
9 Differt hæc Constitutio à Constitutione Julii III., & de ratione.
10 Differt ex alio capite Innocentiana à Constitutione Julii, ubi ratio differentiæ.
11 Provisus de simplici beneficio potest allegare ignorantiam Constitutionis Julii III. secus utens transumpto.
12 Limitetur in eo, qui provisus est de dignitate ecclesiastica exigente qualitatem doctoratus.
13 Minor jurisperitus non potest impugnare contractum ex defectu solemnitatum, & quare.
14 In provisionibus beneficiorum, quæ fiunt à nunciis, & ordinariis sufficit simplex rescriptum pro obtinenda possessione, nisi aliud caveatur.
15 Qui gratia abutitur, gratia privatur, idem de privilegio, ubi quod etiam ab obtenta dignitate dejicitur.

CAPUT LIII.

1 On sufficit Apostolicas Constitutiones promulgari super provisionibus beneficiorum obtentis in Romana Curia, nisi etiam occurratur fraudibus, quæ sæpissimè per provisos, & ministros committi solent; Quamvis enim sub Paulo III. jure optimo alias sancitum fuerit beneficia ipso jure vacare, ac proinde posse libere impetrari; si clerici de beneficiis provisi utantur transumptis supplicationum, *ut habetur in Constitut.*49. *hujus Pontificis*, nihilominus usus inde invaluit, ut per simplex transumptum impunè capi posset possessio beneficiorum; & ita constitutio apostolica contrario usu

usu fuit penitus abolita, dum provisi de benefi-
ciis inferioribus pro literis expediebant tran-
sumpta supplicationum, & apprehendebant
possessionem, exigebant fructus, administra-
bant ecclesias, ea omnia peragentes, quæ de
jure competunt veris ecclesiarum Prælatis.

2 Verum quia id maximum afferebat præju-
dicium juribus Papæ, & officialium Datariæ,
ideo *Innocentius X. die 3. Februarii 1652.*
abolito prorsus usu transumptorum, statuit,
ut in posterum possessio beneficii capta per
transumptum provisis non suffragaretur sub
pœna vacationis beneficii ipso jure, nisi ex-
presse dictum sit, quod simplex signatura suf-
ficiat, *ita habetur in Constitut. 50.*, *de qua
late Rot. decis. 69. num. 5. 6. decis. 123. n. 18.
part. 12. recen*, quarum prima impressa est
penes Tondut. de pension. decis. 49. per tot.;
& ratio est, quia propter usum transumpto-
rum Papa caret iis obventionibus, proventi-
bus, decimis, & emolumentis, quæ eidem
jure naturali, & divino debentur.

3 Duas habet hæc constitutio partes, qua-
rum altera notarios, & officiales Datariæ,
altera clericos provisos respicit; Notarii
enim, & officiales ultra alias pœnas ipso
jure privantur officiis, si contra formam hu-
jus Constitutionis transumpta literarum, seu
supplicationum Apostolicarum confecerint,
aut subscripserint; Provisi vero utentes tran-
sumptis benefi io ipso jure spoliantur, & in-
habilitatem ad idem statim contrahunt.

4 Differunt in ho offi iales à provisis, quia offi-
ciales incurrunt pœnam privationis officio-
rum ipso jure, si bis hujusmodi transumpta
conficiant, subscribant, & expediant; E con-
tra verò contra provisos sufficit usus tran-
sumpti cum effectu, videlicet, si capta sit in
vim ejusdem possessio beneficii, quoniam
simplex transumpti expeditio pœnam juris non
parit. Hæc tunc est vera, & juridica hujus
Constitutionis interpretatio, nam per expe-
ditionem argui quidem potest, quod provi-
sus uti voluerit transumpto, sed non inde
sequitur, quod eo usus sit, quod patet, quia
potest eo non uti, potest illud lacerare, &
deinde literas Apostolicas expedire, sicuti
qui destitit uti falsis literis, non amittit offi-
cia, & beneficia *cap. ad falsariorum*, *cap. acce-
dens de crimin. fals.*, ergo beneficio privatus
non est, qui expedit transumptum, nec eo
5 utitur. Sane gravius puniendus est, qui lit-
teras Apostolicas falsificat, quam qui utitur
transumpto, falsificator enim literarum Apo-
stolicarum ipso jure spoliatur omnibus benefi-
ciis, fitque incapax aliorum similium, &
dissimilium, quod dici non potest de eo,
qui simpliciter utitur transumpto, ac possès-
sionem beneficii apprehendit, privatur enim
beneficio, sed non fit inhabilis ad alia simi-
lia, vel dissimilia obtinenda, Et ratio dispa-
ritatis est, quia falsificator literarum Apo-
stolicarum delinquit contra legem natura-
lem, divinam, canonicam, & humanam,
utens verò transumpto peccat contra legem
ecclesiasticam, & positivam, & ideo uti
transumpto est malum, quia prohibitum,
sed falsificare est prohibitum, quia malum;
Deinde falsificantibus literas Apostolicas,
nunquam, vel raro dispensatur ad beneficia,
officia & dignitates ecclesiasticas ob infa-
miam juris & facti, quæ repellit falsificantes
tanquam indignos ab assequendis beneficiis
*cap. infamibus ibique Gloss. de regul. jur. in 6.
cap. querelam ibique Abb., & Canonist. de
election. l. 2. Cod. de dignitat. lib. 11.*, E contra
utentes transumptis facile obtinent reahabi-
litatem, & restitutionem in integrum ad
idem beneficium, iterum possunt literas ex-
pedire, & renunciare possessioni per transum-
ptum jam captæ, & novam, literis expedi-
tis, possessionem beneficii apprehendere, sicu-
ti restituitur in integrum, qui omisit publicare
resignationem, & his similia *Rot. decis. 286.
num. 40. coram Bich.*

6 Ex quibus infertur valere impetrationem
beneficii ob captam possessionem per simplex
transumptum, sicuti è contrario ob simplicem
transumpti expeditionem literæ impetrato-
riæ invalidæ, & subreptitiæ censentur *cap.
super literis cap. si proponente de rescript.*,
& ratio est, quia Papa confert beneficium,
quatenus vacet de jure, sed per simplex tran-
sumptum, possessione non capta, beneficium
non vacat ex dictis, ergo impetratio ob ex-
peditionem transumpti de jure non subsistit,
7 nisi aliud appareat de mente Papæ beneficium
conferentis; quamvis enim expeditio tran-
sumpti vacationem beneficii non importet,
præbet tamen justam causam, ut beneficio
privari possit, qui transumptum expedierit.
Hæc tamen quæstio facti est potius, quam ju-
ris, ac pendet ex tenore literarum apostoli-
carum, quibus videndum est, an Papa provi-
derit, prout de jure, seu potius privaverit be-
neficio clericum ex hoc capite.

8 Rursus sciendum est, quod *Constitutio In-
nocentii X.* possessionem triennalem non tollit,
ideoque tutus est adversus impetrantem, qui
per simplex transumptum possessionem bene-
ficii adeptus est, ac per triennium pacifice
possedit ex recepta conclusione, quod regula
de triennali præservata intelligitur, quoties
per Papam abrogata non est *l. præcipimus C.
de appellat.*, multo magis præservata cense-
tur possessio decennalis, quæ triennali fortior
est.

9 Differt tamen *hæc Constitutio* à Constitu-
tione *Julii III.*, de qua *in cap. antecedenti*,
ibi enim Papa ob literas non expeditas,
triennalem possessionem expresse abrogavit,
& ratio est, quia majus committit deli-
ctum, qui capit possessionem beneficii literis
non expeditis, quam qui vere utitur tran-
sumpto.

10 Differt quoque ex alio capite *Innocentiana*
à constitutione *Julii III.*, illa enim privat
beneficio, quamvis scienter, aut ignoran-
ter possessio beneficii per transumptum capta
sit, hæc vero requirit dolum, & malitiam
in proviso, ibi -- *apprehendere præsumpse-
runt* --, quæ verba dolum, & fraudem sine

dubio præferunt. Unde si possessor beneficii habuerit justam causam, & possessionem, literis non expeditis, ignoranter apprehenderit, a pœna juris est excusandus *juxta doctrinam Abb. in cap. ex literis num* 11. *de consuetud.*; Et quamvis, ut jam dixi, plus delinquat, qui transgreditur constitutionem *Julii III.*, nihilominus quandoque plus delinquere videtur, qui utitur transumpto, cum ita provisus particeps sit fraudis officialium, & ministrorum, cum quibus communicat, expediendo transumptum, quæ ratio cessat in eo, qui capit possessionem, literis
11 non expeditis; Quod patet in proviso de simplici beneficio, potest enim allegare ignorantiam constitutionis *Julii III.*, sed utens transumpto, hac ignorantia se tueri non potest ex ratione jam dicta. Hæc sane sunt juris fundamenta, quibus una constitutio valde differt ab alia, & probabilia, seu verisimilia mihi videntur, non tamen indistincte admittenda sunt, prout admitti non debent
12 in eo, qui provisus est de dignitate ecclesiastica, quæ de jure exigit qualitatem doctoratus; Doctor enim utriusque juris præsumitur scire Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas de non capienda possessione beneficii literis non expeditis, multo magis per transumptum literarum, seu supplicatio-
13 num Apostolicarum; Sicuti minor jurisperitus nequit impugnare contractum nullum ex defectu solemnitatum, turpe enim est jurisconsulto jus, in quo versatur, ignorare *l.* 1. §. *Servius ff. de orig. Jur. Bart. & alii in l.* 1. *num.* 4. *C. qui, & adversus quos, Pereir. in regim. reipubl. lit. M. num.* 503. *Rot decis.* 20. *num.* 5. 6. *coram Buratt.*
14 Hæc cessant in provisionibus beneficiorum, quæ fiunt à Nunciis, seu ab Ordinariis locorum, sufficit enim simplex rescriptum, ut possessio beneficii valide capi possit, nec ulla de jure incurritur pœna, si hoc modo possessio apprehendatur; & ratio est, quia de jure communi non est necessarium ad perfectionem gratiæ instrumentum collationis, quo regulariter utuntur Ordinarii, seu Nuncii in provisionibus beneficiorum, possunt tamen beneficio privare clericum, qui sine instrumento collationis possessionem beneficii apprehenderit, maxime si statuto id caveatur; quod sane statutum sine dubio valet, & obli-
15 gat, quoniam dignus est, ut gratia privetur, qui gratia abutitur, sicuti qui privilegio obviat, illud amittere meretur *Canon. ubi ista dist.* 74. *Canon privilegium* 11. *quæst.* 3. ubi etiam judicio legum civilium ab obtenta dignitate dejicitur, qui privilegio abutitur, *& habetur in cap. cum M. Ferrariensis, ibique Gloss. versic. contravenerit de constitut. cap. pro illorum de præben. l.* 2. *C. de jur. domin. impetran.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Pensio non potest exigi per transumptum, ubi de ratione.
2 Pensionarius temere exigens pensionem per transumptum, pensione privatus est, vel privandus, si adjecta sit clausula, *ut literæ expediantur*.
3 Usus transumptorum prohibitus est in pensionibus.
4 Limita in translatione pensionis.
5 Translatio pensionis est quædam oneris prorogatio.

1 EX dictis sequitur, quod sicuti non potest apprehendi possessio beneficii per transumptum, ita nec pensio exigi potest, literæ enim pensionis parum differunt à literis beneficii *Gig. de pension. quæst.* 100. *num.* 13. 5
2 Ideoque pensionarius exigens fructus pensionis per simplex transumptum, pensione privatus est, vel privandus, potissimum quia hodie in pensionibus, quæ à Papa reservantur super beneficiis ecclesiasticis, adjici solet clausula, ut literæ expediantur, *ut in additione antecedenti dictum est*. Ex quo pa-
3 tet, quod de stylo usus transumptorum prohibitus est in pensionibus, prout in beneficiis.
4 Hæc tamen locum non habent in translatione pensionis, in qua literæ non expediuntur, sed instrumentum translationis, seu transumptum sufficit, ut inde ad ejus solutionem titularis teneatur *Rot. decis.* 60. *num.* 18. 19. *cor. Duran.*; Non enim translatio fit à Papa, sed ab indultario,
5 licet auctoritate Papæ hæc fiat; Ultra quod translatio pensionis non est reservatio, sed quædam oneris prorogatio de una in aliam personam.

ARGUMENTUM.

DE Vacatione Beneficii, & Pensionis ob non paritionem decreto de dimittendo primum beneficium intra duos menses à die captæ possessionis secundi, & quando primum, vel secundum, & utrumque beneficium vacet ipso jure *ad ornatum extravagantis ut quos de offic. ordinar, inter commun., & de stylo Datariæ in hac re.*

SUMMARIUM.

1 DIvisio capitis.
2 Provisus de secundo beneficio tenetur intra duos menses à die captæ possessionis secundi primum dimittere sub pœne vacationis.
3 Ampliatur, si per provisum steterit, quo minus possessio capiatur.
4 Conditio habetur pro impleta, quoties per eum stat, quo minus impleatur.
5 Non sufficit possessio secundi, sed requiritur, quod sit pacifica.
6 Ob assecutionem secundi valet impetratio primi beneficii, ubi declaratur.
7 Pacifica possessio non inducit vacationem primi, si omnes, vel major pars fructuum secundi beneficii ex indulto spectent ad Monasterium &c.
8 Impetratio primi beneficii de jure substinetur, sed nequit exequi, nisi postquam provisus fructus secundi beneficii percipiat, ubi de ratione 9.
10 Ubi possessio secundi capi non potuit, primum beneficium non vacat vi decreti, sed potius per obitum.
11 Vacat ipso jure primum beneficium post lapsum duorum mensium non superventis molestiis super secundo.
12 Provisus de secundo tenere retinens etiam primum, privatur utroque, non obstante consuetudine retinendi plura 3
14 Limita, si concurrat ignorantia, ut in eo, qui per procuratorem cœpit possessionem secundi beneficii.
15 Ignorentia excusat à pœnis, ubi declaratur.
16 Provisus de secundo beneficio non dimittens primum, ut supra fit inhabilis ad alia beneficia similia obtinenda, ubi declaratur.
17 Clericus privatus utroque beneficio ex hoc capite dissimilium beneficiorum incapax non est, ubi exemplificatur.
18 Tutius est impetrare primum, quam secundum beneficium, ubi de ratione.
19 Stylus Datariæ in hac materia duplex, primo quando apponitur decretum de dimittendo primum intra duos menses, secundo quando illud adjicitur, ut primum vacet eo ipso, quod explicatur ibidem.
20 Primo casu provisus de secundo retinet primum, donec cessent molestiæ judiciales super secundo, secus in secundo casu, præsertim si res integra non sit.
21 Re integra eidem primum beneficium conferri debet.
22 Dimittens primum beneficium vi decreti animo assequendi aliud ad primum est reintegrandus, si secundum non assequatur.
23 Succedens in jus alterius justam ignorantiæ causam præsumitur habere.
24 Dimittens primum beneficium præfertur alii, si sub eadem die de eodem provisus sit.
25 Decretum, vel eo ipso, vel de dimittendo non comprehendit beneficia de jurepatronatus laicorum, & adjectum debet moderari, ubi declaratur.
26 Dimissio beneficii, quæ fit intra duos menses, debet esse libera absque ulla pensione, & gravamine.
27 Verbum *libere* in rebus indifferentibus importat exemptionem, idem in beneficiis, ibidem.
28 Beneficium jam vacans non potest amplius resignari.
29 Dimissio, quæ fit inter duos menses, recipitur quoad possessionem de facto, non quoad jus.
30 Ubi certa pars fructuum secundi beneficii ad Monasterium spectat, non est rejicienda petitio amoæ pensionis super primo.
31 Declaratur, si provisus de secundo, tale onus, quo erat gravatum secundum beneficium, ignoraverit, secus, si scivetit, ubi de ratione.

CAPUT LIV.

1 DUplex in præsenti capite oritur juris consideratio, altera, quæ vacationem primi, altera, quæ vacationem utriusque beneficii respicit; Reliqua vero concernunt stylum Datariæ, prout infra patebit.

2 Quoad primam certi juris est provisum de beneficio vel à Papa, vel ab Ordinario, si aliud pacifice possideat, teneri intra duos menses à die adeptæ possessionis secundi, primum in manibus Papæ, seu Ordinarii libere dimittere, alias post lapsum duorum mensium vacat ipso jure primum, quod proinde potest impetrari à Papa, vel conferri ab Ordinario, vel ab iis, quibus de jure, consuetudine, privilegio, aut fundatione id competit, *ita habetur in extravaganti ut quos de officio ordinarii inter communia late Rot. in Frisingen. Canonicatus 16. Maii 1707. cor. Ansald.*

3 Ampliatur, si per provisum steterit, quo minus possessio capiatur, tunc enim in odium ipsius, elapsis duobus mensibus, habetur pro capta; hic quidem lex fingit factum quid fuisse, quod verè gestum non est, & hoc in pœnam negligentiæ provisi, qui irrationabiliter detrectat possessionem secundi beneficii apprehendere, quod novum non est, nam

4 de jure civili conditio habetur pro impleta, quoties per eum stat, quo minus impleatur

 l.Ju-

l. Jure civili ff. de condit. & demonstrat.,
& qui fraudem, & dolum committit quoad
assequendam possessionem de jure pro possesso-
re habetur *Gloss. in cap. si gratiose versic. si
gratiose de rescript. in 6. cap. licet Episcopus* 28.
*de praeben. in 6. extravag. execrabilis ibique
Gloss. versic. cessantibus de praeben. extravag.
ut quos de offic. ordinar. inter commun.*, ubi
quod etiam ex hoc capite ipso jure vacat be-
neficium *Rot. decis.* 856. *num.* 10. *cor. Seraph.*

5 Nec sufficit, quod possessio secundi capta
sit, sed & insuper requiritur, quod sit paci-
fica, quoniam si superveniant super secundo
beneficio molestiae judiciales, primum non
vacat etiam post lapsum duorum mensium,
nec ita provisus tenetur illud dimittere *Ga-
briel. consf.* 193. *num.* 8. *lib.* 1. *Piton. discept.* 134.
per tot. tom. 4. *Adden. ad decis.* 451. *in fin.
cor. Ludovis. Rot. decis.* 713. *decis.* 745. *cor.
Molin.*

6 Et quamvis primum beneficium tanquam
incompatibile ob assecutionem secundi possit
impetrari, prout in hoc praxis est Datariae,
etiam non expectato lapsu duorum mensium
*ex deductis per Carol. Ant. de Luc. ad Ven-
trigl. in prax. par.* 1. *annot.* 17. §. 1. *num.* 6.,
nihilominus, ut plenam executionem mereAn-
tur literae impetrantis, expectandus est litis
eventus secundi beneficii, ne aliaa provisus
utroque beneficio privatus remaneat *Castren.
consf.* 265. *per tot. lib.* 2. *Rot. decis.* 713. *coram
Molin.*

7 Rursus pacifica possessio secundi beneficii
interdum vacationem primi non parit; siqui-
dem si omnes, vel saltem major pars fructuum
secundi beneficii ex indulto, consuetudine,
aut statuto spectent pro certo tempore ad mo-
nasterium, seu capitulum, certum est pri-
mum beneficium non vacare, etiam post
lapsum duorum mensium, non enim benefi-
cium consistit in sola, & quidem pacifica pos-
sessione ecclesiae, sed in perceptione fructuum
cap. 1. *de regul. jur. in* 6 *cap. si tibi concesso*,
ibique Franch & alii de praeben. in 6. *Piton.
discept.* 134. *per tot. tom.* 4. cum coeteris fuse
relatis *in cap.* 6. *de vacat. ob incompatibilita-*
8 *tem*, ideoque impetratio primi beneficii de
jure quidem valida est, sed nequit exequi, nisi
postquam provisus omnes, vel majorem par-
tem fructuum secundi beneficii percipiat
Franch. in cap. si tibi concesso num. 2. *in fin. de
praeben. in* 6 *Vitalin. in clemen. si plures num* 60.
eod. tit. Rot. decis. 85. *num.* 7 *par.* 16. *recen.*.
9 & ratio est, quia beneficium, quod vacat de
jure, potest valide impetrari, & vacatio juris
exuberat ad intentum impetrantis, licet, *ut
dictum est*, collationis executio sit differenda,
ne praejudicium primo proviso irrogetur *cap.
licet Episcopus de praeben. in* 6. *Alexand.
consf.* 265. *lib.* 2. *Rot. decis.* 153. *num.* 6. *cor. Lu-
dovis. decis.* 85. *num.* 8. 9. *par.* 16. *recen.*, *& alibi
passim*.
10 Fortius, si possessio secundi capi non potuit,
nam primum beneficium nunquam vacat vi-
gore decreti, sed vacat per obitum, si inte-
rim accidat mors possessoris; unde is, qui
impetravit beneficium vacans per obitum,
praefertur ei, qui idem obtinuit tanquam
vacans ob incompatibilitatem, seu vigore
decreti *Rot. in Monasterien. Canonicatus die*
9. *Decembris* 1712. *cor. Eminentissimo Aldro-
vando, confirmata die* 9. *Junii* 1713. *coram
Scotto*.
11 Quo vero attinet ad secundam consideratio-
nem, conveniunt omnes, quod post lapsum
duorum mensium, non superventis interim
molestiis super secundo beneficio, vacat ipso
jure primum, & si provisus etiam primum
12 temerè retinere praesumat, percipiendo
fructus, privatur utroque *cap. de multa de
praeben. Clementin. plures extravag. execra-
bilis eod. tit. extravag. ut quos de offic. ordi-
nar. inter commun. in puncto Rot. in Mogun-
tina Canonicatus die primâ Julii* 1697. *coram
dell' Olmo in princip. & ferè per tot.*, non
13 obstante consuetudine in contrarium, quae
tanquam irrationabilis à jure improbata est
ex cap 1. *de consuetud. in* 6.
14 Prodest quidem ignorantia, quod propriè
contingit in eo, qui per procuratorem pos-
sessionem beneficii apprehendit, unde decre-
tum de dimittendo primum intra duos men-
15 ses à die captae possessionis secundi non affi-
cit, nam ignorantia semper excusat à poenis
l. 1. *l.* 4. *l. error. ff. de jur. & fact. ignor. l. si
quis*, *l. si post. C. eod.*, quod tamen verum
est, si ignorantia sit verisimilis, & probabi-
lis, secus, si sit crassa, supina, & affectata,
quod arguendum est ex distantia loci, con-
jecturis, & praesumptionibus, quae in facto
consistunt.
Ultra privationem utriusque beneficii con-
trahit inhabilitatem ad alia beneficia similia
16 obtinenda, si provisus de secundo non di-
mittat primum inter duos menses a die adeptae
possessionis secundi, exemplum est in eo, qui
canonice possidet in ecclesia personatum, si
enim deinde provideatur de dignitate eccle-
siastica, nec intra duos menses personatum
dimittat, fit incapax alterius Personatus, &
Ecclesiarum Parochialium, aliarumque Di-
gnitatum, quae habent jurisdictionem cum
praeeminentia, dum haec beneficia inter se de
jure aequiparantur. Attamen privatus utro-
17 que dissimilium beneficiorum incapax non
est, unde beneficia simplicia, quae administra-
tione carent, potest impetrare, & ratio est,
quia inhabilitatus ad majus beneficium, non
censetur inhabilitatus ad minus; ultra quod
Papa id non expressit, quod utique fecisset,
si privatum de utroque ad omnia beneficia
etiam minora inhabilitasset, quod ratio dictat
nam in poenia omissum habetur pro omisso, *ita
Gloss. in extravag. execrabilis versic. beneficia
de praeben.*
18 Pro praxi tamen illud notandum est, tutius
esse impetrare primum, quam secundum bene-
ficium, quoniam primum post adeptam pos-
sessionem secundi semper vacat *cap. de multa
de praeben. cap. licet Episcopus eod. tit. in* 6.
Clementin. plures eod. tit., non item secun-
dum, quia justa causa potest excusare ita pro-
visum,

visum, cur primum intra duos menses non dimiserit, *ut supra prænotatum est*.

19 Denique stylus Datariæ in hac materia duplici modo concipitur; primo, quando apponitur decretum de dimittendo primum beneficium intra duos menses. Hic sane stylus favorabilis est, & nihil differt à dispositione juris, de qua supra. Secundo quando adiicitur decretum, ut primum vacet eo ipso, & eodem contextu illud alteri confertur. Hic stylus est odiosus, & contra dispositionem juris; nam acceptans secundum cum hoc decreto, statim amittit primum, & quandoque
etiam caret secundo, si ejus collatio alii,
20 præter Papam de jure competit. Primo casu provisus de secundo semper retinet primum, donec cessaverint molestiæ judiciales super secundo beneficio; non item in secundo casu, quoniam ex decreto *eo ipso* provisus de secundo statim privatur primo, nec ad primum amplius redire potest, præsertim re non integra, si nempe primum alteri collatum sit,
21 licet re integra æquitas dictet, ut eidem primum beneficium conferri debeat, si secundum assequi non potuit *cap.2. & 3. in fine de renunciat.*, eo modo, quo dimittens primum
22 beneficium vi decreti animo assequendi aliud, quod assequi non potuit, ad primum reintegrandus est *Rot. decis.20. num.7. cor. Záratt. repetita in dec.302. par.11. recen.* potissimum si nulla culpa possit imputari, cur secundum beneficium, cujus collatio ad Pa-
23 pam non spectabat, acceptaverit, qui enim succedit in jus alterius, justam ignorantiæ causam habere præsumitur *l. qui in jus alterius ff. de regul. jur.*; Immo præfer-
24 tur alteri, si sub eadem die de eodem beneficio iterum provisus sit, nam quodammodo habet dominium primi beneficii, non obstante dimissione facta contemplatione acquirendi aliud, *argumento Text. in l. qui sic solvit ff. de solut Rot. d. decis.20. cor. Zarat.*

25 Utrumque tamen decretum vel eo ipso, vel de dimittendo primum intra duos menses, ut supra, non comprehendit beneficia de jurepatronatus laicorum, quæ utpote fundata ex bonis patrimonialibus, à quibuscumque reservationibus exempta sunt *Gloss. in cap.2. de præben. in 6. Covarruv. pract. quæst. 36. Puteus decis.311. lib.1. in novis*. Quod si decretum *eo ipso* super beneficio patronali occasione optionis, seu assecutionis alterius à Datario jam editum sit, debet modificari, & saltem ea est adiicienda conditio, ut patronus intra certum tempus teneatur alium clericum in Curia præsentare pro obtinenda collatione Apostolica; Hoc sane casu decretum *eo ipso* videtur justum, dum Papa confert beneficium, quod in ejus manibus vacat sine præjudicio Patroni, cui ex fundatione jus præsentandi competit.

26 Notandum insuper est, quod dimissio beneficii, quæ fit intra duos menses in manibus Papæ, debet esse libera, alias si fiat ad favorem alterius, dimissio non est, sed resignatio, imo libera non est, si fiat sub annua pensione, seu commodo temporali, & consequenter, qui tenetur libere in vim decreti dimittere primum beneficium, non adimplet formam, illud resignando ad favorem certæ personæ, & sub annua pensione; quoniam per dimissionem liberam beneficium vacat, sed per resignationem, nonnisi momentanee vacare censetur; Deinde per dimissionem Papa libere confert beneficium, sed per resignationem necessario ecclesiæ providet; Unde jura, quæ loquuntur de dimissione, intelliguntur de ea, in qua Papa de beneficio ad placitum disponit, & ratio est,
27 quia verbum *libere* in rebus indifferentibus importat exemptionem à quocumque onere servitutis, ususfructus, & his similium *Barbos. de clauf. dictio libere num.3. Ridolphin. alleg.89. num.6.*; Ita etiam in beneficiis ecclesiasticis verbum *libere* pensionis reservationem excludit *extravag. execrabilis de præben. extravag. ut quos, ibique Gloss. versic. libere de offic. ordinar. inter commun.*

28 His accedit, quod beneficium jam vacans non potest amplius resignari ad favorem certæ personæ, cum resignans post adeptam possessionem secundi jus, quod non habet amplius in primo beneficio, in alium transferre non possit *Canon. Daibertum 1. quæst.7.*
29 *l. nemo ff. de regul. jur.*. Nec vis fiat in dimissione, quæ intra duos menses vigore decreti fieri debet, nam talis dimissio à jure recipitur non quoad jus, & titulum primi beneficii, quo provisus de secundo jam caret, sed quoad possessionem de facto, quam adhuc retinet *Gloss. in extravag. execrabilis versic. dimittere de præben. Rot. decis.713. num.17. cor. Molin.*

30 Temperanda hæc sunt, si certa pars, aut quota fructuum secundi beneficii ad Monasterium, aut Capitulum ex indulto spectaret; tunc enim non esset rejicienda petitio annuæ pensionis favore dimittentis, dum onus, quod patitur in secundo beneficio, relevatur ex pensione, quæ in primo reservatur, quod tamen arbitrio Papæ relinquimus, qui attenta qualitate personæ, potest admittere resignationem sub pensionis reservatione, vel illam rejicere.

31 Declaratur hoc procedere, si provisus de secundo tale onus, quo secundum beneficium erat gravatum, ignoraverit, secus data hujus oneris scientia, imputet enim sibi provisus, si beneficium pensione gravatum favore Monasterii, aut Capituli acceptaverit *Gloss. in can. clericus 21 quæst.1. vers. necessitatem ibi = Nisi iste sciens à principio recipit pauperem, unde imputet sibi. l. final § sin autem cod. de jur. deliberan. ibi= & sibi imputet, qui pro novo beneficio vetus eligit gravamen l si mulier la 2 C. ad vell. ibi=sibi imputet, si quod sæpius cogitare poterat, & evitare, non fecit, sed ultro firmavit l.1. cod. de comm. serv. manumiss. ibi =sibimet imputent, si cum liceret eis lucrari, hoc accipere distulerunt l.1. ff. de separat. bonor: ibi = sibi debet imputare suam facilitatem, Gloss. & DD. in cap. imputari de reg. jur. in 6., Rot. decis.22. n.1. & dec.255. n.2. cor. Mantic.*

AD-

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 PEnsio non est incompatibilis cum beneficio, limita si conferatur in titulum.

2 Pensio assignata in titulum beneficii iuxta duos menses dimittenda est in manibus Papæ.

3 Pensio assignata, ut supra, subjacet decreto, quod et *ipse* vacet.

4 Ubi secundum beneficium oneribus gravatum est favore capituli, potest reservari pensio super primo favore dimittentis, donec, & quousque durent onera super secundo.

5 Pensio imposita super primo beneficio cessantibus oneribus super secundo statim extinguitur.

6 Pensio, adepto beneficio, extinguitur, si ita cautum est.

1 PEnsio non est incompatibilis cum beneficio, quoniam mera præstatio est temporaria, quæ valde differt à beneficio, nisi conferatur in titulum; tunc enim benefi-
2 cium est, licet denominetur pensio, ac proinde intra duos menses à die captæ possessionis secundi beneficii in manibus Papæ dimittenda est, prout dimittitur beneficium, à quo pensio nil differt *extravag. execrabilis de præben. extravag. ut qui de offic. ordinar*; Im-
3 mo subjacet decreto, quod eo ipso vacet, quia beneficium est, non præstatio temporaria, & omnibus regulis beneficii consistit.
4 Verum quia secundum beneficium oneribus, suu pensionibus interdum gravatum est, ut jam dixi, non est rejicienda petitio annuæ pensionis super primo, & hujusmodi pensio non est reservanda pure, & ad vitam, sed sub conditione, donec scilicet, & quousque cessent onera super secundo, ita enim providetur indigentiæ provisi de secundo, qui forte non acceptasset, si scivisset secundum beneficium oneribus, & pensionibus grava-
5 tum esse. Dato itaque, quod cessent onera super secundo beneficio, extinguitur etiam pensio imposita super primo *cap. cum cessante de appellat. cap. si pauper clericus de præben. in 6. Vitalin. in Clementin. gratiæ num. 33. de*
6 *rescript.*, ubi dicit, quod pensio, adepto beneficio, extinguitur, si ita reservetur, & *latius Gig. de pension. quæst. 25. cum rela'is in cap. 6. de vacat. ob incompatibilitat. in addit.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & privatione Pensionis ob insordescentiam in excommunicatione per annum, seu triennium, & de stylo Datariæ conferendi Beneficia sic vacantia *ad ornatum Text. in cap. cum bonæ de ætat. & qualitat. & ordin. præficien.*

SUMMARIUM.

1 INsordescentia in excommunicatione per annum duplex infert delictum, contemptum nempe potestatis clavium, & præsumptam hæresim.

2 Hæc non est præsumptio præsumptionis, sed in gravi crimine fundata.

3 Clericus propter insordescentiam in excommunicatione per annum beneficiis ipso jure privatur.

4 Clericus suspectus de hæresi, si citatus non compareat, post annum beneficiis privatur.

5 Contumacia & inobedientia censuris coercenda est.

6 Impugnant nonnulli hujusmodi vacationem, aliter distinguentes.

7 Hæc distinctio non est juridica.

8 Beneficium, quod vacat ex capite gravis criminis, non potest amplius vacare ex capite insordescentiæ.

9 Intellectus *Text. in cap. cum bonæ de ætat., & qualitat.* 14.

10 Episcopus ex gravi crimine, seu injuria illata ecclesiæ potest clericos beneficiis privare.

11 Verba *spoliare non differas* de sententia declaratoria interpretantur.

12 Verbum *spolietis* importat executionem, & privationem ipso jure.

13 Verba executiva non debent remanere otiosa, & sine effectu.

15 Excommunicati pro gravi crimine, & contumaces post annum non audiuntur.

16 Non audiri quid importet de jure canonico, ubi differentia inter jus cæsareum. 1.

18 Suspecti de hæresi possunt citari, & contumaces excommunicari, & post annum insordescentiæ, ut hæretici damnantur, ubi declaratur.

19 Patronus privatur jure præsentandi, si per biennium in excommunicatione permanserit, & post annum clericus beneficio.

20 Crescente contumacia, crescere debet & pœna.

21 Differentia *inter Text. in cap. cum bonæ de ætat. & qualitat., & cap cum contumacia de hæret. in 6.*

22 Ut clericus post annum insordescentiæ censeatur ipso facto privatus beneficio, duo necessariò requiruntur. 24.

23 Si intra annum cessat contemptus, clericus beneficio privatus non est, nec privandus.

25 Clericus excommunicatus propter debitum civile, seu pecuniarum post annum excommunicationis beneficium ipso jure non amittit. 29. *contra Menoch. & Pignatell.* 26.

27 Intellectus *Text. in cap. cum contumacia de hæret. in 6. contra sensum Pignatell., & Menoch.* 28.

30 Excommunicatus inhabilis est ad beneficia obtinenda.

31 Clericus excommunicatus propter debitum civile, quod exigi non potest, ac pluries monitus, beneficio privandus est. 32.

33 Clericus privatur beneficio, si pluries monitus sub

pœna

pæna excommunicationis mandatis Apostolicis non pareat, & interim celebrare temerè ausus fuerit.
34 Valet impetratio beneficii ob contumaciam, & ob non paritionem mandatis Apostolicis, ubi quod non est admittenda resignatio, & admissa non tenet in præjudicium impetrantis.
35 Ad incurrendam privationem beneficii ipso jure requiritur triennalis insordescentia juxta aliorum opinionem,
36 Hæc opinio conformis est praxi, & stylo Datariæ.
37 Impetrationes beneficiorum non expediuntur in Dataria, nisi post triennalem insordescentiam.
38 Episcopus declarans clericum contumacem ex causa criminis, & post annum insordescentiæ privatum esse beneficio, non potest redargui de injustitia, & quare.

C A P U T LV.

1 Notandum est insordescentiam in excommunicatione per annum gravissimum crimen esse; Duplex enim ex hac infertur delictum, alterum, quod respicit contemptum potestatis clavium alterum præsumptam hæresim præsefert *Abb. & alii in cap. cum bonæ de ætat.*, &
2 *qualitat.*; Hæc tamen non est præsumptio præsumptionis, quæ in jure non recipitur, præsertim in pænalibus, sed est præsumptio in gravi crimine fundata; Crimen enim infert excommunicationem, excommunicatio post annum præsupponit contemptum potestatis clavium, & demum contemptus hæresim saltem præsumptam sapit; Hæc crimina sunt inter se distincta, licet unum veniat in sequelam alterius, quod non repugnat, ut ex uno delicto post annum insordescentiæ in excommunicatione alia oriantur, quæ talia reputentur quoad omnes juris effectus, quam-
3 vis in se verè talia non sint. Unde propterea clericus non propter delictum, & propter excommunicationem dumtaxat, sed propter insordescentiam in eadem per annum beneficiis ipso jure privatur *cap. cum bonæ de ætat. & qualit.*, *ibique Abb.*, *& Interpretes*.
4 Eo modo, quo suspectus simpliciter de hæresi, si citatus intra annum non comparet, ut hæreticus post annum condemnatur, ac omnibus beneficiis, & officiis ecclesiasticis spoliatur *cap. cum contumacia de hæret. in 6.*; Utrobique enim protervia, & contumacia, utrobique annalis concurrit inobedientia, quæ oritur ex contemptu, ac alios
5 ad contemptum provocat, ideoque cùm sit mali exempli, censuris, aliisque ecclesiasticis pænis coercenda est *Gloss. in Can. duæ sunt distinct. 96. Abb. in cap. 1. num. 10. de judic. Covarruv. in cap. alma mater part. 1. §. 9. n. 3. de sent. excommunic. in 6.*
6 Impugnant nonnulli hujusmodi vacationem, aliter distinguentes; aut enim crimen, pro quo clericus excommunicatus est, beneficio ipso jure privat, hoc casu post annum beneficium ipso jure vacat, aliter post annum vacat de facto, sed de jure est privandus per sententiam Judicis, *ita distinguit Adden ad Cappellam Tholosanam quæst. 366.* quod pariter repetit *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. Gloss. 15. num. 104.*, ubi vacationem beneficii *ex capite insordescentiæ* in excommunicatione per annum difficilem appellat, & rationem adjicit, quia in jure id expressum non habetur.
7 Verum supradicta distinctio apud me non est juridica, cum vacatio beneficii ob crimen, non ob insordescentiam in excommunicatione per annum induceretur, quod re-
8 pugnat, quoniam beneficium, quod vacat ex capite criminis, non potest amplius vacare ex capite insordescentiæ; idque regulariter verum est in gravibus delictis, in quibus, si unum crimen producit effectum juris, aliud, quod ex eo resultat, eundem effectum parere non potest *cap. susceptum de rescript. in 6. Lotter. de re benef. lib. 3. quæst. 15. num 8. Rot. decis. 562. num 3. part. 3. recen.*, aliter manifesta, & patens oriretur contradictio in terminis, si enim insordescentia per annum in excommunicatione inducit vacationem beneficii, signum evidens est, quod clericus ex crimine, pro quo fuit excommunicatus, hanc pænam non incurrerat. Hæc vera sunt juris principia ex sola ratione naturali, sed certiora efficiuntur ex juribus infra dicendis, quibus nostra probatur sententia.
9 Et quidem probatur primò *ex cap cum bonæ de ætat. & qualitat.* ubi habetur *in rubric.*, *& in Gloss.*, quod suspensus post annum omnibus beneficiis privatur, & licet ibi dicatur, quod Episcopus ita suspensum non differat spoliare, nihilominus non est bona illatio, quam plures Auctores autumant veram, id nempe intelligendum esse per sententiam definitivam; quod apud me falsum
10 est; Episcopus enim ex gravi crimine, seu injuria ecclesiæ illata de jure potest clericos beneficiis privare *cap. gravem cap. ex literis de excess. prælator.* unde ea verba *spoliare*
11 *non differat*, quæ celerem exigunt executionem, de sententia declaratoria interpretanda sunt, itaut potius respiciant factum,
12 & se referant ad possessionem, non ad jus, seu titulum beneficii, *ita habetur in cap. cum clerici de pact.*, ponderando illud verbum *spolietis*, quod importat executionem, & denotat privationem ipso jure *Butr. in cap. final. de postulan. Felin. in cap 2. num. 3.*, *& in cap. Rodulphus num. 25. de rescript.*,
13 alioquin verba executiva remanerent otiosa, & carerent effectu contra mentem Papæ ita præcipientia *l. si quando ff. de legat. 1.*
14 Nec refert, quod ibi quoque hat mentio de triennali excommunicatione, nam ibi Papa narrat factum, cum ita suspensi, & excommunicati per triennium in excommunicatio-

ne temere, ac pertinaciter permanserunt; attamen ad incurrendam pœnam privationis beneficii ipso jure triennalis contumacia, seu insordescentia in excommunicatione non est necessaria, immo annua sufficit, dummodo intra hoc tempus verus accedat potestatis ecclesiasticæ, ac censurarum contemptus, *ita Gloss. & Canonistæ omnes in d. cap. cum bonæ, ibique Innocen. numer. 2. de ætat. & qualitat.*

15 Probatur secundo *ex can. rursus, & can. quicumque 11. quæst. 3.*, ibi sancitur, quod excommunicati pro gravi crimine, & contumaces non comparentes ad Judicem pro obtinenda absolutione, & probanda innocentia,
16 post annum non audiuntur. Porro non audiri, nihil aliud infert, quam beneficiorum privationem ipso jure, quod meo videri certum est, quoniam si excommunicati essent privandi beneficiis per sententiam definitivam, etiam elapso anno contumaciæ audirentur, ac citandi essent, ut ordo juris servetur; Hæc sane est pœna clerici insordescentis in excommunicatione, itaut, quod semel amissum est, amplius deduci in judicio
17 non possit, quod valde differt à jure cæsareo, quoniam contumax, cujus bona ex gravi crimine annotata sunt à fisco, post annum comparens auditur *l. annus ff. de reis requiren.*

18 Probatur tertio *ex cap. excommunicamus §. qui autem de hæret.*, ubi suspecti de hæresi possunt citari, & contumaces excommunicari, & si per annum in excommunicatione insorduerint, post annum ut hæretici damnantur, quoniam præsumptio juris, quæ ab initio forte erat levis, propter contumaciam transit in violentam *cap. cum contumacia de hæret. in 6.*, idcirco Judex potest declarare incidisse in pœnam privationis beneficii suspectum de hæresi post annum contumaciæ, sicuti insordescentem per annum in censuris *cap. vergentis, cap. cum secundum de hæretic. in 6.*

19 Probatur quarto *ex cap. ultim. de pæn.*, ubi dominus loci privatur jure præsentandi, quia per biennium in excommunicatione permansit. Si igitur liceat arguere à jurepatronatus ad beneficium ecclesiasticum, patebit clericum post annum insordescentiæ beneficio esse ipso jure privatum; clericus enim strictius tenetur Apostolicis obtemperare mandatis, ideoque gravius puniendus est, cum immediate ecclesiæ, & episcopi sui subditus sit; Item quia crimen clerici pertinacia augetur ex contumacia, & censuris, crescit ex contemptu clavium, & demum post annum ex præsumpta hæresi perficitur, regu-
20 lariter enim crescente contumacia, crescere debet & pœna *cap. quoniam frequenter in fin. ut lite non contestata l. relegati ff. de pæn.*

21 Probatur ultimo, nam ideo vacant beneficia ipso jure post annum *ex cap. cum bonæ de ætat., & qualitat.*, quia jam constat de crimine, constat de contumacia, & censurarum contemptu, immo clericus jam condemnatus est à lege, unde amplius non meretur restitutionem in integrum, nec amplius audiri debet super beneficio; E contra non vacant ipso jure beneficia *ex cap. cum contumacia de hæretic. in 6.*, quia clericus non est reus, nisi præsumptivè, & ob solam contumaciam per annum, nec aliunde constat de delicto, nisi per conjecturas, & præsumptiones, ideoque post annum monendus est, ut redeat, antequam condemnetur, cum post annum suam innocentiam probare possit, & ab impetita hæresi se purgare *Gloss. in d. cap. cum contumacia in fin. de hæretic. in 6. Rot. decis. 612. in fin. part. 4. diversf. & ita decisum testatur Cappella Tholosana quæst. 366.*

22 Præterea, ut clericus post annum insordescentiæ censeatur ipso facto privatus beneficio, duo necessario requiruntur, primo quod delictum sit de iis, quibus clericus privari possit, ut homicidium, perjurium judiciale cum similibus, secundo quod per annum, animo obdurato, ac pertinaci, in excommunicatione insorduerit, ac pluries intra annum monitus mandatis parere detrectaverit *cap. cum bonæ de ætat. & qualitat. cap. cum contu-*
23 *macia de hæret. in 6.*, si enim cesset intra annum contemptus, nunquam ipso jure beneficio privatus est, immo nec est privandus, si fecerit diligentias pro obtinenda absolutione à superioribus ecclesiasticis *Spad. consf. 167. tom 2. Lotter. de re benef. lib. 3. quæst. 33. num. 115. Barbos. ad Concil. sess. 25 cap. 3. num. 33. Rot. decis. 196. post consil. Farinacc. tom. 2. decis. 838. n. 3. part. 4. diversf. dec. 1285. cor. Seraphin. decis. 132. num. 7 par. 1. recen.*

24 Siquidem nec sola excommunicatio propter contumaciam, nec sola contumacia cum censuris, nec delictum civile insimul cum contumacia, & censuris satis sunt ad inducendam pœnam privationis beneficii post annum insordescentiæ, sed necessarium est delictum criminale, non quodcumque, & leve, sed grave, ac privatione beneficii dignum *Can. non afferamus 24. quæst. 1., Can. corripiantur 24. quæst. 3. Cassador. de Constitut. decis. 5.*
25 *num. 7.* Unde excommunicatus propter debitum civile, seu pecuniarium, quod temere clericus renuit solvere, ut sæpe fit à debitoribus, post annum, biennium, triennium, & ultra beneficium ipso jure non amittit; quippe quia deest causa, seu delictum, quo clericus eo privari debeat; deinde excommunicatio prolata ex hoc capite dicitur remedium extraordinarium, ac à jure exorbitans, cum non desint alia juris remedia, quibus clericus constringi possit ad debitum persolvendum, prout sunt personæ, aut pignoris captio; ideoque contemptus ecclesiasticæ potestatis post annum insordescentiæ, vel non datur, vel si datur, non est considerabilis ad hujusmodi effectum *Gloss. singularis in cap. contingit versic. non potest de dol., & contumac. Gratian. discept. forens. cap. 119. num. 3. Gonzal. ad regul. 8. cancell. Gloss. 15. num. 107. Ricciul. de jurepersonar. lib. 4. cap 7. num. 14 Barbos. ad Concil. sess. 25. cap. 3. num 36.*

26 Hæc

26 Hæc est communis DD. Sententia, quidquid sentiant *Menoch. de arbitr. centur.* 5. *cas.* 416. *num.* 52. *Pignatell. consult.* 18. *num.* 2. *tom.* 7., & ratio disparitatis est, quia *Text.*
27 *in cap. cum contumacia*, in quo dicti Auctores se fundant, loquitur de clerico hæresis suspecto, qui jam reus est in judicio criminali, è contra hic agitur de debitore in judicio civili. Nec relevant ea verba *in causa præsertim fidei*, acsi alios casus implicarent, quoniam vis hujus parentesis est, quod contumacia vehementem auget præsumptionem in materia fidei, & religionis, non autem in aliis casibus, in quibus cessat peculiaris fidei ratio, quod patet, quia suspectus de hæresi citatus ad judicium, & deinde excommunicatus post annum velut hæreticus condemnatur, non quia vere sit hæreticus, sed quia talis de jure præsumitur. Si igitur mere suspectus de hæresi hæreticus non est, quanto magis non erit contemptor ecclesiasticæ potestatis post annum, qui excommunicatus propter debitum civile post annum non solvit,
28 quod debet. Unde argumenta *Pignatelli*, & *Menochii* non concludunt, & verbum *præsertim*, quod sit implicativum aliorum casuum, non relevat, cum potius sit ampliativum illius materiæ, & de qua vere *Text.* loquitur, immo retorquetur, quia *Gloss. ibidem in fine*, quæ ampliat casum ad omnes excommunicatos ex aliis causis extra suspicionem hæresis, præsupponit crimen, quo clericus possit, ac debeat excommunicari, nunquam autem extendit casum ad excommunicatum pro debito civili, & juxta quidem ratione, quia excommunicatus ex hoc
29 capite beneficia jam obtenta ipso jure non amittit, cum in jure id non caveatur *ex au-*
30 *ctoritatibus supra relatis*, & solum efficitur inhabilis ad alia obtinenda *cap postulastis de cleric. excommunicat. ministran.*

31 Fateor tamen, quod si ageretur de considerabili summa, quæ non posset exigi via ordinaria, forte quia clericus in eo loco esset potens, itaut opus esset remediis extraordinariis contra ipsum procedere, maxime si creditum esset Civitatis, Universitatis, Collegii, aut Loci pii, inclinarem in sententiam *Pignatell.* & *Menoch.*, quod admisso contemptu censurarum, admisso, quod alibi effectum suum sortiri non posset debiti solutio, clericus ex hoc capite excommunica-
32 tus, & pluries monitus beneficio privandus esset *per Text. in cap. Pastoralis* §. *verum de appellat. Butr. in cap. Pastoralis num.* 5., *ibique Abb. num.* 7. *de cleric. excommun. ministran. Suarez de censur. disput.* 16. *sess.* 1. *n.* 1. *Sanchez respons. moral. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 11. *in princip. num.* 1.

33 Quemadmodum privatur beneficio, præbenda, seu Canonicatu, qui mandatis Apostolicis pluries monitus sub pæna excommunicationis, pertinaciter non paruit, ac deinde in spretum ecclesiasticæ potestatis, &
34 excommunicationis celebrare temere ausus fuit, valet enim impetratio beneficii, aut canonicatus obtenta à Papa ob contumaciam, ob non paritionem, ob excommunicationem, & irregularitatem, non quia beneficio privatus sit, sed quia de jure est privandus, & ita post expeditas literas, ac inceptum judicium ab impetrante, non est admittenda resignatio in favorem tertii, & admissa non tenet, videtur enim intempestiva, præjudicialis, ac facta à clerico contumaci ad reddendum judicium elusorium, ac evitandam privationis pænam in fraudem legis *ad Text. in l. qui pæna* §. *Divus ff de manumiss. cum relatis in Augustana Canonicatus S. Mauritii die* 14. *Martii* 1732. *confirmata die* 9. *Februarii* 1733. *cor. R. P. D. Crescentio*.

35 Et quamvis sententia clericum nempe post annum insordescentiæ beneficio privatum esse in puncto juris tuta, sit, nihilominus censuerunt alii triennium necessarium esse ad incurrendam hanc pænam, *prout litteraliter habetur in d. cap. cum bonæ de ætat.* & *qualitat.*, ubi quod excommunicati, seu suspensi per triennium steterunt in excommunicatione, quodque ibi narretur factum, verum est, sed factum ipsum causa fuit, ut clerici ita suspensi, & contumaces per triennium, beneficiis obtentis statim privarentur, aut privati denunciarentur *Rip. in cap.* 1. *num.* 78. *de judic. Covarruv. in cap. alma mater* §. 7. *num.* 10. *de senten. excommunicat*;
36 Hæc opinio conformis est *praxi*, & *stylo Datariæ*, quæ inter duas discrepantes sententias semper sequitur æquiorem, præsertim ubi agitur de privatione, seu vacatione be-
37 neficiorum ipso jure, & ita hodie impetrationes beneficiorum non solent concipi, nec expediri in Dataria, nisi post triennalem insordescentiam in excommunicatione *juxta Text. in cap. cum bonæ de ætat.* & *qualitat. Rot. decis.* 612. *per tot. part.* 4. *divers. dec.* 70. *num.* 3. *cor. Molin.*

Hæc sententia quoad impetrationem beneficii uti æquior recepta est *ex stylo Datariæ*, quo non obstante de jure stabilis est opposita, itaut non semper triennium expectandum sit, ut quis beneficio ex hoc capite sit privatus.
38 Sanè si Episcopus procedat contra clericum contumacem ex causa gravis criminis ad censuras, & post annum insordescentiæ post plures monitiones beneficio privatum declaret, non potest inferri, quod perperam processerit, aut injustè pronunciaverit, sequendo potius primam, quam secundam sententiam; constito enim de gravi crimine, de contumacia, & spretu excommunicationis, beneficium vacat de jure post annalem insordescentiam in excommunicatione, ideoque sententia Ordinarii tanquam justa in Curia est confirmanda, dum fundatur in clara dispositione juris *cap. cum bonæ de ætat.* & *qualitat. Can. rursus* 11. *quæst.* 3. *Barbos. in d. cap. cum bonæ num.* 2. & 4. *Covarruv. in cap. alma mater* §. 7. *num.* 10. *versic.* 3. *de senten. excommunicat. Ricciull. de jure personar. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 20. *Rot. decis.* 1285. *num.* 4. *coram Saraphin.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 PEnsio ob insordescentiam per annum, aut triennium non extinguitur.

2 Pensio in odiosis non venit appellationa beneficii.

3 Clericus excommunicatus pensionis fructus non lucratur.

4 Clericus excommunicatus post annum, seu triennium insordescentiæ pensiona privari potest.

5 Contumacia annalis, seu triennalis ex duplici capite gravissimum crimen est.

6 Clericus ob excommunicationem privatus beneficiis, censetur etiam privatus pensionibus, etiamsi de his nulla in sententia mentio facta sit.

1 PEnsio ob insordescentiam in excommunicatione per annum, aut triennium non
extinguitur, quoniam dispositio juris loquitur
2 simpliciter de beneficiis, quorum appellatione, præsertim in odiosis, non venit pensio,
Cap quamvis de præben. in 6. Felin. in cap. ad audientiam 2. de rescript.
3 Clericus tamen, prout excommunicatus est, non lucratur fructua pensionis *Garz. de benefic. part. 1. cap. 5. num. 131. & par. 7. cap. 14. num. 114. decis. 1164. num. 2. cor. Seraphin.*,
4 & privari potest etiam pensione, si per annum, aut triennium in excommunicatione insordescat, si enim de Jure sola sufficit excommunicatio, ut quis privetur redditibus ecclesiasticis, *cap. Pastoralis* §. *verum*, *ibique Abb. num. 17.*, *Butr. ibidem de appellat.*, multo magis contumacia annalis, seu trien-
5 nalis, quæ sine dubio gravissimum crimen est, tum ob contemptum potestatis clavium, tum etiam ob præsumptam hæresim, quæ ex contemptu oritur *Canonistæ omnes in cap. cum bonæ de ætat. & qualitat. cap. cum contumacia*
6 *de hæretic. in 6.* Immo clericus ob excommunicationem privatus beneficiis censetur etiam privatus pensionibus, quamvis in sententia nulla de his mentio facta sit *Ricciul. de jure personar. lib. 4. cap. 14. Monet. de distribut. quæst. 15. num. 21. part. 2. Scacc. de appellat. quæst. 17. limit. 22. num. 9.* Quod si hoc verum est in clerico simpliciter excommunicato, multo magis in insordescente, & contumaci.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & privatione Pensionis ob recursum ad Judices laicos *juxta Constitutiones Martini V.*, & *Innocentii VIII.*

SUMMARIUM.

1 REcursus ad Judices laicos prohibitus clericis sub pœna privationis beneficiorum ipso jure, sed non in omnibus casibus clerici privantur.

2 Recursus ad Judices laicos à clerico habitus, ne alter beneficii possessionem apprehendat, beneficio privatur, & quoad jus, & titulum amplius non auditur 3.

4 Excommunicatus non potest in judicio actoris figuram gerere.

5 Differentia inter actorem, & reum in hac materia recursus ad Judices laicos.

6 Recursus clericis prohibitus est, tum in judicio possessorio, tum petitorio.

7 Beneficia ipso jura vacant ob recursum ad Judices laicos in utroque judicio.

8 Clericus possessor beneficii, & conventus in judicio potest comparere coram Judice laico pro se defendendo absque ulla pœna.

9 Possessor beneficii prævidens sibi vim ab alio inferri, potest recurrere ad Judices laicos, præsertim si recursus habitus sit ad tuendam possessionem 10.

11 Clericus recurrens voluntarie ad Judices laicos pro tuenda jurisdictione ecclesiastica ipso jure amittit beneficium, ubi rationes 12.

13 Ampliatur, si clericus recursum habeat ad Judices laicos pro impedienda injusta sententia Judicis ecclesiastici.

14 Differentia inter clericos, & patronos recurrentes ad Judices laicos 15.

16 Aliud est denegare audientiam ob similes recursus, aliud vacare beneficium, ubi differentia.

17 Requiritur sententia declaratoria facti, ut vacent ipso jure ex hoc capite beneficia, ubi declaratur.

18 In impetratione beneficii id non requiritur, sed sufficit, quod coram executore recursus probetur.

19 Episcopus excommunicatus ob recursum ad Judices laicos valide confert beneficia, si talis declaratus non sit.

20 Clerici ob similes recursus sunt incapaces beneficiorum.

21 Impetratio beneficii non valet, si clericus absolutus fuerit à censuris, aliisque pœnis, quas causa recursus incurrerat.

22 Clericus absolutus à pœna spirituali non censetur absolutus à pœna temporali,

CAPUT LVI.



1 Ecursus ad Judices laicos prohibitus est omnibus clericis sub pœna privationis beneficiorum ipso jure ex Sacrorum Canonum institutis, aliisque Constitutionibus Apostolicis, sed non in omnibus casibus clerici privantur ipso jure beneficiis, imo quandoque privandi non sunt; Videamus itaque, quando clerici hanc pœnam incurrant, & quando non, ad omnes juria effectus conferendi, vel non beneficia ex hoc capite vacantia.

2 Dico primo, quod ubi recursus à clerico ad Judices laicos habitus est, ne alter beneficii possessionem apprehendat, seu ut causa beneficiaria coram ipsis super possessorio discutiatur, hoc casu beneficium alteri colliticanti adjudicandum est, quia propter hujusmodi recursum incurritur excommunicatio, quæ ab agendo actorem repellit, deinde quia jus manutentionis statim amittitur *Rot. decis.372. num.2. cor. Cavaler.*, & in sequelam clericus ob hujusmodi recursum privatur etiam jure beneficii, qui enim amittit jus manutentionis, amittit quoque jus, & titulum beneficii, & sicuti recursus facit indignum possessione beneficii, ita quoque reddit indignum titulo ecclesiæ. Unde propterea ob violatam libertatem ecclesiasticam ipso jure
3 vacat beneficium, itaut quoad jus, titulum, & possessionem clericus amplius audiri non debeat, excommunicatus enim non potest in
4 judicio actoris figuram gerere *cap. cum inter, cap. dilecti, ibique Gloss. de except. cap.1. de except. in 6.*

5 Dico secundo magnam esse in hac re differentiam inter actorem, & reum. Sane clericus recurrens incidit in hanc pœnam, quia recursus est actus voluntarius, & directe tendit in spretum libertatis ecclesiasticæ nulla habita distinctione inter judicium possessorium, ac petitorium; & quamvis de jure civili unum judicium valde differat ab alio, cum illud momentaneum sit, nec appellabile, ac modici præjudicii *l.unic. ibique Gloss. C. si de momentan. possess.*, è contra judicium proprietatis exigit discussionem jurium, ac pro-
6 inde per tres sententias terminandum, nihilominus de jure canonico aliud cautum est, quoniam sententia, quæ profertur in uno requiritur quoque in alio Judicio, utrobique admittitur appellatio, cum utrobique gravamen inferri possit, utrobique directe læditur
7 immunitas ecclesiastica; Præterea sive in uno, sive alio judicio versemur ob recursum ad Judices laicos vacant ipso jure beneficia, cum facultate libere conferendi, seu impetrandi *ex Constitutionibus Martini V., & Innocentii VIII*, *Gratian. discept. forens. cap. 238. num.77. Farinacc. cons.68. num 5. lib.1. Rot. decis.15. num.5. decis.136. num.1. & 2. coram Merlin. lib.1. decis.906 num.1. & 2. coram eodem lib 2.*, & latius habetur *in decis.20. co-*
8. *ram Falconer. tit. de benefic.* Secus ubi possessor beneficii in utroque judicio reus est, quoniam defensio coram quocumque Judice etiam incompetenti est de jure permissa, nec ubi prohibita est actio, ibi quoque sub eadem pœna prohibita censetur exceptio *Rot. decis.377. num.78. coram Pan. decis.423. n.25. part.19. rec.*, ubi illicitus recursus ex parte unius, non infert illicitam esse defensionem ex parte alterius, recursus enim est voluntarius, defensio est necessaria, actio directè offendit libertatem ecclesiasticam, non ita exceptio; qui enim prohibetur agere, non prohibetur excipere *cap. intelleximus de judic. cap. cum inter de exception.*, & consequenter per exceptionem ipso jure non vacant beneficia ecclesiastica.

9 Advertendum tamen est, quod possessor beneficii prævidens sibi vim super beneficio ab alio inferendam potest recurrere ad Judices laicos, nec propter hujusmodi recursum beneficio privatus est; Si enim potest hoc facere propria auctoritate, cum vim vi repellere liceat, multo magis erit licitus recursus ad Judices laicos, qui auctoritate publica comprimunt violentias, ac injusto occupatori inhibent sub pœnis temporalibus, mandantes interim supersederi, donec causa beneficiaria in possessorio à Judice ecclesiastico absolvatur, immo hujusmodi recursus videtur necessarius pro removendis omnibus scandalis, & inconvenientibus, quæ procul dubio inter ecclesiasticos orirentur, si Judices seculares remediis opportunis non occurre-
10 rent, & eo fortius, si recursus habitus sit per possessorem beneficii ad tuendam suam possessionem, *ut pluries firmavit Rot. dec.508. num.1. & 2. cor Emer decis.54. num 14. cor. Ubag., decis 1093. num. 13. decis 377. num 78. 79. coram Pan. cum relatis per Barbos. in votis decisivis Vot.48. num.6. 17. lib.1.*, ubi habetur, quod clericus ita recurrens ad Judices laicos excommunicationem non incurrit, ergo multo minus beneficio privatus est, vel privandus.

11 Dico tertio, quod clericus recurrens voluntariè ad Judices laicos pro defendenda jurisdictione ecclesiastica, ac tuendis bonis, & juribus ecclesiæ contra injustos usurpatores; statim amittit beneficium, nam lædit libertatem ecclesiasticam, & inde læsam defendere conatur, quod repugnat, non enim facienda sunt mala, ut veniant bona, nec unum Altare discooperiendum est, ut alterum cooperiatur; Item non est licitus recursus, ut inde fiat licita defensio, nam recursus est voluntarius, licet defensio inde fiat necessaria, deinde recursus non debet esse causa defensionis, sed potius defensio causa recursus, ubi enim recursus paris defensionem, idem est, ac velle

voluntarie agere, ut inde jura eccleſiaſtica
coram Judice incompetenti defendantur, quod
ſine dubio prohibitum eſt *Rot. deciſ.* 175. *in
fin. par.* 4. *recen. tom.* 2. , & juſta quidem ra-
tione, quia non minus, qui recurrit ad Judi-
ces laicos, ut impediat executionem litera-
rum Apoſtolicarum, quam qui recurrit, ut
12 tueatur juriſdictionem eccleſiaſticam, pri-
vatur ipſo jure beneficiia *Canon. inolita, canon.
placuit* 11. *quæſt.* 1. , *cap. noverit* , *cap. gra-
vem de ſent. excommunicat.* , *cap. ſi diligenti
de for. competen. Conſtit.* 17. *Innoc. VIII.* ,
Spad. conſ. 181. *num.* 8. *lib.* 2. *Rot. deciſ.* 377.
n. 3. *cor. Pæn.*

13 Ampliatur, ſi clericus recurſum habuerit
ad Judices laicos pro impedienda injuſta ſen-
tentia Judicis eccleſiaſtici, quia ſub hoc
prætextu daretur occaſio eludendi judicium,
immo impediretur juſtitia; Sane clericus
habet Judices ſuos, ad quos poteſt libere re-
currere, ne quid fiat, vel ut jam factum,
quatenus injuſtum ſit, retractetur, ultra
quod ſub zelo juſtitiæ immunitas eccleſiaſti-
ca violatur, quod nullo modo permittendum
eſt; Non mirum igitur, ſi clericus propter
hujuſmodi recurſum beneficium ipſo jure
amittat *ex Conſtitutionibus Martini V.* , &
Innoc. VIII. Rot. deciſ. 255. *in princip. par.* 3.
recen. deciſ. 20. *per tot. cor. Falconer. de be-
nefic* , & *in Compoſtellana Parochialis* 2.
Julii 1725. *coram Eminentiſſimo Aldro-
vando* .

14 Differunt in hoc clerici beneficiati recur-
rentes ad Judices laicos à patronis tum ec-
cleſiaſticis, tum etiam laicis, nam beneficia
clericorum ipſo jure vacant ob violatam
eccleſiæ libertatem, ſed Patroni laici recur-
rentes ad Tribunalia Secularia, à quibus
extorquent decreta, inhibitionea, ſeque-
ſtra, & his ſimilia, ſpoliantur pro ea vice
jure præſentandi, ut in eo, in quo delique-
runt, puniantur *Rot. in Calagnritana bene-
ficii de Brentaville* 8. *Junii* 1607. *coram Sa-
crato impreſſa poſt Marcheſan. de commiſſion.
par.* 3. *fol.* 101. , quam refert *Priol. in dec.* 44.
num. 35. , & habetur *in Comen. Parochialis*
23. *Junii* 1710. *cor. Falconer.*

15 Hæc à fortiori procedunt in patronis eccle-
ſiaſticis, contra quos rigoroſius animadver-
tendum eſt, quia pravo eorum exemplo pro-
vocantur laici ad ſpernendam eccleſiaſticam
juriſdictionem, & conſequenter ob ſimiles re-
curſus nequeunt amplius eligere, ſeu præ-
ſentare clericos ad beneficia vacantia, quo-
niam inciderunt in cenſuras eccleſiaſticas,
& effecti ſunt indigni pro ea vice poteſtate
iterum eligendi, ſeu præſentandi, dummo-
do tamen recurſus habiti ſint à legitimo Pro-
curatore cum ſpeciali mandato capituli, ſeu
eccleſiaſticorum, quibus competit jus eligen-
di, ſeu præſentandi, prout de jure requiri-
tur *Rot. deciſ.* 602. *num.* 3. 4. *par.* 1. *recen de-
ciſ.* 309. *num.* 9. *cum ſeq. par.* 7. *recen.* , & *alibi
frequenter* .

16 His poſitis illud prætereundum non eſt,
aliud eſſe denegare audientiam ob ſimiles re-
curſus, aliud vacare beneficium, primo caſu
leviores probationes ſufficiunt *Rot. deciſ.* 212.
num. 9. *par.* 12. *recen. Comen. Parochialis* 23.
Junii 1710. *in princip. cor. Falconer.*; Se-
cundo autem caſu concludentes de jure requi-
runtur, quia agitur de vacatione beneficii,
& privatione juris jam quæſiti *Rot. deciſ.* 184.
num. 15 *par.* 4. *recen. tom.* 2. *deciſ.* 602. *num.* 3.
17 *par.* 1. *recen.* . Immo requiritur ſententia
declaratoria facti, ut ipſo jure vacet benefi-
cium *cap. cum ſecundum de hæret. in* 6 *Gloſſ.
in Clementin. præſenti verſic. conſtiterit de
cenſib.* , & *Clementin.* 2. *de pæn.* , quod intel-
lige, ut interim judicium poſſeſſorium retar-
dari non debeat, præſertim ſi clericus abſo-
lutionem à cenſuris, & ampliſſimam reſtitu-
tionem ad beneficium obtinuerit, & ita pro-
18 cedit *Rot. d. deciſ.* 255. *par.* 3. *recen.* , alio-
quin, ubi agitur de impetratione beneficii, id
non requiritur, quoniam ſententia declara-
toria reſpicit executionem, ac proinde pro-
ferri poteſt à Judice executore literarum
Apoſtolicarum *ex plene deductis per Rot. de-
ciſ.* 20 *num.* 8. & *per tot. cor. Falconer. tit. de
benefic.* , *Compoſtellana Parochialis* 2. *Junii*
1725 *cor. Eminentiſſimo Aldrovando*, ubi quod
valet impetratio beneficii, dummodo recur-
ſus ad Judices laicos coram executore li-
terarum Apoſtolicarum concludenter pro-
betur.

19 E' contra epiſcopus excommunicatus ob
recurſum ad Judices laicos valide confert be-
neficia, ſi talis declaratus non ſit, tum ra-
tione publici officii *l. Barbarius ff. de offic.
Prætor.* , tum etiam quia excommunicatus
occultus non privatur exercitio ordinis, &
juriſdictionis epiſcopalis, ideoque beneficia
collata ab epiſcopo excommunicato non va-
cant, niſi recurſus ad Judices laicos ſit noto-
rius *Rot. deciſ.* 534. *num.* 3 *deciſ.* 602 *per tot.
par.* 1. *recen.*

20 Dico ultimo, quod clerici ob ſimiles recur-
ſus, ultra beneficiorum privationem contra-
hunt indiſtincte inhabilitatem ad alia benefi-
cia aſſequenda ob cenſuram, & excommuni-
cationem jam incurſam, quæ prorſus eos re-
pellit tanquam indignos *cap. poſtulaſtis de
Cleric. excommunicat. miniſtran. Rot. dec.* 109.
num. 6. *cor. Pæn.* , & admittitur *in deciſ.* 83.
21 *num.* 16. *par.* 7. *recen.* , ubi licet fuerit reſo-
lutum non valere impetrationem beneficii ex
capite recurſus ad Judices laicos, nihilomi-
nus id provenit, quia clericus, qui offende-
rat poteſtatem eccleſiaſticam ob dictum re-
curſum, obtinuit præventive mandatum à
Papa, non tam pro abſolutione à cenſuris,
verum etiam ab omnibus pænis, quas cauſa
recurſus incurrerat, *ut habetur in d. dec.* 83.
par. 7. *rec.* , quod jam dixerat *Rot. dec.* 255.
num. 4. *par.* 3. *recen.*

22 Ex quo fit, quod clericus abſolutus à pæ-
na ſpirituali, non cenſetur abſolutus à tem-
porali, nempe à privatione beneficii *ex do-
ctrina Bald. in l. placet. num.* 16. *cum ſeqq. C.
de Sacroſan. eccleſ.* , quod eſt notandum.

ADDI-

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Clericus recurrens ad Judices laicos contemnit potestatem ecclesiasticam.
2 Pensio est quid spirituale.
3 Clericus recurrens ad Judices laicos causam amittit, excommunicatur, privatur honore, & gradu.
4 Clericus ex hoc capite excommunicatus pensionibus privandus est.

1 Clericus recurrens ad Judices laicos animo obtinendi justitiam ab officialibus Principis contemnit potestatem ecclesiasticam contra dispositionem Sacrorum Canonum, Bullam Cœnæ, & Constitutiones Apostolicas, quod nedum verum est in causa ecclesiastica, seu beneficiaria, verum etiam in
2 causa pensionis, licet enim pensio sit temporalis, jus tamen spirituale est, de quo Judices laici cognoscere nequeunt *cap. decernimus cap. quanto de Judic.*. Sane hujusmodi privationis pœna etiam contra clericos pensionarios condigna est dispositioni Sacrorum Cano-
3 num, quippe quia *in Canon. inolita* 11. *quæst.* 1. clericus recurrens ad Judices laicos causam amittit, & excommunicatur, deinde *in Can. placuit ibidem* privatur honore, & gradu, demum *in cap. si diligenti de for. competen.* à communione ecclesiæ ipso jure habetur alienus; His accedunt constitutiones Apostolicæ *Martini V.*, *& Innocentii VIII.*, quæ ipso facto declarant ex hoc capite clericum excommunicatum, & beneficiis privatum denunciant. Ex quibus juribus sequitur, & illatio sine dubio juridica est, quod clericus excommunicatus ob recursum ad Judicea laicos
4 cos pensionibus per sententiam judicis spoliandus est *Garz. de benef. par. 1. cap. 5. n. 131. & par. 7. cap. 14. num. 114. Rot. decis. 1164. num. 2. cor. Seraphin. cum relatis in antecedenti capite in additione.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & privatione Pensionis ob malam promotionem ad Sacros ordines *juxta constitut. 7. Pii II.*

SUMMARIUM.

1 TRipliciter vacant ipso jure beneficia ob malam promotionem ad sacros ordines ex constitut. Pii II.
2 Primo, si clericus susceperit ordines sacros extra tempora, & in ordinibus ministraverit.
3 Limita in minoribus ordinibus, seu prima tonsura.
4 Pœnæ Tridentini contra ordinantes, & ordinatos extra tempora.
5 Secundo, clericus ante legitimam ætatem scienter suscipiens ordines à suo episcopo. & in susceptis ordinibus temere ministrans privationem beneficii ipso jure incurrit.
6 Beneficium sic vacans libere impetrari potest absque ulla sententia declaratoria.
7 Tertio, clericus ordinatus sine literis dimissoriis, & in eis ministrare præsumens ipso jure privatur beneficio.
8 Fortius, si scienter extra tempora, ante legitimam ætatem, sine literis dimissoriis ad sacros ordines ascendere præsumpsit, & in eis ministravit, ubi de ratione.
9 Clericus est incapax beneficii, si furtive, seu per saltum promotus sit, item si recepit ordines ab episcopo, qui episcopatum renunciavit. 10, ubi quod ignorantia non excusat. 11.
12 Beneficia conferri non possunt clerico, qui ordines scienter suscepit ab episcopo excommunicato, & collata ipso jure vacant.
13 Clericus in his casibus non privatur beneficiis ante obtentis, & de ratione.
14 Clericus sic promotus, si defectum legitimæ ætatis ignoraverit, beneficiis ante obtentis non privatur, nec ab obtinendis arceri debet, præsertim si per triennium ea possederit, ubi de ratione. 15. 16.
17 *Constitutio Pii II.* non tollit triennalem possessionem.

C A P U T LVII.



1 Riplici modo ob malam promotionem ad sacros ordines vacant ipso jure beneficia ecclesiastica, quorum primus est, si clericus extra tempora sacros ordines à suo Episcopo susceperit, ita habetur in *Constitut. 7. Pii II.*, qui dispositionem juris, quæ solas pœnas spirituales infligebat, ad pœnas temporales ampliavit; nec hujusmodi pœna contra clericum extra tempora promotum exorbitans dici potest, quoniam duplex concurrit delictum, quorum alterum est ipsamet susceptio ordinum extra tempora, quæ clericum ab eorumdem exercitio suspendit, alterum oritur ex ipsamet præsumptione administrationis, quæ clericum irregularem efficit. Utrumque crimen gravissimum est,
2 unum tamen sine alio non sufficit, sed utrumque necessarium est, ut clericus ipso jure prive-

privetur beneficio, *ita expresse sancivit Pius II.*

3 Dixi ad ordines sacros, qui certis anni diebus, seu temporibus ab Episcopis conferuntur, *ut in cap.* 1. *& tot. tit. de tempor. ordination.*, quoniam si clericus primæ tonsuræ ordines minores scienter extra tempora suscipiat, & in susceptis ordinibus ministraverit, beneficio privatus non est, nec privandus, dum ordinum minorum collatio etiam extra tempora fieri potest juxtà praxim ecclesiæ.

4 Hodie tamen casus collationis sacrorum ordinum extra tempora raro accidit *ex Trident. sess* 23. *cap.* 8., ubi Episcopus conferens sacros ordines extra tempora per annum ipso jure suspensus est ab usu pontificalium, & ordinatus ab eorum executione arbitrio Episcopi.

5 Secundus casus est, ubi clericus ante legitimam ætatem à suo Episcopo scienter suscepit ordines, nempe Subdiaconatum *ante annum* 22. Diaconatum *ante* 23., & Præsbyteratum *ante* 25., deinde ita promotus non obstante defectu ætatis in susceptis ordinibus, temere ausus fuit ministrare; hoc enim casu ob contemptum suspensionis, & irregularitatis beneficii privationem ipso jure incurrit *ex*

6 *Constitut. Pii II.*, itaut absque ulla sententia declaratoria beneficium sic vacans libere impetrari possit *Navarr. in manual. cap.* 25. *num.* 69. *versic. si irregularis Rot. decis.* 481. *num.* 2. *par.* 2. *recen. decis.* 389. *num.* 3. *cor. Priol. decis.* 40. *num.* 3 *par.* 18. *rec.*

7 Tertius casus est de clerico, qui sine literis dimissoriis ab alieno Episcopo sacris ordinibus fuit insignitus, & in eis ministrare præsumpsit, unde merito privatio beneficii ipso jure condigna est, nam regulariter, qui sine literis dimissoriis ad sacros ordines promoventur, solent esse indigni, incapaces, ac prorsus carent doctrina, scientia, & literatura, quæ necessaria est ad sacros ordines rite suscipiendos; & eo fortius id recipiendum est, ubi

8 clericus scienter extra tempora, ante legitimam ætatem, sine literis dimissoriis ad ordines sacros ascendere præsumpsit, constitutio enim Pii II., quæ loquitur disjunctivè, aut alternativè sine dubio comprehendit casum copulatum, cum major urgeat ratio, quæ clericum ita promotum beneficio privatum statim declarat *ex d. Ita Constitutione Pii II.*

Hæc vera sunt quoad privationem beneficii, sed quoad inhabilitatem res ultra ex-

9 tenditur. Sanè clericus incapax est beneficii, si furtivè, seu per saltum, nec servatis interstitiis ad ordines sacros ascendat, *cap. ultimo de eo, qui furtivè ord. suscepit, cap. unico, ibique Gloss. & Canonistæ omnes de*

10 *clerie. per salt. promot.*; Item incapax beneficii est, qui scienter suscepit ordines ab Episcopo, qui Episcopatum renunciavit, nam ita promotus ab exercitio sacrorum ordinum suspensus est, cum Episcopus post Episcopatus dimissionem nullam amplius exercere possit jurisdictionem episcopalem *cap.* 1. *de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit &c.*;

11 Nec ignorantia in hoc casu excusat à pœna suspensionis, immo in praxi hæc non est ita facile admittenda, quippe quia renunciatio Episcopatus, tum ecclesiasticis, tum etiam diœcesanis solet esse notoria, vel saltem nota præsumitur à clericis ejusdem diœcesis *Innoc. in cap.* 1. *de ordinat. ab Episc.*, *qui renunc.*

12 Demum conferri non possunt beneficia clericis, qui à proprio Episcopo excommunicato, seu schismatico ordines scienter susceperunt, & collata ipso jure vacant, ac possunt à quocumque impetrari, dum ita promoti statim incurrunt suspensionem, quæ inhabilitat ab assequendis beneficiis *can. ab excommunicatis*, *canon. ordinationes* 9. *quæst.* 1. *cap.* 1. *ibique Interpretes de schismaticis*.

13 In his tamen casibus non privantur clerici beneficiis antea canonicè obtentis, nam *Constitutio Pii II.* loquitur dumtaxat de tribus casibus supra relatis, ideoque tanquam exorbitans à jure communi ad alios similes casus non debet extendi; Item quia magis delinquunt clerici, qui recipiunt sacros ordines extra tempora, vel ante legitimam ætatem, seu sine literis dimissoriis, quam ordinati à proprio Episcopo excommunicato, schismatico, cum similibus. Siquidem ordinati à proprio Pastore, etiam excommunicato ut supra, regulariter pollent omnibus qualitatibus scientiæ, idoneitatis, & prudentiæ, quæ ratio cessat in iis, qui ante legitimam ætatem, & ab alieno Episcopo ordines scienter susceperunt, deest enim in his ordinatis consensus proprii Pastoris, desunt requisita *Concilii Lateranensis*, quæ necessaria sunt pro ordinibus validè suscipiendis *juxta dispositionem juris*, *& Constitutionem Pii II.*

14 Ea autem, quæ de promotis extra tempora, ante legitimam ætatem, & sinè literis dimissoriis dicta sunt, temperari debent, ut nempe locum non habeant, si clericus ita promotus defectum legitimæ ætatis probabiliter ignoraverit, quoniam præsumptio suscipiendi ordines ante legitimam ætatem, sine scientia non datur, nec sine scientia clericus in ordinibus ministrans irregularitatem incurrit, potissimum si habuerit justam credendi causam, se legitimam ætatem attigisse ex publicis documentis in actis productis, quibus clerici sacros ordines recipere solent, quo

15 casu penitus cessat *Constitutio Pii II.*, quæ necessario requirit contemptum, ut in terminis hujus Constitutionis *notat Navarr. in manual. quæst.* 27. *num.* 155., *&* 156., quem refert *Rot. decis.* 1. *num.* 2. *coram Cavaler.*

16 Unde propterea ita ordinatus beneficiis antea obtentis ex hoc capite privatus non est, nec ab obtinendis arceri debet, immo si per triennium ea pacificè possedit, tutus est adversus quemcumque impetrantem *ex regula de triennali*, de qua late *Rota decis.* 423. *part.* 19. *recen.*, & ratio clara est, quia regu-

17 la de triennali *ex Constit. Pii II.* sublata non est, ut ibi.

ADDI-

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Clericus, qui extra tempora, vel ante legitimam ætatem, seu sine literis dimissoriis ordines sacros suscepit, & in eis temere ministrare præsumpsit, pensione privandus est.

2 Ampliatur in clerico suspenso, seu excommunicato ob contumaciam e suo episcopo.

3 Quid in suspensionibus à jure inductis?

4 Alimenta clerico suspenso, dummodo contumax non sit, reservanda sunt.

5 Lex pœnalis non debet extendi de beneficio ad pensionem.

6 Clericus suspensus incapax beneficii, est etiam incapax pensionis.

Quia *constitutio Pii II.* loquitur dumtaxat
de beneficiis, ideo pensionem, quæ bene-
ficium non est, non comprehendit.
Præterea clericus, qui extra tempora, vel
ante legitimam ætatem, seu sine literis di-
missoriis sacros ordines suscepit, & in eis te-
mere ministrare præsumpsit, pensione cleri-
cali spoliatus non est ex *constitutione Pii II.*,
2 sed tanquam suspensus, & irregularis potest
de jure privari *Lotter. de re benefic. lib.3.
cap.33. num.58. in fin. Tondut. de pension.
cap.68. num.19.*
2 Ampliatur in suspensionibus, & censuris
ab episcopo inflictis contra clericum contu-
macem, & ratio est, quia clerico suspenso,
& contumaci omnes redditus ecclesiastici sub-
trahuntur *Gloss. in cap. Pastoralis §. verum de
appellat. Abb. in cap. Apostolica num.7. ibique
Felin. num.9. de exception.*
3 Quid ergo in aliis suspensionibus, de qui-
bus supra *in §. hæc vera sunt?* Respondeo,
quod pensio regulariter reservatur pro alimen-
tis, quæ clerico suspenso, dummodo contu-
4 max non sit, reservanda sunt *Gloss. singula-
ris in cap. cum Vintoniensis versic. admiserat
in fin de electio.*, & faciunt ad hoc *Text.
in cap 2. de cleric. non ordinat. ministran. can.
studeat in fin. distinct 50.*; Deinde id cautum
5 non habetur, nec ratio patitur, ut jura, quæ
loquuntur de beneficiis, extendantur ad pen-
sionem in materia pœnali, prout est pensio-
nis privatio, ideoque clericus suspensus à le-
ge, licet in ordinibus temere ministraverit,
pensione non est privatus, nec privandus, li-
cet utrobique suspensus à lege, vel ab homi-
6 ne incapax sit, nam incapax beneficii est
etiam incapax pensionis *Sanchez. consil. mo-
ral. lib.2. dub.10. num.19., & lib.2. cap.2.
dub.14. num.3.*

ARGUMENTUM.

De vacatione Beneficii, & Pensionis ob indebitam retentionem scripturarum, & bonorum ad Cameram, Sedem, & Palatium Apostolicum pertinentium *juxta constitut. Pauli IV. Pii IV., Alexandri VI., & Clementis VII.*

SUMMARIUM.

1 Differentia inter Cameram, & Sedem Apostolicam.

2 Multiplex repræsentantia in eadem persona non repugnat, ubi declaratur.

3 Camera est ærarium Principis, sedes est Cathedra.

4 Camera distinguitur à Sede, sicut materia à forma, ubi ratio assignatur.

5 Camera, & Sedes Synonima sunt.

6 Clericus indebite retinens libros, scripturas, & bona Cameræ Apostolicæ ipso jure privatur beneficiis, idem in clerico retinente scripturas, & jura Sedis Apostolicæ, ibidem in fin.

7 Pro bonis, & juribus Sedis Apostolicæ satis cautum est in Conciliis Generalibus, ubi pœnæ contra usurpatores.

8 Repugnare videtur privatio beneficii ipso jure, ubi pœna excommunicationis contra Usurpatores inflicta est.

9 Quid disponat *Text. in l. Sanctio legum ff. de pæn.*

10 Appellatione ecclesiarum venit Sedes Apostolica, seu Ecclesia Romana.

11 Declaratur *Text. in l. sanctio legum*, ubi explicatur pœna vacationis beneficii ex hoc capite.

12 Pluralitas pœnarum non repugnat, si ita jure cautum sit.

13 Pœna vacationis beneficii ipso jure potest imponi ab ordinario contra usurpantes bona, & jura episcopatus.

14 Jura, & bona Cameræ, quamvis cohæreant temporali Principatui, sunt etiam Sedi Apostolicæ, & dignitati Pontificis inseparabiliter annexa.

15 Canonistæ, qui supponunt vacationem beneficiorum in clericis injuste detinentibus jura Cameræ, non excludunt vacationem contra clericos retinentes jura Sedis Apostolicæ, ubi quod utrobique vacant ipso jure beneficia. 16.

17 Clerici injuste detinentes jura, & bona Palatii Apostolici privationem beneficiorum ipso jure incurrunt.

18 Palatium Apostolicum quid sit.

19 Camera, Sedes, & Palatium Apostolicum idem sunt.

20 Impetratio beneficii ex his capitibus sustinetur, ubi declaratur. 21.

CA-

CAPUT LVIII.

1 Amera Apostolica valde differt à sede apostolica, sicut differt temporale à spirituali, illa enim respicit dumtaxat jurisdictionem temporalem status ecclesiastici, ac considerat Papam uti Principem secularem, hæc autem demonstrat jurisdictionem spiritualem, quæ de jure divino Papæ competit super toto orbe catholico, ipsumque recognoscit universalis ecclesiæ pastorem, quamvis utraque sit sub uno, eodemque Principe *Spad. conf. 21. num. 72 lib. 1.*

2 Sane multiplex repræsentantia fictione juris in eadem persona non repugnat, quoniam Papa uti Princeps secularis Cameræ Apostolicæ dominus est, & administrator cum libera facultate disponendi de redditibus ad ipsam Cameram pertinentibus, prout sunt cæteri principes seculares superiorem non recognoscentes; at Papa uti talis est sedis apostolicæ acerrimus defensor, magister, ac supremus judex, ad quem recurrendum est ab omnibus catholicis pro interpretatione dubiorum, quæ
3 catholicam fidem tangunt; deinde camera idem est, ac ærarium principis, in quo ejus thesaurus reponitur; sedes vero idem sonat, ac cathedra, ex qua dogmata promulgantur.
4 Demum distinguitur camera à sede, sicut materia à forma, nam camera propter sedem est, non sedes propter cameram, sicut principatus erigitur propter Episcopatum, non tamen è contra.

5 Hæc quamvis fictione juris, & ad alios respectus discreta sint, nihilominus pro effectibus, de quibus agitur, synonima sunt, & promiscue sumuntur, idemque sonat camera, ac sedes, quod expresse resultat ex pluribus Constitutionibus, itaut quod statutum est de camera, intelligatur quoque dispositum de
6 ipsamet sede. Cum igitur ipso jure privetur beneficiis clericus indebite retinens libros, scripturas, & bona Cameræ Apostolicæ, ita pari pœna punitur, qui scripturas, libros, & jura sedis apostolicæ injuste sibi usurpat, utrobique enim eadem juris ratio militat *ex Constitut. 11. Pauli IV., & Constit. 4. Pii IV., & Sixti V. Constit 56.*

7 Nec turbat, quod pro bonis, & juribus sedis apostolicæ satis cautum sit in Conciliis Generalibus, ex quibus clerici usurpantes bona, & jura ecclesiarum excommunicationem ipso facto incurrunt *cap. quia sæpe de elect. in 6. cap. final. de offic. ordinar. in 6.*, & habetur
8 in Bulla Cœnæ, & Tridentino *sess. 22. cap. 11.*, ac proinde videtur repugnare, quod pro juribus sedis, etiam privatio beneficii ipso jure locum habeat, cum pœna ordinaria, & omnium gravissima, prout est excommunicatio contra usurpatores inflicta sit *ad text. in l.*
9 *sanctio legum ff. de pœn.*, ubi literaliter sancitur, quod ea lex, quæ certam pœnam imponit iis, qui legis præceptis non obtemperant, non pertinet ad eas legum species, quibus certa pœna superaddita est ex duplici, quæ ibidem adiicitur, ratione, primo, quia per speciem censetur generi derogatum, secundo, quia non est verisimile idem delictum eadem lege variis æstimationibus coerceri. Respondetur, quod in Conciliis Generalibus de juribus ecclesiarum à clericis, & laicis non occupandis in genere actum est; & quamvis
10 appellatione ecclesiarum peculiari ratione veniat tanquam caput sedes apostolica, seu, quod idem est, Ecclesia Romana, nihilominus opus fuit, ut pro bonis, juribus, & scripturis sedis apostolicæ quid specialiter sanciretur, prout vigilantissimos Romanæ Ecclesiæ Pastores *ex relatis Constitutionibus* statuisse com-
11 pertum est. Deinde *text. in d. l. sanctio legum* loquitur de eodem delicto variis pœnis non puniendo, ideoque non applicatur præsenti casui, non enim agitur de usurpatione, & occupatione bonorum ecclesiæ in genere, sed de retentione bonorum, jurium, & jocalium ad Sedem Apostolicam pertinentium, agitur insuper de iis bonis, quæ destinata sunt ad usum Romani Pontificis, agitur demum de pœna privationis beneficii contra clericos indebite detinentes scripturas Cameræ Apostolicæ *ex Constitut. Pauli IV., Pii IV., & Sixti V.*. Hæc sane sunt delicta inter se diversa, aliud enim est usurpare, & occupare bona, ac jura ecclesiæ, aliud retinere bona, Jocalia, & scripturas Cameræ, & Sedis Apostolicæ *l. Papinianus ff. de minor.*, & consequenter constitutiones *Pauli IV., Pii IV., & Sixti V.* nullo modo plures infligunt pœnas pro eodem delicto contra *Text. in l. sanctio legum ff. de pœn.*, sed potius augent pro aliis criminationibus à clericis commissis quoad bona, mobilia, jocalia, & scripturas, præsertim tempore Sedis Papalis vacantis; Deinde etiamsi Sedes Apostolica accipiatur pro Ecclesia Romana, prout revera idem sunt, & pro qua satis provisum est *ex cap. quia sæpe. de elect. in 6., & Tridentin. ut supra*, adhuc in promptu responsio est,
12 de jure non repugnare, quod pro eodem delicto plures pœnæ, tum ordinariæ, tum extraordinariæ insimul cumulari possint, si ita jure caveatur *Bart. in l. si adulterium cum incestu ff. ad l. Jul. de adulter., & in l. Senatus post num. 1. ff. de accusat. Abb. in cap.*
13 *final. num. 6. de immunit. eccles.*. Immo hæc etiam pœna potest adjici ab episcopo in locis, in quibus bona, jura, jocalia, & suppellectilia transeunt in successorem episcopatus, ut dicam infra *in cap 61.* per totum, & tamen pro bonis, juribus Ecclesiarum Cathedralium in Conciliis Generalibus satis consultum est *ex juribus jam dictis*. Hæc dicta sint

sint pro explicatione *Text. in d. l. Sinctio legum, aliorumque jurium, de quibus supra*; in reliquis Constitutiones Apostolicæ nullam admittunt dubitationem quoad privationem beneficiorum ipso jure contra clericos indebite retinentes jura, & scripturas Cameræ, & Sedis Apostolicæ.

14 Additur, quod jura, & bona Cameræ, quamvis cohæreant temporali Principatui, sunt etiam ipsimet Sedi Apostolicæ, & dignitati Pontificis inseparabiliter annexa, nec possunt alienari à feudatariis in extraneos sine assensu Papæ *ex Constitut. Sixti V., Clementis VIII., & Urbani VIII.*, immo ne licitè quidem ab ipsomet Papa infeudari *ex Constitut. Pii V. de non infeudando*, ideoque cum sint paris naturæ, & paris conditionis, quidquid dispositum est pro bonis Cameræ sub hac pœna, censetur quoque dispositum pro juribus Sedis Apostolicæ.

15 Additur quoque, quod Canonistæ, qui supponunt vacationem beneficiorum in clericis injustè detinentibus jura, bona, & scripturas Cameræ, non excludunt vacationem contra clericos retinentes jura Sedis, immo se referunt ad Constitutiones Apostolicas, quæ loquuntur de juribus Cameræ, & Sedis insimul, *ita Paulus IV. Constit. 11., Pius IV.*
16 *Constit. 4., Sixtus V. constit. 56.* Ergo utrobique ob indebitam retentionem bonorum, jurium, ac scripturarum Cameræ, & Sedis Apostolicæ vacant ipso jure ecclesiastica beneficia.

His accedit, quod Canonistæ nullam faciunt mentionem de clericis injustè detinentibus jura, & bona Palatii Apostolici, &
17 nihilominus pœna privationis beneficiorum ipso jure, etiam in hoc casu imposita est *ex Constit. 6. Alexand. VI., & Constit. 2. Clementis VII.*, quas refert *Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. Gloss. 15. num 99. in fin.*

18 Nec immerito, quia Palatium Apostolicum est, in quo datur audientia Ministris Principum, signantur gratiæ, administratur justitia, fiunt Concistoria, creantur Cardinales, promoventur Episcopi, promulgantur Decreta, ac Constitutiones pro regimine utrius-
19 que Principatus. Unde hodie Camera, Sedes, ac Palatium Apostolicum idem sunt, & promiscuè accipiuntur *ex relatis Constitutionibus Pauli IV., & Pii IV., Alexandri VI., & aliorum.*

20 In his itaque, aliisque similibus casibus substinetur impetratio beneficii etiam non citato ejus possessore, nam satis est, quod clericus indebitè retinens jura Cameræ, Sedis, ac Palatii Apostolici ad judicium vocetur in executione literarum Apostolicarum; Impetrans tamen beneficium tenetur concludenter probare indebitam jurium, bonorum, & scripturarum retentionem, itaut retentio dolum, & culpam præferat, quoniam quæcumque retentio cum ignorantia, & bona fide non prodest ad intentum impetrantis ex regula, quod ignorantia facti excusat à pœnis, *l. 1. l. 4 l. error, & tot. tit. ff. de jur. & fact. ignor., & alibi sæpe.* At de his satis, nam hujus rei legem habeo, Auctores non habeo.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Pensio ecclesiastica extinguitur ob indebitam retentionem bonorum, & jurium ad Sedem, & Cameram pertinentium.
2 Amplia in pensione laicali.
3 Laici privantur ex hoc capite juribus, feudis, & baronis.
4 Appellatione bonorum, & jurium venit pensio.
5 Pensio reservata intuitu ministerii spiritualis ex hoc capite extinguitur, ubi de ratione.

1 Pensionem ecclesiasticam ob indebitam retentionem jurium, & bonorum ad Sedem, & Cameram Apostolicam pertinentium vacare, & extingui dubitandum non est; hæc enim virtualiter comprehenditur *sub Constitutione 4. Pii IV.*, quæ loquitur indistinctè de omnibus, & quibuscumque beneficiis *Gig. de pension. quæst. 19 n. 2.*

2 Item huic pœnæ subjacet pensio laicalis, quia laici ob indebitam retentionem bono-
3 rum, & jurium, ut supra, ipso facto spoliantur omnibus juribus, feudis, & baroniis, ut clare disponitur in prædicta Constitutione; Deinde pensio, ut quid mere temporarium
4 venit appellatione bonorum, & jurium *l. bonorum 1. ff. de verbor. signific. cap. 1. de præben. Pinell. in rubric. de bon. matern. part. 2. n. 63.*

5 Demum ex hoc capite perimitur etiam pensio reservata intuitu ministerii spiritualis, quia talis pensio parum differt à beneficio *Abb. in cap. conquerente num. 5. de cleric. non residen.*

ARGUMENTUM.

De vacatione Beneficii, & Pensionis, si clericus offendat litigantes in Romana Curia occasione litis ibidem introductæ, vel introducendæ *juxta Constitutionem* 11. *Alexandri VI.*

SUMMARIUM.

1 Securitas in edendis decretis, & proferendis sententiis necessaria est Judicibus Romanæ Curiæ, amplius in Advocatis, & Curialibus, ubi rationes.
2 Officium judicaturæ, & postulationis invitis impartiri non licet.
3 Postulare contra amicum est quædam species inhumanitatis.
4 Durum est cogere aliquem judicare, seu postulare contra potentes, & inimicos.
5 Clerici, qui offendunt litigantes in Romana Curia occasione litis ibidem introductæ, vel introducendæ beneficia ipso jure amittunt.
6 Appellatione litigantium qui veniant.
7 Declara, si offensio sit gravis, secus si sit levis.
8 Beneficia vacantia ob gravem litigantium offensionem sunt Papæ reservata.
9 Beneficium, quod alibi vacet, ob qualitatem personæ offensæ fingitur vacare in curia.
10 Captus ab hostibus, si non redierit, fingitur mortuus à die, quo captus est.
11 An *Alexandrina Constitutio* quoad vacationem beneficiorum locum habeat, si offensio Clientis, Curialis, & Advocati extra statum facta sit, distinguuntur casus. 12. 13. 14.
15 Gravis offensio contra Curialem, & Advocatum in dubio præsumitur occasione litis introductæ, vel introducendæ in Romana Curia, ubi quod tutius est probationibus præsumptionem juris coadjuvare.
16 Sufficit sententia in civilibus, itemque sententia in criminalibus.
17 Res judicata pro veritate habetur, nec opus est, ut ex actis probetur, ubi de ratione.
18 Litigatores, facta pace, jus causæ possunt remittere, secus clericus in beneficiis.
19 Remissio juris emissi ex hoc capite pendet à conventione partium, sed in beneficiis requiritur nova collatio.
20 Clericus propter hujusmodi offensionem fit inhabilis ad alia similia, vel dissimilia beneficia, & de ratione. 21.
22 Clerici offendentes Ministros, Judices, & Testes Sancti Officii in odium ipsius Tribunalis ipso jure privantur beneficiis, & officiis, & dignitatibus ecclesiasticis.

CAPUT LIX.

1 
Ecuritas in edendis decretis,
in proferendis votis, & sen-
tentiis necessaria est in Judi-
cibus Romanæ Curiæ, ut
probatæ fidei sint, & integri
judicii, quod etiam decet
Advocatos, & Curiales, qui
quotidie postulant, ac causas tuentur, im-
mo etiam pro clientibus id ratio exigit, ut
nempe tuti, ac securi esse debeant tam quoad
bona, quam quoad vitam ab omnibus inju-
riis, & molestiis occasione litis introductæ,
vel introducendæ in Romana Curia; Quia
enim Judex sententiam proferret? quis Ad-
vocatus in judicio contradiceret? quis Pa-
tronus causas susciperet defendendas, si ex
sententia prolata in Romana Curia, ex con-
tradictione in judicio, ex defensione causarum
2 vitæ periculum immineret? Potissimum quia
officium judicaturæ, munus postulationis,
& defensionis causarum invitis impartiri non
3 licet, & sicuti postulare contra amicum quæ-
dam est species inhumanitatis *l.* 1. *ff. de postu-
lando*, ita durum esset cogere aliquem ad su-
4 scipiendum judicandi, & postulandi munus
contra potentes, seu inimicos, à quibus non-
nisi insidiæ justè timeri possunt.

Propterea, ut ea, quæ rationi congruit,
securitas in judiciis haberetur, Constitutio-
5 ne Apostolica sancitum est, ut clerici, qui
offendunt litigantes in Romana Curia occa-
sione litis ibidem introductæ, vel introdu-
cendæ, beneficia, officia, & quascumque
dignitates ecclesiasticas ipso jure amittant,
6 *ita Alexander VI. Constit.* 11., ubi expresse
etiam habetur, quod nomine litigantium
non solum continentur Clientes, quorum ju-
ra in judiciis discutiuntur, verum etiam Ju-
dices, Advocati, & Causarum Patroni; &
ratio est, quia justitia impeditur tam per
homicidium Clientis, quam per offensionem
Judicum, Advocatorum, & Curialium
d. Constit. 11. *Alexandri VI*, de qua *Ponimol.
decis.* 82. *num.* 28. *Rot. decis.* 166. *part.* 2. *de-
cis.* 868. *part.* 3. *diversor. decis.* 16. *per tot. de
restit. spoliat. cor. Mobedan.*
7 Hæc tamen sano modo intelligenda sunt,
si nempe offensio sit gravis, prout est homici-
dium, seu mutilatio membrorum, & fiat
occasione litis, ut supra, aliter, si offensio
sit levis, immo etiamsi sit gravis, sed ob
aliam causam *Alexandrina* locum non ha-
bet, & consequenter beneficia non vacant,
sed clerici arbitrio Judicis plectendi sunt *late
Mandozz. consf.* 60., *&* 61. *per tot. Rot. de-
cis.* 98 *lib.* 1. *cor. Pat.*
8 Observandum etiam est beneficia vacan-
tia ob gravem litigantium offensionem reser-
vata esse auctoritati Papæ, itaut inferior
collator de his nequeat ullo modo disponere,
etiamsi

etiamsi in suo mense vacaverint *cap. 2. de praeben. in 6.*, licet enim ubi crimen commissum est, ibi beneficium vacet, nihilominus ratione qualitatis personae offensae in
9 curia fingitur vacare juxta constitutionem *Alexandrinam*, & passim habetur in regulis Cancellariae, ac in reservationibus in corpore juris impressis, quod etiam de jure civili
10 receptum est, nam captus ab hostibus, si non redierit, fingitur mortuus à dic, quo captus est *l. in omnibus* 18. *ff. de captiv. & post limin. reverf.*

11 Dubium est, an *Constitutio Alexandrina* quoad vacationem, & reservationem beneficiorum locum habeat, si offensio clientis, seu curialis extra statum facta sit; super quo puncto plures casus distinguendi sunt, quorum primus est, ubi curialis discessit ab urbe animo exequendi decretum coram Judice à quo, cumque esset in limine expeditionis à clerico occasione hujus decreti, & causae pendentis in Romana Curia graviter fuit vulneratus, hoc casu beneficia clerici sic offendentis ipso jure vacant cum facultate libere impetrandi, & hic est casus *Putei decis. 99. lib. 1.*, ubi causa pendebat in Curia, & Placentiae mutilatio sequuta est, nec deest ratio, nam Curialis gaudet omnibus privilegiis Eugenianae, acsi esset Civis Romanus, & immediate subditus Papae; Unde mutilatio, quae Placentiae habuit effectum, idem est, acsi in curia facta fuisset. Deinde nil refert, an offensio contra Clientem, Judicem, & Advocatum alibi facta sit, dummodo occasione litis pendentis in Romana Curia fiat, non enim locus, ubi offensio fit, sed causa, propter quam fit, attendi debet; Et in hoc casu quoad beneficii vacationem locum habet *Alexandrina*.

12 Secundus casus est, ubi duo clerici hispani litigant in Curia beneficium, & unus alium graviter in partibus offenderit occasione executionis decreti promulgati à Judice Romanae Curiae, ex quo dubium oritur, an clericus offendens ipso jure beneficium amittat, & ratio dubitandi est, quia clericus, qui injuriam intulit, hispanus est, & non curialis, sicuti hispanus est, non curialis, qui sic offensus est, deinde injuria non est illata in Curia, seu in statu pontificio, sed in partibus Hispaniarum, ideoque sicuti extra statum non habet locum Alexandrina, ita beneficium clerici sic delinquentis in Curia de jure non vacat.

13 Sed contra concludendum est, quia clericus hispanus gravem offensionem irrogavit alteri litiganti in Romana Curia occasione litis ibidem pendentis, ideoque intrat poena juris ex ratione jam dicta, quod non locus, sed causa offensionis attendi debet *Rot. decis. 639. n. 2. par. 1. divers.*

14 Tertius casus est, ubi advocatus in partibus graviter offendit oppositorem in causa occasione appellationis ad sedem apostolicam interpositae, tunc licet videatur, quod beneficium non vacet, cum Alexandrina loquatur de Curialibus Advocatis, & Judicibus status ecclesiastici, ideoque tanquam exorbitans à jure, & nimium rigorosa nullo modo potest extendi ad Curiales, Advocatos, & Judices exteros, nihilominus eadem ratio in his, sicuti in illis concurrit, utrobique enim impeditur justitia, & libera facultas appellandi ad sedem apostolicam, ideoque omnes Curiales tam intra, quam extra statum *Alexandrina Constitutio* comprehendit, *ita Cherubin. ad Constitut. 11. Alexand. VI.*, ubi dicit Alexandrinam esse favorabilem, & in sequelam extendendam ad eos casus, in quibus eadem militat ratio. Porrò Advocatus sic offendens amittit jus in causa, & si clericus sit, privatur ipso jure beneficio, *prout literaliter disponitur in Alexandrina*.

15 Notandum tamen est, quod gravis offensio contra curialem intra, vel extra statum ecclesiasticum in dubio praesumitur occasione litis pendentis in Romana Curia *Rot. decis. 868. in princ. par. 3. diversor. decis. 97. lib 1. cor. Put.*, nisi de alia causa concludenter doceatur, quod sufficit impetranti beneficium ex hoc capite, licet tutius sit testibus, aliisque facti documentis praesumptionem juris coadjuvare;
16 deinde sufficit sola sententia in civilibus, in qua judex declaret nullum jus offendenti amplius in causa competere, item sufficit sola sententia in criminalibus, quae pronunciet clericum incidisse in paenas *Alexandrinae*, res
17 enim judicata pro veritate habetur *l. ingenuum ff. de stat. homin. l. res judicata ff. de regul. jur.*, nec opus est, ut ex actis probetur, quoniam sententia fundatur in praesumptione juris, quae transfert onus probandi contrarium in offendentem *l. generaliter § si petitum ff. de fideic. libertat. l. non est verisimile ibique Gloss. ff. quod met. caus.*

18 Notandum insuper, quod facta pace inter litigantes, dubitari potest, an jus causae, quod erat amissum ex hoc capite, censeatur remissum, qood tamen non firmo, quia id pendet à verbis instrumenti, remittere tamen possunt, si velint. At in beneficiis id non procedit, quoniam jus beneficii semel ex hac causa amissum, non potest amplius recuperari, etiamsi super hoc partes convenerint, cum requiratur nova provisio Papae, cui illud re-
19 servatum est; & ratio disparitatis est, quia remissio juris amissi in causa pendet à conventione partium, non item in beneficio, cuius dispensatio spectat ad superiorem, quoties ejus jus ob crimen amittitur *cap. 3. de institut. cap. 1. ibique omnes de regul. jur. in 6.*

20 Denique ultra privationem beneficii clericus propter hujusmodi offensionem fit inhabilis ad alia beneficia similia, vel dissimilia; gravis enim offensio contra Judicem, Advocatum, seu Curialem occasione litis, ut supra crimen est, quod infamiam irrogat, ac repel-
21 lit penitus clericum à beneficiis assequendis *cap. infamibus de regul. jur. in 6. cap. omnipotens, ibique Abb. versic. si vero de accusat. Gloss. in l. eos versic. infames ff. de decurion. Gloss. in l. nullam Cod. ex quib. caus. infamia* irro-

irrogetur l. 2., ibique Gloss. Cod. de dignitat. lib. 11. Bald. in sua Margarita impressa penes Innoc. IV. versic. canonicum ecclesiæ cathedralis, quod pariter ad literam disponitur *in Alexandrina Constitutione*.

22 Similis, quinimmo severior edita est Constitutio *à S. Pio V.*, quæ incipit *si de protegendis*, qua severissime puniuntur offendentes ministros, judices, testes, & accusatores, qui contra eos processerunt, judicarunt, accusarunt, aut testimonium perhibuerunt in Tribunali S. Officii in odium ejusdem Tribunalis, aut in vindictam processus contra se in eodem Tribunali constructi sub pœnis excommunicationis ipso facto incurrendæ, privationis omnium, & quorumcumque beneficiorum, ac redditum ecclesiasticorum, nec non degradationis, & traditionis brachio seculari, quæ secum fert pœnam ultimi supplicii, de qua late tractat *Pignatell. consult.* 190. §. *Est etiam discrimen*, & *per tot. tom. 2. in noviss.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 An ob gravem offensionem Curialium occasione litis pendentis in Romana Curia clericus pensione privatus sit ipso jure, vel potius privandus. Prima opinio affirmat privandum esse 2. Seconda opinio asserit ipso jure esse privatum. 3.

4 Pensio virtualiter continetur sub Constitutione Alexandri VI.

5 Ob crimen qualificatum pensio extinguitur.

6 Pensio, & beneficium veniunt appellatione bonorum.

7 Pensio regulariter extinguitur, prout vacat beneficium.

8 Repetitio licita est, ratiocinando, & confirmando, præsertim in diversis quæstionibus.

9 Pensio extinguitur ob offensionem a clerico perpetratam contra ministros, & testes S. Officii in odium ipsius Tribunalis, ubi de ratione.

1 Quæstio est, an ob gravem offensionem Curialium, Advocatorum, & Judicum Romanæ Curiæ occasione litis ibidem pendentis clericus pensione ipso jure privatus sit, vel potius privandus; Ratio dubitandi ea est, quia Alexandrina loquitur de beneficiis, quorum appellatione, præsertim in pœnalibus, pensio non venit, *cap. quamvis, ibique Geminian. & Anchar. in tertio notabili de præben. Abb in cap. ad audientiam il 2. num 2. de rescript. Felin. in cap. postulasti num 7. in fin. versic. secunda declaratio eod. tit. Jo. de Selva de benefic. part. 1. quæst. 3. num. 30. Caccialup. de pensionib. quæst. 30. per tot. Rot. decis. 14. num. 1. cum seqq. de sentent. & re judic. coram Crescentio.*

2 Unde cum crimen hoc qualificatum sit, clericus pensione dumtaxat erit privandus juxta opinionem *Gabriel cons. 187. num 12. lib. 2. Adden. ad Rot. decis. 1. num 9. part. 9. rec.*

3 Sed contrarium in puncto juris verius arbitror clericum scilicet pensione esse ipso jure privatum *ex d. Alexandrina*, quæ loquitur de omnibus, & quibuscumque beneficiis cum clausulis effrænatis, & amplissimis,

4 ideoque etiam pensio comprehenditur, ut alibi sæpius dictum est ex auctoritate *Gigan. de pens. quæst. 19.* Deinde clericus sic offendens reus est criminis læsæ majestatis, quod sane crimen perpetratum est ad impediendam justitiam in Romana Curia, quo nil

5 gravius. Ultra quam quod etiamsi ageretur de crimine qualificato dumtaxat, pensio ipso jure amittitur *Abb. in cap. ac si clerici n. 39. in princip. de judic. Felin. in cap. inquisitionis num 5. de accusat.* Demum contra laicos & clericos sic delinquentes imposita est omnium bonorum confiscatio, quæ etiam pensionis privationem ipso jure continet, cum

6 non tam pensiones, quam beneficia appellatione bonorum veniant *cap. 1. de præben. l. bonorum la 1. ff. de verbor. signific. Riccius praxis Curiæ Archiepiscopalis Neapolit.*

7 *part. 3. cap. 165. per tot.* Ac etiam quia ex hoc capite vacat ipso jure beneficium, ergo etiam pensio extinguitur *Gig. de pensionib. quæst. 54. Gabriel. cons. 187. num. 11. cons. 200. num. 12. lib. 2. & alibi sæpius.*

8 Nec mireris, quod hæc principia alibi dicta, hic repetantur, si enim jurisconsultus idem circa idem repetit ratiocinando, & confirmando *Gloss. in l. si fullo ff. de condict. sine caus.*, multo magis licita erit repetitio quoad similes, seu diversas quæstiones, quæ in hoc tractatu emergunt.

9 Ex dictis tuto etiam inferas pensionem vacare, & extingui ob offensionem à clerico perpetratam contra ministros, testes, & accusatores S. Officii in odium ipsius Tribunalis, id enim importat qualitas criminis, privatio omnium, & quorumcumque beneficiorum, degradatio, & traditio brachio seculari *ex Constitut. 82. Pii V.*, quod & specialis ratio fidei, seu religionis, quæ per idem Tribunal defenditur, expostulat ex ratione *Text. in l. sunt personæ in fin. ff. de religios. & sumptib. funer.*

ARGU.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Penſionis, ſi ex lege fundationis ita cautum ſit, *ad ornatum Text. in cap. Præterea 2. de jurepatronat. cap. quanto de cenſ.*

SUMMARIUM.

1 MAteria vacationum ex lega fundatjonis frequens eſt in Curia.

2 Vacat ipſo jure cappellania per proviſionem canonicatus, ſi ita in fundatione cautum ſit.

3 Cappellania repuguat Epiſcopo titulari, obi quod cappellania collata Epiſcopo vacat de facto.

4 Vacat ipſo jure beneficium ob non reſidentiam, fundatore ita volente.

5 Pæna vacationis poteſt adjici per ſtatutum contra Parocho poſt annum, contra canonicos poſt triennium ab eccleſiis abſentes, ita à fortiori in erectione beneficii ibidem.

6 Conditio continue reſidentiæ intelligenda eſt prout de jure, limita ſi aliod mandavit fundator. 7.

8 Conditio etiam dura adjecta in limine fundationis ſubſtinetur, ubi declaratur.

9 Vacant dignitates, & canonicatus, ſi proviſus intra annum ad ſacros ordines non promoveatur, ſi in fundatione cautum ſit, ad ſimilitudinem proviſi de eccleſia parochiali.

10 Monitio requiritur, quando clericus per ſententiam Judieis privandus eſt. ſecus ubi pæna vacationis inducta eſt à Fundatore.

11 Pæna adjecta negativæ Conſtitutioni ſina monitione incurritur, ubi declaratur.

12 Mora paucorum dierum de jure poteſt purgari, limita, ſi aliud conſtet ex lage fundationis, ubi de ratione. 13.

14 Plura beneficia ſimplicia, quæ nullam requirunt reſidentiam ſunt compatibilia, ſaltem de couſuetudine, limita, ſi alind cautum ſit, ibidem.

15 Jus commune ploralitatem beneficiorum indiſtinctè improbat, & damnat.

16 Beneficia cnndiurotiæ, literæ expectativæ per ſimplicem ingreſſum in religione non vacant, ſecus ſi contrariam conditionem patronus adjecerit, ubi rationes, & congruentiæ.

17 Qui ingreſſus eſt religionem potius religioſus, quam clericus reputatur, ubi quod eſt incapax beneficii.

18 Conditiones juri contrariæ à fundatore beneficii adjici poſſunt.

19 Per ſimplicem adſcriptionem ad militiam de jure non eſt inducta vacatio beneficii, multo minus per electionem, limita ex contraria fundatione. 20.

21 Incompatibilia ſunt cingulus militaris, & veſtis clericalis.

22 Vacat ipſo jure beneficium per ſponſalia. ſi fundator hanc pænam adjecerit, ubi quid ſint ſponſalia.

23 Clericus poteſt compelli ad ſervanda ſponſalia.

24 Clericus per ſponſalia reputatur laicus.

25 Collegialis per ſponſalia privatur loco.

26 Per ſponſalia beneficia de jure non vacant.

27 Ob aſſumptionem ad gubernium civile, & politicum indiſtinctè vacant ipſo jure beneficia, ſi fundator legem dixerit, ubi rationes.

28 Clericus, qui Notarii officium ſuſcepit, beneficiis privandus eſt, & ipſo jure privatur, ſi fundator hanc pænam adjecerit.

29 Officium Notariatus vile, ac mecanicum, ubi quod ob acceptationem Notariatus penſio extinguitur. 30.

31 Fundator in erectione beneficii legem poteſt adjicere, ut clericus extraneus de eo provideatur, donec alter de familia ſuperveniat contra *Pitaninm*, ubi de vacatione.

32 Ob homicidium ſimplex clericus beneficio privandus eſt, ſed fundatore volente, beneficium ſtatim vacat, & ſic de reliquis.

33 Pæna privationis eo ipſo adjecta à patrono, ſi nominatus abfuerit ab eccleſia per annum, non ſubſtinetur, & qui poſſint hanc pænam imponere.

34 Ampliatur, etiamſi clericus beneficium ſub hac conditione acceptaverit.

35 Pæna privationis eo ipſo impoſita e patrono, ſi clericus intra annum ad ordines non promoveatur, de jure non ſnbſiſtit.

CAPUT LX.

1 CElebris eſt hæc materia, & quotidie accidit in praxi diſputanda ob varias conditiones, quæ auctoritate Papæ, aut conſenſu Ordinariorum in beneficiis patronalibus ſæpiſſime à fundatoribus adjiciuntur; Attamen meum non eſt de omnibus hiſce conditionibus inquirere, quia id eſſet extra noſtrum tractatum, ſed tantum dicam de iis, quibus vacant ipſo jure beneficia eccleſiaſtica. Præterea omnes has conditiones in præſenti capite inferendas cenſui per ſequentes concluſiones juxta meum ratiocinandi modum, quem quiſquis meliorem procul dubio arbitrabitur, quoties ratio, & diſcurſus cum diſpoſitione Sacrorum Canonum conjung untur.

Prima itaque concluſio eſt, quod fundator conditionem poteſt adjicere, ut cappellania eccleſiaſtica, ſeu laicalis perpetua ab ipſo erecta incompatibilis ſit cum canonicatu, beneficio parochiali, aliaque eccleſiaſtica dignitate, non obſtante conſuetudine in contrarium, quæ in pluribus locis viget, præſertim ſi cappellania pingui redditu ditata
2 ſit, & conſequenter per proviſionem canonicatus, dignitatis, & beneficii parochialis ipſo jure vacat cappellania *cap. de multa de præben. Clementin. execrabilis eod. tit.*, quæ jura, licet loquantur de beneficiis, habent etiam locum in quavis cappellania, ſi ita à fundatore cautum ſit *in puncto Rot. in Caſtellen. beneficii* 28. *Novembris* 1687. *cor. Caccia*. Quod quidem rationi conſentaneum eſt, ita enim canonicus, vacante cappellania, facilius

ficii, vel simplicis, vel continuam residentiam requirentis *Gonzal. ad regul. octavam cancellariæ Gloss. 5. num. 102. 103. Monet. de commut. ultim. volunt. cap. 10. num. 153. 154. Rot. decis. 290. par. 2. coram Varall.*, immo per hujusmodi conditionem fit reversio ad jus commune, quod pluralitatem beneficiorum indi-
15 stinctè improbat, ac damnat *cap. ad hæc cap. cum non ignores de præben. Triden. sess. 7. cap. 4. & sess. 24. cap. 17.*

16 Quinta conclusio est beneficia, coadjutorias, literas expectativas per simplicem in religione ingressum non vacare, cum id de jure cautum non sit *ex dictis in cap. 8. de vacatione ob religionis professionem*; At contrariam conditionem in erectione beneficii potest patronus adiicere; nec desunt rationis congruentiæ, fundator enim potest velle, ne ullo modo beneficium vacans sit, quod vacans quodammodo est, si per annum necessarium ad faciendam professionem ecclesia pastore, canonico, seu præbendato destituta sit; Deinde piæ mentis est, ut singulis diebus provisus de beneficio patronali onera eidem injuncta persolvat, quæ sine dubio expleri non possunt
17 intra annum probationis, ut patet. Demum, qui religionem ingreditur, potius regularium fruitur privilegiis, & potius religiosus, quam clericus reputatur, cum quodammodo mutasse statum videatur, ergo per ingressum in religionem vacat ipso jure beneficium, si ita cautum est. Hæc sane fundamenta rationi consentanea sunt, quoniam sicuti novitius est incapax beneficii, & non pauca jura amittit *Gloss. in cap. si beneficium de regular. in 6.*, ita à fortiori privari potest à fundatore, & ratio adiicitur ibidem *per Gloss.* quia ejus status est dubius, ac clericus amplius dici non potest *l. filiusfamilias, ibique Gloss. ff. de testam. milit.*

Fateor hujusmodi conditionem esse nimium rigorosam, nec ab Episcopo in actu fundationis recipiendam esse, si tamen recepta sit,
18 servari debet; conditiones enim etiam juri contrarias, & signanter privationem beneficii ipso jure à fundatore adiici posse communiter receptum est *ex cap. præterea 2. de jurepatr. cap. quanto de cens. Gonzal. d. Gloss. 5. n. 102. & 103.*

19 Sexta conclusio est de clerico militiæ adscripto, dictum enim est per simplicem adscriptionem ad militiam inductam non esse vacationem beneficii ipso jure, sed opus esse, ut clericus cingulo militari incedat, & actu, vel potentia militiam exerceat, itaut inferri possit certa status mutatio, quoniam ex simplici electione ad militiam quis non potest dici verus miles, nec militaribus fruitur privilegiis *l. ex eo ff. de testam. milit.*, multo minus inducta erit beneficii vacatio, si clericus electus sit, & inter milites simpliciter adscriptus, nam in pœnis verba cum effectu debent interpretari *l. 1. §. Hæc autem ff. quod quisque juris in alterum, l. 4. Cod. de iis, qui veniam ætatis impetraverunt cum relatis in cap. 5. num. 8. de*
20 *vacat. ob assumpt. ad milit.* E contra clericus in numero militum simpliciter adscriptus, si tamen gradum acceptavit, beneficio ipso jure privatur ex lege fundationis, quia adscriptus in numero militum potius est miles, quam clericus, præsertim si cingulo militari utatur, cum insignia sint signa status, & professionia *l. filius familias ff. de testam. milit. l. 2. §. ignominiæ ff. de his, qui notant. infam. Bart. in tract. de insign. & arm.*

Nec obiiciatur, quod etiam vestibus clericalibus incedat, respondetur in hac re prævalere,
21 quod in veritate est, non quod in opinione. Sane sunt incompatibilia inter se cingulus militaris, & vestis clericalis, qui enim in numero militum adscriptus est, desinit esse clericus, immo simpliciter electus ad militiam inter Tyrones connumeratur *l. ex eo ff. de testam. milit.* Demum eodem tempore quis esset clericus, & miles, subjectus Episcopo, & subditus Principi, & haberet duos pedes alterum in divinis, alterum in humanis, quod implicat *juxta Divum Bernardum de consideratione ad Eugenium Papam III. lib. 3. cap. 11. ibi = At forma hæc vestium deformitatis mentium, & morum indicium est, quid sibi vult, quod clerici aliud esse, aliud videri volunt, id quidem minus castum, minusque sincerum, nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutrum exhibent, nam neque pugnant ut milites, neque ut clerici evangelizant; cujus ordinis sunt? cum utriusque esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt*, & habetur *ex Trident. sess. 14. cap. 6.* Ergo vacant ipso jure beneficia ob adscriptionem ad militiam, si ita in fundatione caveatur.

22 Septima conclusio est, quod per sponsalia à clerico contracta ipso jure vacat beneficium, si fundator hanc pœnam adjecerit, sponsalia enim sunt via ad matrimonium, & quædam proxima dispositio ad statum laicalem, immo, qui sic contrahit, potius laicus est, quam clericus ex ipsomet contractu sponsalium, quæ definiuntur mentio, & repromissio futurarum nuptiarum *l. 1. ff. de sponsalib. canon. nostrates 30. quæst. 5.*, ita dicta à spondendo, prout moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras, unde sponsi, sponsæve appellatio nata est *l. 2. & 3. ff. de sponsal. Servius Sulpitius apud Gellium lib. 4. cap. 4.* Item qui sic contrahit habet animum mutandi statum, & quodammodo mutat contrahendo
23 sponsalia, ideoque habetur, ac si statum mutasset, cum ad contrahendum matrimonium cogi possit *cap. ex literis 10. cap. sicut de sponsal. cap. de il is, ibique Gloss. de desponsat. impuber.*, immo sponsa quandoque dicitur uxor, & sponsus vir *can. quapropter eum plurib. seqq. 27. quæst. 2.* Idcirco ex his rationibus non est exorbitans pœna privationis beneficii ob sponsalia legitime contracta, ubi
24 fundator ita mandavit. Ultra quod clericus per sponsalia quodammodo divisus est, & quærit ea, quæ mundi sunt, implicando se negotiis secularibus, quod sufficit pro effectu pœnæ, de qua agitur, eo modo, quo colle-
25 gialis per sponsalia statim loco privatur ex

præ-

præsumpta mente testatoris, & juxta regulas Collegii, quæ nonnisi cælibes admittunt, exclusis penitus iis, qui vel sponsalia, vel ma-
26 trimonium contraxerunt, ita à pari, quamvis per sponsalia beneficia de jure non vacent, nec possint impetrari *Rot. decis. 1. in novis de cleric. conjugat. decis. 772. num. 3. part. 2. recen.*

27 Octava conclusio est de clericis assumptis ad gubernium civile, & politicum, nam statim vacant eorum beneficia, si ita fundator legem dixerit, nilque refert, an merum, seu mixtum imperium exerceant, habeantque potestatem sanguinis, vel non; hæc enim distinctio fit inspecta dumtaxat dispositione juris. Sane si habent potestatem gladii, beneficiis ipso jure privantur, alioquin privandi sunt, si moniti ab episcopo gubernii officium non dimittant *ad tradita per Rot. decis. 253. num. 11. cum seqq. par. 19. rec.* Porro si clerici ob assumptionem ad gubernium privari possunt beneficiis juxta secundam partem relatæ distinctionis, multo magis ipso jure privari possunt à fundatore, qui in erectione beneficii pœnas tam præter, quam contra jus de consensu ordinarii adjicere potest, idque sine dubio rationi congruit, quoniam regimina rerum civilium laicos decent, non clericos, qui juxta dispositionem sacrorum canonum ecclesiis inservire tenentur; quod verum etiam puto in statu ecclesiastico, in quo Prælati, & Ecclesiastici eliguntur à Papa ad regimen temporale sui Principatus, par enim concurrit ratio, prout in clericis assumptis à Principe seculari ad provinciarum regimina.

28 Nona conclusio est clericum, qui notarii officium suscepit, beneficiis ipso jure non privari, sed privandum esse si exerceat acta civilia *cap. sicut 8. ne clerici, vel monaci*; Nil tamen prohibet, quominus fundator valeat pœnam vacationis beneficii imponere clerico,
29 qui officium notariatus exercet; hujusmodi enim officium vile, ac mecanicum est, & sapit quandam negotiationis speciem, quæ
30 statui clericali repugnat. Unde communiter receptum est pensionem acceptatione, seu emptione officii notariatus extingui *Rot. decis. 279. per tot. par. 16. recen.*, ita ex lege fundationis dubitandum non erit, quo minus ipso jure vacet beneficium ex hoc capite.

31 Decima conclusio est posse fundatorem in erectione beneficii legem adjicere, ut clericus extraneus de eo provideatur, donec alter de familia superveniat, quoniam statim ac supervenit, qui de familia est, & capax beneficii existit, petens ab episcopo institutionem, alter beneficium ipso jure amittit, & ratio est, quia extraneus sub conditione resolutiva de hoc beneficio provisus fuit *Felin. in cap. ex literis num. 9. de constitut Rot. decis. 325. per tot. par. 17. recen.*, quidquid dicat *Piton. controv. patronor. alleg. 24.*, nam beneficium in se est perpetuum, licet quoad provisum sit temporale *Garz. de benef. lib. 1. cap. 2. num. 72. & 79.*

32 Undecima demum conclusio est, quod clericus ob homicidium simplex beneficio privandus est *ex Tridentin. sess. 14. cap. 7.*, sed aliter fundatore volente beneficium ex hoc capite statim vacat *cap. præterea 2. de jurepatronat. cap. quanto de censib.*, & generaliter habetur *in auth. disponat. de nupt. l. in conditionibus ff. de condit. & demonstrat. cum supra concordan.*, & ita dic de aliis similibus casibus, quos recensere non expedit ob diversas, & varias fundatorum voluntates, & conditiones, quoniam ex relatis conclusionibus evidenter apparet quid de aliis conditionibus, quæ symbolum habent, dicendum sit.

33 His additur, quod pœna adjecta à Patrono sub conditione, ut ipso jure vacet beneficium, si nominatus per annum ab ecclesia abfuerit, non sustinetur; pœna enim privationis beneficii ab eo, qui auctoritatem habet, imponenda est, quæ sane auctoritas est in Papa quoad omnia beneficia ubique existentia, datur episcopo à jure pro beneficiis suæ diæcesis, dummodo hæc pœna contra jus non sit, datur etiam fundatori in actu erectionis beneficii, quamvis pœna privationis contraria sit dispositioni juris, ut constat ex dictis, sed patronus successor non habet ullam auctoritatem imponendi pœnas, quibus vacent beneficia ipso jure post annum absentiæ; Nilque
34 refert, quod clericus nominatus beneficium sub hac conditione acceptaverit, non enim acceptatio beneficii facit firmum, quod de jure infirmum est, nec validum, quod à jure improbatur *ita Sac. Congregatio Concilii in Romana nominationis 3 Octobris 1711.*

35 Et ita arguendo à simili, pœna privationis, si clericus intra annum ad sacros ordines non promoveatur, de jure non valet, etiamsi agatur de beneficio non habente cursm animarum, idque ex defectu potestatis, quæ patrono, qui beneficii fundator non est, de jure non competit ex eadem ratione, de qua *in Romana nominationis mox relata.*

ADDI-

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 PEnsio ob assumptionem ad gubernium, & acceptationem officii à secretis Principis secularis non extinguitur, ubi declaratur,
2 Limita, si aliud ex lege fundationis appareat, ubi res exemplo explicetur 3.
4 Assumptio ad gubernium civile, & admissio in assembleis quodammodo repugnat statui ecclesiastico.
5 Amplia, si pensio imposita sit à fundatore, sive ab alio.
6 Pensio reservata censetur ab Episcopo super beneficio patronali juxta legem fundationis, item à Papa, nisi aliud appareat.
7 Pensio extinguitur ob assecutionem alterius beneficii, ob sponsalia, ob acceptationem feudi, & militiæ, si ita cautum sit, ubi rationes.
8 Exemplo fit manifestius, quod dicitur.
9 Pensio reservata à fundatore favore alterius ecclesiæ est perpetua.
10 Limita, si reservata sit intuitu paupertatis, seu donec ecclesia, cui pensio solvitur, competenti dote ditata sit.

1 QUamvis ob assumptionem ad gubernium civile, & politicum, præsertim in statu ecclesiastico, pensio non extinguatur, multo minus per acceptationem officii à secretis Principis secularis, si ibidem non exerceatur judicium sanguinis *ex deduc-*
2 *tis in cap. 5. in additione*, nihilominus aliter res se habet, si aliud ex lege fundationis appareat, quod, ut facile intelligas, pone,
3 quod fundator in erectione beneficii pensionem clerico reservet sub pæna privationis *eo ipso*, si se immisceat negotiis secularibus, utique ob assumptionem ad gubernium, ob acceptationem officii à secretis, pensionem extingui ambigendum non est; hoc enim est se implicare negotiis secularibus contra legem fundationis, & justa quidem ratione,
4 quia assumptio ad gubernium, admissio in assembleis quodammodo repugnat statui ecclesiastico juxta doctrinam Apostoli, & habetur *in cap. 1. ne clerici, vel monaci*.
5 Hæc non tam vera sunt respectu pensionis ab ipso fundatore impositæ, sed etiam ab alio reservatæ, dummodo lex pænalia, ut supra
6 adjecta sit; Pensio enim reservata censetur ab Episcopo super beneficio patronali juxta legem fundationis, cui non potest Episcopus derogare, item in pensione reservata à Papa, nisi aliud expressè appareat.
7 Rursus pensio extinguitur per assecutionem alterius beneficii, per sponsalia, per acceptationem feudi, & militiæ, si id fundator expressit *cap. quanto de censib. & in his l. in conditioni bus ff. de condit. & demonstrat.* Siquidem quoad assecutionem beneficii res est clara, quia duplex stipendium clerico repugnat, & quoad sponsalia res non caret ratione, sponsalia enim sunt via proxima ad statum laicalem. Demum per acceptationem feudi quis dicitur miles, sicuti talis est, qui gradum militarem acceptat, & qui hæc officia exercet, definit esse clericus, ergo in his casibus ex lege fundationis pensio extinguitur. Exemplum antecedens declarat casus subsequentes, & similes, quod sufficit, Exemplo enim manifestius fit, quod dicitur, *Inquit Text. in l. 3. §. videamus ff. de collat. bonor.*
9 Demum fundator potest reservare pensionem super beneficio patronali favore alterius ecclesiæ; hæc tamen non cessat, etiamsi ecclesia pensionaria inde dives efficiatur, censetur enim perpetua juxta qualitatem ecclesiæ, quæ nunquam moritur *cap. quanto de censib. can. eleutherius 18. quæst. 2.*
10 Limitatur, si pensio à fundatore reservata sit intuitu paupertatis, seu sub conditione, donec scilicet competenti dote ecclesia ditata sit, pensio enim statim extinguitur, si ecclesia, cui ea solvitur, sufficientem dotem ex aliis redditibus acquirat *cap. cum cessante de appellat. cap. si pauper clericus de præben. in 6. de Luc. de pension. quæst. 77. num. 2.*, multo magis, si id clare expressum sit, ut extinguatur, & vacet.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis, si in Constitutione particulari cautum sit, *ad ornatum Glossæ in Clementin. ne Romani versic. tolli de election.*

SUMMARIUM.

1 DIfferentia inter Fundatorem, & Episcopum quoad privationem beneficiorum ipso jure, ubi quod Episcopus, & Universitas contra jus statuere non possunt. 2. 3.
4 Episcopus super privatione beneficii potest pœnas juris communis augere, & superaddere.
5 Divisio materiæ.
6 Episcopus potest pænam privationis ipso facto incurrendam imponere, si provisi de canonicatibus intra annum ad sacros ordines non promoveantur.
7 Potestas Episcopis quoad hoc concessa à Tridentino.
8 Valet statutum editum à Capitulo de consensu Episcopi, quod Canonici non gaudeant fructibus, si intra certum tempus ad ordines non promoveantur.

9 Vacant ipso jure beneficia vi statuti ob non susceptam lauream doctoralem intra tempus ab eodem præfixum.
10 Valet statutum, ut Canonici, & beneficiati post annum absentiæ beneficia ipso jure amittant.
11 Canonici privantur fructibus pro eo tempore, quo abfuerint ab ecclesia ex statuto edito à Capitulo cum consensu Episcopi.
12 In Basilica S. Petri ipso jure priventur beneficiati, si per annum non resederint, ubi declaratur.
13 Privantur ipso jure milites præceptoriis ex Constitutione Apostolica, si absque causa se absentaveont.
14 Pœna privationis beneficii ipso jure post annum absentiæ contra canonicos ecclesiæ cathedralis, & collegiatæ non procedit, sed contumacia triennalis requiritur ex Tridentino.
15 Statutum Episcopi contra Tridentinum non valet, secus ubi Tridentinum receptum non est, ubi quod post annum absentiæ vacat canonicatus vi statuti. 16.
17 Ex statuto Episcopi potest induci vacatio beneficii per assecutionem alterius, quamvis aliàs de consuetudine esset compatibile, ubi exemplum.
18 Amplia, si in literis Apostolicis ita cautum sit.
19 Titularis non solvens pensionem ipso jure privatur beneficio, si in literis Apostolicis ita cautum sit, ubi declaratur.
20 Clericus de consensu Episcopi potest se obligare ad faciendum aliquid intra certum tempus sub pœna vacationis beneficii.
21 Beneficia difformia de consuetudine non sunt incompatibilia, limita ex contrario statuto Episcopi.
22 Valet pœna vacationis beneficii ipso jure in clericis incendiariis, homicidiariis, perjuris.

CAPUT LXI.

1 Cohæret hæc materia iis, quæ dicta sunt in capite antecedenti, hac tamen adjecta differentia, quod fundator in erectione beneficii conditiones juri contrarias potest adjicere, sed Episcopus quoad
2 privationem beneficiorum ipso jure nihil contra jus potest decernere, quoniam ejus potestas ad eos restringitur casus, qui sunt præter juris communis dispositionem *cap. final, ubi Gloss. de constitut. Bald. in cap. cum dilectus num.13. de consuetud. Caldevin. con-*
3 *sil.5 num.2. de constitut.*; ad instar universitatis, quæ pro singulorum regimine habet facultatem condendi statuta, dummodo juri communi contraria non sint *Bart. & alii in l. omnes populi, ubi in prima addit. lit.E., & in secunda addit. lit.G. ff. de justit. & jur.*

4 Communiter tamen receptum est posse Episcopum super privatione beneficiorum pœnas juris communis augere, & alias superaddere *cap. innotuit de eo, qui furtivè ordines suscepit Gloss. in cap.2. versic. statuto de constit. in 6. Gloss. in Clementin. ne Romani versic tolli de elect. Felin. in cap. quod super his versic. fallit septimo de maiorit. & obed. Hostien. in cap. final. de offic. Archipræsbyt. ibique Jo. Andreas num.8. in puncto Federic. de Sen. conf.182. quod incipit statutum Episcopi.*

5 Hoc posito videndum modo est, in quibus casibus possit Episcopus legem privationis beneficii ipso facto incurrendam imponere, idque pluribus modis fieri potest; Primo quoad ordines, aliasque qualitates beneficio annexas; Secundo quoad residentiam, & incompatibilitatem; Tertio quoad delicta; In his tribus capitibus tota, ni fallor, versatur potestas Episcopi condendi statuta, quibus clerici beneficiis ipso jure privantur ad omnes juris effectus.

6 Quod attinet ad ordines, certi juris est Episcopum posse pœnam privationis ipso facto incurrendam decernere, si provisi de canonicatibus, dignitatibus, præposituris, portionibus, aut præbendis intra annum ad sacros ordines non promoveantur *cap. ei, cui, ibique Franch. & Jo. Andr. utrobique num 6. Geminian. num.13. de præben. in 6. Rot. decis.421. num.1. in fin. par.1. decis.366. par.2.*
7 *recen.* Hoc nedum conforme est dispositioni juris, sed etiam decreto Tridentini *Sess.24. cap.12.*, ubi expresse datur facultas Episcopis cum consilio Capituli designandi, & distribuendi quænam præbendæ debeant esse actu sacerdotales, quænam diaconales, & subdiaconales; Ex qua generali & indefinita facultate concessa Episcopis à Tridentino venit omnimoda potestas privandi canonicos, præbendatos, portionarios, & beneficiatos ipso jure, si intra annum ad ordines, quos dignitas, aut canonicatus requirunt, non ascendant *cap. licet canon cap. cum ex eo cap.*
8 *commissa de elect. in 6.*; immo sicuti valet statutum editum à Capitulo de consensu Episcopi, quod canonici non gaudeant fructibus canonicatus, aut præbendæ non susceptis intra competentem terminum sacris ordinibus juxta communem Canonistarum sententiam, de qua testantur *Jo. Andr. Geminian. & Franch. in cap. ei cui de præben. in 6. Garz. de benefic. par.11. cap.5. num.167. Barbos. de canonic. cap.15. num.34. Monet. de distribut. part.2. quæst.19. num.28. 31. & quæst.20.n.12. Card. de Luc. de canonic. & capitul. disc.13. num.12.*, ita à fortiori poterit Episcopus statuere, ut post annum vacent præbendæ ob non susceptos sacros ordines intra annum ex auctoritate *Gonzal. Monet. & Sac. Rot.* de qua *in cap. antecedenti §.tertia & quarta conclusio.* Unde propterea, quæ dicta sunt supra de beneficiis vacantibus ex lege fundationis, congruunt etiam canonicatibus vacantibus ex particulari constitutione, sicuti congruunt aliis beneficiis habentibus annexam qualita-
9 tem doctoratus, quæ quidem vacant ipso jure vi statuti ob non susceptam lauream doctoralem intra tempus à statuto præfinitum *Gloss. in cap. cum ex eo, & in cap. commissa, ubi interpretes de elect. in 6. Bart. in l. si stipulatus sim ff. de verbor. obligat. Jason. in l. non omnis num.7. 8. ibique Bald. & Dec. ff. si cert. petat.*

10 Quo vero ad residentiam communiter etiam receptum est valere statutum, ut canonici, bene-

beneficiati, portionarii ecclesiæ cathedralis, & collegiatæ post annum absentiæ beneficia ipso jure amittant. Hæc sane pœna non est contra, sed præter jus, & juri communi superaddita ex facultate, quæ de jure competit episcopo addendi, & cumulandi alias pœnas ad ejus arbitrium, *ut docent in pun-*
11 *cto Imol. in cap. ex tuæ num.*11. & *in fin. de cleric non residen.*, eo modo, quo canonici, & beneficiati privantur fructibus pro eo tempore, quo abfuerint ab ecclesia ex statuto edito à capitulo cum assensu episcopi *cap. cum omnes, ibique communiter canonistæ de constitut. Rot. decis.*107. *num.*3. *par.*7. *rec.*, & in confirmationem assumpti extat in Basi-
12 lica S. Petri de Urbe constitutio Nicolai III., quæ ipso jure privat beneficiatos d. ecclesiæ, si per annum non resederint *Rot. decis.*794. *cor. Manzaned. per tot.*; ubi habetur quod beneficiati, qui post d. constitutionem erecti fuerunt, non comprehenduntur, multo minus canonici, de quibus nulla ibidem fit
13 mentio; Item constitutione Apostolica privantur ipso jure milites præceptoriis, si absulla causa se absentaverint *Spad. cons.*89. *per tot. lib.*3.

14 Hodie tamen ex Tridentino *sess.*24. *cap.*12. *in fin.* pœna privationis beneficii ipso jure post annum absentiæ contra canonicos cathedralis, & collegiatæ ecclesiæ non valet, sed requiritur contumacia triennalis, ut quis privetur beneficio, ideoque episcopus nequit statuere, ut canonici, de quibus supra, post annum absentiæ beneficiis ipso jure spolientur, si in ea diœcesi Tridentinum receptum
15 sit, quoniam statutum episcopi contra Tridentinum invalidum est *Adden. ad Buratt. decis.*572. *lit. B. Rot. decis.*1486. *num.*4. *decis.*1734. *num.*20. *cor. Coccin.*, alioquin, ubi Tridentinum receptum non est, de ejus validitate ambigi non potest, & sic post anni la-
16 psum canonicatus ipso jure vacare censetur vi statuti.

17 Idemque dicendum est de incompatibilitate plurium beneficiorum, quippe quia ex speciali statuto potest induci vacatio beneficii per assecutionem alterius, quamvis alias de consuetudine esset compatibile *Ferrett. consil.*112. *num.*1. *lib.*1., ubi dicit, quod in Civitate Venetiarum vacant beneficia simplicia ob assecutionem plebanatus, quod tamen non provenit ex aliquo statuto, sed quia in literis Apostolicis ita cautum erat, *ut explicat Ferrett. ibidem num.*3.

18 Ex his itaque habes argumentum, quod ex literis Apostolicis induci potest vacatio beneficii, casus est in titulari, qui non solvens pensionem intra præfinitum terminum
19 beneficio ipso jure privatur, si in literis Apostolicis id cautum sit, nisi tamen titularis habeat justam causam, quæ eum excuset ab hac pœna *late Gig. de pension. quæst.*78. *num.*1.
20 & 2. & *per tot.*. Item clericus beneficii possessor potest auctoritate episcopi pro alio se obligare ad faciendum aliquid sub pœna vacationis beneficii *Gloss. in cap. Petro* & G. *versic. promulgares ibi = Item sub pœna beneficii sui = de offic. Judic. delegat. cap. cum dilectus verb. obligavit, ibique Abb. num.*13. *de elect. cap. final., ibique Gloss. versic. causæ*, & *Abb. num.*2. *de crim. fals.*, quod est notandum.

21 Nec minor est ratio in præbendis, & officiis, quæ sunt laicis, & clericis communia, quamvis enim pluralitas in beneficiis, saltem difformibus de consuetudine incompatibilitatem, & vacationem respective non importet, cum eodem tempore possit quis esse Archidiaconus, & Canonicus simul *cap. cum te de rescript.*; nihilominus id non procedit, si in contrarium extet statutum episcopi, repugnat enim vi statuti, quod quis eodem tempore sit canonicus, & thesaurarius, sit sacrista, & beneficiatus, sit Custos, & Primicerius, præsertim si ita se habeat praxis ecclesiæ *Ferrett. d. cons.*112. *lib.*1.

22 Denique quoad delicta quæstio inter Doctores non est, quominus adjici possit pœna privationis beneficii ipso jure, ut in clericis incendiariis, homicidiariis, perjuris, ut enim beneficiis per sententiam Judicis in his casibus spoliantur, ita ipso jure privati sunt, si episcopo, & canonicis id expediens visum fuerit *Gloss. in cap. final. in fin. de jurepatr Gloss. in Clementin. ne Romani versic. tolli de election.*. Siquidem hæc potestas pro bono diœcesis regimine à jure episcopis concessa est *Geminian. in cap.*1. *de constitut. in* 6. *Imol. in cap. ex tuæ de cleric. non residen. Tusch. concl.*285 *num.*16. *lib.*3. *Alexandr. cons.*55. *num.*15. *lib.*4. *ubi concordantes.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Valet statutum, ut pensio extinguatur per assecutionem beneficii, seu officii.
2 Duplicata stipendia repugnant militi, & clerico. 3.
4 Pensio cessat per reservationem alterius, per stipendium, per provisionem redditnum, si ita statuto caveatur, intellige de pensionibus reservatis ab ipsomet episcopo, non autem à Sede Apostolica.
5 Ordinationes episcoporum non extenduntur ad provisiones Apostolicas.

Non minor est potestas Ordinarii super pensionibus, prout magnam esse quoad pri-
1 vationem beneficiorum ipso jure jam vidimus. Sane valet statutum, ut pensio clericalis vacet, & extinguatur per assecutionem beneficii, seu officii *Spad. cons.*115. *lib.*2. *Rot. decis.*617. *num.*1. *par.*1. *recen. decis.*390. *n.*1.
2 & 4. *cor. Manzaned.*, & ratio est, quia in clericis de jure repugnant duplicata stipendia, ubi unum sufficit pro congrua alimonia,

quod etiam locum habet in pensionibus laicalibus, quæ intuitu servitii dantur à mensa episcopali, seu capitulari ministris ecclesiæ,
3 & sicuti miles duplex stipendium non percipit, ita clericus duplici pensione uti, & frui non
4 potest *Canon. militare* 23. *quæst*.1. . Ita igitur una pensio cessat per reservationem alterius, cessat per aliud perpetuum stipendium, seu per provisionem reddituum ecclesiasticorum ad vitam clerici duraturam, si ita speciali statuto cautum sit, loquendo tamen de pensionibus intuitu servitii reservatis ab ipso episcopo, non autem à Sede Apostolica, quia respectu ipsarum nil possunt statuere Ordinarii, quorum statuta, & ordinationes nequaquam extenduntur ad provisiones Apostolicas *cap. cum inferior de majoritat. & obedient. canon. cum inferior. distinct.*21. *l. final. C. de legib. Rot. decis*.375. *part*.4. *rec tom*.1.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis *ex speciali constitutione Clementis XI.*

SUMMARIUM.

1 NOva vacatio singulariter inducta contra clericos, qui temere detrectant Apostolicis parere mandatis in materia fidei.

2 *Clemens XI.* damnavit propositiones *Paschalis Quesnelli*.

3 Deinde aliam constitutionem edidit contra parochos, aliosque ecclesiasticos inobedientes, & refractarios.

4 Clerici ob non acceptationem constitutionis *Clementis XI.* beneficiis privati denunciantur cum potestate impetrandi.

5 Clerici refractarii turbant ecclesiam, & quietem publicam, spernunt censuras.

6 Clerici refractarii nequeunt optare præbendas, & titulos ecclesiasticos, ubi rationes.

7 Quid servandum sit contra clericos inobedientes, antequam beneficiis priventur.

8 Privatio beneficiorum est modus, ut refractarii redeant ad unitatem ecclesiæ.

9 Clerici excommunicati pro gravi crimine post annum ipso jure spoliantur beneficiis, idem ob solum recursum ad Judices laicos. 10.

11 Majus crimen est non acceptare constitutionem, quæ dogma decernit, quam non parere mandatis episcopalibus, seu judicialibus pro injuria ecclesiæ illata.

12 Gravius est tueri propositiones jam damnatas, quam habere recursum ad Judices laicos.

13 Controversiæ religionis perturbant pacem Regni.

14 Episcopi appellantes contra constitutionem Apostolicam dogma concernentem debent in concilio provinciali, seu nationali ab administratione episcopatus removeri.

15 Refractarii, & appellantes indigni sunt dignitate episcopali.

CAPUT LXII.



HÆc est nova, ac recens beneficii vacatio singulariter inducta contra eos clericos, & ecclesiasticos, qui temere, ac pertinaciter detrectant Apostolicis parere mandatis, quæ concernunt dogma, & unitatem catholicæ religionis.
2 Sciendum itaque est, quod *Clemens XI.* damnavit eas omnes propositiones *Paschalis Quesnelli*, quas habes insertas, & impressas in Bullario ejusdem Pontificis *Constit*.64.,
3 quæ incipit *Unigenitus*, deinde ad coercendam inobedientiam, & proterviam nonnullorum ecclesiasticorum, qui dictam Constitutionem acceptare recusarent, edidit alteram, quæ incipit *Pastoralis in ordine la* 98. in qua pro suo munere Pastorali idem Pontifex verè optimus illud singulariter sancivit, ut clerici beneficiati, parochi, & provisi omnes de officiis, beneficiis, ministeriis, & dignitatibus ecclesiasticis inobedientes, & refractarii contra Constitutionem *Unigenitus*, excommunicati, interdicti, ac veluti schismatici, ac alieni ab ecclesiastica communio-
4 ne haberentur, & in sequelam uti tales vel priventur, vel privati denuncientur omnibus, & quibuscumque officiis, & beneficiis quæ inde ab episcopo possent conferri, aut liberè à Sede Apostolica impetrari, *ut in specie firmavit Rot in Leodien. Parochialis* 5. *Julii* 1723. *cor. Gamaches*, *& in Leodien. Canonicatus S. Dionisii* 3. *Julii* 1624. *cor.*
5 *Eminentissimo Aldovrando*. Etenim Clerici constitutionum Apostolicarum refractarii turbant Ecclesiam, & quietam publicam, contemnunt potestatem clavium, spernunt censuras Ecclesiasticas, fovent schisma, & sectas perditionis, aliosque actus temerarios peragunt; quibus merito hujusmodi pæna
6 privationis beneficiorum condigna est. Rursus incapaces sunt beneficiorum in posterum vacantium, nequeunt optare præbendas, aut titulos ecclesiasticos, prout inquisiti, & interdicti promoveri prohibentur *ex can. tantis Daniel distinct*.81. *cap. omnipotens*, *ubi interpretes de accusat.* Quid enim gravius, quam Constitutiones Apostolicas, quæ fidem tangunt, & dogma declarant, impugnare? quidvè ineptius iterum controvertere, quod assensu Theologorum, & Moralistarum à Papa semel damnatum est? quid demum pertinacius

tinacius singularitate opinionis, cui mordicus inhærent refractarii contra communem ecclesiæ sensum? Hæc obiter dicta sint contra ecclesiasticos inobedientes, & contumaces, qui putant se scire, & doctrinam Apostolicam penitus ignorant, ac se esse, & nominari magistros ambiunt, cum vix discipulorum nomen mereantur, immo, quidquid dicerint, in pravum sensum Sanctorum Patrum instituta semper detorquent, quo nil stultius.

7 His positis, redeundo ad punctum, de quo agitur, illud pro praxi prætereundum non est, quod contra clericos inobedientes, & refractarios, prius monita pastoralia, deinde præfixio termini ad acceptandam apostolicam constitutionem sub pœna interdicti, & excommunicationis præcedere debent, quod si non resipiscant, & apostolicam constitutionem intra terminum non acceptent, beneficiis statim priventur, seu privati denun-
8 cientur; privatio enim verus, ac veluti unicus modus est, ut illi redeant ad unitatem
9 ecclesiæ, & sicuti excommunicati pro gravi crimine post annum ipso jure spoliantur beneficiis *cap. cum bonæ de ætat. & qualitat.*, ac pari pœna afficiuntur clerici ob recursum
10 ad Judices laicos *ex Constitut. Martini V., & Innocentii VIII.*, de quibus *suo loco latius differuimus*, ita post lapsum termini procedendum est contra refractarios, & quidem
11 durius; majus enim crimen est non acceptare constitutionem apostolicam, quæ dogma decernit, quam non obtemperare mandatis episcopalibus, seu judicialibus pro injuria ec-
12 clesiæ illata, sicuti gravius est tueri propositiones jam damnatas, quam habere recursum ad Judices laicos, licet utrumque malum sit, & mali exempli, ut patet. Utinam quod Leodii actum est, fieret alibi, nam statim pax ecclesiæ, salus animarum, quies populi, securitas Regni, & Principatus haberetur;
13 nihil enim magis perturbat pacem Regni, quam controversiæ religionis, & nisi sequamur legem Pastoris ecclesiæ, tot erunt sententiæ, quot capita, prout inter hæreticos praxis docet, faciles enim sunt ad dissentiendum homines *Gloss. in cap. super literis vers. diversos de rescript. Gloss. in cap. 5. versic. diversitatem de concess. præben.*
14 Quod si intra appellantes Episcopi sint, convocato prius concilio provinciali, seu nationali per Archiepiscopum, seu Primatem regni, ab administratione Episcopatus removeantur *juxta doctrinam Innoc. & Imol. in cap. ex tuæ num.6. de cleric. non residen.*, & satis innuit Constitutio *Pastoralis* Clementis XI., ubi metropolitanis, & primatibus in Concilio datur potestas eos excommunicandi, &
15 justa quidem ratione, quoniam refractarii, & appellantes indigni sunt dignitate episcopali, quam per inobedientiam deprimunt. En in tuto sacerdotium, & imperium.

A D D I T I O.

S V M M A R I V M.

1 Pensio extinguitur ob non acceptationem Constitutionis Apostolicæ intra terminum à Judice præfixum.

2 Clerici alieni à communione ecclesiæ pensionibus, emolumentis, & proventibus ecclesiasticis ipso jure privati sunt, vel privandi, ubi quod etiam alimenta denegantur 3., & quare 4.

Sicuti ipso jure vacat beneficium ob non acceptationem Bullæ *Unigenitus* intra termi-
1 num à Judice præfixum, ita extinguitur pensio, quod speciale est contra clericos refractarios, qui ex eo, quod renuunt apostolicis parere mandatis, schismatici sunt, & pœnis schismaticorum subiiciuntur; deinde excommunicari debent *juxta aliam Constit. Clementis XI.*, quæ incipit *Pastoralis*, & consequen-
2 ter uti alieni à communione ecclesiæ, vel ipso jure privati sunt, vel privandi pensionibus clericalibus, mixtis, & laicalibus, aliisque emolumentis, & proventibus ecclesiasticis *ad text. in cap. pastoralis §. verum de appellat.*, *ibi = & illi merito proventus ecclesiastici subtrahuntur, cui ecclesiæ communio denegatur.* =
3 Quod indistincte verum est, nullo habito respectu, an habeant alimenta, vel non, quoniam excommunicato in nullo est providendum, & quia contemnit claves ecclesiæ, ei participandum non est, *ut notat Gloss. ibidem*
4 *in fin.*, potissimum in hoc casu, in quo agitur de materia fidei, & religionis, cuius summa est ratio *ex leg. sunt personæ in fin. ff. de relig. & sumptibus funer.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

De vacatione sex Canonicatuum, seu Præbendarum præsbiteralium in Ecclesia Cathedrali Leodiensi ob non regressum ad residentiam intra terminum sex mensium à capitulo juridice intimandum pro obeundis muniis sacerdotalibus, & de vacatione pensionis ob non implementum oneris missarum, cantus, cum similibus *juxta Constitutionem Clementis XII.*

SUMMARIUM.

1 Ecclesia Cathedralis Leodiensis perillostris, & quare.
2 Olim destituta erat præbendis sacerdotalibus, ubi de ratione.
3 Statutum *Cardinalis Guidi Episcopi Prænestini legati Sedis Apostolicæ* quoad sex canonicatus, seu præbendas in Ecclesia Cathedrali Leodiensi:
4 Statutum *Cardinalis Albanensis, & Cardinalis Sanctæ Sabinæ, nec non canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis*, quoad sex canonicatus, & præbendas.
5 Abusus in Ecclesia Cathedrali Leodiensi quoad provisos de hisce sacerdotalibus præbendis.
6 Constitutio *Clementis XII.* quoad sex præbendas sacerdotales quid disponat.
7 Divisio materiæ.
8 An Constitutio *Clementis XII.* confirmet dumtaxat antiqua statuta, an etiam amplier, & extendat.
9 Papa in edendis constitutionibus tenetur sequi vestigia suorum prædecessorum.
10 An Constitutio *Clementis XII.* comprehendat Episcopos de his præbendis in ecclesia majori Leodiensi jam provisos; ratio dubitandi, & num. 11. 12. 13. 14. 15. 16. sed contra num. 17. 18.
19 Resolutio Congregationis particularis contra quemdam ecclesiasticum.
20 Admiratio auctoris super dubio de comprehensione Episcoporum sub Constitutione *Clementis XII.*
21 Constitutio *Clementis XII.* loquitur per verba copulativa, & elapso semestre post intimationem inducit ipso facto vacationem præbendæ.
22 Ubi plura exprimuntur ad facilius gratiam obtinendam, omnia justificatione indigent.
23 Præsertim, si exprimantur ad aggravandam personam possessoris.
24 Impetrans præbendam relative ad Constitutionem *Clementis XII.* omnia, quæ ibidem expressa sunt, tenetur probare.
25 Dictio, &, copulat, ac conjungit.
26 Ubi plures defectus exprimuntur, non sufficit defectus unius, & assignatur ratio ibidem.
27 Ad incurrendam pœnam juris concursus copulatorum requiritur, præsertim in pœnalibus, secus in materia favorabili juxta aliquos num. 28.
29 Ubi plura narrantur, quorum unum sufficit ad gratiam impetrandam, eo probato, gratia subsistit juxta opinionem aliorum.
30 Conjuncta resolvitur in disjunctam. & sufficit unum verificari.
31 Resolutio quæstionis in hac re:
32 Ubi plura tendunt ad eumdem finem, qui deliquit in uno, efficitur omnium reus, & committitur pœna.
33 Sola residentia materialis in Ecclesia Cathedrali Leodiensi quoad sex præbendas sacerdotales non sufficit ad evitandam pœnam juris absque onerum implemento.
34 Residentia in ecclesia majori Leodiensi requiritur propter servitium altaris, & alia onera.
35 Qui materialiter residet, & onera non implet, legem eludit, & contemnit.
36 Clausola *respectivè* adjecta in Constitutione *Clementis* inducit vacationem præbendæ præsbiteralis contra omnes, qui deficiunt vel in residentia, vel in cantu, vel in cæteris oneribus, ubi de ratione num. 37.
38 Finis Constitutionis *Clementis* est divinus cultus, & celebratio functionum in ecclesia majori Leodiensi.
39 Præbenda sacerdotalis in hac ecclesia vacat in Curia, vel extra post terminum sex mensium inchoandum à die intimationis factæ per capitulum.
40 Ubi committitur pœna, ibi vacat beneficium, adducuntur ibidem jura, & casus resolutio.

CAPUT LXIII.

1 Ecclesia Cathedralis Leodiensis, quæ non solum propter annexum Principatum in temporalibus, verum etiam numero sexaginta canonicorum insignita nomen Perillustris merito obtinuit, olim
2 adeo destituta erat præbendis sacerdotalibus, ut vix inter tot canonicos adesset, qui missarum solemnia diebus festivis, & feriatis celebraret, quia Canonici Leodienses renuunt sacerdotium suscipere, quod forte putant grave, cum vere non sit, quoniam in qualibet ecclesia cathedrali, seu collegiata de jure deputandus est certus numerus canonicorum, per quos Deo in divinis officiis per ecclesiasticos gradus congrue serviatur *cap. in ecclesia de instit.*, *cap. 1. cap. quæris de ætat.*, & *qualitat.*, & clarius habetur ex Tridentino *sess. 24 cap. 12.*, ubi quod canonici omnes cathedralis ecclesiæ debent habere annexum ordinem præsbyterii, diaconatus, & subdiaconatus.

3 Unde propterea Cardinalis Guido Episcopus Prænestinus tunc in partibus inferioris Germaniæ apostolicæ sedis legatus agnoscens reformationem necessariam esse, *anno* 1203. statuit, ut deinceps in ecclesia majori Leodiensi adessent sex præbendæ præsbiterales, quæ conferri non possent, nisi actu sacerdotibus,

bus, vel talibus personis, quæ intra annum ad sacerdotium promoverentur, onere tamen cuilibet ex his sex canonicis, seu præbendatis injuncto peragendi omnia officia sacerdotalia in sua hebdomada sub pæna ibidem expressa, quod deinde statutum confirmatum fuit per Breve *Gregorii IX.*, & *Innocentii IV. Romanorum Pontificum*.

4 Similiter, sed clarius, quoad hujusmodi sex præbendas, seu canonicatus *anno* 1250. decreverunt Cardinalis Albanensis, & Cardinalis Sanctæ Sabinæ, cum ambo in iis partibus munere legationis pro Sede Apostolica perfungerentur, idemque *anno* 1260. canonici Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis ordinarunt, *uti habetur in* §.1. *de recipiendis canonicis*, & *in* §. *de personali residentia*, ubi statuitur, quod sex præbendæ non conferantur, nisi actu sacerdoti, aut qui intra annum ad sacerdotium possit, & juret promoveri; item juret continuam residentiam pro obeundis in dicta ecclesia officiis sacerdotalibus, dummodo tamen morbo, aut alio gravi impedimento non prohibeatur, quo casu per alium præbendatum vices ipsius suppleri mandatur, sublata quacumque dispensatione in contrarium.

5 His statutis, seu ordinationibus non obstantibus, nonnulli irrepserunt abusus in Ecclesia Cathedrali Leodiensi, dum canonici interim provisi vel à Sede Apostolica, seu ab Ordinario de hisce sacerdotalibus præbendis prætextu, aut aliquo privilegio suffulti non curabant residentiam ad effectum peragendi omnia munia ratione officii ipsis incumbentia; propter quod inter canonicos hebdomadarios oriebantur quotidie jurgia, confundebatur turnus in præjudicium cultus divini, & scandalum pusillorum.

6 Itaque Clemens XII. de his omnibus plene informatus per canonicum à capitulo d. ecclesiæ ad id specialiter deputatum pro suo pastorali officio *sexto idus Maji* 1732. Apostolicam edidit Constitutionem, in qua sancivit, quod provisi de his sex præbendis intra spatium sex mensium post juridicam capituli intimationem ad residentiam non se conferentes, & apud eamdem majorem ecclesiam non residentes, missasque conventuales, & alia onera non implentes, pænam privationis statim, ipso facto, & absque alia declaratione, & sine ullo Judicis Ministerio incurrant; Unde, ne omissa remaneat hæc vacatio, seu privatio ipso facto singulariter indicta in ecclesia majori Leodiensi quoad hujusmodi sex præbendas, differendum censui super infrascriptis

7 dubiis, quorum primum est, an dicta constitutio confirmet dumtaxat antiqua statuta, an vero ampliet, & extendat; Secundum dubium est, an comprehendat canonicos actu episcopos jam provisos; Tertium est, an omnia, quæ ibidem expressa sunt, requirantur copulative, an vero disjunctive tantum, ita ut unus defectus sufficiat ad inducendam vacationem præbendarum in curia, vel extra pro effectibus juris inde resultantibus.

8 Quoad primum dubium res videtur clara prædictam constitutionem non solum esse confirmatoriam præcedentium statutorum, verum etiam ampliativam, & extensivam, quoniam Papa in hac constitutione non solum reintegrat, & in pristinum statum reponit statuta Cardinalis Prænestini, Albanensis, & Sanctæ Sabinæ, sed & insuper addit quoad modum pænam privationis ipso facto, de qua in antiquis statutis non cavebatur, idcirco d. constitutio extendit, & ampliat pænas juris, quod est juxta praxim ecclesiæ, nam

9 Papa in edendis constitutionibus tenetur sequi vestigia suorum prædecessorum addendo, vel diminuendo juxta naturam, & qualitatem negotii *per text. in cap. fælicis in princip. ibique Glossa marginalis de pæn. in* 6.; Deinde dicta constitutio innovat, ad lit, & extendit, olim enim sex præbendati non residentes apud majorem ecclesiam Civitatis Leodiensis pro implendis ibidem divinis officiis. post præfixionem termini juxta antiqua statuta poterant præbendis de jure spoliari *cap. relatum cap. inter quatuor, cap. finali de cleric. non residen.*; Hodie autem ex hac nova constitutione post lapsum sex mensium inchoandum à die intimationis per capitulum faciendæ statim privati sunt. At de hoc satis, quia quæstio nominis est, & parum proficua quoad juris effectus, de quibus infra.

10 Quo vero ad secundum dubium ratio dubitandi est, quia in constitutione Clementia nulla fit mentio de episcopis jam provisis, sed tantum providendis ibi = *eosdemque sex canonicatus, totidemq. præbendas nunc obtinentes*, & *de illis perpetuis futuris temporibus quavis etiam dicta Apostolica authoritate providendos, etiamsi illi pontificali dignitate insigniti fuerint*; Quæ quidem verba *etiamsi* ad providendos procul dubio se referunt, idcirco episcopi jam provisi non continentur ex regula,

11 qui de uno dicit, de alio negare censetur *Glossa in cap. quoniam* 9. *in verbo qui simul vivunt litera A. vers. quia cum de regularibus de vit.*, & *honest. cleric. cap. nonne in verbo tacendo litera P. vers* & *qui de uno affirmat de præsumpt. Oldrad. cons.*73. *num.*4. *vers. ubi permittit*, *Castren. cons.*472. *num.*1.

12 *vers. autem lib.*1., & facit ad hoc, quod inclusio unius est exclusio alterius, *l.*12. *in princip. ff. de judic. l.*21. *vers. fin autem Cod. de procurat. Fontanell. decis.*357. *num.*6. *lib.*2. *Rot. decis.*463. *num.*7. *coram Merlin.*

13 Immo, si Papa in uno certo casu providit, videtur voluisse, ut contrarium servaretur in casu omisso *Glossa in cap. dispendia verbo personales litera P. de rescript. in* 6. *Alexand.*

14 *cons.*158. *num.*10. *lib.*6., præsertim in materia pænali, in qua stricta fit interpretatio *Negusant. Junior. in silva responsorum quæst.*260. *num* 44. *Cephal. cons.*451. *num.*24., *cons.*734. *num.* 23. *lib.*4. *Honded. cons.* 103. *num.*38.

15 Quod etiam suadet ratio, quia relatio facienda est ad id, quod immediate fuit dictum

Rot.

Rot. decis.267. num.3. vers. proximum part 2. recent. decis.41. num.1. & 4., decis525, n.5. vers. & immediato coram Merlin. & in Mantiss. Card. de Luca lib.10. decis.64. num.16. vers. ad magis proxima; Tum etiam quia
16 proprium est cujuscumque legis noviter edictæ futuris, & non præteritis providere *cap 2. cap. finali de constit. ibique Joan. Andreas num.11. vers. numquid ergo, & Imola num 8. vers. ulterius etiam, l. leges Cod. de leg. ubi scribentes communiter*.

17 Sed contra concludendum est, quod evidenter resultat ex iis verbis, quæ in præsenti casu nullam admittunt dubitationem ibi = *Nunc obtinentes, & de illis perpetuis futuris temporibus providendos, etiamsi illi Pontificali dignitate fuerint insigniti*; Quandoquidem verbum *&*, quod præcedit, utrumque casum parificat, omnesq. qualitates repetit, cum eadem militet ratio inter utrumque copulatum, provisos nempe, & providendos *per text. express. in l. sejæ §. Gajo ff. de fund. instruct. legat.*, *Ripa in l.1. num.89. ff. solut. matrim.*, ubi ait, quod verbum & copulat æqualiter, sed secundum ordinem necessitatis, itaut per prius provisi, & per posterius providendi sub hac lege comprehendantur *Paris. cons.7. num 29 lib.3. Rot decis.1. num.6. in fin. part.2. recent. decis.28. num.3. decis.254. num 20. decis.376. num.7. part. 2. recent. tom. 2. decis. 445. num 5. part 3. recent.*; ultra quod verba *etiamsi illi*, quæ inde sequuntur sunt ampliativa, & distributiva, & uti talia non possunt comprehendere, nisi episcopos vel provisos, vel providendos ex regula, quod clausula sequens sub unica oratione concepta, prout hic, ad præcedentia refertur, & omnia indistincte comprehendit *Glossa in cap. olim 25 in fin. de rescript. ibi = sed melius est, quod ad omnia referatur Rot. decis.727 num.9 coram Molin. tom.3. part.1.* & in specie de dictione *etiamsi Robles. de repræsent. lib.3. cap.5. num.8. Barbos. de dict.112. num.23. & in Ferrarien. Salviani 25 Januarii 1737. § 18. coram Calcagn.*

18 Probatur insuper ex facto talem fuisse in hac re Pontificis mentem, quippequia hujusmodi constitutio emanavit ad preces capituli ecclesiæ majoris Leodiensis, & ad tollendos abusus, ac privilegia cujusdam ecclesiastici, qui eo tunc cum dignitate episcopali possidebat unam ex his sex præbendis in hac ecclesia, & sub hoc prætextu renuebat uti simplex canonicus ad formam antiquorum statutorum in sua hebdomada missas celebrare, & alia onera adimplere; propter quod Clemens XII. in constitutione prudenter adjecit ea verba *etiamsi illi Pontificali dignitate fuerint insigniti*. Porro tum ex litera, tum etiam ex mente Pontificis amplius ambigi non potest de comprehensione episcoporum sub hac lege, sive agatur de iis, qui simpliciter ad episcopatum electi sunt, sive etiam confirmati per Papam in Consistorio, sive confirmati, & consecrati insimul, immo & solii Pontificii
19 assistentes, & ita contra dictum ecclesiasticum in Congregatione particulari per Sanctissimum deputata judicatum fuit, prout apparet ex sententia prolata *die* 28. *Maji* 1734., in qua pronunciatum fuit ipsum ob incursas pœnas constitutionis Clementinæ præbenda ipso facto privatum fuisse, & in sequelam literas Apostolicas D. Joannis Gerardi de Preitz impetrantis esse exequendas, deinde *sub die* 15 *Maji* 1736. per signaturam gratiæ cum clausula sine præjudicio rei judicatæ, & remoto sequestro causa commissa fuit, iterumq. proposita *sub die* 25. *Septemb. d. anni* stetit in decisis, prout extant in hac causa jura hinc inde impressa;

20 Mirum quod in hac re Romæ, & Leodii dubitatum fuerit de comprehensione episcoporum sub Constitutione Clementis, quæ de iis, qui episcopali dignitate decorati sunt, literaliter mentionem facit.

21 Quo vero attinet ad tertium dubium, illud necessario præmittendum est, quod Papa in hac constitutione ad effectum incurrendi pœnam privationis præbendæ præsbiteralis loquitur per verba copulativa ibi: *Elapso vero termino sex mensium hujusmodi illum, aut illos, quem, seu quos constiterit sese ad præfatam residentiam non contulisse, & penes eamdem majorem ecclesiam non resedisse, missasque conventuales, & alia onera dd. sex canonicatibus, & præbendis, ut præfertur, incumbentia præfata non ad implevisse, privationis de his canonicatibus, & præbendis pœnam statim, ipso facto, absq. alia declaratione, & sine ullo Judicis ministerio respective incurrere, ipsosque canonicatus, et præbendas verè, & de facto post terminum præfatum per privationem eamdem omnino vacare volu-*
22 *mus, & decernimus*. Ex quo sane loquendi modo juridicè inferri potest, quod quando plura exprimuntur, ut Papa facilius inducatur ad gratiam concedendam, omnia justificatione indigent *juxta opinionem Ægidii Bellamer. in cap. inter cæteras n.4.5. de rescript Item in decis. 4. in fin. eodem tit., & decis.734. per tot.*, quod etiam habetur *in decis.152. n.2. part.1. recent.*

23 Quod fortius procedit, si plura exprimantur ad aggravandam personam possessoris, & agitur non solum ad effectum privationis, sed etiam adjudicationis beneficii, tunc enim omnia justificanda sunt *cap. olim ibique Gloss. in verbo ad omnia, Abbas ibidem num.3. de rescript. Rot. d. decis.132. part.1. recent.*, & ita fuit resolutum *in Oscen. Archidiaconatus 19. Octobris 1601. coram Illustrissimo Lancellott.*

24 Præterea juxta hanc opinionem probandum est ex parte impetrantis, quod provisus de canonicatu, seu præbenda sacerdotali ad residentiam non se contulerit, quodque pœnes majorem ecclesiam Leodii non resederit, quodque demum missas conventuales, & alia onera non impleverit, ut gratia obtenta ob privationem de jure sit exequibilis, quod
25 patet, quoniam dictio *&* toties in dicta Constitutione repetita copulat, ac conjungit

Natu

Natta conſ.573. num.14. Attolin. reſolut.34.
num.7. Menoch. conſ.106. num.292., & con-
ſil.179. num. 11. lib.2. Rot. deciſ.236. n.17.
part.7. recent. deciſ.262. num. 10. coram Bich.
deciſ.12. num.9. verſ. & copulatorum coram
Merlin.
26 Accedit, quod ubi plures defectus expri-
muntur, non ſufficit defectus unius, ſed
omnes concludenter probandi ſunt ex ea ra-
tione, quia pæna pro toto imponitur, non
pro parte, alioquin inſligeretur integra pæ-
na pro culpa partiali, quod repugnat menti
Pontificis, qui omnes defectus æqualiter co-
pulavit, ut idem ſit de uno, ac de altero ex
27 copulatis; Et ita ad incurrendam pænam
concurſus copulatorum de jure requiritur
per text. expreſſ. in l. ſi hæredi ff. de condit.
inſtit. Ancharan. quæſt.familiar.lib.1.quæſt.9.
num.6. Cephal. conſ.132. num.1. lib. 1.,Decius
conſ.89. num.2. verſ.unde patet, Card. Pariſ.
conſ.95. num.6. 7. lib.1. Valenzuela conſ.169.
num.128. verſ.copulativa autem tom.2.Roma-
nus conſ.166. num.4., Surd. conſ.207. num.7.
& deciſ.291. num.12. verſ. ſed utrumque,
Oſaſc.deciſ.71. num.66., deciſ.297. num.13.
coram Burato., præſertim in pænalibus, in
quibus ſtrictè, & rigorosè proceditur; quod
28 forte ſecus eſſet, ſi ageretur de re ſavorabi-
li, *ut diſtinguunt Roland. à Valle conſ.99.*
num. 5. lib. 4., Surd. d. conſ. 207. num. 17.
verſ. addo, Oſaſc. d. deciſ.71. num.66. verſ.ad-
dens, Soccin. conſ.33. num.5. verſ. confirma-
tur iſta concluſio lib.3.
29 At contra hanc opinionem militat altera,
quæ non minoribus innititur fundamentis,
quoniam, ubi plura narrantur, quorum unum
ſufficit ad gratiam impetrandam, eo proba-
to, gratia ſubſiſtit, licet alia non verificen-
tur, & falſa exiſtant *Gloſſa in cap. ex parte*
verſ. & perpetuo, ibique Felin. num. 23.,
Ripa num.58. de reſcript. Egidius deciſ.280.,
Puteus deciſ.187. lib.1. deciſ.69. lib.2., Rot.
deciſ.7. de reſcript. in novis, & alibi fre-
quenter. Idcirco juxta hanc opinionem ſuf-
ficit ex parte impetrantia alterum probari,
licet Conſtitutio Apoſtolica copulativè loqua-
30 tur; & ratio eſt, quia conjuncta reſolvitur
in disjunctam, quando idem reſultat effectus,
& ſufficit unum verificari *l. ſæpe ibique Al-*
ciat. l. conjunctionem ff. de verbor. ſignif. Bel-
lamer. deciſ.734. num.1. Gonzalez ad reg.8.
Cancell. Gloſſ.3. num.14.
31 Quid ergo in hac re? Reſpondeo mentem
Pontificis eam fuiſſe, ut reſidentia requira-
tur pro adimplendis oneribus miſſarum con-
ventualium, idcirco ſi reſidens non implet
onera ſibi injuncta juxta formam Apoſtolicæ
Conſtitutionis, incidit in pænam illius; &
32 ratio clara eſt, quia ubi plura tendunt ad
eumdem finem, qui deliquit in uno, factus eſt
omnium reus, & committitur pæna *cap. final.*
de pæniten. diſtinct.5. Bald.conſ.64. in fin.lib.1.
Alexand. conſ.113. num.22. lib.4., Angel.de
Peruſio conſ.60. num.2. ibi = Quia utrumque
inobedientia eſt, merito cuique parti obliga-
tionis non ſatisfacias &c. pæna committitur
Card. Tuſchus litera C. concluſ. 1035. n.12.
ibi = quia ille, qui legem obſervare debet,
ſi in uno deliquit, fit omnium reus, Barboſ.
axiom. jur. 59. Rot. deciſ.234. num.33. coram
Bich. deciſ. 134. num. 4. coram Ottobon.,
33 alioquin ſola reſidentia materialis in eccle-
ſia majori Leodienſi abſque implemento one-
rum ſufficeret ad evitandam pænam juris,
34 quod repugnat. Sane reſidentia volita fuit
non propter ſe, ſed uti medium ordinatum
ad certum finem principaliter à Conſtitutio-
ne volitum, hoc eſt ſervitium altaris, can-
tum miſſarum, & adimplementum cætero-
rum onerum, idcirco cum vis legis, & præ-
cepti ſiſtat in hoc, ſola materialis reſidentia
35 non excuſat à pæna; immo, qui materiali-
ter tantum reſidet, & formaliter non adim-
plet, temere legem eludit, & contemnit,
ut bene probat Ruin. conſ.112. num 9. lib.5.
Roman. conſ.104. num.4., Lotter. de re beneſ.
lib.3. quæſt.27. num.1. cum ſeqq., Rot. de-
ciſ.607. num.8. part.18. recen. tom.2., deciſ.82.
num.8. 9. coram Anſald.
36 His additur clauſula *reſpectivè*, quæ in
Conſtitutione adjecta privationem præbendæ
importat in quolibet caſu contra omnes, qui
deficiunt vel in reſidentia, vel in cantu, vel
in cæteris oneribus juxta præſcripta ſub præ-
37 cepto affirmativo adimplendis. Ea enim eſt
hujus clauſulæ vis, ut ſingula ſingulis, &
congrua congruis referantur *Altograd.*
conſ.60. num.6. lib.1. Rot. deciſ.581. num.3.
coram Cavaler., deciſ. 182. num.2. part. 6.
recent., & ſic excluditur ratio copulato-
rum.
38 Denique finis hujus Conſtitutionis fuit
cultus divinus, & celebratio functionum
præsbiteralium in eccleſia majori Leodienſi,
qui quidem finis non habetur per reſiden-
tem, ſi onera non impleat, ſicuti per non re-
ſidentem, qui ea implere non poteſt.
39 Ergo utrobique poſt lapſum ſex menſium
inchoandum à die intimationis factæ à Capi-
tulo d. eccleſiæ vacat ipſo jure præbenda vel
in Curia, vel extra, & quidem in Curia, ſi
pæna commiſſa ſit in menſe Apoſtolico, ex-
40 tra ſi in menſe Ordinarii; ubi enim commit-
titur pæna, ibi dicitur vacare beneficium
cap. licet canon, cap. cum ex eo, cap. commiſ-
ſa de elect. in 6., & literaliter ſancitur *in*
Conſtitutione Clementis, Rot. deciſ.35. alias
86. de præben. in antiq., & ita deciſum fuit
in Leodien. Canonicatus die 28. Maii 1734.
contra ſupradictum eccleſiaſticum, prout con-
ſtat ex dictis.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 PEnsio potest reservari ab Episcopo, & Capitulo super præbenda, vel fructibus massæ communis cum onere cantus, & servitii altaris, ubi de ratione.
2 Præbenda onere missarum gravari potest, item pensio ibidem.
3 Pensio, & præbenda parum differunt.
4 In reservatione pensionis potest adiici pænâ latæ sententiæ in casu non adimplementi, & quare.
5 Quando à jure conceditur facultas aliquid faciendi, omne id censetur concessum, sine quo actus explicari non potest.
6 Pensio ob non implementum onerum intra certum tempus à Capitulo intimandum vacat, & extinguitur.
7 Dictio *statim*, *ipso facto*, *absque declaratione*, *&* *sine ullo Judicis ministerio* sunt latæ sententiæ.

1 PRaxis ecclesiæ est posse Episcopum, &
Capitulum super præbenda, vel fructi-
bus massæ communis pensionem ecclesiasti-
cam reservare uni, vel pluribus Canonicis
ejusdem ecclesiæ cum onere cantus, servitii
altaris cum similibus. Etenim quandoque
utilitas, quandoque necessitas ecclesiæ exi-
git, ut ita fiat *DD. in cap. cum M ferrarien-
sis de Constit.*, *Clementina* 1. §. *eadem*, *ibi-
que Glossa*, *&* *Vitalin. num.*6. *de supplen.
neglig. Prælat.*, *Gambar. de offic. & potest.
legat. lib.*6. *tit. de pens. num.*129 *cum seqq.*,
præsertim in ecclesiis cathedralibus, & col-
legiatis, in quibus archidiaconi, decani,
præpositi, & cæteri canonici more Senato-
rum cum cappa, aliisque insignibus intersunt
functionibus ecclesiasticis.
2 Probatur hoc à simili, quoniam sicuti præ-
benda onere missæ, ad quod præbendarius
non tenebatur, potest gravari, ut deciditur
in cap. significatum de præben, & exemplum
sex præbendarum ecclesiæ majoris Leodiensis
id evidenter ostendit, ita in pensione sic re-
3 servata idem onus imponi potest; pensio enim
parum differt à præbenda *Abbas in cap. ad
audientiam il* 2. *in* 1. *not.*, *ibique Felin in
princip. de rescript. Gigas de pens. quæst.*28.
*num.*1.
4 Sed numquid in pensione, ut supra, reser-
vata adiici potest ab Episcopo, & Capitulo
pæna latæ sententiæ in casu non adimplemen-
ti? Respondeo posse; qui enim habet facul-
tatem reservandi pensionem ex causa publi-
cæ utilitatis, potest etiam super pensione
legem adiicere *ad text. in l. ob res ff. de pact.
dotal. ibi = legem enim rei suæ dicit*.
5 Deinde quoties à jure conceditur facultas
aliquid faciendi, omne id intelligitur con-
cessum, sine quo actus explicari non potest
*l.*2. *ff. de jurisd. omn. judic. l.*3 §. *qui habet*,
*ibique rubrica & Glossa marginalis ff. de ser-
vit. præd. rust.* ubi habetur, quod cui conce-
ditur antecedens, conceditur etiam conse-
quens cum illo connexum, plenè *Bald. in
l. quamvis Cod. de fideic.*; Jurisdictio enim
sine coercitione subsistere non potest *Gloss. in
l. magistratibus in fin. ff. de jurisdict. omn.
6 jud.* Præterea ob non implementum onerum
intra certum terminum in reservatione adje-
ctum, vel a Capitulo intimandum ad for-
mam statuti editi ab Episcopo, & Capitulo,
pensionem vacare, & extingui ambigendum
7 non est, ita enim important dictio *statim*,
ipso facto, *absque declaratione*, *& sine ullo
Judicis ministerio*, quæ sine dubio sunt latæ
sententiæ, & penitus perimunt jus pensionis
*Glossa in cap. quam sit vers. eo ipso de elect.
in* 6., *Glossa in Clementina* 1. *vers. eo ipso de
vit. & honest. clericor.*, quod etiam literali-
ter sancitur *in Constitutione Clementis XII.
de qua supra*, *Roman. cons.*427. *num.*9., *&
alibi sæpe*.

ARGUMENTUM.

DE vacatione per obitum collatoris, qui ad beneplacitum Beneficia, ac Pensiones confert *ad ornatum Text. in cap. si gratiose de rescript. in* 6.

SUMMARIUM.

1 REgulariter Papa beneficia confert ad vitam beneficiati.
2 Institutiones beneficiariæ inter actus legitimos adscribuntur.
3 Ecclesia filios perpetuos, non temporales agnoscit.
4 Papa interdum beneficia confert *ad beneplacitum*.
5 Triplici modo Papa confert beneficia. *vel ad beneplacitum suum*, *vel Sedis Apostolicæ*, *vel ad arbitrium suæ sanctitatis*.
6 Primo casu vacant ipso jure beneficia per obitum Papæ, secus secundo casu ubi ratio disparitatis.
7 Concessio feudi *ad beneplacitum Principis* per ejus obitum expirat.
8 Hæc distinctio locum habet in pluribus beneficiis *ad beneplacitum* obtentis, ubi explicatur.
9 Ampliatur distinctio in officiis, & commendis ecclesiasticis, ubi differentia quoad modum vacationis.
10 Clericus potest eligi ad officium sacristæ arbitrio episcopi.
11 Tertio casu quæstio pendet ex circumstantiis, & distinctione resolvitur.
12 Limitatur conclusio quoad primam partem, ubi res respicit favorem publicum, ubi exemplum officialis deputati ab episcopo ad arbitrium suum.
13 Officium Vicarii Generalis indistincte vacat per obitum episcopi; Item officium Datarii per obitum Papæ.

14 Of-

14 Officium concessum à Principe *ad beneplacitum* est perpetuum, ubi de ratione. 15.
16 Precarium non expirat per mortem concedentis, nisi ab hærede revocetur.
17 Gratia simpliciter concessa non expirat morte concedentis, secus in provisione beneficii concepta ad beneplacitum Papæ. 18.
19 Beneficium *ad beneplacitum* vacat per obitum conferentis.
20 Papa potest conferre beneficium ad tempus. quo elapso ipso jure vacat præter obitum collatarii.
21 Beneficium *Ad beneplacitum Papa* collatum potest esse perpetuum.
22 Plura officia extant in ecclesia, quæ dati solent ab episcopis ad eorum beneplacitum, sicut non pauca extant in Cancellaria, ubi quod vacant per obitum concedentis.
23 An gratia concessa à Papa ad beneficium vacaturum, re integra, morte concedentis expiret, distinguitur. 24 subdistinguitur 25.

C A P U T L X I V.



ROmanus Pontifex beneficiorum auctor, & administrator regulariter beneficia ecclesiastica in perpetuum, seu ad vitam beneficiati solet conferre, quod & docet praxis, & exigit natura ipsorum beneficiorum, quæ ex antiqua ecclesiæ ordinatione perpetua sunt *canon. præcepta distinct.55. canon. sanctorum distinct.70. cap. penultimo, ibique Gloss. versic. coadjutorem*
2 *de cleric. ægrotan.*; Ac etiam quia institutiones beneficiariæ adscribuntur inter actus legitimos, qui non recipiunt diem, neque conditionem *l. actus legitimi ff. de regul. jur.*
3 *cap actus eodem tit. in 6.*. Demum quia ecclesia filios perpetuos, sed non temporales consuevit agnoscere, quod moribus deinde comprobatum est *ex l. quæsitum ff. de ado-*
4 *ption.*. Quandoque tamen ex motivis politicis, & prudentialibus plura beneficia ad beneplacitum clericis contulit *per Text. in cap. si gratiose de rescript. in 6.*. Unde propterea, quomodo vacent beneficia sic collata, nunc inquirendum est.

5 Triplex itaque potest fieri juris disquisitio, primo, ubi Papa confert beneficium *ad beneplacitum suum*, secundo, ubi collatio concipitur *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*; Tertio, ubi Papa se refert *ad arbitrium suæ sanctitatis, vel ad beneplacitum Romani Pontificis, aliisque similibus clausulis*, quæ in provisionibus unius, vel plurium beneficiorum
6 quandoque adjiciuntur, licet raro. Primo casu vacat ipso jure beneficium, quia beneplacitum Papæ per ejus obitum expirat, secus secundo casu, quoniam sicuti Sedes Apostolica nunquam moritur, ita opus est, ut successor hujusmodi collationem revocet pro effectu vacationis beneficii *cap. si gratiose, ibique Geminian. Franch., & cæteri antiquiores Barbos. num.2. de rescript. in 6. Felin. in cap. ex literis num.9. in fin. de constitut. adden. ad Bart. in l. si Pater ff. de manumiss. vindict. late Gonzal. ad regul.8. Cancell. Gloss.12. per tot.*. Et hujusmodi distinctio
7 jure civili etiam recepta est, quoniam concessio feudi concepta ad beneplacitum suæ Celsitudinis per obitum Principis expirat, *tradunt Bartol., & communiter civilistæ in l. centesimis §. final. num.9 ff. de verbor. obligat. Menoch. de arbitrar. quæst.69. num.2. lib.1. Fab. Anna cons.14. per tot.*

8 Ulterius hæc distinctio non solum locum habet in collatione unius, sed etiam plurium beneficiorum, non enim vis stat, an gratia beneficii sit favorabilis, seu potius exorbitans, & odiosa, prout sine dubio est provisio plurium beneficiorum incompatibilium, sed totum pendet à voluntate Papæ, quomodo nempe provisio Apostolica concepta sit. Sane sicuti clausula *ad beneplacitum suum* præsefert collationem beneficii esse temporariam, & in sequelam per obitum conferentis beneficium vacare ex ratione jam dicta, ita clausula *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ* importat collationem beneficii in se esse perpetuam, nisi successor eam revocaverit. Porro si vacat beneficium, ubi gratia est favorabilis, multo magis, ubi est odiosa, & exorbitans *cap. si gratiose de rescript. in 6.*

9 Ampliatur distinctio in officiis, & commendis ecclesiasticis, seu laicalibus ex rationis identitate, quæ militat in provisione beneficiorum, cum hac tamen differentia, quod beneficia collata *ad beneplacitum Papæ* vacant de facto, & de jure simul; officia vero & commendæ vacant de facto tantum; E contra, ubi provisio concepta est *ad beneplacitum Sedis*, vacant beneficia, officia, & commendæ per revocationem factam à successore, cum distinctione tamen vacationis vel de jure, vel de facto, ut supra, ita per revocationem
10 vacat officium sacristæ, si clericus electus, seu deputatus sit arbitrio episcopi *l. jurisperitos ff. de excusat. Tutor. Rot. decis.96. per tot. cor. Carill.*

11 Tertio demum casu quæstio facti est potius, quam juris, & ex facti circumstantiis, aliisque conjecturis decidenda est, quoniam, si Papa se retulit ad suam personam, beneficium per ejus obitum ipso jure vacat, perinde a si de beneficio providisset cum clausula *ad beneplacitum suum*, secus ubi respectum habuit ad dignitatem, tunc enim non vacat, nisi successor collationem prædecessoris revocet, quod idem est, acsi beneficium contulisset *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*, ita distingunt *Geminian. in d. cap. si gratiose, ibique Passerin de rescript. in 6. Gonzal. ad regul.8. Cancell. d. cap.12. num.27.*

12 Limitatur conclusio quoad primam partem distinctionis, ubi gratia respicit favorem publicum, quod exemplificatur in officiali deputato ab episcopo ad arbitrium suum, hoc casu per obitum episcopi arbitrium non ex-

pirat, quod exigit utilitas publica, quoniam cessante provisione hominis subintrat provisio legis *Bald. in l. meminisse prope fin. versic. quarto, & ultimo quæro ff. de offic. pro consul. Gonzal. ad reg.8. Cancell Gloss.12. num.23. Menoch. de arbitrar. cas.69. n.8. 9. lib.1.* in puncto officialis episcopi *Guttier. quæst. Canonicales quæst.11. n.4. lib.1. Ricc. in prax. resol.65. num.5. resol.347. num.1. juxta venet. impress. anni* 1646., & ita censuit Sac. Congregatio Immunitatis *in una Faventina die* 14. *Januarii* 1727., quod etiam expresse firmat *Passerin. in d. cap. si gratiose num.32. versic. ex quo semper, ubi num.45.* limitat regulam in Vicario Generali, quia unum, & idem Tribunal cum episcopo facit. Quod nullam admittit dubitationem, nam
13 officium Vicarii Generalis vacat per obitum episcopi, sive deputatio facta sit ad arbitrium suum, vel Tribunalis, sive etiam simpliciter, *l. more majorum ff. de jurid. omn. judic. cap.2. de consuetud. in 6. Sbrozz. de offic. vicar. quæst 55. num.5. lib.2. Barbosa ad Tridentin. sess.24 de reformat. cap.16. in fin.* eo modo, quo per obitum Papæ expirat officium Datarii *ex constitut. Pii IV. 63. §. 11.*

14 Hæc tamen non procedunt in officio concesso à Principe, quia officialis ad beneplacitum Principis dicitur perpetuus *Gloss. marginal. in l. jurisperitos, ibique Bart. ff. de excusat. Tutor. Jacob. Rebuff. in l. Curiales*
15 *C. de decurion. lib.10.*, & ea est ratio distinctionis, quia officium, quod respicit utilitatem publicam, semper durat, cum perseveret etiam causa, cujus occasione collatum est, & illud exerceri oportet, *ut notatur in d. l. jurisperitos*, secus autem, ubi officium morte Principis extinguitur, quoniam respicit illius particulare servitium, quod mortuo Principe pariter expirat, ut in Datario, Auditore Papæ, & aliis similibus.

16 Nec movet, quod precarium expiret per obitum ejus, cui concessum est, non morte concedentis *cap. ultimo de precar. l. cum precario ff. precar.*, hoc enim procedit in precario simpliciter concesso, & hoc casu verum est precarium morte concedentis non expirare, *ita habetur in d. l. cum precario ff. precar.*, *& in cap.2. de precariis, ibi = precarium conceditur, quandiu patitur, qui concessit =*; Quæ sane verba aliud non sonant, nisi quod concedens, vel ejus successor precarium possit revocare, quod facile admittimus, & ita jura jam dicta loquuntur. Item
17 gratia simpliciter concessa regulariter non expirat morte concedentis *cap. si super gratia de offic. Judic. delegat. in 6. cap. si cui nulla, ibique Gloss. de præben. in 6. Gabriel. de pension. quæst 91. num.1. cum seqq.*, ergo idem
18 dicendum est in precario simpliciter concesso, secus ubi provisio beneficii concepta est *ad beneplacitum Papæ*, & ratio est, quia Papa defunctus non est amplius talis, ideoque beneficium tandiu durat in collatario, quandiu collator vivit, quo defuncto, collatio expirat, & vacat beneficium *ex ratione Text. in cap si gratiose de rescript. in 6. l.4. ibique Bart. ff. de locat.*

19 Multo minus urget, quod beneficium vacet per obitum conferentis, quod repugnare videtur juris dispositioni, quæ vacationem beneficii ex persona collatarii regulariter metitur; hoc enim provenit ex natura beneplaciti, quod per obitum conferentis expirat. Sane si Papa potest concedere beneficium *ad beneplacitum suum*, provisus non habet, nisi jus beneficii, quod sub hac clausula continetur, ergo si beneplacitum morte concedentis expirat, in sequelam etiam beneficium vacare
20 censetur. Item Papa potest conferre beneficium ad certum tempus, quo elapso, beneficium iterum vacat præter obitum collatarii, ergo non repugnat, quod nova inducatur vacatio etiam per obitum conferentis. Dein-
21 de beneficium ad beneplacitum Papæ collatum potest esse perpetuum, & tunc fit, ubi collatarius decedit ante ipsum conferentem, jus enim, quod in beneficio provisus obtinuit, per ejus obitum extinguitur, & sic morte collatarii vere beneficium vacat, exemplo beneficii manualis, quod in se perpetuum est, & vacat morte provisi, nisi collatio revocetur, quod pendet ad nutum conferentis, ut mox dicam, ita à pari.

22 Plura demum sunt officia in ecclesia, quæ dantur, seu dari solent ab Episcopis ad eorum beneplacitum, sicuti non pauca extant in Cancellaria, quibus clericos, aut laicos deputat Cardinalis Vice-Cancellarius ad ejus arbitrium, ut videri potest ex literis patentibus, quæ in Cancellaria expediuntur, idcirco per ejus obitum hujusmodi officia ipso jure vacant, prout beneficia, quæ à Papa ad suum beneplacitum conferuntur *cap. si gratiose de rescript in 6 cum cæteris fusius relatis per Gonzal. ad regul.8. Cancell. Gloss.12. per tot.*

23 Hinc ad nostrum propositum grave oritur dubium, quod omitti non potest, an scilicet gratia concessa à Papa ab beneficium vacaturum, re integra morte conferentis expiret? Olim inter practicos beneficialistas in Rota, & extra id acriter, & diù fuit disputatum, sed breviter cum distinctione resolvitur. Aut
24 agitur de gratia ad beneficium vacaturum cum clausula *nunc pro tunc*, hoc casu, quia gratia jam facta est, per obitum concedentis non expirat *per text. in cap. si super gratia de offic. judic. delegat. in 6.*, & hic est casus Rotæ *decis.* 192., *&* 195. *cor. Pen.* Aut vero agitur de gratia facienda, seu, quod idem est, de
25 simplici mandato de providendo, tunc subdistinguendum est, aut obitus concedentia supervenit re integra, antequam nempe eveniret casus vacationis, & acceptationis beneficii ex parte habentis mandatum, hoc casu gratia per obitum concedentis expirat *per alium text. in cap. si cui nulla §. Secus de præben. in 6.*; Aut mors concedentis obvenit re non integra nempe post acceptationem beneficii jam vacantis factam coram capitulo, seu

exce-

executore, tunc secus, & ratio est, quia per acceptationem quæsitum est jus in beneficio, quod per obitum concedentis non tollitur *cap. si tibi absenti de præben. in 6.*, potissimum si ultra acceptationem concurrat præsentatio expectativæ facta coram executore, qui prævjis citationibus processum fulminavit, cum similibus, tunc enim sicuti perpetuatur jurisdictio Judicis delegati *cap. relatum cap. licet de offic. judic. delegat. cap. si delegatus eod. tit. in 6. l. & quia ff. de jurisdict. omn. judic.*, ita jus habentis mandatum de providendo intactum remanet *Rot. decis. 192. num. 10. cum seqq. cor. Pen.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 PEnsio potest concedi, seu reservari *ad beneplacitum Episcopi*, ubi quod talis pensio nihil differt à precario.
2 Precarium expirat per revocationem, & pensio extinguitur.
3 Successor in episcopatu potest revocare pensionem laicalem reservatam ab antecessore super redditibus episcopatus.
4 Pensio clericalis, seu laicalis recipit diem, & conditionem, & potest revocari, ubi declaratur.
5 Successor in principatu non tenetur solvere pensiones ab antecessore reservatas *ad ejus beneplacitum*, idem in pensionibus pontificis, ubi distinguitur.
6 Pensio extinguitur de jure aliter, quàm per mortem pensionarii, ubi exemplificatur.
7 Pensio reservata à Papa collegio *ad beneplacitum suum* causa studiorum per obitum Papæ non extinguitur.
8 Causa studiorum habet quædam singularia.
9 Ubi concurrit favor publicus, *beneplacitum Principis* non expirat.
10 Pensio cessante causa extinguitur.
11 Indultum cessante causa studii expirat, & vacat.
12 Scholaris præbendatus, qui studiis non vacat, non gaudet privilegio percipiendi fructus præbendæ, ubi de ratione num. 13.

1 TAlis repugnantia non est in pensionibus
à Papa, seu ab Ordinario *ad eorum beneplacitum* reservatis, prout militat in beneficiis ecclesiasticis; Sicuti enim usufructus potest concedi *ad beneplacitum proprietarii*, ita & pensio ad beneplacitum reservantis; Deinde pensio reservata ad beneplacitum nihil differt à precario, seu commodato, quod tandiu durat, quandiu is, qui concessit, patitur, & sub hac conditione, nisi aliud velit dominus, precarium concessum censetur *l. 1. ff. precar. cap. 2. de preca-*
2 *riis*. Unde sicuti per revocationem expirat
precarium, ita per revocationem extinguitur pensio *cap. si gratiosè, ibique Gloss. de*
3 *rescript. in 6. Oltrad. cons. 226.*, ubi firmat
pensionem reservatam laico ab Episcopo super redditibus Episcopatus etiam de tacito, seu expresso capituli assensu posse à successore revocari ex rationibus ibidem adductis.
4 Idque multo magis procedit in pensionibus laicalibus, quæ ad instar rerum indifferentium recipiunt diem, & conditionem, & de jure reservari possunt ab Episcopo ad beneplacitum cum facultate revocandi expresse, vel tacitè; Et quidem expresse, ubi Episcopus pensionem revocat; tacitè, ubi Episco-
5 pus moritur ex juribus jam dictis. Quod &
praxis docet in pensionibus, quæ dantur ministris *ad beneplacitum Principis*, Successor enim Regni, seu Principatus pensiones sub hac clausula reservatas persolvere non tenetur, idque etiam habemus in pensionibus, quæ à Camera Apostolica *ad Papæ beneplacitum* solvuntur, eo enim ipso, quod Papa moritur, cessant; E' contra si reservatæ sint super redditibus Cameræ Apostolicæ, seu Regiæ, per obitum Papæ, seu Principis non extinguntur, nisi aliud velit successor *cap. si gratiosè de rescript. in 6.*

6 Id novum in jure non est, quod pensio aliter, quam per mortem pensionarii extinguatur, de jure enim satis cautum est, ut pensione gravari possit beneficiatus, *prout expressè habetur in cap. nisi essent de præben.*, quo casu pensio non per obitum pensionarii, sed morte beneficiati extinguitur, *ut notat Abb. in d. cap. nisi essent num. 2. ubi DD. de præben.*
7 Quid ergo, si pensio à Papa ad beneplacitum causa studiorum reservata sit favore Collegii? Respondeo non extingui, quoniam
8 causa studiorum habet quædam singularia,
quæ non ita facile perimuntur, prout est scientia legum, & canonum, aliarumque artium liberalium, quæ necessariæ sunt ad gubernandam Rempublicam *§. final. in proemio Institutionum l. unic. ibique Gloss. in fin. C. de studiis liberalib. Urb. Romæ lib. 11. Bart. in*
9 *l. 1. num. 30. ff. de solut. matrim.* Et facit ad
hoc, quod ubi concurrit favor publicus, *beneplacitum Principis* non expirat *Gloss. marginal. in l. jurisperitos ff. de excusat. tutor.*, licet, ut jam dixi, possit à successore revo-
10 cari, præsertim si cessaverit causa, pro qua
talis pensio reservata fuit *ad tradita per Bart. Castren., Fulgos., Salycet. in l. qui sub prætextu Cod. de sacrosanct. eccles.*, ubi quod
11 cessante causa studii, indultum, quod ejus
causa concessum est, expirat, & vacat *Abbas in cap. 2. num 30. de judic., Anchearan. in proem. decretal. 6. column. 2. vers. 4.*, quod dicit *Alberic. in l. in ambigua ff. de leg.*,
12 ubi quod scholaris præbendatus, qui studiis
non vacat, non gaudet privilegio percipiendi fructus præbendæ eidem contemplatione
13 studiorum assignatos; Et ratio solida est,
quia privilegia concessa militibus, scholaribus, & collegiis tamdiù durant, quamdiù in illis quis se exercet *l. semper ff. de jur. immunitat. ibi = Quamdiù in hujusmodi actu sunt*,

sunt, *l. 6. §. gentium*, *l. geometræ ff. de excusat.*, *l. exactores*, *ibique Gloss. Cod. de excusat. tut.*, *l. ne quidam Cod. de testam. milit.*, *l. qui sub prætextu Cod. de sacrosanct. eccles. ibi* = *Cum id munus non impleant*, *Bart. in l. scriniarios Cod. de testam. milit. ubi Bald.*, *Castren.*, *& alii recentiores*.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, ac Pensionis per lapsum temporis limitati *ad ornatum Gloss. in Canon. Pastoralis versic. gubernare 7. quæst. 1.*

SUMMARIUM.

1 PApa potest clericos de beneficiis providere ad certum tempus, sub conditione, & quovis alio modo, ubi quod, elapso tempore, beneficium ipso jure vacat, item vacat resoluta conditione 2.

3 Differentia inter conditionem resolutivam, & suspensivam quoad vacationem beneficii.

4 Episcopi prohibentur conferre beneficia ad certum tempus, vel sub conditione, ubi rationes,

5 Beneficium collatum ab Episcopo ad certum tempus ipso jure vacat, & potest impetrari, ubi quod hæc est impropria vacatio 6.

7 Episcopi regulariter conferunt beneficia juxta dispositionem juris.

8 Papa potest beneficium infanti conferre, item potest infantem in commendatarium, & administratorem archiepiscopatus eligere, & ad Cardinalatum promovere.

9 Creatio *Ferdinandi ab austria Infantis* ad Cardinalatum.

10 Creatio *Ludovici Borbonii Infantis* ad Cardinalatum, & Archiepiscopatum Toletanum.

11 Papa in his, quæ juris positivi sunt, habet summam auctoritatem, ubi quod infantes regios, quos promovet, aut dignos invenit, aut dignos facit.

12 Dignitas ecclesiæ filiis Regum etiam Infantibus debetur.

13 Filii Regum cum hac dignitate quodammodo nascuntur, ubi de ratione.

14 Reges terræ tributum, & censum accipiunt ab alienis non à suis.

15 Filii Regum non tenentur legibus civilibus, & canonicis pro obtinendis dignitatibus ecclesiasticis.

16 Filii Regum possunt habere plura beneficia.

17 Qui liber est à tributis, censibus, & legibus, libere potest, & absque dispensatione promoveri ad quamcumque dignitatem ecclesiæ, ubi declaratur.

18 Creatio, seu promotio *Ludovici Borbonii Infantis* perperam impugnata defenditur.

19 Patronus in erectione beneficii potest apponere conditionem, ut conferatur infanti, ubi quoad hoc de potestate Papæ, & praxi ecclesiæ.

20 Beneficium ab Episcopo infanti collatum, donec legitimam attigerit ætatem, reservatum est.

21 Limita, si conferatur sub conditione obtinendi dispensationem à Papa, ubi rationes.

22 Episcopus officia, quæ sunt communia clericis, laicis potest dare ad certum tempus, & sub conditione.

23 Officia secularia ad annum, & biennium a Principe conferuntur.

24 Limita, si agatur de officiis, quæ solis clericis conferri solent, ubi declaratur.

25 Episcopus potest de jure commendare Ecclesiam Parochialem ad sex menses, & prorogare causa utilitatis, & necessitatis ecclesiæ.

26 Ob non prorogationem commenda ipso jure vacat, item vacat elapso primo semestre, si prorogatio facta sit absque ulla causa, ubi quod beneficium potest impetrari.

27 Commendatarius post lapsum semestris dicitur intrusus.

28 Ecclesiæ Parochiales *ex Tridentino* non possunt dari in commendam, sed per concursum conferendæ sunt.

29 An commenda Ecclesiæ Parochialis concessa ab Episcopo ex causa capiret per obitum commendantis.

30 Precarium morte concedentis non expirat.

31 Ecclesia Parochialis, si ita se habeat loci consuetudo, potest commendari simpliciter, ubi quod non vacat per obitum commendantis.

32 Episcopus potest deputare coadjutorem pro Parocho illiterato, impotenti, seu infirmo ad certum tempus, vel sub conditione,

33 Officium coadjutoris, lapso tempore, seu purificata conditione expirat, ubi declaratur.

34 Coadjutoria expirat, si coadjutor impotens, aut infirmus fiet.

35 Officium œconomi ab Episcopo collatum clerico pro pastore ab infidelibus, seu schismaticis capto, expirat, si pastor pristinam recuperat libertatem, ubi lex cornelia declaratur.

36 Episcopus ecclesiis vacantibus, unum, vel plures ministros sub conditione, vel ad tempus deputat, donec Papa provideat.

37 Deputatio Episcopi statim cessat, si Papa ecclesiam provideat.

38 Auctoritate ordinarii erigi potest beneficium, seu personatus cum facultate concessa primo proviso nominandi sibi successorem usque ad tertiam, vel quartam generationem, ubi vacationis effectus.

39 Hodie ex concordatis Hispaniarum personatus sublati sunt, & merito, ubi de ratione.

CAPUT LXV.



1 QUemadmodum ex plenitudine potestatis potest Papa ad beneplacitum beneficia conferre ex dictis *in cap. antecedenti*, ita potest clericos de beneficiis providere ad certum tempus, sub conditione, & quovis alio modo. Sane valet collatio beneficii ad triennium, seu quinquennium, quo elapso, beneficium ipso jure vacat, quia limitata causa limitatum producit effectum *l. in agris ff. de acquiren. rer. domin. l. cancellaverat ff. de his, quæ testam. delentur*,

2 Item de jure firma, & stabilis est institutio beneficiaria, quæ fit à Papa sub modo, vel sub conditione resolutiva, itaut modo non impleto, vel resoluta conditione, beneficium vacare censeatur ad omnes juris effectus *Gloss. in canon. pastoralis versic. gubernare 7. quæst. 1. Gloss. in cap. si gratiosè versic. a Romano*

*mano Pantifice de rescript. in 6. Glofs. in
cap.1. versic. perpetui in fine de cappell. Mo-
nachor. in 6*

3 Dixi sub conditione resolutiva, quoniam
si collatio sub conditione suspensiva à Papa
facta sit, defecta conditione, beneficium non
vacat, dum vis hujus conditionis ea est, ut
nullum jus tribuat in beneficio, donec purifi-
cetur *cap. si pro te, ibique Glofs. in fin. & Do-
ctores de rescript. in 6. Clementin. 1. de con-
cessione præbendæ Paris. consil. 82. num. 7. lib. 4.
Menoch. cons. 38. n. 15. lib. 1.*

È contra vero Episcopi, aliique Prælati
4 inferiores cum potestate quasi Episcopali be-
neficia ecclesiastica ad certum tempus, sub mo-
do, vel sub conditione conferre prohiben-
tur ex duplici ratione, altera quia moribus
ecclesiæ receptum est filios temporales non
agnoscere *ex l. quæsitum ff. de adoption.*, al-
tera quia actus legitimi diem, & conditio-
nem non recipiunt *cap. actus de regul. jur.
in 6. l. actus ff. eod.*, ideoque collatio benefi-
cii facta ab Episcopo ad certum tempus, sub
modo, vel conditione, nullam habet juris
5 firmitatem, & in pænam Episcopi sic confe-
rentis beneficium ipso jure vacat saltem de
facto, quod inde potest liberè impetrari *Co-
varr. variar. resolut. lib. 3. cap. 16. num. 2.
Garz. de benef. par. 1. cap. 2. num. 71. 79. Gon-
zal. ad regul. 8. Cancell. Gloss. 5 num. 11. & 15.
Cardinal. cons. 58. Cassador. decis. 4. num. 2. de
præben. Buratt. decis. 224. num. 4., decis. 22.
num. 11. in fin. tit. de jurepatr. cor. Falconer.*
6 Hæc tamen est impropria vacatio, cum
potius beneficium vacet, ut prius, per obi-
tum, seu renunciationem primi possessoris.
7 Verum hodie Episcopi, cæterique Prælati
habentes jurisdictionem quasi Episcopalem
in ecclesia, non ad tempus, nec sub modo,
aut conditione, sed ad vitam clericos in be-
neficiis instituunt juxta dispositionem juris,
de qua *Gloss. in cap. penult. de cleric. ægrotan.
can. præcepta distinct. 55. can. sanctorum di-
stinct. 70. Gloss. marginalis in l. hæreditas ff.
de hæred. instit.*
8 Rursus potest Papa beneficium Infanti
conferre nunc pro tunc, & usquequo ad legi-
timam ætatem pervenerit *cap. 2. ubi DD. de
ætat., & qualit.* Item potest infantem in
commendatarium, & administratorem Ar-
chiepiscopatus cum plena jurisdictione elige-
9 re, & ad Cardinalatum promovere, ita
*anno 1619. sub Paulo V. Ferdinandus ab Au-
stria* anno ætatis suæ decimo completo Car-
dinalis renunciatur, & nostris temporibus,
10 videlicet 19. *Decembris anni* 1735. *Ludovi-
cus Borbonius* annorum novem circiter Re-
gius Infans Philippi V. Regis Hispaniarum
invictissimi inter Ecclesiæ Purpuratos *à Cle-
mente XII.* cooptatur, & insuper Archiepi-
scopatus Toletani commendatarius, & ad-
ministrator cum potestate Archiepiscopali
11 designatur; Papa enim in his, quæ juris
positivi sunt, summam habet auctoritatem;
deinde Infantes Regios, quos ad supremas
ecclesiæ dignitates promovet, aut dignos
invenit, aut dignos facit *Gloss. in l. sacrilegii
Cod. de divers. rescript.*; Principis enim est
sublimare *per Text. in l. quoties, ibique
Gloss. marginalis C. ubi senatores, vel cla-
12 rissimi.* Item filiis Regum etiam Infantibus
propter eorum sublimitatem, & generis cla-
ritatem ecclesiæ dignitas debetur, nam Filii
Regum etiam Reges dicuntur, licet Re-
gnum non habeant *Gloss. in can. ultim. 24.
13 quæst. 1.* immo cum hac dignitate quodam-
modo nascuntur, sicut Reges ipsi, uti de-
fensores ecclesiæ Prælati nuncupantur *Ar-
chidiac. in cap grandi de supplen. neglig. Præ-
14 lator. in 6.*, & facit ad id, quod habetur
apud Matthæum in Evangelio *cap. 17. ver-
sic. 24. 25.*, ubi quod Reges Terræ tributum,
& censum ab alienis accipiunt, non à suis,
15 ergo liberi sunt filii, ergo filii Regum etiam
Infantes legibus civilibus non tenentur, sicut
Princeps ipse legibus solutus est *l. Princeps
ff. de legib.*, immo legibus canonicis, & ec-
clesiasticis quandoque eximuntur, *ut in extra-
vaganti execrabilis §. ac Regum filiis de præ-
16 ben.*, ubi quod filii Regum possunt obtinere
plura beneficia, officia, & ministeria eccle-
17 siastica; & justa quidem ratione, quoniam
qui liber est a tributis, & censibus, qui exími-
tur à legibus civilibus, & ecclesiasticis, velut
dispensatione non indiget, sed liberè potest
promoveri ad quamcumque ecclesiæ dignita-
tem, etiam cum jurisdictione, & præemi-
nentia, etiamsi infans sit, dummodo qua-
litate Regia, qui ita promovetur, insignitus sit.
18 Hæc dicta sint pro honore tanti Principis
contra eos, qui tunc temporis existentes in
Curia asserebant id à Papa fieri non posse,
19 quod ridiculum est, nam sicuti patronus in
erectione beneficii potest adiicere conditio-
nem, ut illud conferatur infanti *Lotter. de
re benef. lib. 1. quæst. 32. num. 35.*, ita à for-
tiori potest Papa Infantem Regium inter ec-
clesiasticos Principes adscribere cum potesta-
te jurisdictionis archiepiscopalis, dato ta-
men interim alio Episcopo in coadjutorem
ad tempus, qui nomine infantis Archiepisco-
patum regat, & administret in spiritualibus
juxta praxim ecclesiæ.
20 Hæc sine dubio Episcopo non licent, nam
beneficium, quod ab ipso confertur infanti
donec, & quousque legitimam attigerit
ætatem, reservatum est, ac proinde tanquam
vacans potest libere impetrari *ex regula* 24.
21 *Cancellariæ*, quæ tamen regula locum non
habet, si Episcopus conferat beneficium in-
fanti sub conditione obtinendi dispensatio-
nem à Papa super ætate; Hæc enim est condi-
tio, quæ de jure inest, nempe si Papa super
ætate dispensare velit, prout interdum,
justis de causis, dispensat, quod si renuat,
iterum beneficium ab Episcopo clerico ido-
neo conferendum est, dum conditio honesta,
& possibilis reservationem suspendit, & va-
cationem apud sedem impedit, alioquin ni-
mium durum esset absque culpa privare Epis-
copum potestate conferendi beneficium, quod
spectat ad ejus collationem,

22 Ma-

22 Major tamen potestas est in episcopo quoad officia, quæ sunt communia clericis, & laicis; hæc sane possunt dari ad certum tempus, sub modo, & sub conditione, quia sunt deputationes, quæ ab ejus arbitrio pendent, immo denominantur stipendia ecclesiastica, quæ diem, & conditionem recipiunt, prout contractus *l. hæc venditio ff. de contraben. emption. Rota decis. 25. num. 5. part. 2. rec.*, ubi quod administratio etiam finito tempore administrationis vacare dicitur, ad instar
23 officiorum secularium, quæ à Principe, seu Senatu magnatibus, seu nobilibus Principatus ad annum, seu biennium juxta leges civiles conferuntur *l. meminisse l. proconsul. ff. de offic. proconsul. l. si forte ff. de offic. præsid. l. eum qui ff. de jurisdict. omn. Judic. ibiq. Gloss. in princip. l. fin. ff. de pæn.*

24 Dixi de officiis, quæ communia sunt clericis, & laicis, si enim solis clericis conferantur, idem judicium est, quod de beneficiis ecclesiasticis, quatenus conferantur in titulum & sint perpetua *cap. 1. de consuetud. in 6. Felin. in cap. in nostra n. 9. in fin. de rescript.*, ideoque ad tempus, vel sub conditione, aut modo ab episcopo conferri non possunt, nisi aliud consuetudine receptum sit, vel agatur de officiis temporalibus, & cappellaniis manualibus, tunc enim ad omnes juris effectus vix differunt ab iis officiis, quæ dantur à Principe ad annum, & biennium ex juribus jam dictis.

25 Fortior ratio est in commendis, episcopus enim de jure habet facultatem commendandi ecclesiam parochialem ad sex menses causa utilitatis, & necessitatis ecclesiæ, iterumque eadem urgente causa ad alios sex menses eidem, vel alii clerico commendam potest prorogare, donec, & quousque cesset necessitas ecclesiæ vacantis *cap. nemo deinceps, ibique Gloss. in fin. de elect. in 6.*; ideoque,
26 si episcopus non proroget justis de causis, ut supra, commenda ipso jure vacat, saltem de facto *l. in agris ff. de acquiren. rer. domin.*; item vacat elapso primo semestre, si prorogatio ad aliud facta sit absque ulla causa, ac proinde beneficium potest libere impetrari à Papa, & apprehendi possessio, etiam non
27 citato possessore, quia talis commendatarius dicitur intrusus, cui nulla competit facti, & juris defensio *cap. licet, ibique Gloss. de præben. in 6. cap. 1., ibique Gloss. versic. libere de homicid. cap. fælicis, ibique Gloss. versic. disponant de pæn. in 6.*

28 Nec obstat auctoritas Tridentini *sess. 24. cap. 18.*, ubi quod beneficia parochialia per concursum sunt conferenda; Respondetur enim, quod ubi Concilium receptum non est, integra manet dispositio juris, ubi vero receptum est, forma concursus servanda est, si tamen clerici ad beneficium obtinendum concurrant; verum, ubi desunt clerici concurrentes, arbitrio episcopi remittitur *ex Tridentin. ibidem* ecclesiam providere, Porro ubi collatio in concursu fieri non potest, & extra concursum non est ecclesiæ profutura, utique episcopus potest ecclesiam commendare, donec clericus commendatarius habilis, & idoneus legitimam ætatem attingat, quoniam melius est commendare ecclesiam, ut inde clericus magis idoneus provideatur, quam clerico non idoneo extra concursum conferre.

29 Quæres, an commenda ecclesiæ parochialis facta ex causis, ut supra, expiret per obitum episcopi commendantis; Respondeo, quod non, *Gloss. in cap. nemo deinceps in fin. de elect. in 6.*, quoniam talis commenda nihil differt à commodato, seu precario ad cer-
30 tum tempus, quod morte concedentis non expirat *cap. final. de precariis cap. unic. de commodato Archidiac. in cap. nemo deinceps ubi Interpretes de elect. in 6.*. Item ecclesia
31 parochialis, si ita se habeat loci consuetudo, potest commendari simpliciter, quo casu commenda multo minus vacat per obitum episcopi commendantis *cap. ultim. de precariis l. cum precario §. 1. ff. precar.*, ubi precarium simpliciter concessum morte concedentis non expirat.

32 Ulterius episcopus potest deputare coadjutorem pro parocho illiterato, impotenti, seu infirmo pro obeundis muniis pastoralibus, & hujusmodi deputatio potest fieri ad certum, vel incertum tempus, vel sub conditione, donec coadjutus sufficienti polleat doctrina, aut ad pristinam redeat sanitatem *cap. 1. & cap. final. de cleric. ægrotan.*, late *Fagnan. in cap. consultationibus eod. tit. Triden. sess. 21.*
33 *cap. 6.*, qua conditione purificata officium coadjutoris finitur *l. ambiguitatem C. de usufruct. ibi = siquidem respuerit filius, vel extiterit conditio, usufructum finiri, Gloss. singularis in l. solet vers. quam curator ff. de tutel., Bart. ibidem num. 1.*, & habetur *in cap. cum cessante de appellat. l. generaliter, ibique Gloss. C. de episcop. & cleric.*, licet tutius sit, ut episcopus id declaret, quoties inter coadjutorem, & coadjutum circa purificationem conditionis quæstio emergat ex regula, quod de qua re Judex cognoscit, debet de ea
34 pronunciare *l. de qua re ff. de judic.*. Sicuti etiam ante lapsum temporis, & purificationem conditionis coadjutoria expirat, si impotens, aut infirmus fiat inde coadjutor *Rot. decis. 2217. num. 10. cum seqq. coram Coccin.*

35 Similiter expirat officium æconomi, aut Vicarii ab episcopo collatum clerico pro ea ecclesia, cujus pastor ab infidelibus, seu schismaticis captus fuit, & inde in pristinam redierit libertatem. Nec obstat lex Cornelia, quæ fingit captivum ab initio captivitatis mortuum, hæc enim lex loquitur de successionibus hæreditariis, nec ullo modo locum habet in beneficiis, quæ vacant per mortem naturalem, non autem civilem, nisi in casibus à jure expressis. Cum igitur captivitatis casus comprehensus non sit, utique per captivitatem beneficia non vacant *cap. penult. ibique Geminian. Franch., & alii de supplenda neglig. Prælator. in 6.*, Immo lex Corne-

Cornelia retorquetur, quoniam reversus in patriam recuperat jure postliminii omnia bona, jura, honores, ac præeminentias, acsi ab hostibus captus non esset *l. jure postliminii ff. de captiv. & postlimin. reverf.*, ita clericus ab infidelibus, aut schismaticis captus recuperat beneficium, si in pristinam redeat libertatem *cap. penult. de suplen. neglig. Prælator. in 6. Gloss. in can. Pastoralis 7. quæst. 1. cum plene relatis in cap. 1. num. 28. cum seqq. de vacat per obit.*

36 Item episcopus ecclesiis vacantibus unum, vel plures, prout necessitas exigit, ministros sub conditione, vel ad tempus deputare potest, ut interim ecclesia administretur, donec Papa aliter provideat *cap. cum vos de offic. ordinar. cap. nemo deinceps, ibique Gloss. versic.*

37 *commendare de elect. in 6.*, ideoque deputatio episcopi statim cessat, si Papa interim provideat ecclesiam de aliis ministris, & œconomis, & ratio clara est, quia provisio Papæ facit cessare provisionem episcopi, quæ conditionalis est, & ad certum tempus limitata *cap. 3. de supplen. neglig. Prælat. in 6. ibi: vel per Sedem Apostolicam aliud contigerit ordinari Gloss. & DD. in l. fin. C. de pact. conven.*

38 Demum auctoritate ordinarii erigi potest beneficium, seu personatus cum facultate concessa primo proviso nominandi sibi successorem usque ad tertiam, vel quartam generationem, quibus nominationibus expletis expirat personatus, ac succedit monasterium, seu locus pius juxta legem fundationis; Sane personatus, de quo agitur, quamvis sit erectus ad certum, seu incertum tempus, vere beneficium est, quia in ejus erectione auctoritas ordinarii intervenit, & consequenter vacat per obitum, & renunciationem, per militiam, & solemnem professionem, vacat demum per simoniam, & nominationem successoris, potissimum si ita se habeat localis consuetudo *ut explicat Navarr. cons. 8. n. 17. de jurepatronat. Rot. decis. 379. part. 5. recentior.*

39 Hodie tamen ex concordatis Hispaniarum hujusmodi personatus, quorum usus vigebat in Hispaniis, sublati sunt, & merito, quoniam beneficia non ad tempus, sed in perpetuum titulum de jure sunt erigenda *can. Sanctorum distinct. 70.* & admittitur *in d. dec. 379. par. 5. recen.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Pensio reservata ab episcopo ad triennium, seu quinquennium, eo elapso, extinguitur.
2 Differentia inter beneficia, & pensiones.
3 Pensio potest reservari ab episcopo, donec clericus beneficium assequatur, ubi quod, eo obtento, pensio extinguitur.
4 Non semper valet argumentum de beneficiis ad pensiones, ubi de ratione.
5 Papa potest reservare pensiones ad tempus, ubi exemplificatur.
6 Reservatio pensionis inter actus legitimos non computatur.

1 Dubium non est, quominus episcopus causa studii reservare valeat clerico pensionem ad triennium, seu quinquennium duraturam, quo elapso pensio sine dubio extinguitur *l. in agris ff. de acquiren. rer. domin. l. age Geminiane cod. de transact.*

2 Et quamvis episcopus beneficia ad tempus conferre non possit *can. præcepta distinct. 55. can. quamvis 7. quæst. 1.*, nihilominus id non habet locum in pensionibus, quæ sunt quid

3 mere temporarium, & prophanum; Ita potest ab episcopo reservari pensio, donec clericus beneficium assequatur, quo obtento pensio extinguitur Gambar. *de offic. legati lib. 6. num. 175.*

4 Nec semper valet argumentum de beneficiis ad pensiones, quia pensiones rigorose loquendo beneficia non sunt, deinde episcopus ex causa necessitatis, & utilitatis ecclesiæ potest reservare pensiones ad vitam *Felin. in cap. ad audientiam 2. num. 2. de rescript. Gig. de pensionib. quæst. 6. num. 2. Caccialup. eod. tractat. quæst. 5. & 13. per tot. Tondut. de pension. quæst. 1. num. 1. cum seqq.*; Ergo multo magis id poterit ad tempus, non enim ita gravatur beneficium oneribus temporalibus, prout oneratur pensionibus ad vitam duraturis.

5 Fortius id procedit in Papa, qui illimitatam habet potestatem super beneficiis ecclesiasticis, si enim potest beneficia ad tempus conferre, multo magis pensiones reservare, quod praxis docet in pensionibus reservatis super beneficiis Hispaniarum ad sexennium, quo elapso per decretum cassantur; Idque patet in usufructu, qui ad certum tempus potest relinqui, ita à pari in pensione, quæ usufructui æquiparatur, & ratio est, quia

6 pensionis reservatio inter actus legitimos non computatur, ideoque sub modo, & conditione, & ad certum tempus potest reservari, quo elapso pensionem extingui ambigendum non est *l. uxori ff. de usufruct. legat. ibi: & peracto quinquennio cum usufructus esse desierit*,

ARGUMENTUM.

De vacatione Beneficii, & Pensionis amovibilis, ubi conferens collationem revocavit *ad ornatum Text. in Clementin. 1. de supplen. neglig. Prælator.*

SUMMARIUM.

1 Quæstiones frequentes in curia quoad beneficia secularia, & regularia ad nutum conferentis amovibilia.

2 Beneficia secularia regulariter sunt perpetua, nisi aliud habeatur de consuetudine, vel privilegio, ubi exemplificatur.

3 Beneficia ad nutum amovibilia non differunt à precario.

4 Beneficia patronalia vacant per amotionem, si ita in fundatione cautum sit.

5 Officia ecclesiastica alia sunt perpetua, alia ad nutum amovibilia, ubi effectus vacationis. 6.

7 Cappellanus simplex potest ad placitum patroni ab officio removeri.

8 Officium sacrilæ pendens ad nutum concedentis per revocationem vacat, ubi declaratur.

9 Vicarius Generalis potest quandocumque revocari ab episcopo, ubi quod nonnisi ex causa debet amoveri.

10 Substinetur interim amotio, & per revocationem vicariatus vacat.

11 Patronus indultarius habens jus deputandi Vicarios ad nutum amovibiles potest omnes eodem contextu amovere.

12 Limita propter scandalum, & factiones populares.

13 Multa ad evitandum scandalum à jure permissa sunt.

14 Ad evitandum scandalum gratia Papæ exequi non debet.

15 Prioratus temporalas per amotionem vacant.

16 Beneficium regulare quandoque est collativum, quandoque manuale, ubi applicatur.


17 Beneficium regulare vacat ob amotionem, limita si pluries in titulum clerico collatum sit, ibidem. 18.

19 Non vacat per amotionem vicaria perpetua simpliciter unita monasterio, ubi quod perpetuus vicarius juris ordine servato privandus est. 20.

21 Beneficium, quod dicitur de mensa, non vacat per revocationem, nec potest impetrari ibid.

22 Beneficia secularia, seu regularia, quæ vacant de facto per amotionem, jure devoluto sunt impetranda, ubi declaratur.

CAPUT LXVI.



1 Quæstiones, quæ in hac materia occurrunt, frequentes sunt in Curia, & sæpissimè proponuntur discutiendæ in Tribunalibus ecclesiasticis, & præsertim in Sac. Rotæ Auditorio. Hæ autem versantur circa beneficia, & officia secularia, vel regularia: Et quamvis secularia sint perpetua, regularia sint amovibilia ad nutum conferentis; Nihilominus ex variis fundatorum legibus, & religionum statutis utrobique disputatur de causa amotionis, quæ interdum justa est, & vacat beneficium vel de jure, vel de facto; quandoque est injusta, & beneficium nullo modo vacat. Præterea de his beneficiis, & officiis sermo erit in præsentiarum, ut quisquis canonum peritus sciat, quibus in casibus vacent beneficia, & officia ex hoc capite pro effectibus inde resultantibus.

Quod attinet ad beneficia secularia distinguendum est inter ea, quæ sunt liberæ collationis, & ea, quæ spectant ad nominationem
2 patronorum; Primo casu regulariter beneficia sunt perpetua, & ad vitam provisi conferuntur, unde amotioni, seu revocationi locus non est, nisi aliud ex consuetudine, & privilegio cautum sit; quod propriè contingit in Vicariis, quibus sæpe deputantur clerici ad nutum conferentis amovibiles, *ut habetur in Nullius, seu Provinciæ Hispalen. juris amovendi Vicarios super manutentione die 21. Februarii 1707. cor. Molines, & in confirmatoria super negotio principali diei 12. Decembris 1707. coram Eminentissimo Al-*
3 *drovando*; Hæc sane beneficia nil differunt à precario, dum Vicarii amovibiles possident nomine patroni, sacramenta administrant, & ecclesiasticas peragunt functiones, ideoque Vicariæ ad placitum sunt revocabiles, prout revocabile est precarium *cap. ultimo in fin. de precariis l. 1. l. cum precario ff. precar., & in Nullius, seu Provinciæ Hispalen. amovendi Vicarios ut supra*, ubi decidit, quod clericis ita provisis nulla competit manutentio.

4 Et eo fortius id procedit in secundo casu, si lege fundationis ita cautum sit, ut scilicet beneficium à patrono fundatum sit amovibile ad nutum *ex latè deductis per Garz. de benefic. lib. 1. cap. 2. num. 72.* tunc enim vacat per amotionem, seu revocationem, prout vacant beneficia manualia *cap. cum ad Monasterium de stat. Monachor. Clementin. 1. de supplen. negligen. Prælator. Rot. decis. 296. num. 8. in fin. cor. Coccin.*

5 Itidem officia ecclesiastica alia sunt perpetua, alia ad nutum amovibilia, si enim perpetua sunt, vacant dumtaxat per amotionem, quæ fieri debet ex justa causa ab eo, qui ordinaria utitur potestate *Tondut. quæst. benef. cap. 74. num. 13.*, aliter amotio non tenet,

net, nec talium officiorum inducitur vaca-
tio, ubi enim injusta est amotio, ibi licita
est retentio; immo ita amoto competunt de
jure omnia remedia retinendæ, acquirendæ,
& quatenus opus sit reintegrandæ possessionis
*cap. ex tenore de restitut. spoliat. Innocen. in
cap. olim num.1. de accusat. Vitalin. in Cle-
ment. unic. §. præmissa num.3. de supplen. ne-
glig. Prælator. Rot. decis.6. de restitut. spoliat.
in antiquis*, & facit resolutio Sacræ Congre-
gationis Concilii *in Barchinonen. 26. Novem-
bris* 1701., ubi quod amotio sacerdotis ab
officio, ad quod admissus fuerat absque reser-
vatione facultatis amovendi non tenet, ei-
demque sacerdoti concessa fuit manutentio,
& reintegratio.

6 E' contra vero hujusmodi officia vacant de
facto per simplicem revocationem, quando
sunt ad nutum amovibilia, prout de Vicariis
temporalibus dictum est *ex clementin. unic.*,
ibique Gloss. de officio Vicarii, & habetur *in
Romana Cappellaniæ die 16. Martii* 1708. *cor.*
7 *Ansald.*, ubi cappellanus simplex potest ad
placitum patroni ab officio removeri, nec ul-
lum ita amoto competit remedium posses-
sorium, quoniam sicuti officium est amovibi-
le ad nutum, ita quoque possessio legibus
amovibilitatis subjacet *l. cum precario ff.*
8 *precar. late Rot. decis.2. par.13. rec.* Sic quo-
que officium sacristæ, organistæ, & custodis
est amovibile, si pendeat ad nutum conce-
dentis, & in sequelam vacat ut supra, si re-
vocetur, dummodo tamen id fiat citra do-
lum, & malitiam *Rot. decis.96. per tot. cor.
Carill.*

9 Sic Vicarii generalis officium amovibile est
ad nutum Episcopi, quoniam Vicarius æqui-
paratur regulari habenti beneficium manua-
le, unde sicuti regularis arbitrio Prælati po-
test amoveri à beneficio, ita etiam Vicarius
generalis potest quandocumque revocari ab
Episcopo *Clementin.2. ibiq. Gloss. in versic.
post electionem de rescript.* Attamen non vi-
detur, quod ita simpliciter in hac re proce-
dendum sit, nam prout alias resolvit Sacra
Congregatio Concilii teste *Nicolio in verb.
Vicarius*, habendus est respectus ad dignita-
tem, & personam Vicarii, & nonnisi ex cau-
10 sa debet amoveri ab hujusmodi officio; In-
terim autem amotio Vicarii sustinetur, quo-
ties facta non sit odio, & malitia Episcopi
amoventis, nam causa justa in Episcopo sem-
per præsumitur, & consequenter Vicariatus
vacat ex hoc capite.

11 Notandum obiter est, quod patronus in-
dultarius habens jus deputandi Vicarios ad
nutum amovibiles, potest omnes eodem con-
textu amovere, sed, si ob hujusmodi amo-
12 tionem immineret scandalum, aut factio-
nes, seu rebelliones populares in dictis ec-
clesiis concitarentur, Ordinarii officium est
in hac re supersedere, immo declarare pro
evitandis scandalis, & inconvenientibus,
Vicarios non esse hic, & nunc amovendos;
13 Multa enim ad evitandum scandalum à jure
permissa sunt *Cap. cum non teneamur, ibique
Gloss. de præben. cap. si quis, ibique Gloss.
de regul. Jur. Felin. in cap. considcravimus
de elect. & in cap.2. de præscript*; immo pro
14 evitando scandalo gratia Papæ exequi non
debet, sed potius retractari *Oldrad. cons.262.
num.2.*, ita à pari amotio, quæ patrono vi
indulti competit, ad actum deduci non de-
bet, quod est notandum propter scandali
specialitatem; nec deest ratio, quia tunc
prævalet favor ecclesiæ facultatibus patroni
indultarii *argumento Text. in l. sunt personæ
in fin. ff. de religios. & sumpt. funer.*, & sic
hujusmodi Vicariæ vacant de jure ob revo-
cationem, sed non de facto ex causis jam re-
latis.

15. Quo vero ad beneficia regularia etiam de
jure certum, & indubitatum est amovibi-
lia esse ad nutum conferentis, prout sunt om-
nia beneficia manualia, & prioratus tempo-
rales cum similibus *Rot. decis.346. per tot.
cor. Baratt.*, & in sequelam per amotionem
vacare *Gloss. in Clementin. 2. versic. post ele-
ctionem de rescript. ibi = item per mortem, &
remotionem talium Priorum, licet sint obe-
dientiarii, vacat prioratus = Gloss. in Cle-
mentin. unica versic. revocari circa medium de
supplen. negligentia Prælat. ibi = & scias &c.
quod manualia, quæ non sunt de mensa, &
temporales prioratus vacant per mortem, vel
remotionem eorum, qui præsident illis.*

16 Verum non est bona illatio, beneficium
est regulare, ergo est amovibile ad nutum
conferentis, quandoque enim potest esse col-
lativum, & quandoque manuale; collati-
vum tunc est, quando confertur clerico in
titulum, manuale quando datur clerico, &
17 regulari ad nutum; Et quamvis omne bene-
ficium regulare sit manuale, & vacet ob
amotionem *Rot. decis.296 num.8. in fin. co-
ram Coczin., Melevitana, seu Jannen. Pa-
rochialis super maunt&ttione 30. Junii 1719.
cor. Gamæbas, & 23. Februarii 172[illegible] coram
eodem*, nihilominus manualitatis naturam
amittit, si pluries in titulum clerico collatum
sit; Titulus enim manualitati repugnat, &
in hoc ultimus status attenditur *Cap. consul-
tationibus de jurepatr. plene Rot. decis.578.
num.3. decis.646 par.1. decis.71 part.2. recen.*,
18 ideoque beneficium regulare pluries col-
latum in titulum non vacat ob revocationem,
19 sicuti non vacat Vicaria perpetua simplici-
ter unita Monasterio *Rot. decis 704. part 2.
rec.* Vicarius enim perpetuus nequit à Mona-
sterio ad nutum amoveri, sed juris ordine
servato per sententiam Ordinarii privandus
20 est *cap 1. in fin. de cappell. Monachor. in 6.,
ubi Gloss., & communiter interpretes.*

Cæterum beneficium unitum Monasterio,
tum quoad spiritualia, tum etiam quoad
temporalia, seu, quod idem est, beneficium
21 de mensa nullo modo vacat per revocatio-
nem, dum beneficium de mensa *in Clementi-
na* excipitur, *ut notat Vitalin in Clementin.
unic. §. præmissa num.4. de supplen. neglig.
Prælator.* & clarius habetur *in Clementina
frequens de excess. Prælator. ibi = quamquam*

ipsæ Ecclesiæ in veritate non vacent = & consequenter beneficium de mensa nullo modo est impetrabile, quæ ratio cessat in beneficiis
12 secularibus, regularibus, sive obedientiariis vacantibus de facto per amotionem; hæc enim nonnisi jure devoluto possunt impetrari, cum hoc, quod regularia regularibus, secularia secularibus conferenda sunt, & collatio Papæ, quæ inde jure devolutivo fieri contingit, non alterat naturam beneficiorum, nisi ad vitam, seu in titulum ea expresse conferantur *Clementin. unic. ibique Gloss. versic. revocari de supplen. neglig. Prælator. Lotter. de re benefic lib. 1. cap. 33. n. 54. Rot. decis. 1061. n. 14. cum seqq. cor. Coccin.*

A D D I T I O.

S U M M A R I U M.

1 PRælatus regularis ex causa potest reservare pensionem temporalem ad favoram raligiosi obedientiarii, secus perpetuam 2.
3 Pensio per revocationem factam à superiore extinguitur.
4 Peculium, quod traditur sarvo, potest à Domino ad placitum adimi, & per ademptionem moritur.
5 Monachus æquiparatur sarvo.

1 PRælatus regularis ea potestate, qua confert beneficia manualia, potest ex causa reservare pensionem ad favorem religiosi obedientiarii, dummodo agatur de pensione temporali, ac ad nutum amovibili, *ut explicant Innoc. in cap. nisi essent num. 1., ibique Abb. num. 12. de præben. Mohedan. decis. 10. in fin. de causa proprietat. & possess. Rot. de-*
2 *cis. 302. per tot. part. 2. recen.* Sane religiosus omnino incapax est pensionis ad vitam duraturæ, sicuti ad vitam regulare beneficium assequi non potest, repugnat enim tum manualitati, tum obedientiæ, & paupertati jus vitalitium, perpetuum, & inamovibile. Præterea sicuti per revocationem vacat bene-
3 ficium manuale, ita pari jure pensio perimitur *Clementin. unic. de supplen. neglig. Prælator. cap. si gratiose ubi Gloss. & scribentes de rescript in 6.*

4 Quod patet à simili, quoniam peculium, quod traditur servo, potest à Domino ad placitum adimi *l. peculium 4. ff. de pecul., ibi = nam cum totum peculium adimere Dominus possit =*, ideoque sicuti peculium per ademptionem moritur *l. peculium 40. ff. de pecul. ibi = moritur cum ademptum sit =*, ita a pari in pensione religioso reservata, & quidem pa-
5 ritas stringit, quia monachus æquiparatur servo *Gloss. marginalis in l. servum 33. ff. de procurator.*, & quidquid acquirit, monasterio acquirit, sicut servus Domino *Gloss. in extravagan. quia quorumdam Joannis XXII. vers. reservatum de verbor. significat. Innoc. in cap. cum olim 2. num. 3. de privileg.*

A R G U M E N T U M.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob novam erectionem, & creationem *ad interpretationem Glossæ in Clementin. final. de rescript.*

S U M M A R I U M.

1 NOn differunt erectio, & creatio beneficii, ubi declaratur.
2 Beneficia ecclesiastica nequeunt ax nihilo erari.
3 Eractio, quæ ax aliquo fit, quoad beneficium creatio potest denominari.
4 Divisio mataria.
5 Beneficium creatum, seu arectum vacat, item ubi ex uno, duo fiunt beneficia, ubi daclaratur 6.
7 Craatur nova dignitas, ubi in ecclesia, in qua non aderat, aliqua dignitas aonstituitur, quod pruprie spectat ad Papam 9. ubi declaratur.
8 Dignitas de nnvo eracta vacat.
10 Dignitas de novo erecta vacat in Curia, ubi declaratur.
11 Archipresbyteratus de jure vere dignitas non est, nec cumprahenditur *sub regul. 4. Cancell.*, secus, si sit vera dignitas, ubi quod par creationem vacat in Curia 12.
13 Dignitas potast creari ab Episcopo in ecalesia non numerata.
14 An dignitas eracta in acclesia non numarata vacet, ubi dubitatur, & respondetur affirmative 15.
16 Beneficium à patrono fundatum per erectionem, seu creationem vacat, & præsentatio ad ipsum spectat, ubi de ratione.
17 Creata quid sit,
18 Si Papa erigat ecclesiam in cathedralem cum beneficiis, & dignitatibus, beneficia, & dignitates vacant in Curia, & quara.
19 Si Episcopus erigat auctoritate apostolica Ecclasiam Parochialem in Collegiatam potast beneficia cunferre, etiamsi arectiu facta sit in mense apostolico.
20 Facultas erigendi acclasiam collegiatam infert poaestatem conferendi cannnicatur, & dignitates, & de rationa, quod declaratur ibidam in fine,
21 Impatratiu dignitatis dote carentis nun valet.
22 Beneficium erectum cum dote ab au, qui non habebat potestatem arigendi non vacat de jura, sed tantum de facto, & debetur impetranti, præsertim si fuerit datum in commendam, ubi declaratur.
23 Dignitas, quæ non est, non potast impetrari.
24 Gratia de banaficiu vacaturu non comprehendit beneficium aceatum post datam literarum apostolicarum, ubi da ratione.
25 Beneficium noviter erectum potest impetrari, si fiat mentio novæ arectionis.

26 Pro-

26 Provisio Papæ cum clausula, dummodo beneficium sic collatum vacet post datam literarum, non comprehendit vacans, seu erectum tempore vacationis, ubi de ratione.

27 Sub indulto conferendi beneficia deinceps vacatura, non continentur vacantia, & erecta tempore indulti, secus, si indultum loquatur de beneficiis vacaturis simpliciter 28.

29 An sub indulto conferendi beneficia veniant ea, quæ post datam indulti ab Episcopo renovata sunt, affirmat *Gloss. in Clementin. final. de rescript.* distinguitur 30.

31 An beneficium de novo erectum in mense apostolico veniat sub reservationibus, & vacet in Curia, prima opinio negat, secunda affirmat, quæ verior est 32. declaratur 33. 34.

35 Præbenda in ecclesia receptitia per obitum titularis non vacat.

36 Impetratio beneficii in ecclesia receptitia non valet, ubi quod non valet resignatio 37.

38 Præbenda de novo erecta non debetur impetranti, nec venit sub indulto conferendi beneficia in posterum vacatura, debetur tamen canonico recepto sub expectativa, ubi disparitatis ratio.

39 Canonico sub expectativa recepto debetur portio ex superexcrescentibus fructibus, ubi quod debetur præbenda per augumentum creata, ibidem in fin.

CAPUT LXVII.

1 NON est ullum de jure discrimen inter erectionem, & creationem beneficii, quoniam qui erigit, creat, & è contra, licet in rigore erectio, & creatio inter se differant, dum, qui creat, ex nihilo rem de non esse ad esse producit, è converso autem, qui erigit. aliunde habet materiam ad aliquid faciendum; quod tamen verum est secundum Philosophos,
2 non secundum Canonistas, quoniam ecclesiastica beneficia nequeunt ex nihilo creari, sed ex aliquo fieri debent *Cassador. decis. 7. num. 6. 8. de jurepatr.*

Et quamvis hæc vera sint, nullamque dubitationem habeant, nihilominus erectio,
3 quæ inde ex aliquo fit, quoad ipsum beneficium creatio potest denominari; & ratio est, quia quod non erat, nec unquam fuit, nunc beneficium est, & vacat ad omnes juris ef-
4 fectus, de quibus infra. Videamus itaque in præsenti capite, quot modis beneficia erigantur, ut inde pateat, quot modis etiam vacent ad effectum eadem impetrandi, seu conferendi.

5 Et quidem primo beneficium creatum, seu erectum vacat, quando nova ecclesia construitur, seu ubi ex uno duo fiunt beneficia, quod accidit per dismembrationem, quæ ex justa causa ab episcopo fit *per Text. in cap. ad audientiam 1. de Eccles. ædifican*; quod tamen sano modo intelligendum est, ubi unumquodque beneficium stat de per se, nec unum ab alio dependet, tunc enim sicuti duo sunt beneficia, ita per erectionem duplex
6 concurrit vacatio *cap. vacante, ibique Gloss. & Interpret. de præben. Rot. decis. 220. n. 4. part. 6. recen.* ubi dicitur, quod collatio duorum beneficiorum spectat ad Episcopum, prout spectabat prius.

7 Tertio creatur nova dignitas, ubi in ecclesia, in qua non aderat, aliqua dignitas constituitur *cap. cum olim de consuetud.*, quod proprie spectat ad Papam *can. omnes distinct. 22. cap. cum olim, ibique Glos. in verb. concessimus, & Imol. num. 1. de consuetud.*
8 *Rot. decis. 195. num. 14. part. 17. rec*; ideoque dignitas de novo erecta vacat, & collatio ad eum, qui creavit, pertinet.

9 Dixi, quod erigere novas dignitates spectat ad Papam sive à jure cognitæ sint, sive non, sed Archidiaconatus, seu Archipræsbyteratus erigi de novo possunt ab episcopo, cum non sint novæ dignitates, sed potius antiquæ, de quibus fit mentio *in titulo de officio Archidiaconi, & Archipræsbyteri*, ideoque erectio Archidiaconatus non est nova dignitas, sed potius antiquæ restauratio, non enim ex eo, quod deest hæc dignitas in ecclesia, inferri potest nunquam fuisse, sed potius præsumitur ex justa causa extincta *Felin. in cap. cum accessissent num. 14. de constit. latè Piton. discept. 99. num. 5. & ferè per tot. tom. 3. Corrad. prax. benefic. lib. 2. cap 2. num. 29. Rot. decis. 7. num. 6. part. 15.*
10 *decis. 195. num. 12. part. 17. recen.* Porro dignitas sic erecta de novo vacat, & vacat in Curia *ex regul 4. Cancell.*, ubi primæ dignitates in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis auctoritati Papæ reservantur, immo vacat extra Curiam, si Episcopus habeat indultum conferendi, quod in erectione, seu creatione novæ dignitatis facile potest à Papa obtinere.

11 At quia Archipresbyteratus verè dignitas de jure non est, sed potius sonat in dignitatem, præsertim si sit ruralis, sine jurisdictione, & Collegio; idcirco, si annexam habeat curam animarum, venit sub concursu. & qui ab Episcopo tanquam magis idoneus prælectus est, præfertur impetranti Archipresbyteratum ex hoc capite. & ratio clara est, quia *regula 4. Cancellariæ* tanquam odiosa, & nimium exorbitans requirit veram, & propriam essentiam dignitatis, ut impetrans ei, qui ab Episcopo provisus fuit, præferatur *ex plene firmatis per Rot. decis. 49. decis. 195.*
12 *par. 17. recen.*, alioqnin si Archipresbyteratus sit verè dignitas cum jurisdictione, & præeminentia, prout de jure dignitas est secundum aliorum opinionem, ob novam erectionem, seu creationem vacat in Curia, & impetrator præfertur ei, qui Archipresbyteratum in concursu ab Episcopo obtinuit *ex regul. 4. Cancell.*, & constat *ex mox relatis decisionibus.*

13 Quarto nova dignitas potest creari ab Episcopo in ecclesia non numerata, seu receptitia *Abb. in cap. cum accessissent num. 4., ibique Felin. num. 14. de constitut. Fagnan. in cap. cum dilectus 1. num. 21. & 24. de præben.*, præsertim si ex parte Episcopi ita erigentis justa, & ra-

& rationabilis causa concurrat *Imol. in cap.*
cum olim num.5. de consuetud., & admittitur
per Rot. in decis.720. par.3. rec.
14 Sed, an dignitas ita erecta vacet, non im-
merito potest dubitari; & ratio dubitandi
est, quia in ecclesia non numerata non vacant
præbendæ, quarum numerus est incertus, &
indeterminatus *Text. sunt express. in cap. ex*
parte cap. nulla de concess. præben. Lotter. de
re benef. lib 1. cap.14 num.12. Piton. discept.
ecclesiastic. cap.17. num.52. Rot. decis.1902.
num.21. cor. Coccin., ubi dicitur, quod in
ecclesiis non numeratis non currit tempus sex
mensium à jure statutum pro conferendis va-
lide beneficiis ecclesiasticis, immo ultra an-
num, biennium, & ad placitum capituli
præbendæ per novam electionem erigi,
creari, & renovari possunt; ultra quod mem-
bra valde differrent à capite, quod repugnat
cap.cum non liceat de præscript., ergo dignitas
erecta in ecclesia non numerata non vacat,
prout non vacant præbendæ.
15 Hæc tamen argumenta non stringunt, quam-
vis enim in ecclesia receptitia, seu non nume-
rata incertæ sint præbendæ, & per hoc vaca-
re non dicantur, nihilominus non valet illa-
tio, quod dignitas noviter erecta ejusdem
naturæ, & conditionis esse debeat. Sane in
jure novum non est, quod in eadem ecclesia
vacet dignitas, & non vacent præbendæ;
quod patet, nam ideo vacat dignitas, quia
certa est, non vacant præbendæ ob earum
incertitudinem, unde recte in hoc casu intrat
juris regula, quod ex diversis non fit illatio
l. Papinianus ff. de minor., item in eadem ec-
clesia extant beneficia perpetua, & vacant
de jure, & de facto, extant insuper alia
amovibilia ad nutum, quæ non vacant nisi
de facto; item in eadem ecclesia quædam be-
neficia in titulum conferuntur, & subjacent
decreto Concilii Lateranensis de conferendis
beneficiis intra sex menses, alia vero erigun-
tur, & creantur ad placitum Episcopi, &
Capituli juxta fructuum superexcrescentiam,
& ecclesiæ necessitatem *cap. cum accessissent*,
cap. cum M. Ferrariensis de constitut. cap. di-
lecto de præben. Si igitur non implicat, quod
in eadem ecclesia extent beneficia, quarum
alia vacant, & alia non, multo minus im-
plicabit, quod vacet dignitas ob novam ere-
ctionem, licet in ecclesia receptitia præbendæ
vacare non censeantur.
16 Quinto beneficium à patrono fundatum va-
cat per novam erectionem, seu creationem,
sed præsentatio ad patronum pertinet *Gloss.*
in cap.2. de præben. in 6. Gloss. in Clementin.
final de rescript., & ratio est, quia beneficia
de jurepatronatus laicorum reservationibus
apostolicis non subjacent *Rot.decis.11.num.3.*
de jurepatron. cor. Mohedan. decis.288.num.1.
par.4. tom.1.rec., *& alibi passim.*
17 Demum creare nihil aliud est, quam rem
de non esse ad esse producere, *cap. dilecto*
§ præterea de præben., *ibi = de novo creato &c.*
de novo creando = Clement. final. de rescript.,
18 Unde propterea, si Papa erigat ad preces
Principis ecclesiam aliquam in cathredralem
seu collegiatam cum dignitatibus, canonica-
tibus, & præbendis, hujusmodi beneficia per
novam creationem, seu erectionem vacant
in Curia, & provisio dictorum beneficiorum
spectat ad Papam, cujus auctoritati ex appo-
sitione manuum reservantur *extravag. ad Ro-*
mani de præben.
19 E contra vero, ubi Episcopus auctoritate
apostolica erigit Ecclesiam Parochialem in
Collegiatam cum beneficiis, canonicatibus,
& officiis, dubium non est, quin per novam
erectionem, & creationem inducatur vacatio
beneficiorum, at beneficia hujusmodi, etiamsi
erectio facta sit in mense apostolico, extra
Curiam vacant, quoniam facultas erigendi
20 ecclesiam collegiatam infert potestatem pro-
videndi ecclesiæ, & conferendi canonicatus,
dignitates, & præbendas sic vacantes ex re-
gula, quod uno concesso, omne id concessum
censetur, sine quo actus perfecte expieri non
potest *l.2.ff. de jurisd.omn.judic.*, *Gloss. marg in*
auth. ut libert., & qui vult antecedens, vult
etiam consequens cum illo connexum, *Gloss.*
in l.item ff. de serv.præd.rust. nisi Papa in Bulla
facultatis erectionis aliquid sibi reservaverit.
Verum non omnis dignitas de novo erecta,
21 seu creata est impetrabilis; ita impetratio
dignitatis dote carentis non valet, quia deest
requisitum, sine quo dignitas sic erecta, be-
neficium non est, nec beneficii nomen me-
retur *Rot. decis.114. num.1. coram Mantic.*
22 Item beneficium erectum cum dote ab eo,
qui non habebat potestatem erigendi, vel non
servavit solemnitates in erectione requisitas,
non vacat de jure, nec ex hoc capite est im-
petrabile, conferri tamen potest à Papa, quia
vacat de facto, quod sufficit impetranti, *Pla-*
centina abbatiæ 12. Junii 1693. §. Quamvis
cum seqq. coram Priol. ibi = cum satis sit, quod
beneficium fuerit de facto erectum, sufficit,
quod beneficium vacaverit de facto = & præ-
sertim si ita semel fuerit collatum, seu datum
in commendam, & in administrationem;
fortius si doceatur de pluribus collationibus
effectum sortitis cum similibus, non enim
provisus tenetur præcise probare beneficii
erectionem, sed quod tanquam beneficium
per alios clericos fuerit possessum, nec mala
erectio producta à principio facit, quin inde
potuerit bene erigi *Rot. decis.12. cor. Crescen.*
de probat. Demum beneficium erectum ab
Episcopo, qui non habebat potestatem mu-
tandi Ecclesiam Parochialem in Collegiatam
juxta receptam opinionem; de qua testatur
Rot. decis.49. num.4. decis.195. num.7. par.17.
recen., ob novam erectionem non vacat, quia
erectio nullam vim juris habet, ideoque digni-
23 tas, quæ non est, non potest conferri, aut
impetrari ex regula, quod non entis, nullæ
sunt qualitates *l. quidam referunt 14. post prin-*
cip. ff. de jur. Codicillor. cap. ad dissolvendum,
ibique Gloss. in versic. accusari de desponsat.
impuber., præsertim ubi non erat sufficienter
dotata *d decis.49. num.6. par.17. recen. dec.114.*
num.1. cor. Mantic.

24 Rur-

24 Rursus, si quis obtinuerit gratiam provi-
sionis de primo vacaturo, si contingat post
datam literarum apostolicarum creari novum
beneficium, non potest istud obtineri ex vi
dictæ gratiæ, quæ non potest porrigi ad ea
beneficia, quæ non erant in rerum natura
tempore obtentæ gratiæ, quia ista non exten-
ditur ultra intentionem concedentis, & ad
ea, quæ per Papam cogitari non poterant
per text. expres. in Clementin. literas de re-
25 *script.* Verum potest impetrari tanquam no-
viter erectum, si de nova creatione, & de
vacatione ex isto capite fiat mentio, præser-
tim si erectio, seu creatio in mense apostoli-
co facta sit, alias gratia est subreptitia *Cle-
ment. literas, ubi DD. de rescript.*
26 Itidem provisio Papæ cum clausula, dum-
modo beneficium sic collatum vacet post da-
tam literarum Apostolicarum, non compre-
hendit vacans, seu erectum tempore colla-
tionis, quoniam provisio Apostolica ad cer-
tum tempus limitata ultra illud non extendi-
tur *l. in agris ff. de acquiren. rer. domin. l.*
27 *age Geminiane C. de transact.*, eo modo,
quo sub indulto conferendi beneficia deinceps
vacatura, non continentur vacantia, & ere-
cta tempore indulti *ex d. Clementin. literas
de rescript. Spada cons.65. num.2. lib.2. de-
cis.13. de privileg. coram Mohedan decis.566.
coram Cavaler. decis.762. decis.766. cor. Man-*
28 *zaned.*, licet sub indulto conferendi benefi-
cia simpliciter vacatura veniat, quod tem-
pore indulti vacat, nam quod hodie vacat,
dicitur vacaturum *Gloss. in Clementin.* 1. *ver-
sic. notitia de concess. præben. decis.566. n.* 1.
cor. Cavaler.
29 His positis, dubitatur primo, an sub indul-
to conferendi beneficia veniant ea, quæ post
datam indulti ab episcopo renovata sunt,
affirmat *Gloss. in Clementin. final. versic.
creatum verb. quid. dices de rescript.*, & ra-
tio est, quia renovatio præbendæ non est crea-
tio, seu erectio, ac etiam quia non fit de no-
vo, quod ex superexcrescentibus fructibus
renovatur, immo præbenda, quæ olim ade-
rat in ecclesia, licet inde suppressa, nova
non est, sed potius antiqua *Gloss. in cap. cum
accessissent in fin. de constitut.*; Demum *Cle-
mentina finalis* loquitur de beneficiis noviter
erectis, seu creatis, unde beneficia renovata
non comprehendit.
30 Verum *Glossæ* opinio ita simpliciter sum-
pta non est tuta; Unde in hac re distinguen-
dum est; Aut præbenda totaliter suppressa
fuit, aut in parte tantum. Primo casu reno-
vatio, quæ fit ab episcopo, seu capitulo ve-
ra erectio, & creatio est, & consequenter
non venit sub indulto, prout disponitur *in
Clementina*; Secundo casu renovatio dicitur
talis, & præbenda vacat favore indultarii,
dum sub indulto continetur, *ita explicant
dictum Glossæ Zabarell. in Clement. final
num.6. Vitalin. num.28. de rescript.* quod ve-
rius est.
31 Dubitatur secundo, an beneficium de no-
vo erectum in mense Apostolico veniat sub re-
servationibus Apostolicis, ac vacet in curia.
Negat *Glossa in Clementin. final. de rescript.*
ex ea satis solida ratione, quia fundatores,
seu erectores beneficiorum retraherentur ab
illis, si hujusmodi beneficia essent reservata,
32 & impetrantibus deberentur. Affirmat
*Gonzal. ad regul.8. Cancell. Glos.9. § 5.
num.44.*, ubi dicit, quod *regula Cancellariæ*
edita per modum legis universalis amplianda
est; deinde quia in eadem regula reservantur
omnia beneficia cum clausulis effrænatis, &
amplissimis, & consequenter beneficium de
novo erectum sub regula continetur, & va-
cat in curia, eo modo, quo commenda per-
petua comprehenditur sub regula mensium,
& vacat in curia, licet commenda perpetua
de jure non vacet *Rota dec.141. per tot par.1.
rec.* multo magis beneficium de novo in mense
Papæ erectum in titulum, quod vere, & pro-
33 prie vacat; Quæ opinio verior est, dum-
modo agatur de beneficiis ad liberam colla-
34 tionem ordinarii, & de erectione beneficii
in ecclesia, quæ habet certum numerum ca-
nonicorum, seu præbendarum, aliter præ-
35 benda erecta in ecclesia receptitia non vacat,
nec venit sub reservationibus Apostolicis, &
ratio est, quia per obitum præbendati expi-
rat, cessat, ac esse definit *cap. dilecto, versic.
præterea ibique Butr. num.8. Abb. num.9. de
præben. cap. ex parte ibique Gloss. versic. di-
stincte de concess. præben. Felin. in cap. consti-
tutus in princip. de rescript.*, ubi dicit non
36 valere impetrationem beneficii in ecclesia
receptitia, non facta mentione qualitatis ec-
clesiæ *Bellamer. decis.13.*, ubi solidas affert
rationes *Rot. decis.27. par.6. rec.*, ubi quod
37 hæc benefi ia resignari non possunt, & ratio
ibidem adjicitur, quia non vacant.
38 Et quamvis præbenda de novo erecta, seu
creata ab episcopo, & capitulo in ecclesia non
numerata impetrari non debeatur, nec ve-
niat sub indulto conferendi beneficia deinceps
vacatura, debetur tamen canonico recepto
sub expectativa, non enim debetur benefi-
cium simpliciter vacaturum, sed cum facultas
se obtulerit, *ita Gloss. in Clementin. final.
in fin. de rescript. ibi = sed si ponitur quem
expectantem ex canonia, non ex reservatione
vacaturi tantum, cum canonico non debeatur
simpliciter vacaturum, sed cum se facultas obtu-
lerit, non puto decretalem hunc locum habere,
sed debebitur illi præbendo per augumentum
creata* = Nec refert, quod hujusmodi præben-
da non vacet in ecclesia receptitia, & conse-
quenter expectanti non debeatur; quoniam
respondetur non vacare per obitum, per quem
potius finitur, sed vacare per erectionem,
seu creationem, si non de jure, saltem de fa-
cto, & vacat favore canonici expectantis,
qui habet jus ad præbendam quoties facultas
se obtulerit *cap. relatum de præben. cap. cum
super de concess. præben. utrobique Interpre-*
39 *tes*; Deinde canonico ita recepto assignan-
da est portio ex superexcrescentibus fructi-
bus, & canonici ad id compelli possunt, ita
habetur in *cap. cum M. Ferrariensis de consti-
tut.*,

tur, *ibi = superexcrescentes redditus prædi-ctis canonicis facias assignari = Hostien. eod. tit. num.*21., *& ibid. scribentes*, ergo à fortiori canonico supernumerario, seu expectanti debetur præbenda per augumentum creata *juxta opinionem Glosf. in Clement. final. de rescript.*, quæ procul dubio vera est, & rationi consentanea.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Pensiones auctoritate episcopi creari, & erigi possunt,
2 An vacent in curia? distinguitur. 3.
4 Appellatione quorumcunque beneficiorum venit pensio:
5 Pensio erecta in titulum succedit loco beneficii.

1 Pensionea etiam In ecclesia auctoritate episcopi creari, & erigi possunt, prout creantur, & eriguntur beneficia ecclesiastica; Quod potissimum verum est, si ad id faciendum ordinarius ex justa causa processerit, *ut notant DD. in cap. conquerente, ibique Abb. num.*5. *de cleric. non residen.*

2 Sed, an vacent in curia, vel extra ad omnes juris effectna, modo disquirendum est. Sane pensio noviter, erecta, & ad vitam pensionarii dumtaxat duratura non vacat apud sedem, quamvis erectio, seu creatio in mense Apostolico facta fit, quoniam jus, quod oritur ex erectione, seu creatione per obitum pensionarii peremptrurum est, prout de præbendis noviter erectis, seu creatis in ecclesia receptitia jam prænotatum est *ex cap. dilecto* §. *præterea de præben. eum relatis per Mantie. decif.*229. *num.*1.; Ultra quod pensio non subjacet *regulæ de infirmis*, nec *Gregorianæ constitutioni de publicandis resignationibus*, ut suo loco diximus, ergo multo minus subjacet *regulæ mensium*, quamvis nova creatio, seu erectio in mense Apostolico facta fit.

3 Si vero erecta fit pensio in titulum, vacat, prout vacant beneficia ecclesiastica, & vacat in curia, seu apud sedem, si in mensè Apostolico erecta, seu creata fit; Nec refert, quod pensio denominetur, quia vis in nomine non est facienda *Toudut. de pens. quæst.*17. *num.*37., & in sequelam subjacet *regulæ mensium*, quæ loquens de omnibus, & quibuscumque

4 beneficiis etiam pensionem erectam in titulum comprehendit *Gig. de pension. quæst.*19. *num.*2., *& quæst.*86. *num.*2. *late Gonzal. ad regul.*8. *Cancell. gloss*9. §.5. *n.*44. *cum seqq.*, & ratio est quia pensio de novo erecta, seu creata in titulum succedit loco

5 beneficii, tanquam illius dos *Abb. in cap. ex diligenti num* 1. *de simon. & in cap. conquerente num.*5. *de cleric. non residen. Garz. de benef. par.*1. *cap.*5. *num.*5.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob malam expressionem valoris *ad ornatum regulæ* 55. *Cancell.*

SUMMARIUM.

1 IN quavis provisione Apostolica fieri debet expressio veri valoris sub pæna nullitatis actus. 2.
3 Hæc non est proprie vacatio, sed beneficium tanquam Papæ reservatum potest impetrari.
4 In provisione Apostolica quandoque adjicitur clausula *salvo jure addendi, & diminuendi valorem beneficii, & segregandi fructus certos ab incertis.*
5 Provisio Apostolica resolvitur, & ipso jure vacat beneficium, si in expeditione literarum verus valor expressus non sit.
6 Libertas censetur pure relicta, licet onus implendum impositum sit.
7 Provisio Apostolica est pura, licet facta sit cum facultate addendi, & diminuendi fructus, ut supra.
8 Venditio sub conditione resolutiva valet, & ea non purificata resolvitur, ita provisio Aeostolica. 9. 10.
11 Provisio Apostolica concepta sub d. clausula per expressionem veri valoris confirmatur.
12 Beneficium ob non expressionem veri valoris potest à quocumque impetrari, ubi declaratur. 13.
14 Primus provisus non potest expedire alias literas cum expressione veri valoris, ubi quod actus expeditionis non est iterabilis.
15 Facultas addendi, & diminuendi consumpta est per primam literarum expeditionem.
16 Habens facultatem eligendi, seu optandi facta semel electione variare non potest.
17 *Regula Cancellariæ* annullat omnes alias expeditiones etiam motu proprio.
18 Primus provisus ante impetrationem potest obtinere literas tituli revalidatorias.

CA-

CAPUT LXVIII.



Isponit *Regul. 55. Cancellariæ*, quod in quavis provisione Apostolica super beneficio ecclesiastico fieri debeat expressio valoris, seu fructuum, quibus ditatum est beneficium, de quo clericus in Romana Curia providetur, tum propter interesse officialium Datariæ quoad annatæ, aliorumque emolumentorum solutionem, tum etiam quia ob expressionem veri valoris Papa uti supremus bonorum ecclesiasticorum administrator beneficia, & præbendas, personatus, & dignitates inter dignos, digniores, & dignissimos melius distribuit, adeoque non verificato valore in supplicatione
2 expresso, provisio Apostolica statim corruit, acsi facta non esset *juxta doctrinam Felin. in cap. ad aures concl. 7. in fin. de rescript. Rot. decis. 787. num. 2. coram Ubald. decis. 244. num. 18. cor. Bich. decis. 694. num. 2. cor. Dunozett. jun.*

3 Hæc tamen non est vera, & propria vacatio, de qua agitur, quia ob non expressionem veri valoris provisio Apostolica nullam habet roboris firmitatem, & consequenter ex hoc capite non vacat beneficium, sed vacat, ut prius, & tanquam Papæ reservatum potest impetrari *ex ead. regul. 55. Cancell.*, de qua testatur *Rot. decis. 659. num. 9. tom. 2. cor. Molin.*

4 Casus autem vacationis beneficii tunc datur, quando scilicet in provisione Apostolica adjicitur clausula *Salvo jure addendi, & diminuendi valorem beneficii, ac segregandi*
5 *fructus certos ab incertis* juxta praxim Datariæ; Hoc sane casu provisio Apostolica tribuit jus in beneficio, & deinde resolvitur, seu, quod idem est, beneficium ipso jure vacat, si in expeditione literarum Apostolicarum, vel ex ignorantia, vel ex malitia verus valor expressus non sit *Rot. in Alboren. beneficii 10. Aprilis 1551. coram Peregrino, & in Salamantina 9. Martii 1558. coram Chisanen. decis. 541. num. 1. cum seq. part. 3. diversor.*

6 Probatur assumptum primo *ex l. libertas §. hæc scriptura, & ex l. mævia ff. de manumiss. testam.*, ubi habetur, quod libertas censetur pure relicta, licet onus omnino implendum impositum sit, ita à pari pura est provi-
7 sio beneficii facta à Papá cum facultate addendi, & diminuendi in expeditione redditus, quos ita provisus in supplicatione confuse expresserat; Sicuti igitur modo non impleto libertas amittitur *l. 1. ibique Gloss. C. de his, quæ sub modo*, ita beneficium ob non expressum verum ejus valorem in expeditione literarum ipso jure vacat.

8 Probatur secundo *ex l. necessario ff. de pericul., & commod. rei vendit.*, ubi venditio sub conditione resolutiva valet, & ea non purificata evanescit, ita provisio Apostolica concepta cum hac clausula, de jure quidem
9 subsistit, sed non purificata conditione, resolvitur, provisus enim acquirit jus in beneficio non exequibile, nisi purificetur conditio, seu impleatur modus per expressionem veri valoris *cap. si pro te de rescript. in 6. Clementin. 1 de concess. præben. Paris. cons. 82. n. 7. lib. 4. Menoch. cons. 38. num. 15. 16. lib. 1.*, ubi dicit, quod provisio Papæ interim stat in sus-
10 penso, donec modus impleatur, & consequenter provisio Apostolica, quæ habet implicitum statum validitatis, ob falsam valoris expressionem statim corruit, & iterum
11 vacat beneficium, sicuti è contra per expressionem veri valoris factam in expeditione literarum provisio Apostolica confirmatur, perinde acsi ab initio fuisset pura, immo retrotrahitur ad diem datæ, quia puri, & purificati eadem est ratio *l. sed & si de sua circ. fin. ff. de acquiren. hæreditat. Jason. in l. quoties num. 3. ff. de verb. obligat. Surd. decis. 113. num. 6.*

Posito itaque, quod verus valor expressus non sit *juxta Regul. Cancellariæ*, hæsitandum non
12 est, quominus beneficium sic vacans possit à quocumque impetrari, impetratio tamen fieri debet, postquam primus provisus literas Apostolicas expedivit, & ratio est, quia facultas addendi, & minuendi in prima expeditione literarum consumpta remansit *per Text. in l. Boves §. hoc sermone, ibique Tiraquell. num 40. ff de verbor. significat. Mandoz. in Regul. 8. Cancell. quæst. 7. n. 2. 4. Rot. dec. 531. num. 3. par. 1. diversorum.*

13 Dixi post quam primus provisus literas Apostolicas expedivit, nam intra tempus expediendi literas non est locus impetrationi beneficii ob non expressionem veri valoris; Idque ex duplici ratione, quarum prima est, quia si licita, aut valida esset impetratio, daretur occasio obtinendi beneficium viventis, quod jura prohibent *cap. deliberatione §. prohibemus, ibique Gloss. de offic. legat. in 6. cap. 2. de concess. præben. cap. detestanda eodem tit. in 6.*; Secunda ratio ex eo dimanat, quia omnis provisio beneficiaria, quæ directe irrogat alii præjudicium, subreptitia est judicanda *cap. super eo de offic. Judic. delegat. cap. 2. de religios. domib. cap. quamvis de rescript. in 6.*, quod clarius habetur *in regula Cancellariæ de jure tertii quæsito non tollen.*

14 Nec quidquam suffragari potest primo proviso nova literarum Apostolicarum expeditio cum expressione veri valoris, quoniam in hac re actus expeditionis non est iterabilis, *ita disponente Regula 55. Cancellariæ*, quod & rationi innititur, quia regulariter omnis
15 actus, sive expeditionis, sive alterius rei de

jure intelligitur dumtaxat pro prima vice *l.
voves §. hoc sermone ff. de verbor significat l. &
licet , l. dotis promissio utrobique Bart. ff. de
jur. dot.*, idcirco ita provisus non potest ite-
rum literas expedire , & expediendo nihil agit
*ad Text. in l. servi electione ff. de legat. 1. l.
hujusmodi §. stichum ff. eod. l. apud aufidium
ff. de option. & liberat legat* , ubi dicitur ,
16 quod facta semel electione , amplius variare
non licet , & electio noviter facta eligenti
nil prodest , quod & ad literam disponit *Re-*
17 *gula 55. Cancellariæ* , quæ annullat omnes
expeditiones etiam motu proprio conceptas ,
*ut optime ratiocinatur Piton. discept 98. n. 9. 10.
cum seqq. tom. 3.*
18 Potest tamen primus provisus ante impe-
trationem factam , & ante jus impetranti
quæsitum obtinere literas revalidatorias pri-
mæ provisionis nulliter executæ ob tacitum
verum valorem , iterum supplicando, & quam-
vis omissio veri valoris ex dolo , & malitia
eum videatur operari effectum , ut nova gra-
tia dari non debeat , cùm malitiis hominum
indulgendum non sit , nihilominus , quia agi-
tur in tribunali gratioso , in quo rigor juris
ad praxim non deducitur , immo quia in quo-
libet dubio præsumitur reticentiam veri va-
loris ex negligentia potius obtigisse , ideo
nova gratia , quæ dicitur quædam restitutio
in pristinum statum , & jus , à quo quis ceci-
dit , non est deneganda , præsertim cum alii
non sit præjudicialis *ad text. express. in cap.
quamvis , ibique rubric. Gloss. , & interpret.
de rescript. in 6. Rot. decis. 255. num. 3. par. 3.
recen.* , & hoc casu sublata dicta nullitate ,
remanet adempta facultas impetrandi bene-
ficium .

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Regulæ *de exprimendo valore* non subjacet pensio , ubi de ratione .
2 Pensio nulliter confirmata non vacat .
3 Quod nulliter confirmatum est vacat , & perimitur , ubi declaratur .
4 Limita in pensione reservata in titulum beneficii .
5 Provisio apostolica cum clausula *salvo jure addendi* , & *diminuendi* tribuit jus in pensione obtenta per modum beneficiariæ institutionis .
6 Pensio , ut supra obtenta vacat , si in expeditione literarum expressio veri valoris facta non sit , & potest impetrari , ubi de ratione .

1 Regulæ *de valore exprimendo* pensio re-
servata ad vitam clerici non subjacet ,
hæc enim inventa est pro beneficiis ecclesiasti-
cis , à quibus annata , & media annata , alii-
que proventus solui debent juxta stylum Da-
tariæ ; ultra quod in petendo assensu pro pen-
sione reservata ab Episcopo super beneficio
ecclesiastico exprimi solet quantitas pensio-
nis , quod sufficit ad petendam confirmatio-
nem apostolicam in forma juris , & ratione
minoris , seu majoris pensionis , ut supra re-
servatæ , exigunt officiales Datariæ ea emo-
lumenta , quæ quanta sint , non est præsentis
inspectionis , unde potest dari nullitas aposto-
licæ confirmationis , si verum expressum non
2 sit , sed vacatio pensionis ex hoc capite non
est possibilis , nisi etiam dicatur vacare , &
3 perimi , quod nulliter confirmatum est *per
text. in l. id quod sub conditione ff. de constit.
pecun. l. conditio , ibique Gloss. ff. de verbor.
obligat.* , quod tamen dictum ad improprie-
tatem referas , quoniam proprie loquendo ,
quod nullum est , extingui , perimi , & vacare
non potest , ut patet .
4 Limitatur in pensione reservata clerico per
modum beneficiariæ institutionis , si tamen
conferri soleat , ut beneficium , tunc enim ,
prout in beneficiis , valor est exprimendus , &
5 si expressus sit in supplicatione cum clausula
salvo jure addendi , & *diminuendi* , provisio
apostolica tribuit jus , sed resolubile , si in
6 expeditione verus valor non exprimatur , &
in sequelam ex hoc capite pensio iterum va-
cat , & potest impetrari *juxta Regulam 55.
Cancellariæ* , non quia pensio sit , & talis de-
nominetur , sed quia verum est beneficium
ecclesiasticum *Abb. in cap. conquerente num. 5.
de cleric. non residen. Gig. de pension. quæst. 28.
num. 20. Jacob. Maurus allegat. 46. per tot.*

ARGUMENTUM.

De vacatione Beneficii , & Pensionis , si clericus ob grave crimen legitime monitus intra annum non compareat *ad ornatum Text. in l. 1. , & l. final. ff. de reis requiren.*

SUMMARIUM.

1 Absentes accusati , seu inquisiti de gravi crimine puniendi non sunt .
2 Absentes habent annum ad comparendum , quo elapso , omnia bona Cameræ Principis incorporantur .
3 Contumacia gravissimum crimen est , & privatione bonorum mulctandum .
4 Absentibus intra annum comparentibus bona annotata restituuntur .

5 Annus

5 Annus incipit à die annotationis bonorum, ubi de ratione.
6 Fiscus reis comparentibus post annum non tenetur restituere bona jam confiscata.
7 Distinguunt alii, ubi res est integra, vel non.
8 Hæc distinctio non servatur in praxi.
9 Beneficium clerici intra annum contumaciæ ex causa gravis criminis validè impetratur, ubi quod impetratio resolvitur, si intra annum clericus compareat.
10 Clericus post annum comparens de æquitate recuperat beneficium, si res adhuc integra sit, secus re non integra.
11 Amplia, si clericus ex rescripto Principis post annum admissus sit ad purgandam contumaciam.
12 Clericus contumax, & à Principe post annum in gratiam restitutus non recuperat beneficium alii collatum.
13 Limita, si constet de voluntate Principis restituentis, ubi exemplificatur.
14 Contumax quoties post annum auditur, semper apponitur clausula *sine præjudicio bonorum fisco incorporatorum*.
15 Differentia inter privationem beneficii, quæ fit intra annum ex sola contumacia, & privationem, quæ fit ex contumacia, & delicto simul. 20.
16 Sententia contumacialis non probat delictum.
17 Sententia contumacialis non inhabilitat ad beneficium assequendum.
18 Clericus condemnatus ad pœnas in monitorio contentas, beneficium alii collatum recuperat, sive intra, sive extra annum compareat, ubi de ratione.
19 Si judex declaraverit clericum incidisse in pœnas contentas in monitorio, cancellari debet pœna privationis beneficii, ubi rationes.
21 Revocatio sententiæ ex capite injustitiæ non trahit post annum reintegrationem beneficii.
22 Innocentia plenius succurrit, quam gratiosa Principis restitutio.
23 Innocentia, ubi alii non præjudicat, quid operetur.
24 Interpretantur *Text. in l.1 cod. de sentent. pass., & l. privilegia cod. de pac. Constan.*
25 Differentia inter laicos, & clericos quoad gratiosam restitutionem.
26 Clericus impeditus intra annum non comparens non habetur pro contumaci.
27 Contra clericos contumaces adduci non possunt statuta laicorum, & quomodo ab episcopis procedendum sit.
28 Annus ad comparendum ab episcopis diminui non potest, licet per sententiam judex intra annum clericum contumacem privare possit beneficio, si de crimine constet.
29 Bona annotata à fisco transeunt ad hæredes, si reus comparens intra annum moriatur.
30 Si Clericus intra annum compareat, & in carceribus decedat, beneficium vacat morte, non privatione.
31 Impetrans beneficium vacans per obitum præfertur impetranti ob privationem.
32 Limita, si impetrans ob privationem esset anterior in data cum clausula *quovismodo*, ubi declaratur.
33 Ubi delictum probatur, vel notorium est, comparitio clerici intra annum non tollit effectum rei judicatæ, ubi quod impetrans ob privationem præfertur impetranti per obitum 34.

CAPUT LXIX.

1 JUre civili receptum est ab-
sentes accusatos, seu inqui-
sitos de capitali crimine non
esse puniendos, nam æquitas
non patitur quemquam sine
defensione damnari *l. absen-
tem ff. de pœn. l. absentem
Cod. de accusat. l. 1. ff. de reis requiren.* ideo-
2 que ita absentes habent annum ad comparen-
dum, quo elapso omnia bona Cameræ Prin-
cipis incorporantur cum libera facultate alie-
3 nandi, & distrahendi; contumacia enim gra-
vissimum crimen est, & pœna privationis bo-
norum procul dubio mulctandum, quoties
absentes juridice moniti intra annum renuunt
4 se constituere; quod si intra annum compa-
reant, bona jam à Fisco annotata restituuntur
l. 1. l. final. ff. de reis requiren.
5 Annus autem ad comparendum computa-
tur à die annotationis bonorum factæ per
Principem, Fiscum, seu Magistratum edicto,
literis, aliisque monitoriis juxta stylum
Tribunalium *l. 4. ff. de reis requiren.*, quod
æquitas suadet, ut ita contumaces sciant,
quo tempore redire debeant, tum pro se ipsis
defendendis, tum etiam pro recuperandis
propriis bonis; interim tamen bona annotata
cum omnibus fructibus custodiri debent à
Principe, Fisco, seu magistratu, acsi essent
sub deposito restituenda intra annum, incor-
poranda post annum in patrimonium Principis
l. final. ff. de reis requiren.
6 Et quamvis reis comparentibus post annum
de rigore juris Fiscus non teneatur bona jam
confiscata restituere, nihilominus æquissima est
7 ea distinctio à nonnullis DD. adinventa, ut
nempe id procedat, si res amplius integra
non sit, forte quia Fiscus titulo oneroso, vel
lucrativo bona, ut supra confiscata in alium
distraxit, non enim restitutio bonorum fieri
debet in præjudicium alterius *l. 2. §. si quis ff.
ne quid in loco public. cap. quamvis de rescript.
in 6.*, secus si res integra non sit, quia bona
rei contumacis penes Fiscum adhuc rema-
nent; Hoc sane casu omnis æquitas dictat, ut
bona reo comparenti etiam post annum resti-
tuantur, & ratio est, quia annotatio, seu
confiscatio bonorum eo fine inventa est, ut
rei contumaces se constituant, ac se purgent
ab impetito crimine, de quo in actis adhuc
plene non constat. Cum igitur finis legis ob
spontaneam comparitionem etiam post an-
num habuerit intentum, lex ipsa quodam-
modo cessare videtur, præsertim si deinde
suam innocentiam ostenderint *per text. in l. 3.
§. final. ff. de bon. eor., qui ante senten. vel
8 mort. sibi consciv. &c* licet id non servetur in
praxi teste *Julio Clar prax. criminal. lib. 5. §. fi-
nal. quæst 44. num. 1. in fin.*
9 Hæc sine dubio applicabilia sunt clericis
contumacibus ex causa gravis criminis, quip-
pe quia eorum beneficia intra annum contu-
maciæ valide impetrantur, sicuti intra an-
num bona rei delinquentis solent annotari.
sed impetratio resolvitur, si clericus intra
annum compareat *Lotter. de re benef. lib. 3.
quæst. 18. num. 167. cum seqq. Rot. decis. 8.
num. 10. decis 177. num. 12. par. 11. rec. decis. 40.
decis 60. per tot. coram Priol. decis. 63 impress.
post Lotter. de re benefic. decis. 236. num. 11. cum
seqq. par. 15. rec.*
10 Similiter clericus legitime monitus etiam

post annum comparens de æquitate recuperat
beneficium, si res adhuc integra sit, secus
re non integra, quoniam reintegratio ad be-
neficium non datur in præjudicium impetran-
tis, quod etiam verum est, quamvis cleri-
11 cus ex Principis rescripto post annum contu-
maciæ admissus fuisset ad probandam suam
innocentiam, & ratio est, quia rescriptum
Principis non tollit jus quæsitum alii ex an-
nali mora, & contumacia, *ut explicant Lot-
ter. de re benef. lib.3. quæst.18. num.166. Rot.
decis.408. num.12. cor. Bich. decis.60. num.6.*
12 *cor. Priol.* Quinimmo clericus contumax ex
ratione jam dicta post annum non recuperat
beneficium alii collatum, quamvis gratiam
restitutionis in pristinum à Papa obtinuisset
*cap. quamvis de rescript. in 6. Card. de Luc.
de regal. disc.160. num.37. Mastrill. de indult.
cap.22. Ciarlin. controv.168. num.1.*, & in ter-
minis beneficii *Abb. in cap. ex tuæ num.15.
de cleric. non residen. Felin. in cap. inter qua-
tuor num.7. de judic.* quos refert, & sequitur
Peregrin. de jure Fisci lib.5. tit.2. banniti,
13 *damnati: & restituti num.41.* Unde propte-
rea, ut clericus contumax recuperare possit
post annum beneficium alii collatum, consta-
re debet de voluntate Principis gratiam con-
cedentis *DD. communiter in l.1. C. de sent.
pass. Rot. decis.715. num.1. par.4. rec. tom.3.
decis.125. num.1. coram Merlin. decis.1613.
num.22. cum seqq. cor. Coccin. decis.449. par.5.
recen.*, ubi plenario restitutus recuperat bona
confiscata à barone *decis.455. par.5. rec. tom.2.
decis.25. par 15. rec.* ubi quoque recuperat bo-
na à Fisco annotata.
14 Hodie tamen praxis est, quod quoties con-
tumax auditur post annum contumaciæ,
semper apponitur clausula *sine præjudicio bo-
norum Fisco incorporatorum*, quo casu sicuti
laicus non recuperat bona, ita clericus non
reintegratur ad beneficium *Farinace. cons.14.
num 7. ibique Adden. in fin. Lotter. de re benef.
quæst.18 num 164. lib.3. Rot. decis.60. num.9.
cor. Priol. decis.65. impress. post Lotter. de re
benef.*
15 Scire tamen interest inter privationem be-
neficii, quæ fit intra annum ex sola contu-
macia, & inter privationem, quæ fit ex con-
tumacia, & delicto simul; primo enim casu
clericus per comparitionem intra annum be-
neficium etiam alii collatum recuperat, cum
contumacia possit semper purgari, & purga-
ta censeatur, si clericus intra annum se con-
stituat, *ita habetur in Romana Canonicatus
S. Angeli ultim. Februarii 1567. confirmata
die 17. Maii ejusdem anni cor. Cotta*, quas
habes impressas *apud Farinace. de inquisit.
quæst.11. per tot.*, quod etiam novissime dixit
Rot. decis.60. cor. Priolo, ubi revocata sen-
tentia contumaciali, & constito de innocen-
tia contumacis, literæ impetrantis fiunt in-
16 exequibiles; deinde quia sententia contu-
macialis delictum non probat, nec lata præ-
sumitur in pœnam criminis, sed contumaciæ
dumtaxat *Bart. in l. Papinianus §. meminisse
ff. de inoffic. testam. Tondut. quæst. benefic.
cap.37. num.16. Rot. decis.148. num.2. cor.
Manzaned. decis.371. num.10., ibique Adden.
cor. Ludovis. decis.117. num.6. par 3. decis.8.
num.8. decis.369. num.10. par.11. decis.452.*
17 *num.6 par.19. rec. tom.2.*, ultra quod sen-
tentia contumacialis absque probatione, sed
cum rumore commissi criminis non inhabili-
tat clericum ad beneficium in posterum asse-
quendum *Rot. decis.408. num.22. cor. Bich.
decis.369. num.7. cum seqq. part.11. recen.*,
multo igitur minus privatus erit beneficio cle-
ricus, si intra annum compareat, ex auctorita-
tibus jam dictis.
18 Et eo fortius, si clericus condemnatus sit
tantummodo vigore contumaciæ, & monito-
rii, non vero per definitivam sententiam ad
pœnas in monitorio contentas, inter quas
etiam privatio beneficii expresse contineba-
tur; tunc enim beneficium alii collatum re-
cuperat, sive intra, sive post annum compa-
reat; & ratio clara est, quia sententia con-
tinens quem incidisse in pœnas privationis
non bene privat beneficio, cum potius sit
sententia comminatoria, ut clericus contu-
max compareat, quam condemnatoria, seu
definitiva, idcirco, si post annum compareat,
& innocens repertus sit, reintegratio ad bene-
ficium denegari non potest *Gloss. in cap. ex lite-
ris, versic. sed circa de constitut. Rot. decis.24.
num.4. cor. Pæn.*
19 His additur, quod, ubi à Judice declara-
tur clericum incidisse in pœnas contentas in
monitorio, cancellari debet pœna privatio-
nis beneficii, multiplicitas enim pœnarum
odiosa est ob solam contumaciam; satis est
igitur, quod clericus contumax subeat pœ-
nas pecuniarias, aut corporis afflictivas
abolita penitus pœna privationis beneficii;
Deinde pœna ordinaria puniendus non est,
qui pœnas extraordinarias dumtaxat incurre-
rat, præsertim hæc vera sunt, si clericus
inde fuit absolutus, quo casu reintegrandus
est ad beneficium etiam contra impetran-
tem *in puncto Rot. decis.2. cor. Achill. de dol.
& contumac.*
20 E' contra autem secundo casu beneficium
ipso jure vacat post annum contumaciæ, &
intra annum vacat per sententiam privationis,
dummodo tamen de crimine clerici contuma-
cis in actis concludenter constet, præsertim
si sententia in auctoritatem rei judicatæ tran-
sierit; Nec clerico contumaci, & privato,
ut supra ulla competit reintegratio, etiamsi
intra, vel extra annum compareat, quoniam
sententia contumacialis lata servatis servan-
dis cum documentis, & indiciis perpatrati
criminis habet vim definitivæ, cujus effectus
non tollitur per comparitionem, & conse-
quenter beneficii sic impetrati collatio de ju-
re subsistit, cum hoc tamen discrimine, quod
reo comparente intra annum collatio est re-
solubilis, si sententia tanquam injusta ex eis-
dem actis, vel ex noviter deductis inde revo-
cetur, è contra, reo comparente post an-
num, provisio impetrantis semper durat *ju-
xta distinctionem Sac. Rotæ decis.68. num.4.5.*
21 *par.1.*

21 *par.* 1. *diversor. decis.* 177. *num.* 3. *cum seqq. par.* 11. *recen.*; Nec revocatio sententiæ ex capite injustitiæ trahit secum post annum reintegrationem beneficii, & ratio est, quia tempore privationis clericus erat contumax, & veluti reus apud Judicem, & eo fortius post annum. Sane contumacia annalis crimen est, seu crimen sapit, ideoque revocatio sententiæ ex capite injustitiæ probat quidem clericum non fuisse reum criminis, sed non tollit effectum contumaciæ à die citationis post annum contractæ *l.* 1. *l. final. ff. de reis requiren. l.* 2. *cod. eod. tit. Farinacc. d. consil.* 14. *num.* 7., ubi clericus contumax non reintegratur post annum ad beneficium, etiamsi innocentiam suam concludenter probet *Rot. decis.* 60. *num* 6. 7. *cor. Priol. decis.* 236. *num.* 11 *par.* 15. *recen.*

22 Nec turbat, quod innocentia pariat eundem juris effectum, quem producit plenaria Principis restitutio, immo plenius succurrit restitutio per viam justitiæ, quam gratiosa restitutio *ad Text. in l. quod si minor. §. scevola ff. de minor. Peregrin. de jure fisci lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 44., ideoque clericus absolutus ex capite innocentiæ etiam post annum contumaciæ censetur restitutus ad beneficium *l.* 1. *cod. de sentent. pass. & in integr. restitut. l. privilegia de pac. constant.*

23 Respondetur, quod lex non operatur contra legem, nec innocentia inde detecta potest alii præjudicium irrogare *cap. quamvis de rescript. in* 6. Sane Innocentia operatur, ut clericus contumax quam cito debeat de alio beneficio provideri, vel reintegrari ad beneficium ob contumaciam amissum, sed requiritur voluntas Principis, qui expresse id dicat.

24 Ultra quod jura loquuntur de reis, non de contumacibus, *ita habetur in l.* 1. *Cod. de sent. pass.*, ubi agebatur de deportato ad Insulam, imo, ut ait ibidem *Gloss.* restitutio à Principe obtenta non extenditur ad bona per Fiscum alienata; Item *Text. in l. privilegia* locum habet in rebellibus, quorum bona, inita pace, debent restitui, & justa quidem ratione, quia pax habet vim plenariæ restitutionis in integrum, & ita loquuntur *Peregrin. & jura. de quibus supra.*

25 Et quamvis etiam bannitos, & contumaces possit Princeps in integrum restituere, nihilominus in hac re differt clericus à laico. Laicus enim quandoque restituitur ad omnia bona etiam per Fiscum distracta *Rot. dec.* 125. *cor. Merlin.*, & constat ex dictis supra *num.* 13. Sed clericus post annum contumaciæ non restituitur, nisi cum clausula *sine præjudicio confiscationis*, ut jam dixi, & ratio disparitatis est, quia laicus facilius restituitur ad ea bona, quæ propria sunt jure dominii, quam clericus ad beneficium, quod est patrimonium Christi. Clericus igitur sive Innocens, sive reus sibi imputet, si mandatis superioris intra annum parere detrectaverit.

26 Hæc, quæ dicta sunt, temperamento indigent, ut scilicet non procedant, ubi clericus juste impeditus intra annum comparere non potuit, nam sicuti non habetur pro contumaci, qui habuit justum facti impedimentum *Farinac. de inquisit. quæst.* 11. *num.* 50., nec pro præsente habetur, qui absens est ex necessitate *Varall. decis.* 64. *par.* 1., ita clericus contumax, constito de impedimento, semper est excusandus, ideoque sive compareat intra, vel extra annum, recuperat beneficium, quia apparenter videtur contumax, sed realiter non est talis.

27 Cæterum contra clericos contumaces adduci non possunt statuta laicorum, nisi in casibus à jure non expressis, sed procedendum est ab ordinariis juxta dispositionem juris, & constitutiones Apostolicas *Pii IV.*, & *Pii V.*, ubi post annum contumaciæ vacant ipso jure beneficia, sicuti bona post annum

28 Fisco incorporantur; Annus tamen ad comparendum ab episcopis diminui non potest, immo intra annum nulliter declarat Judex clericum beneficiis esse privatum, licet per sententiam definitivam intra annum privare possit, dummodo de crimine in actis concludenter appareat; quod est fundamentum sententiæ Judicis, & collationis beneficii ex hoc capite.

29 Denique pro supplemento præsentis materiæ illud prætereundum non est, quod reo comparente intra annum, bona annotata à Fisco transeunt ad ejus hæredes, si ille interim moriatur *l.* 1. *l. final. ff. de reis requiren.*, ita idem dicendum est de clerico contumaci;

30 Si enim intra annum compareat, & in carceribus decedat, beneficium vacat morte, non privatione, quoniam sententia privationis ex sola contumacia per comparitionem

31 intra annum jam resoluta est. Præterea si beneficium contendatur inter duos, quorum primus per privationem, alter per obitum beneficium impetravit, qui obtinuit per obitum, præfertur alteri in executione literarum Apostolicarum, quia verum vacationis modum expressit *cap. susceptum de rescript.*

32 *in* 6., quod tamen non procedit, si impetrans per privationem esset anterior in data, & in literis Apostolicis inserta esset clausula *quovis modo*, quæ comprehendit quamcumque vacationem, etiam de facto *Rot. decis.* 49. *num.* 5. *par.* 2. *rec. decis.* 37. *num.* 10. *cor. Ludovis.*, & in terminis privationis *Sarnen. decis.* 37. *de sequestrat.*, ideoque Impetrans per privationem præfertur vi hujus clausulæ Impetranti per obitum, dummodo tamen vacatio juris, seu facti probetur, sine qua vis supradictæ clausulæ nihil operatur *Rot. decis.* 416. *n.* 19. *par.* 4. *rec. tom.* 2., & in terminis *decis.* 40. *n.* 11. *cor. Priolo.*

33 Prædicta procedunt, si delictum probatum non sit, quoniam si de hoc concludenter constet in actis, & eo fortius, si crimen notorium sit, comparitio facta intra annum per clericum contumacem non tollit sententiam, nec effectum rei judicatæ *juxta distinctionem, de qua Rot. decis.* 68. *num.* 4. 5. *par.* 1. *divers. decis.* 177. *num.* 3. *cum seqq. par.* 11. *rec.*, &

34 in sequelam impetrans beneficium vacans per

per sententiam privationis præfertur impetranti per obitum ex ratione, quia in impetratione verum expressit *cap. suscep:um de rescript. in 6.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 CLericus contumax pro gravi crimine potest privari pensione, ubi quod, si intra annum compareat, ad pensionem reintegrandus est.

2 Quid requiratur, ut pensio ex capite contumaciæ extinguatur.

3 Clericus restitutus in integrum non recuperant post annum beneficium, nec pensionem.

4 Gratiosa restitutio obtenta à Principe intelligitur sine præjudicio alterius.

5 Pensio semel extincta amplius non reviviscit.

6 Clericus gratiose restitutus re integra beneficium recup erat, limita in pensione, ubi de ratione.

7 Gratiosa restitutio ad expectativam non extenditur, ubi quod restitutus non recuperat ea jura, quæ per damnationem extincta sunt, quod exemplificatur.

8 Pensio venit sub confiscatione bonorum, & transit in fiscum, ubi declaratur.

9 Pensio contumacis post annum extinguitur. declara. 10.

1 CLericus contumax pro grav. crimine potest à Judice pensione intra annum privari *Bellamer. decis.* 244.; Interim tamen per sententiam contumacialem pensio non extinguitur, quia clericus intra annum comparens pensionem recuperat, prout reintegratur ad
2 beneficium. Præterea, ut pensio extinguatur, requiritur annalis contumacia cum indiciis commissi criminis *l.* 1. *l. final ff. de reis*
3 *requiren.*. Quod verum est, etiamsi clericus post annum contumaciæ obtinuerit adversus sententiam restitutionem in integrum, quoniam admissus ad novas defensiones beneficium alii collatum non recuperat, etiamsi innocens post annum contumaciæ declaretur *Rot. decis.* 60. *num* 6. 7. *cor. Priol. decis.* 36. *num.* 11. *par.* 15. *rec.*, ergo multo minus pen-
4 sionem obtinere poterit; Item quia gratiosa restitutio obtenta à Principe intelligi debet sine præjudicio titularis *cap. quamvis de rescript. in* 6., & plene constat ex jam dictis; Ultra quod recepta est conclusio, quod gratiose restitutus non censetur ad pensionem
5 reintegratus, quæ eo ipso, quod semel extincta est, amplius non reviviscit *Farinac. de inquisit. quæst.* 6. *num.* 28. *versic. sed à clericis Sfortia de restitut. in integr. quæst.* 28. *artic.* 3. *num.* 32.

6 Et quamvis clericus gratiose restitutus re integra beneficia recuperat *Sfortia d. qu.* 98. *num.* 32. *versic. aut beneficium*, nihilominus id non procedit in pensionibus, nam restitutio ad id, quod est, censetur data, sed ad id, quod non est, concessa non præsumitur *ad theoricam Fortunii in l. Gallus §. & quid si tantum num.* 138. *ff. de liber & Posthum. Farinac. d. quæst.* 6. *num.* 28. *Sfortia d. quæst.* 98. ubi *num.* 37. dicit gratiosam restitutionem ad
7 expectativam non extendi *Peregrin. de jure fisc. lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 77., ubi restitutus non reintegratur ad ea jura, quæ per damnationem extincta sunt, ibique casum exemplificat in usufructu, cui non differt pensio.

8 Nec relevat, quod in confiscatione bonorum veniat pensio, & transeat in Fiscum ecclesiasticum *Gambar. de offic. legat. lib* 6, *quæst.* 7. *num.* 723., hoc enim procedit, ubi pensio clerici delinquentis ex causa gravis criminis confiscatur, secus ubi agitur de pensionis extinctione ob contumaciam annalem, aliud enim est cofiscare pensionem clerici delinquentis, aliud contumacis; sane pensio delinquentis confiscata transit in Fiscum *ex*
9 *auctoritate Gambari*, sed pensio contumacis post annum extinguitur *l.* 1. *& l final. ff. de reis requiren. Constit. Pii V.*, quæ in hoc à jure communi nil differt.

10 Hæc tamen ita intelligenda sunt, ut procedant, si privatio pensionis ex causa criminis de jure imposita sit, ut in delicto qualificato, proditorio, in crimine vindictæ transversalis, & abortus, secus, si de jure talis pœna non caveatur, ut in simplici homicidio, perjurio judiciali, cum similibus, & ratio est, quia contra contumacem non potest infligi major pæna, quam ea, quæ disposita est contra reum præsentem ex causa delicti, *ut docent Cephal. cons.* 79. *num.* 11. *Farinacc. cons.* 208. *num.* 8. *in fin. Giurb. consil. criminal.* 83. *num.* 18. *cum seqq. Ventrigl. consil. criminal.* 68 *num.* 1. *&* 2. *Bonden. collect. legal.* 46. *num.* 44., quæ conclusio vera est non solum, ubi agitur de privatione pensionis, verum etiam de amotione, & spoliatione beneficii ecclesiastici, utrobique pari concurrente ratione, *l. illud, ibique Gloss. ff. ad l. aquiliam*.

ARGU-

ARGUMENTUM.

De vacatione Beneficii, & Pensionis ob gratiam non registratam, ob non captam provisionem Apostolicam à clerico, qui ab Indultario institutionem beneficii obtinuit, ob non emissam professionem fidei, ob non susceptos ordines, & habitum regularem, ob decretum de recedendo à Curia cum obligatione redeundi ad residentiam, ob non solutionem annatæ, ob non impletas intra certum tempus conditiones in provisione Apostolica adjectas sub pæna vacationis beneficii, & pensionis *ad ornatum Gloss. in cap. quam sit versic. eo ipso de elect. in 6. & Gloss. in Clement. 1. versic. eo ipso de vit. & honest. clericor.*

SUMMARIUM.

1 Plures beneficiorum vacantiones in unum recolliguntur, & quare.
2 Vacat ipso jure beneficium ob gratiam non registratam, ubi exemplum in coadiutoria, & resignatione. 3.
4 Vacat ipso jure beneficium si gratia à Papa signata, sed nondum registrata per Papam, seu Datarium laceretur, ubi quod hæc non est proprie vacatio. 5.
6 Vacat ipso jure beneficium, si Papa gratiam jam registratam annullaverit in pænam provisi negligentis literas Apostolicas expedire.
7 Differentia inter lacerationem gratiæ, & collationem beneficii, ubi ratio disparitatis.
8 Prima gratia concepta *motu proprio* non venit sub generali revocatione, ubi declaratur.
9 Omnes gratiæ, quæ respiciunt interesse Cameræ intra tres menses non registratæ ipso jure annullantur *ex Bulla Pii IV*; quæ tamen gratias beneficiarias non comprehendit.
10 Gratia beneficiaria post trimestre, immo quandocumque potest registrari, & expediri.
11 Gratia coadiutoriæ, & resignationis potest registrari, & expediri post obitum coadiuti, & resignantis.
12 Rota *decis. 155. decis. 161. cor. Cels.* quo casu loquatur.
13 Vacat ipso jure beneficium ob non petitam intra sex menses provisionem Apostolicam, ubi differentia inter Principem, Cardinales, & Episcopos indultarios.
14 Beneficium per lapsum temporis ad petendam provisionem Apostolicam ipso jure vacat, & si reservatum sit, à solo Papa potest impetrari, secus si reservatum non sit, ubi quod collatio post lapsum temporis redit ad indultarium, vel ad Papam 15.
16 Tempus obtinendi provisionem Apostolicam sub pæna vacationis incipit à die captæ possessionis beneficii, seu quando per ipsum provisum stat, quominus possessio apprehendatur.
17 Vacat ipso jure beneficium ob non emissam professionem fidei intra duos menses à die captæ possessionis beneficii.
18 Vacat ipso jure canonicatus, seu præbenda ob non susceptos sacros ordines intra annum.
19 Vacat ipso jure commenda, si intra certum tempus provisus non suscipiat habitum regularem.
20 Vacat ipso jure beneficium ob decretum de recedendo à curia intra certum tempus.
21 Limita, si provisus sit in servitio Papæ, vel habeat indultum permanendi in curia.
22 Vacat ipso jure beneficium ob non solutionem annatæ.
23 Vacat ipso jure beneficium ob non adimpletas conditiones intra certum tempus adiectas in provisione Apostolica.
24 Paria sunt vacare beneficium vi legis, statuti, aut decreti.

CAPUT LXX.

1 Pro complemento materiæ, de qua agitur, discutiendum superest de pluribus aliis beneficiorum vacationibus, quas ideo in unum colligimus, quia quælibet ex se manca est ad explendum discursum distinctum, & separatum, prout usque in præsens differuimus, ac etiam quia facilius percipiuntur modi, quibus beneficia ipso jure vacant ad effectum ea valide conferendi, quod est primarius finis scribentis pro veritate.

2 Prima itaque vacatio beneficii est ob gratiam non registratam, quod accidit, ubi gratia post datam in libris Cancellariæ, Cameræ, aut Regestro ob incuriam ministrorum inserta non sit; Idque exemplificari potest in coadjutoria, seu resignatione beneficii; Finge igitur, quod clericus gratiam coadjutoriæ, quam à Papa obtinuit, registrare non curaverit, componendam non solverit, nec alia expleverit onera, quæ de jure, aut stylo Datariæ prætermitti non possunt, & interim, defuncto coadjuto, alter beneficium uti vacans per obitum impetraverit, utique impetratio de jure subsistit, quoniam gratia coadjutoriæ ante registrationem jus considerabile coadjutori non tribuit, idcirco Papa, qui deinde alii beneficium contulit, declarare videtur, quod gratia coadjutoriæ amplius non valeat *Gabriel. cons. 186. n. 10.*

Ros-

Rot. decis.791. num.15. par.1. diversor. decis.155. num 18. cor. Cels.; Neque hic opus est, quod constet expresse de contraria mente Papæ, quia sicuti Papa confert beneficium eo modo, quo vacat, ita conferendo, coadjutori, qui nullum jus habet in beneficio, præjudicium non irrogat, immo si quid forte jus ad beneficium habuit, per hanc collationem sine dubio privasse censetur.

3 Hisce etiam rationibus, & fundamentis procedendum est in resignatione beneficii, si enim resignatarius habeat gratiam à Papa signatam cum data juxta stylum, & deinde resignans ante registrationem gratiæ decedat, utique beneficium vacat morte resignantis, ideoque impetratio beneficii sic vacantis obtenta à tertio valida adjudicanda est adversus resignatarium, cujus gratia ob collationem à tertio obtentam, & registratam expiravit, itaut amplius retrotrahi non possit, cum subjectum amplius non extet, quod possit registrari, eo modo, quo insinuatio donationis non suffragatur donatario, postquam donans suam retractavit voluntatem, donationem jam factam revocando *Rot. decis.161. num.1. & 14. cum seqq. coram Cels.*

4 Pari jure vacat beneficium, si gratia à Papa signata, nondum tamen registrata, per Papam, seu Datarium laceretur, quoniam jus, quod per provisum super beneficio quæsitum est, per lacerationem gratiæ statim resolvitur, quod sine dubio potest fieri, præsertim ex causa, dum gratia habet implicitam conditionem, nisi aliud Papæ, seu Datario visum fuerit *Gorz. de benef. par.4. cap.2. num.16. Rot. decis.68. num.9. por.5.*
5 *rec. decis.155. num.15. cor. Cels.*. Hæc tamen non est proprie vacatio, quia gratia nondum registrata jus considerabile ita proviso non tribuit *Garz. d. cap.2. num.16. Rot. decis.155. num.16. cor. Cels.*

6 Secunda beneficii vacatio est, si Papa annullaverit gratiam jam registratam in pænam provisi, qui literas apostolicas expedire neglexerat, de hac tamen voluntate expresse constare debet, cum agatur de gratia, quæ regulariter non est revocabilis, nisi ex gravi causa; item agitur de collatione beneficii, quæ tribuit jus proviso, & consequenter ob revocationem gratiæ jam registratæ beneficium iterum vacat; verum tunc de tali voluntate apparet, si Papa, *non obstante quacumque alia gratia alii motu proprio*, beneficium vacans per obitum conferat, & ratio est, quia hujusmodi clausula importat, ut secunda gratia valeat omni meliori modo *cap.si motu proprio de præben.in 6.Clementin. si romonus eod. tit. ubi omnes*; Hæc sunt juris principia, quæ nullam habent dubitationem, ubi constet de voluntate Papæ alii conferentis beneficium, *ita habetur in dicta decis.155. decis.161. cor. Cels.*, idque ratio suadet, si enim Papa potest privare beneficio clericum ob gratiam non registratam ex incuria officialium, multo magis ex culpa provisi, qui diu distulit post gratiam registratam literas apostolicas expedire.

7 Advertendum tamen est, quod laceratio gratiæ sive registratæ, sive non, facta per Papam semper importat privationem beneficii, seu juris, quod in eo quis habuit, nam ex hujusmodi actu constat evidenter, quod Papa primam gratiam annullavit, seu revocavit; è contra vero ex simplici collatione beneficii id inferri non potest, quoniam collatio non est actus necessario inferens mutationem voluntatis, sed potius indifferens, imo quandoque mens Papæ potest esse contraria ex eo, quod, si Papa scivisset se unum per prius de hoc beneficio providisse, forte alii gratiam ejusdem beneficii non concessisset *cap. super literis, cap.si proponente de rescript.*, deinde ex potestate, quam Papa habet lacerandi primam gratiam, inferri non potest, quod primam per secundam gratiam laceraverit; distat enim valde potentia ab actu *Natt. cons.504 num.2. versic.non enim Rot. decis.534. num.3. par.3.rec.*

8 Quod præsertim procedit, si prima gratia concepta sit *motu proprio*, quia tunc quodammodo videtur hæc gratia singularis, quæ non venit sub generali revocatione, nisi de ea specialis fiat mentio *cap. cæterum, Gloss. in cap.1.de rescript., ubi scribentes*, ideoque per secundam gratiam non revocatur prima, sive registrata sit, sive non, nec vacat beneficium, quod primo proviso collatum est ex capite, quod deinde alter fuit provisus; sane sicut hujusmodi clausula favore impetrantis primam gratiam annullat, ac beneficio privat, ita secunda gratia remanet infirma, nec privat beneficio primum provisum, si ejus gratia hac clausula munita sit; Ita à pari in hoc casu, arguendo à contrario sensu, quod in jure fortissimum argumentum est, ac reducit jura ad æqualitatem, ita quod dispositum in uno casu, locum habeat in casu opposito *cap. cum Apostolica de his, quæ fiunt à Prælatis l. ex eo ff. de testib. l. qui testamento §. mulier ff. de testam. Rota decis.445. n.55. cor. Durono*.

9 Et quamvis ratione dubitandi objici possit omnes gratias intra tres menses non registratas ipso jure annullari, & revocari *ex Bulla 98. Pii IV.*, attamen id non officit habenti gratiam beneficiariam, dum constitutio Apostolica loquitur de gratiis, quæ respiciunt interesse Cameræ Apostolicæ, ideoque gratias beneficiarias nullo modo comprehendit, aliud enim est Camera Apostolica,
10 aliud Dataria; Ultra quod gratia in beneficialibus semel concessa etiam post trimestre potest registrari, ac expediri *Gabriel. cons.151. num.22. lib.2.* immo potest quandocumque expediri, cum nullum præfixum tempus habeat, quo expedienda sit *Rot. decis.656. n.4. in fin. par 2. rec.*, potissimum si per registrationem, & executionem postmodum subsecutam nulli irrogetur præjudicium & ita docet
11 praxis Datariæ, quoniam gratia coadjutoriæ, & resignationis potest registrari, & expe-

expediri etiam post obitnm coadjuti, &
resignantis *Card. de Luc. de benef. disc* 42.
*num.*2., & latius *apud. Rot. decis.*155. *de-*
12 *cis.*161. *cor. Cels.* ubi decisum fuit gratlam
coadjutoris esse exequendam contra eum, qni
beneficium vacans per obitum coadjuti à Pa-
pa impetravit, & justa quidem ratione, quia
gratia coadjutoris erat anterior in data, &
in sequelam præferenda gratiæ impetrantis,
qui pro obtinenda præiatione beneficii tene-
tur probare ejus provisionem obtentam
fuisse ante registrationem gratiæ coadjutoris,
quod est actoris fundamentum, *ut habetur in*
*d. decis.*161. *num.*1. *cum seqq. cor. Cels.*
13 Tertia vacatio beneficii est ob non petitam
intra sex menses provisionem Apostolicam;
hæc autem vacationis pæna ex tenore indulti
Apostolici contra provisum inducta est, cum
hac tamen differentia, quod provisus à Prin-
cipe indultario regulariter habet terminum
sex mensium ad petendam à Papa provisio-
nem; è contra proviso ab Episcopis, & Car-
dinalibus indultariis datur quoque terminus
pro eodem effectu, sed diversimode, provi-
sus enim ab Episcopo, seu Cardinali indulta-
rio de beneficio existente ultra montes gaudet
privilegio octo mensium, quod si citra montes
existat, terminus quatuor mensium ad pe-
tendam provisionem, ut supra, impartitur,
14 quo elapso beneficium ipso jure vacat,
& si reservatum sit, à solo Papa potest impe-
trari *Garz. de benef. par* 6. *cap.*3. *num.*169.
*Crescent. decis.*18. *de præben. Rot. decis.*523.
*num.*66. *par.*19. *rec.*, alioquin, si beneficium
reservatum non sit, iterum quidem vacat post
lapsum sex mensium *Rot. decis.*665. *num* 2.
15 *par.*2. *rec.*, sed collatio redit ad indultarium
juxta unam opinionem, vel ad Papam juxta
aliam *Rot. decis.*346. *per tot. decis.*351. *num.*5.
*cor. Put. lib.*2., *& latius habetur in cap.*52.
per tot.
16 Et quamvis in indultis Principum, Cardi-
nalium, & Episcoporum regulariter inseri so-
leat clausula, ut post lapsum quatuor, sex,
& octo mensium à die datæ, seu provisionis,
beneficium eo ipso vacare censeatur, si intra
dictum tempus provisio Apostolica non peta-
tur, nihilominus hujusmodi tempus metitur
à die captæ possessionis, in qua consistit actua-
le jus percipiendi fructus juxta stylum, &
praxim, de qua *Rot. decis.*31. *num.*28. 29.
*par.*10. *rec.*, seu quando per ipsum provisum
stat, quominus possessio beneficii apprehenda-
tur Garz. *de beneficiis par* 6. *cap.*3 *n.*161. 163.
postmed. versic. seu à die, ubi Rot. in una
Hispalen. fructuum 15. *Martii* 1596. *cor. Lit-*
ta, & ratio evidens est, quia possessio, quæ
capi potest, in odium provisi habetur pro
capta *l. jure civili ff. de condit.*, *& demon-*
*strat. cum relat. in cap.*54. *num.*4. *de vacat. ob*
non paritionem decreti de dimittendo primum
beneficium intra duos menses à die captæ posses-
sionis secundi.
17 Quarta vacatio beneficii est ob non emissam
professionem fidei; Sane de hac vacatione in
jure nil cautum habetur, nec ex Tridentino,
quod provisos fructibus beneficii tantum pri-
vat cum obligatione eos restituendi, quate-
nus de facto percepti sint, *ut habetur in*
*sess.*24. *cap.*12.. Quomodo ergo beneficia
ecclesiastica ipso jure vacant ex hoc capite?
Respondeo, quod olim possessorea beneficio-
rum professionem fidei non emittehant, &
interim percipiebant fructus contra Tridenti-
ni decretum, & præsertim quia agebatur de
pæna ecclesiastica noviter à PP. Tridentini
inventa, hinc proinde Papa uti primus Fidei,
ac Catholicæ Religionis defensor, ut provi-
sos omnes de beneficiis in curia, & præser-
tim eos, qni extant in partibus ultramonta-
nia in Orthodoxa doctrina contineret, con-
suevit in provisionihus Apostolicis apponere
decretum vacationis beneficii eo ipso, si intra
duos menses à die captæ possessionia beneficii
provisus professionem fidei in manibua episco-
pi, seu ejus Vicarii, aut coram Capitulo non
emitteret; Hujusmodi autem Apostolica pro-
visio non est concepta sub conditione suspen-
siva, sed resolutiva, dum jus beneficiati ob
non emissam fidei professionem intra d. tem-
pus resolvitur, sicuti resolvitur venditio facta
sub conditione, si melior oblator superveniat
*l.*1. *& 2. ff. de in diem addictione*. Porro si-
cuti vera est venditio facta sub conditione, &
resolvitur, si melior oblator superveniat,
ita vera est provisio Apostolica, quæ ob non
emissam professionem fidei, ut supra, viri-
bus omnino evacuatur vi decreti *Gloss. in cap.*
quam sit versic. eo ipso de elect. in 6. *Glossr. in*
*Clement.*1. *versic eo ipso de vit. & honestat.*
clericor. Roman. cons 427 *num.*9., & conse-
quenter beneficium ita vacans potest impetra-
ri à Papa. En ex quo capite vacant ipso ju-
re beneficia, officia, & ministeria ecclesia-
stica ob non emissam fidei professionem infra
certnm tempus in provisione Apostolica ad-
jectum.
18 Rursns notandum est, quod interdum ne-
cessitas, vel utilitas ecclesiarum exigit, ut
beneficia, præbendæ, & canonicatus habeant
annexum ordinem præsbyterii pro obeundis
functionibus ecclesiasticis cum similibus,
unde in ejus collatione potest adiici clausula,
ut intra annum teneatur ita provisus ad sa-
cros ordines promoveri sub pœna privationis
eo ipso *cap. quæris de ætat. & qualitat.* ibi =
auferantur beneficia &c. = ibi = *per amissio-*
nem locorum, & beneficiorum &c. = ; quæ
quidem verba non tam de sententia hominis,
quam legis possunt juridice interpretari, si
ita Episcopo hanc pænam adiicere piacuerit
Text. sunt expressi in cap. licet Canon. cap.
nemo deinceps cap. cum ex eo cap. commissa de
elect. in 6. & habetur *apud Geminian. in cap.*1.
*num.*7. *de Constit. in* 6. *Federic. de sen. cons.*182.
*in fin. Alexand. cons.*55. *num.*15. *versic. opus*
*est lib.*4.
19 Similiter extant in ecclesia beneficia, &
commendæ, quæ exigunt qualitatem regu-
laris, ideoque solet quis provideri sub ea lege,
ut intra sex menses teneatur sub hac pœna
suscipere habitum regularem, quibus elapsis

vacat ipso jure beneficium, seu commenda vi decreti, quod in provisione apostolica insetitur *Rot. decis.632. par.3. lib.3. diversor.*

20 Similis vacatio est, & fit ob decretum de recedendo à Curia intra certum tempus pro prima, secunda, & tertia vice, ac sub obligatione redeundi ad residentiam. Hanc enim vacationem satis exprimunt clausulæ, ac verba effrænata, *eo ipso*, *& absque ulla sententia declaratoria* in dicto pænali decreto apposita, quæ quidem clausulæ, & verba procul dubio sunt latæ sententiæ, & inducunt novam beneficii vacationem cum facultate impetrandi, si provisus non recesserit à Curia, & intra sex menses ad residentiam non redierit *Gloss. in Clementin.1. versic. eo ipso de vit. & honestat. clericor. Gratian. discept. forens.*
21 *cap.990. num.6. lib.5.*, dummodo tamen ita provisus actu non sit in servitio Papæ, aut legitime impeditus, aut alias intermedio hoc tempore obtinuerit indultum à Sac. Congregatione Concilii de permanendo in Curia pro tuendis juribus ecclesiæ, vel causa studiorum cum similibus *Rot. decis.314. par.18. recen.*

22 Nec ab his differt vacatio beneficii, quæ sine dubio incurritur ob non solutionem annatæ, quæ Papæ de jure debetur *ex Constitut. 11. Pauli IV.*, *& Constitut. 33. Sixti V.*

23 Idem demum dicendum est de aliis beneficiorum provisionibus, quæ sæpissime in Dataria sub onere implendi intra certum tempus quasdam conditiones, quarum non implementum operatur, ut jus, quod in beneficio per provisum quæsitum est, statim resolvatur *l.1. & 2. ff. de in diem addict.*, & in sequelam vi decreti vacat ipso jure beneficium, prout vacat ex causis in jure expressis etiam cum fa-
24 cultate impetrandi, paria enim sunt quoad hujusmodi effectum vacare beneficium vi legis, statuti, aut decreti *cap. quam sit ibique Gloss. versic. eo ipso de elect. in 6. Gloss. in Clement.1. versic. eo ipso de vit. & honestat. clericor. Tiraquell. in l. si unquam vers. revertatur. n.142. Roman. cons.427. num.9.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Pensio vi decreti pluribus modis vacat, & extinguitur, ubi exemplificatur.
2 Decretum irritans Papæ, vel episcopi adiectum in reservatione pensionis inducit formam.
3 Cessante forma cessat etiam formatum.
4 Cessante forma permissiva succedit forma destructiva, quæ pensionem perimit.
5 Limitata pensionis conditio limitatum producit effectum.
6 Concessa ad tempus post tempus censentur denegata.
7 Pensio pure & sine causa reservata vi decreti, & facto titularis extinguitur 8.

1 Pluribus etiam modis vacat pensio vi decreti, quod exemplificatur in clerico, qui pro valide retinenda pensione tenetur intra certum tempus petere confirmationem apostolicam, expedire literas, laurea doctorali, seu sacris ordinibus insigniri, ita enim importat clausula *eo ipso*, quæ in hisce indultis, & reservationibus aliquando adiici solet *Clementin.1.*, *ibique Gloss. versic. eo ipso de vit.*, *& honestat. clericor. Tiraquell. in l. si unquam verb. revertatur num.142.*, & in similibus *Spad. cons.115. lib.2. Rot. decis.390. num.1. cor. Manzaned. decis.617. num.1. part.1. rec.* Et ratio satis solida est, quia pensio ut supra reservata vel ab indultario, vel ab Epis-
2 copo recipit formam à decreto Papæ, seu Episcopi *Bald. in l.1. num.2. ff. de liber. &*
3 *Posthum. Soccin. Jun. cons.71. num.23. lib.1.*, ergo cessante forma, cessat etiam formatum *cap. cum cessante de appellat.*, & sic cessante
4 forma permissiva, succedit forma destructiva, quæ pensionem sic reservatam perimit.
5 Ultra quod limitata pensionis conditio limitatum producit effectum *l. in agris ff. de acquiren. rer. dominin. l. cancellaverat ff. de his, quæ testamento delentur*, & faciunt ad
6 hoc, quod concessa ad tempus, post tempus censentur denegata *ad Text. in l. statu liberum §.1. ff. de legat.2. l. Imperator. ff. de postulan.* & in terminis pensionis *Rot. dec.617. n.2. p.1. rec.*
7 Insuper de stylo Curiæ pensio pure, & sine causa reservatur sub tamen expressione certi valoris, & cum decreto, ut quandiu titularis pensionem in vita, & quandiu beneficium obtinuerit, non persolverit realiter, & cum effectu, eo ipso sit nulla *Rota decis.342. in princip. & per tot. par.4. rec. tom.2.* Sane pensionarius expressionem veri valoris per ascensum probare tenetur, quo non justificato propter subreptionem pensio in totum extinguitur *Garzias de benefic. part.1. cap.5. num.427. versic. ad secundum Crescent. decis.17. num.1. & 2. de rescript. Rota decis.626. num.5. par.1. divers.* Deinde validitas pensionis tota pendet à titulari, idest si realiter, & cum effectu eam solvat pro eo tempore, quo vixit, & beneficium obtinuit juxta formam decreti, ergo solutione non probata, ut supra, pensionem vi decreti extingui planum est *Lucana pensionis die 21. Aprilis 1617. cor. Pirovan Rot. dec.569.*
8 *per tot. cor. Cavaler.* Ita ergo pensio ex non facto titularis perimitur, quod speciale est in pensione pure, ac sine causa reservata alii, qui beneficium non possidebat, nam hujusmodi pensio dicitur exorbitans, ac veluti de facto imposita, nec mirum, si ex non facto titularis, idest, si non solvat, de facto revocetur, quod est notandum.

TRA

TRACTATUS

De Vacatione Beneficiorum, & Pensionum Ecclesiasticarum ob privationem, vel ipso jure in casibus à jure expressis.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, ac Pensionis ob privationem, depositionem, & degradationem *ad ornatum Text. in cap. ex literis cap. gravem de excessib. Prælator.*

SUMMARIUM.

1 VAcatio beneficii ex facto hominis,

2 Vacant ipso jure beneficia, ubi judex per sententiam privat, & amovet clericum à beneficio.

3 Explicatur conclusio generalis per alias speciales, & quare.

4 Vacat ipso jure beneficium ob homicidium voluntarium, si clericus per sententiam judicis privetur, imo videtur, quod ipso jure privatus sit. 5. ubi declaratur.

6 Vacat ipso jure beneficium ob homicidium qualificatum, si clericus per sententiam spoliatus sit.

7 An beneficium clerici homicidæ damnati à judice laico ad pœnam ultimi supplicii possit tanquam vacans impetrari, prima sententia negat, secunda affirmat. 8., ubi quid sit agendum per impetrantem.

9 An clericus conjugatus officio, quod ad vitam in Ecclesia possidet, privari possit, si uxorem in adulterio apprehensam occiderit; Negant jura civilia, sed contra. 10. Ubi differentia inter virum, qui uxorem, & Patrem qui adulterum cum filia occiderit.

11 Clericus conjugatus occidens filiam cum adultero præbenda non est privandus, sed contra ibidem.

12 Clericus propter perjurium judiciale beneficio privandus est, secus in perjurio privato.

13 Differentia inter perjurium judiciale, & extrajudiciale.

14 Clericus sacrilegus beneficio privandus est, idem in clerico sortilego. ubi quod sortilegus in aliquibus casibus damnatur ad mortem 15.

16 An Clericus damnatus ad perpetuas triremes ipso jure beneficium amittat, defenditur ex legibus civilibus opinio affirmativa, distinguitur. 17.

18 An beneficia ipso jure vacent ob infamiam, distinguit *Fagnan*; sed distinctio non satisfacit, & quare. 19. distinguitur inter qualitatem delicti, & pœnæ resolvitur quæstio. 20.

21 Clerici adulterantes intra Italiam monetas aureas, vel argenteas beneficiis spoliari debent, imo ipso jure privati sunt ibidem.

22 An clericus, seu diaconus missam celebrans, & audiens confessiones beneficio sit privandus, prima opinio negat, sed contra ibidem ex constitutionibus Apostolicis, exemplo *Alcibiadis* relato a *Plutarco* in ejus vita.

23 Clerici minores missam celebrantes, & monetarum falsarii beneficiis non privantur.

24 Clerici alchimistæ beneficiis privandi sunt.

25 Clerici falsificantes sigillum Principis, aut publica instrumenta beneficiis spoliari debent, ubi declaratur.

26 Clericus falsarius beneficiis est spoliandus.

27 Clericus exauctoratus, seu à clericatu rejectus per sententiam in judicatum transactam ipso jure amittit beneficium, exemplo militis.

28 Beneficia, quæ vacant per sententiam privationis possunt conferri. & impetrari.

29 An collatio beneficiorum sic vacantium spectet ad Episcopum. seu ad Papam, duplex opinio affertur. 30 distinguitur. 31. subdistinguitur. 32. ubi res exemplo declaratur. 33. 34. 35..

36 Beneficium de jure vacat per sententiam justam, & validam, secus si nulla, & injusta sit, ubi quod clericus ad beneficium est reintegrandus.

37 Pendente appellatione, seu post revocationem sententiæ beneficium non vacat privatione, sed morte, si clericus sic privatus interim decedat, ubi explicatur, ào vacet in curia, vel extra.

38 An clericus criminosus privari possit ab episcopo beneficio, quod in alia extat diœcesi, prima opinio negat, secunda affirmat, quæ verior est. 39. distinguitur. 40.

41 Vacant ipso jure beneficia per sententiam privationis, si à jure, & conciliis denegatur appellatio in suspensivo, ubi exempla.

42 Beneficia per privationis sententiam vacant post decem dies datos ad appellandum, secus si appellatum sit, ubi quod beneficia non vacant, nisi post tres conformes.

CAPUT I.

1 Ictum est usque in præsens de beneficiis vacantibus ex dispositione legis, sequitur nunc, ut nonnulla adjiciamus de vacantibus ex facto hominis, & hæc est altera pars, quæ præsentem tractatum perficit juxta divisionem, quam usque ab initio præmisimus.

2 Vacant igitur beneficia, canonicatus, præbendæ, aliaque ministeria ecclesiastica, quando scilicet Judex ex causa gravis criminis pronunciat clericum beneficio, præbenda, & canonicatu privandum, & amovendum esse, ac post sententiam, & rem judicatam privat, & amovet, alii conferendo beneficium, ipsumque provisum in possessionem ecclesiæ, seu beneficii vacantis cum effectu immittit *cap. ex literis cap. gravem de excess. Prælator. cap. propofuit in fin. ibique Gloss. in versic. vacare de concess. præben. Felin. in cap. ad petitionem num. 2. de accusat. Franch. in cap. præsenti §. sane num. 4. de præben in 6.*

3 Hæc est conclusio, quæ in genere nullam habet dubitationem, facilius tamen percipietur, si casus, quibus clerici privantur, ac per privationem eorum beneficia vacant, in specie explicabuntur, ne alioquin juxta notum adagium, dum brevis esse volo, obscurus fiam.

4 Dico itaque primo, quod propter homicidium voluntarium vacat ipso jure beneficium, si clericus per sententiam Judicis privetur, quoniam hujusmodi crimen privatione beneficii dignum est *cap. quæsitum de temporib. ordination. cap. clericis ne clerici, vel monaci cap. inquisitionis de accusat. cap. ex literis de excess. Prælatar. cap. Henricus de cleric. pugnan. in duell. Salsed. pract. Criminal. cap. 94. per tot. Garz. de benefic. par. 11. cap. 3. n 97. Gabriel. consf. 197. num. 7. l b. 1. consf. 187. lib. 2. num. 1. Marcus decis. 398. per tot. lib. 2*; Immo

5 videtur, quod clericus ipso jure beneficio privatus sit *ex Tridentin. sess. 14. cap. 7.* per illud verbum *careat*, quod latam, non ferendam sententiam præseferre videtur *per Text. in cap. ad hæc in fin. de rescript. cap. penultimo in fin. de desponsat. impuber. Felin. in cap. ex tenore num. 17. cap. Rodulphus num. 27. de rescript. Corsett. singular. 35. per. tot.*, quod juridice motivatur, ut ita impetrator beneficii ex hoc capite etiam hoc argumento uti valeat, potissimum cum Datariæ stylus sit in literis Apostolicis directis executori inserere clausulam, *ut privet*, *vel privatum declaret*; Licet verius sit, quod verbum *careat*, ferendam sententiam importat juxta opinionem aliorum, quos refert *Felin. locis citatis*.

6 Fortius vacat beneficium ob homicidium qualificatum, si clericus de crimine convictus per sententiam Judicis spolietur, quoniam criminis atrocitas, quæ respectu clerici inest in simplici homicidio voluntario, crescit in qualificato, cum durius sit occidere consiliarium Principis, Parochum, quam simplicem civem *ex plene deductis per Gabriel consf. 187. num. 14. & per tot. lib. 2.*

7 Hinc ad rem nostram grave oritur dubium, an beneficium clerici homicidæ damnati à Judice laico ad pœnam ultimi supplicii vacet, & impetrari possit, Prima opinio negat ex recepta propositione, quod Judex laicus nullam de jure habet potestatem in personam clerici delinquentis, idcoque ejus sententia contra clericum prolata nullam habet juris firmitatem, nec ullo modo crimen probat *Text. sunt expressi in cap. ecclesia S. Mariæ de constitu. cap. decernimus cap. at si clerici cap. clerici cap. cum non ab homine de Judic. cap. 1. de immunit. ecclesiæ in 6. l. ultima cod. si non à competenti Judic.*

8 Secunda opinio affirmat impetrationem beneficii de jure sustineri, quoniam sententia Judicis laici, si non de jure, saltem de facto probat delictum; ergo Executor Apostolicus potest procedere ad privationem beneficii, quod tamen verum est, si acta Judicis laici repetantur coram Judice ecclesiastico, quæ si in forma juridica sint, & concludenter probent delictum, nulli dubium est, quo minus executor pronunciare possit literas impetrantis esse exequendas; & ratio est quia beneficium per sententiam executoris vacat de jure, & per sententiam judicis laici, qui ad privationem beneficii processit, vacat de facto, ideoque ex utroque capite de jure subsistit impetratio beneficii obtenta in Curia contra clericum homicidam voluntarium *cap. at si clerici, ibique Gloss. cap. cum non ab homine de Judic., cap. Inquisitionis de accusat.*

9 Aliud quoque dubium oritur de clerico conjugato, an scilicet præbenda, seu officium, quod ad vitam in ecclesia possidet auctoritate Episcopi, seu Capituli, vacet per sententiam privationis, si uxorem in adulterio deprehensam occiderit? Negant jura civilia, quia viro sic uxorem occidenti pœna ordinaria remittitur, cum difficillimum sit in hac re dolorem viri temperare *l. marito l. adulterium §. Imperator ff. ad leg. Jul. de adulter.*, ita à pari, nam privatio præbendæ quoad clericum conjugatum dicitur pœna ordinaria, sicuti est quoad laicum ultimum supplicium, si igitur ob hujusmodi crimen laicus de jure nequit damnari ad pœnam ordinariam, multo minus clericus conjugatus privandus erit præbenda, seu officio, quod ab Episcopo, seu Capitulo ad vitam obtinuit.

10 Sed contrarium verius esse in puncto juris arbitror, cum non viro uxorem, sed patri adul-

adulterum cum filia impune liceat de jure occidere, quod speciale est in patre, qui pietate paterni nominis pro liberis consilium capit *l. patri l. nec in ea ff. ad leg. Jul. de adulter.* Si igitur viro non licet impune occidere uxorem in adulterio deprehensam, multo minus licebit clerico conjugato, qui judicio ecclesiæ subjacet in criminalibus *cap. unico de cleric. conjugat. in 6.*; Et quamvis de jure civili verum sit, quod viro ob hujusmodi homicidium ultimum supplicium remittatur, nihilominus extra ordinem puniendus est ex juribus jam dictis, secus in clerico conjugato, qui sine dubio præbenda privandus est, cum hæc crimina sub hac pœna clericis omnibus indistinctè sacris legibus interdicantur *cap. ut si clerici. cap. cum non ab homine de Judic., cap. Inquisitionis de accusat., cap. sicut dignum de homicid. voluntar.*

11 Nec ex his inferas clericum conjugatum occidentem adulterum cum filia præbenda non esse privandum, ex eo quod patri in totum de jure civili pœna remittatur, quoniam respondetur, quod clericus conjugatus in foro ecclesiæ, cui subest ratione clericatus, & præbendæ, graviter deliquit, deinde non decet, ut vir sanguinis ecclesiasticis perfruatur stipendiis, idcirco præbenda statim spoliandus est. & alter in ejus locum subrogandus, ut ita per privationem præbenda laicalis plenè vacet, saltem de facto *cap. ex literis de excessib. Prælator. Tridentin. Sess. 14. cap. 7.*

12 Dico secundo, quod clericus propter perjurium judiciale beneficio privandus est, licet in perjurio privato id locum non habeat; Et quamvis quoad Deum ità perjurus sit, qui jurat falsum in judicio, prout qui extra judicium falsum dicit, nihilominus quoad homines unum perjurium valde differt ab alio; quippe quia perjurium extrajudiciale tendit in præjudicium animæ solius jurantis, ideoque visa fuit nimium exorbitans ab æquitate Sacrorum Canonum beneficii privatio ex hoc capite. At perjurium judiciale ultra damnum in animam jurantis, alii vel in bonis, vel in honore, vel in fama non leve irrogat præjudicium; unde apud omnes hujusmodi perjurium appellatur temerarium, & hac pœna satis dignum *Gloss. in cap. per venerabilem versic. perjurium de elect. Innoc. in cap. inter dilectos de excess. Prælator. Abbas, & Felin. in cap. querelam de jureiur. Ripa, & Decius in cap. cum non ab homine de judic. cap. tua 1. de jureiurand. Romanus singular. 516. Tondut. de pension. cap. 53. num. 23. Geminian. cons. 105. per tot.*

13 Hoc tamen discrimen inter unum, & aliud perjurium intercedit, quoniam judiciale uti gravius deiicit jam promotum, & impedit promoveri ad beneficia ecclesiastica, è contra extrajudiciale, quia non est ita grave, beneficiis obtentis non privat, sed impedit, quem dumtaxat promoveri *Rot. decis. 1. de pact. in antiquiorib. decis. 1. cor. Achill. de jurejuran.*

14 Dico tertio, quod clericus sacrilegus, sive auferat rem sacram de loco sacro, sive non sacram de sacro, aut res sacras temere distraxerit, per sententiam beneficio privandus est, hujusmodi enim crimen privatione, & depositione dignissimum est *Canon. si quis Præsbyter distinct. 50. Garz. de benef. par. 11. cap. 10. num. 173.* Fortius id procedit in clerico sortilego, qui de jure beneficio, vel privatus est, vel est privandus *Canon. si quis Episcopus 26. quæst. 5.*, ubi quod ab honore dignitatis suæ perpetuò est suspensus *Canon. aliquanti d. quæst. 5.*, ubi quod clericus sortilegus ab ecclesia habetur uti extraneus; ultra quod hodie

15 clericus in aliquibus casibus reus sortilegii hæreticalis cum apostasia damnatur ad mortem, nihil enim differt ab hæretico, contra quem privatio beneficii ipso jure inducta est ex dictis *in cap. 25. de vacatione ab hæresim lib. 1.*

16 Quæstio est, an clericus damnatus per sententiam ad perpetuas triremes, ergastulum, & carceres ipso jure beneficium amittat? Affirmativa opinio defenditur ex pluribus, primo, quia ita damnatus libertatem amittit, ergo multo magis beneficium; secundo ita damnatus servo, & deportato æquiparatur, sed servo repugnat officium, & deportatum non decet dignitas, ergo clericus ipso jure amittit beneficium; tertio demum incurrit infamiam juris, & facti, quæ privat ipso jure clericum beneficio, prout spoliat militem cingulo militari, decurionem officiis publicis *l. infamia Cod. de decurionib. lib. 10. l. 2. §. Miles ff. de his qui notant. infam.*, *Roman. singular. 510.* Ultra quod sententia trahit secum privationem beneficii, cum clericus damnatus ad perpetuas triremes parum differat ab eo, qui pœnam perpetuæ depositionis passus est *Ancharan. in cap. postulasti num. 10. 11. de for. competen.*

17 Hæc sine dubio vera sunt inspecta dispositione legum civilium, placet tamen in hac quæstione distinguere; aut enim agitur de beneficiis simplicibus nullam residentiam requirentibus, tunc clericus ex sola sententia damnationis ad perpetuas triremes beneficio privatus non censetur, necesse enim est, quod Judex in sententia id exprimat; si vero agatur de canonicatibus, portionibus, & Ecclesiis Parochialibus, quæ præcisam requirunt residentiam, hoc casu potest beneficio privari, *ita Ricc. prax. for. archiepiscopal. Cur. Neapolitan. decis. 94. Rot. decis. unic. de accusat. in antiquior.*, ubi clericus damnatus ad perpetuos carceres beneficium ipso jure non amittit, *& ita distinguit Novarr. ibidem apud Riccium decis. 95.*, quæ distinctio vera est, quoniam in beneficiis simplicibus cessat ratio residentiæ, quæ militat in canonicatibus, portionibus, & Ecclesiis Parochialibus, ita etiam resolvit Sac. Congregatio Concilii *in Asculana distributionum 13. Junii, & 23. Julii 1707.*, ubi habetur, quod ordinarius potest procedere ad privationem beneficii residentialis contra clericum damnatum ad perpetuas triremes ex capite non residentiæ.

18 Si-

18 Similis quæstio est, an scilicet beneficia vacent ob infamiam; tangit hunc punctum *Fagnan. in cap. qualiter, & quando num. 90. cum seqq. de accusat.*, ubi distinguendo concludit, quod si Judex pronunciat super delicto, puta Prælatum, seu clericum commisisse homicidium, tunc beneficium non vacat, nec alius in ejus locum potest eligi; aut pronunciavit super pœna, quæ ob furtum, aut delictum publicum perpetuo privat, seu suspendit, tunc si pœna, super qua est pronunciatum, irrogat infamiam, beneficium vacat, & in sequelam alius in ejus locum per collationem, provisionem, & electionem canonicam potest subrogari, idemque dicitur, si sola pœna, quæ infamiam irrogat, sine sententia infligitur, evidentior enim est infamia, quæ ex pœna, quam quæ ex sententia provenit *Innoc. in cap. qualiter, & quando, ibique Jo: Andreas num. 21. de accusat.*

19 Hæc tamen distinctio non plene satisfacit, quia nullus clericus ob infamiam censetur beneficio privatus, nisi in sententia exprimatur *Diaz prax. criminal. cap. 133. num. 3. Rebuff. prax. beneficior. lib. 3. tit. de modis amittendi beneficia num. 64 Farinacc. in fragment. verb. clericus num. 80. Caballin. consf. criminal. 25. num. 2.*, immo in sententia exprimi non debet, nisi à jure id caveatur *Gloss. singularis in cap. final. in fin. de jurepatronat. Gonzal. ad regul. 8. cancell. Gloss. 15. num. 136. cum seqq.*, *Rebuff. loc. citat. num. 62. Garz. de benef par. 11. cap. 10. num. 2.*

20 Quid ergo in hac re? Respondeo inspiciendam esse qualitatem delicti, & qualitatem pœnæ, qualitas enim delicti importat privationem beneficii, si lege ita cautum sit, quod si in jure id non habeatur, requiritur sententia privationis, & ratio est, quia duobus modis vacant eo ipso beneficia, vel à jure, vel ab homine, prout constat ex dictis usque in præsens; qualitas vero pœnæ non operatur ex se, sed mediante nova sententia *Bald. in l. quid ergo §. Pœna gravior num. 30. ff. qui notant. infam. Caballin. d. consf. 25 num. 8.*, exempla sunt in clerico damnato ad perpetuas triremes, seu carceres, ut supra, non enim, quia clericus infamis est, ipso jure privatus est beneficio, sed quia infamia est ex pœna, potest beneficio spoliari *Innoc. in cap. qualiter, & quando num 10. versic. credimus de accusat. Caballin. d. consf. 25. num. 6. 7. Farinacc. in fragment. verb. clericus num. 80.*

21 Dico quarto, quod clerici adulterantes intra Italiam monetas aureas, vel argenteas supremi Principis per sententiam beneficiis spoliandi sunt *cap. cum non ab homine de judic. cap 2. de pœn. in 6.*, imo ipso jure censentur privati, etiamsi in sententia nihil dictum fuerit, cum tales clerici tradi soleant Curiæ seculari *ex Constitut. 75. Urbani VIII.*, quæ sane traditio privationem beneficiorum præseferre videtur, nam clerici Curiæ seculari traditi quoad omnes juris effectus laici reputantur, ultra quod falsificatio monetæ aureæ, vel argenteæ, quodammodo importat crimen læsæ majestatis humanæ; pro quo ipso jure inducta est vacatio beneficiorum ex alibi dictis.

22 Quæres, an clericus, seu Diaconus temere missam celebrans, & audiens confessiones beneficio privandus sit; negat *Text. in cap 2. de cleric. non ordinat. ministrant.* ubi quod licet biennio, seu triennio arbitrio Episcopi à diaconatu sit suspensus, nec ad sacerdotium possit promoveri, nihilominus beneficio carere non debet, & ratio ibidem adiicitur, ne substentatione privatus ad negotia secularia revertatur in opprobrium ordinis clericalis.

Sed contra concludendum est, nam missam celebrare, & confessiones audire solum competit præsbyteris in sacerdotio constitutis *ex jure divino, & Constitut. Paul. IV. Pii V. Gregor. XIII. Sixti V. Clementis VIII. Constit. 81.*, *& Urbani VIII. 79.*, ubi clerici sic delinquentes, si majores annorum viginti sint, degradantur, & deponuntur, eosque ecclesia tradit potestati seculari puniendos, quæ quidem constitutiones eos beneficiis jam privatos præsupponunt, licet in sententia nihil caveatur, vel saltem privandos esse communiter receptum est *ex cap. 2. in fin. de pœn. in 6*; agitur enim de crimine, quod hæresim, & idolatriam præsefert, ideoque, cum agatur de religione, quacumque pœna, etiam gravissima hujusmodi crimen dignissimum est, prout penes gentiles etiam in eorum falsa numinum suorum religione mos erat execrandi, & maledictis devovendi reos violatæ religionis, & sacrilegii perpetrati; ita enim *Alcibiadem* accusatum, quod domi suæ misteria deorum imitatus sociis demonstraverit, ipse vestem sacerdotis indutus sacra devoverit, seque ipsum nomine sacerdotis politionem faciferi Phegeensem *Theodorum* præconia nomine Insigniverit, reliquos socios mystas, & sacrorum inspectores appellaverit contra omnia Instituta Pontificum eleusiniorum, damnarunt, ejusque bona publicarunt, additumque, ut omnes utriusque sexus sacerdotes in caput ejus execrarentur, *ut refert Plutarch. in vita Alcibiadis pag. mihi 135.*

23 Hæc tamen temperanda sunt in clericis beneficiatis ætate minoribus; hi enim arbitrio Judicis, mitiori tamen pœna puniendi sunt *juxta. d. Constitutionem Urbani VIII.*, sicuti clericis minoribus monetarum falsariis levior pœna de jure imponitur; ætas enim minoris utpote consilii infirma, quid videt, ignorat; Unde in hac re clerici auxilio legis indigent, ne beneficiis priventur, sicuti laici hac indulgentia digni sunt, ne eorum bona ex hoc capite à Fisco subripiantur *l. 1. ibique Bart. Cod. de fals. monet.*

24 Dissimiles falsariis monetarum non sunt clerici alchimistæ, quorum quidam divitias spondent, sed non exhibent; alii vero putant aurum se posse confingere, quod ridiculum est, quoniam, ut experientia docet, sub lapide philosophico facultates hominum dilapidantur; unde propterea clerici omnes hujusmodi

artem

artem exercentes, & argentum alchimisticum, & fictum pro vero, & naturali vendentes beneficiis ecclesiasticis privandi sunt *cap. unico in extravag. comm. de crimin. fals.*

25 Dico ultimo, quod clerici falsificantes sigillum Principis, vel Judicis, aut publica instrumenta beneficiis quoque spoliari debent, dum per hujusmodi crimen publica læditur fides, & maximum irrogatur præjudicium Reipublicæ *cap. olim ibique Gloss.*, *& Abb. num. 2. Ancharan. num. 7. de rescript. Cortiad. decis.* 34., ubi habetur, quod clerici falsarii quandoque extra ordinem puniuntur, sic etiam falsificantes literas capituli suspensi sunt ab officiis, & beneficiis, donec à sede apostolica indulgentiam obtineant *cap. tam literis in*

26 *fin. de Test.*, immo beneficiis privandi sunt, si criminaliter, vel civiliter de hujusmodi falsitate convincantur *cap. olim de rescript. Hostien. in summa hujus tituli num.* 8. *circa fin.*

27 Quid ergo, si episcopus clericum minorum ordinum, seu primæ tonsuræ pro gravibus scandalis, aliisque criminibus exauctoravit, idest à clericatu dejecit nulla facta mentione beneficii? Respondeo beneficium vacare, si decretum, seu sententia in auctoritatem rei judicatæ transierit; nihil enim interest, an episcopus id declaraverit verbis, an factis *l. 2. ibique Gloss. in versic efficit in fine ff. qui notantur infam. l. reprehendendo, ibique Gloss. C. de instit. & substit*; deinde clericus exauctoratus, seu ejectus è numero clericorum non est amplius talis, sicuti miles à militia remotus *Gloss. in d. l. 2. versic. exauctorasse ff. qui notantur infam.* Porro sicuti miles à militia depositus, honores, gradus, & stipendia amittit *l. desertorem l. qui cum §. ignominia §. adulterii ff. de re militar*; ita clericus depositus à clericatu statim cadit à jure beneficii.

28 In omnibus his casibus beneficia vacant ipso jure per sententiam privationis, & hac occasione possunt libere ab episcopis conferri, aut impetrari à Papa *cap. ad petitionem cap. qualiter 2. de accusat. Francb. in cap. ad Apostolicæ §. nos itaque num. 2. de re judicat. in 6.*

29 Sed, an collatio beneficiorum sic vacantium spectet semper ad Episcopum, seu potius ad Papam, inter canonistas controvertitur; Prima opinio affirmat beneficia, quæ vacant per privationem, seu depositionem esse Papæ reservata, & ad ipsum collationem pertinere *per Text. in extravaganti ad regimen de præben; ibi nec non per depositionem, vel privationem = et ex constit. Paul. III. 28. Cocbier. ad regul. 1. Cancell. ex verbis similis reservationis versic. quintus casus.*

30 Secunda opinio est ad episcopum pertinere, quia beneficium vacat in eo loco, ubi per sententiam fit privatio *Rot. decis.* 35. *alias* 86. *de præben. in antiq.*; quæ tamen decisio intelligitur, quando ibi est persona, quæ privatur *Gomez ad regul. de impetrat. benefic. vacan. per obit. familiar. Card. q. 8. in fin*; immo ubi delictum commissum est, ibi beneficium vacare censetur, etiamsi sententia privationis lata fuisset in curia *Rot. decis.* 728. *lib. 3. par. 3. divers.*

31 In hac itaque opinionum varietate placet distinctio, quæ communiter recepta est in foro, aut delictum commissum est in curia, ibique habuit effectum sententia privationis, hoc casu beneficium vacat apud sedem; aut vero privatio effectum habuit in partibus, tunc beneficium vacat extra curiam *ita Rot. decis.* 506. *num. 21. par. 14. decis.* 117. *n. 25. 26. part. 15. recen*; hæc distinctio sine dubio juridica est, sed non plene satisfacit *d. decis.* 728. *par. 3. diversor. lib 3.* ubi quamvis sententia privationis lata fuisset in curia, & delictum commissum in partibus, vacatio tamen beneficii adjudicata fuit in partibus ratione de-

32 licti; Unde pro faciliori hujus quæstionis intelligentia iterum distinguendum est inter vacationem à jure inductam per actum positivum, & inter eam, quæ fit per modum negativum consistentem in non faciendo; primo casu procedit *d. decis.* 728, ubi resolvitur beneficium vacasse in partibus, quia clericus hæresim incurrerat in partibus. Sane dubitari haud potest, quin hæresis sit actus positivus, & pertinax, ac consistat in faciendo, & male faciendo; secundo casu consideratur persona, quæ omittit facere, quod facere de jure tenetur, exemplum est de clerico, qui provisus fuit à Papa de beneficio sub conditione suscipiendi intra annum sacros ordines sub pæna privationis beneficii, hoc casu ob non promotionem beneficium vacat in curia, quia clericus beneficio privatus est à Papa vi decreti, quod in provisione Apostolica insertum fuit *Rot. d. decis.* 117. *num.* 28. *cum seqq. par. 15. recen., ubi Garz. & alii concordantes*; Exemplum insuper est de eo, qui ob non solutionem pensionis in Curia privatur, hoc etiam casu beneficium vacat in Curia, in qua promulgata fuit sententia privationis, non obstante, quod solutio pensionis in partibus facienda sit, ibique per titularem ecclesiæ malitiose omissa sit, & ratio est, quia privatio beneficii effectum habuit in Curia, & in hoc sensu procedit dispositio *text. in extravag. ad regimen, & Constitutio Pauli III.* 28. §. 4.

33 Exemplum demum est de eo, qui privatus est beneficio in Curia ob edictum de recedendo, & redeundi ad residentiam sub pœna privationis beneficii ipso jure. Sane si ita provisus edicto non pareat, beneficium vacat in Curia, quia privatio secuta est in Curia vi decreti ibidem promulgati *Gonzal. ad regul.* 8. *cancell. Gloss.* 15. §. 2. *num.* 16.

34 Ampliatur, quamvis inde ordinarius loci vi decreti pontificii clericum absentem sine justa causa beneficio privasset, quoniam beneficium, quod eo ipso vacat vi decreti papalis, non potest amplius vacare per sententiam Judicis ordinarii; deinde etiamsi beneficium vacaret per sententiam privationis prolatam ab ordinario, adhuc prima juris vacatio, quæ ob non pa-

paritionem edicti effectum habuit in Curia, attenditur, & præponderat *cap. susceptum de rescript. in 6.*

35 Quemadmodum è converso, si Episcopus conferat clerico beneficium cum onere assumendi Romæ lauream doctoralem intra triennium sub pœna privationis beneficii, non obtenta intra hoc tempus laurea doctorali beneficium vacat extra Curiam, & collatio iterum redit ad ordinarium, idque verum est, etiamsi clericus ratione delicti in Curia perpetrati beneficio privatus fuisset, non enim amplius vacare potest in Curia per sententiam privationis hoc beneficium, quod jam vacavit in partibus vi decreti episcopalis *cap. susceptum de rescript. in 6. Gonzal. loc. citat. num. 18.*

36 Hæc tamen intelligenda sunt, si sententia privationis justa sit, & valida, aliter beneficium nunquam vacat ex sententia, quæ injustitiæ, seu nullitatis vitio laborat, immo clericus sic privatus ad beneficium est reintegrandus *cap. conquerente cap. gravis de restitut. spoliat. cap. si constiterit in fin. de accusat. Rot. in Ratisbonen. Parochialis 13. Junii 1718. cor. Foscar.*, & ratio est, quia ubi deest causa, seu ubi non probatur delictum, nullus clericus beneficio, nullus parochus ecclesia, nullus canonicus Præbenda de jure spoliari potest *d. Ratisbonen. Parochialis cor. Foscar. Frisingen. Parochialis 22. Junii 1716. cor. Ansald. Rot. decis 31. num. 4. & per tot. par. 15. rec.*

37 Ex dictis sequitur, quod, si clericus nulliter, & injuste privatus, vel pendente appellatione, vel post revocationem sententiæ interim decedat, beneficium non vacat privatione, sed morte, & vacat apud sedem, vel extra Curiam juxta alternativam, & regulam mensium, nisi beneficium reservatum fit, vel affectum, tunc enim semper vacat apud sedem, sive clericus privatus sit in Curia, sive in loco commissi criminis, & in hoc etiam sensu loquitur *extravag. ad regimen. de præben.*

38 Alia accedit quæstio, an scilicet clericus criminosus privari ab Episcopo possit beneficio, quod in alia extat diœcesi, *Gloss. in cap. postulasti de for. compet.* variare videtur, quoniam in prima parte asserit ordinarium loci, in quo clericus deliquit, super crimine, sed non super beneficio posse pronunciare, nec ullam *Glossa ibidem* affert rationem, quæ tamen esse potest, quia ordinarius super beneficio, quod extra diœcesim situm est, jurisdictionem non habet, & consequenter ex defectu potestatis nequit clericum privare beneficio, dum, ut quis juridice privetur, requiritur, ut sit subditus, vel talis efficiatur ratione criminis, & subjaceat etiam ratione beneficii; ideoque ob sententiam nullam ex defectu jurisdictionis de jure non vacat *Gloss. in d. cap. postulasti versic. deliquit de for. competen. ibi* = *debet ferre sententiam super crimine, non super ecclesia.*

39 E contra vero *Gloss. ibidem* præsupponit posse ordinarium pronunciare etiam super beneficio; dicit enim, quod Judex beneficii tenetur exequi sententiam Judicis criminis, præsertim si ad ejus requisitionem id factum sit; unde ordinarius loci, in quo crimen perpetratum est, habet potestatem privandi clericum eo beneficio, quod alibi extat, & executio sententiæ spectat ad Judicem beneficii *ita docent Abb. Imol.*, & in specie *Innoc. in d. cap. postulasti de for. compet. Hostien. in summ. huius tituli num 6. Ancharan. in pragm. tit. de concubinar. §. 1. versic. omnibus, Cardinal. in Clementin. pastoralis versic. denique in secunda quæstione in fin. de re judic.*, ubi expresse asserit, quod clericus pro delicto potest privari beneficio, quod extra jurisdictionem Episcopi extat, quæ sententia mihi vera videtur; si enim ordinarius potest condemnare personam, multo magis privare beneficio, quod personæ cohæret, & consequenter beneficium alibi existens per privationem factam ab ordinario ipso jure vacat, & libere conferri potest ab Episcopo exequente etiam ante executionem sententiæ, quoniam beneficium statim vacat post sententiam privationis, non

40 post ejus executionem, nisi etiam dicas, quod beneficium per sententiam privationis vacat de jure, & post executionem vacat de facto, quod verius est, & ita intelligenda est *Gloss. in d. cap. postulasti versic. executio*, ubi dicit, quod Episcopus, cui subest ecclesia, privabit clericum per sententiam ab alio Episcopo prolatam.

41 Hæc tamen, quæ huc usque dicta sunt, iterum explicatione indigent, ut scilicet per privationem ex causa criminis, statim vacent beneficia, si à jure, Constitutionibus apostolicis, Conciliis generalibus appellatio in suspensivo denegatur, quod satis apparet *ex Trident. sess. 21. cap. 6.*, ubi parochi illiterati à deputatione coadjutoris cum congrua, aliique clerici, qui ob vitam turpem, & inhonestam beneficiis privantur, appellare, & impedire executionem non possunt; idem de clericis concubinariis, qui beneficiis, & pensionibus ecclesiasticis spoliantur, cautum habetur ex alio Tridentini decreto *sess. 25. cap. 14;*

42 alioquin vacant post decem dies datos ad appellandum *Rot. decis 2. num. 67. de rescript in novis*; ubi vero de jure competit appellatio, & deinde à sententia privationis vere appellatum sit, beneficia non vacant *Rot. decis. 27. cor. Put. lib. 1. Varmatien. canonicatus 29. Januarii 1685. cor. Rovavault*, nisi post tres sententias conformes *Rot. dec. 325. num. 14. par. 16. recen.*

ADDI-

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Clericus ob homicidium voluntarium pensione non est privandus, ubi declaratur.
2 Clericus ob perjurium judiciale pensione non est privandus.
3 Pœnæ non sunt extendendæ de casu ad casum, nec de persona ad aliam.
4 Clericus falsificans instrumenta publica, seu sigillum Principis pensione non est privandus.
5 Clericus condemnatus ad perpetuas triremes pensionem ecclesiasticam non amittit, ubi de ratione.
6 An ob privationem factam à Papa pensio extinguatur, distinguitur.
7 Id non potest fieri, quod fieri non potest sine beneficio restitutionis in integrum.
8 Clericus privatus pensione absque causa habet actionem, ut Principis decretum ad tramites juris reducatur, ubi de ratione, & praxi Signaturæ gratiæ.
9 Quomodo Papa in privatione beneficiorum, & pensionum procedere debeat, ubi de ratione, & praxi Romanæ Curiæ.

Quamvis ex alibi dictis regulariter verum
fit, quod, ubi clericus ob grave crimen
privatur beneficiis, etiam pensionibus
ecclesiasticis spoliari debeat, nihilominus in
pluribus casibus id patitur limitationem, &
1 quidem primo clericus ob homicidium volun-
tarium pensione privandus non est, quia *Tri-
dentinum* loquitur de beneficio, ideoque pen-
sionem non comprehendit juxta resolutionem
Sacræ Congregationis Concilii, de qua testa-
tur *Tondut. de pension. cap.*68. *num.*14., licet
id apud me patiatur difficultatem quoad pen-
sionem reservatam intuitu ministerii spiritua-
lis, quę vix differt à beneficio ex dictis *in cap.*36.
*de vacatione ob assassinium in addit. n.*7. *lib* 1.
2 Secundo perjurium judiciale grave crimen
quidem est, sed non sufficit, ut clericus pen-
sione privetur, cum *Text. in cap. querelam*,
& cap. tua nos de jurjur. simpliciter mentio-
nem faciant de amotione clerici perjuri ab ec-
clesia, ergo recta juris interpretatione dicta
jura extendi non possunt ad pensionem ex re-
3 gula de non extendendis pœnis de casu ad ca-
sum, & de persona ad aliam *cap. in pœnis de
regul. jur. in* 6. *cap. odia eod. tit. l. in pœnali-
bus ff. eod.*
4 Tertio pensione carere non debet clericus
falsificans instrumenta publica, seu sigillum
supremi Principis, quoniam de privatione
pensionis nihil dicitur *in cap. ad audientiam de
crimin. fals.*, Et quamvis ibidem clericus fue-
rit degradatus, nihilominus id intelligitur
verbaliter, & tantum ab exercitio sacrorum
ordinum, ergo nullo modo pensione privandus
est, idemque dicas de falsificantibus literas ca-
pituli, seu judicis, cum eadem sit ratio.
5 Quarto demum clericus condemnatus ad
perpetuas triremes pensionem ecclesiasticam
non amittit; & ratio est, quia ita damnatus
ex gratia Principis potest restitui *Amayden.
de stylo datariæ lib.*1.*cap.*16.§.6.*n.*20. ubi dicit
quod super hoc sæpius Signatura rescripsit.
6 His positis, dubium superest in hac re dis-
cutiendum, an scilicet ob privationem factam
à Papa pensio semper vacet & extinguatur;
Respondeo vacare, & extingui, quoniam
Papa ob illimitatam potestatem, quam ha-
bet in ecclesia, potest indistincte clericos
spoliare beneficiis, & pensionibus, aliisque li-
bere conferre *Gloss. in can. ecclesiæ* 16 *qu.* 1.
*ibi = Item quia privilegium solius Papæ est
uni auferre*, *& alii dare*, *Gloss. in can. per
principalem* 9. *quæst.*3. cum hac tamen diffe-
rentia, quod ubi Papa ad privationem pro-
cessit cum causa, pensio extinguitur de jure,
& facto simul, quod satis constat ex dictis;
aliter vacat quidem de facto tantum, sed
clericus ita privatus habet jus petendi resti-
tutione integrum *l.*4. §. *si quis ff. de fideicom.
libertat.* quem textum refert *ibidem Angelus*,
se audisse *Bartolum* in cathedra allegantem
7 pro unico & singulari, quod scilicet non dici-
tur posse fieri id, quod non potest fieri sine bene-
ficio restitutionis in integrum, *& latius Corset.
in suis singularibus lit. F. vers. id non dicitur.*
8 Deinde etiamsi factum sit, quod vere per-
peram gestum est, supposito, quod Papa
motu proprio processerit in hac re, adhuc
clerico sic privato competit actio, ut decre-
tum Principis ad tramites juris reducatur
cap. 1. *de sequestr. cap.* 1. *de caus. possess. &
propriet.*; ea enim, quæ à Principe de facto
fiunt, de facto à successore revocantur *l. ve-
rum* §. *ex facto ff. de minor. in punct. Gemi-
nian. consf.*53. *per tot*; quod innumeris etiam
exemplis Signaturæ gratiæ posset comproba-
ri, sed ea transcribenda non censeo, sufficit
enim scire talem esse praxim hujus sacri Tri-
bunalis *juxta Gloss. in can. arguta in fin.*2.
9 *quæst.*6. Dico tamen, quod Papa hac suprema,
& absoluta potestate quoad privationem be-
neficiorum, seu pensionum uti non debet;
quamvis enim omnia Principis esse intelligan-
tur, hoc tamen procedit quoad jurisdictionem,
& protectionem, non quoad dominium *Gloss.
in l. bene à Zenone vers. omnia cod. de quadrien.
præscript.* & consequenter Papa ut fidelis
administrator, immo etiam uti supremus ju-
dex summam potestatem contra clericos,
aliosque ecclesiasticos beneficia, & pensiones
possidentes cum culpa, vel saltem cum causa
exercere debet; non enim quod fieri potest,
sed potius, quod expedit ad utilitatem, pri-
mario est inspiciendum *cap. magnæ de vot. &
vot. redempt. can. aliud. de peniten. distinct.*1.
& ita est praxis Romanæ Curiæ; non enim Pa-
pa motu proprio procedit, sed causas priva-
tionis beneficiorum & pensionum ex capite
criminis ad suos judices, prout de jure, de-
cidendas remittit, sive agatur civiliter, si-
ve criminaliter *ad text. in can. illud ibiq.
Gloss.* 23. *quæst.*4.

ARGUMENTUM.

DE privatione Beneficiorum, ac Pensionum contra clericos ebrios, concubinarios, aliosque inhoneste viventes *ad ornatum Text. in cap. à crapula de vit. & honest. cleric., cap. sicut, cap. si autem de cohabit. clericor. & mulier., Concil. Trident. Sess. 21. cap. 6. Sess. 25. cap. 14.*

SUMMARIUM.

1 PÆna privationis beneficiorum contra clericos ebrios, concubinarios, & inhoneste viventes frequens est, nec debet omitti, & quare.

2 Clerici ebrii moniti ab episcopo beneficiis privandi sunt, ubi declaratur.

3 Miles propter nimiam ebrietatem cingulo militari exuitur.

4 Clericus propter continuam ebrietatem redditur impos ad obeunda munia clericalia.

5 Clerici concubinarii, si notorii sunt, arbitrio episcopi puniuntur, sed quoad privationem beneficiorum trina monitio, vel una in synodo de jure requiritur, secus quoad privationem fructuum.6., ubi ratio disparitatis.

7 Clerici concubinarii, si notorii sunt, ipso jure sunt suspensi, sed contra.8. conciliantur opiniones. 9.

10 Pro aliis delictis incontinentiæ, nempe simplicis fornicationis clerici non privantur beneficiis, & quibus pœnis Puniendi sunt.11.

12 Si clerici moniti in eorum turpitudine perseverant, beneficiis privandi sunt, ubi ampliatur ad beneficiatos, canonicos, præbendatos, & pastores ecclesiarum parochialium.13. ubi de ratione.

14 Parochus, qui committit crimina, quæ scandalum in populo pariunt, ecclesia privandus est, ubi quod sufficit publica criminis diffamatio.15. ubi declaratur.

16 Canonicus propter scandalum præbenda privari debet.

17 Parochus pro evitandis scandalis cogitur renunciare ecclesiam, idem si odiosus sit populo 18., quod declaratur ibidem.

19 Episcopi pro criminibus contra eosdem evulgatis, ac scandalis possunt cogi a Papa ad dimittendum episcopatum.

20 Ampliatur, etiamsi culpa non probetur, dummodo causa subsit, ubi differentia inter episcopum amotum ex causa sine culpa, & amotum ex culpa, & causa simul.21.

22 Episcopi cum magna circumspectione, & nonnisi ex gravi causa, ipsisque auditis, deponendi sunt, ubi exempla.

23 Clericus, qui commisit sacrilegium cum moniali beneficio privatus est, vel privandus.

24 Parochus, qui cognovit parochianas, quas ipse è fonte levavit, beneficio privatus est, vel privandus, item si eas in confessione solici averit ibidem.

25 Beneficia, quæ vacant per privationem, possunt ab Ordinariis libere conferri, si justa sit privatio, secus si injusta, ubi quod injuste privato danda est reintegratio, seu manutentio in possessiona beneficii.26.

CAPUT II.



1 SÆpe etiam disputandum occurrit in Tribunalibus urbis, & præsertim in Sac. Rota de clericis ebriis, concubinariis, & inhoneste viventibus quoad beneficiorum privationem. Unde merito censui hæc non omittere, ut ordinarii locorum, aliique judices ecclesiastici facilius scire possint, quomodo se gerere debeant in hac re contra clericos ita deliquentes.

2 Siquidem quod attinet ad clericos ebrios, dubitandum non est eos posse ab episcopis suspendi ab administratione beneficiorum, & ecclesiarum, quibus præsunt, immo beneficiis ipsis privari, si ter judicialiter moniti ab ebrietate non destiterint *per text. in cap. à crapula de vit. & honest. cleric. cap. si constiterit, ibique Fagnan. & alii de accusat. Frisingen. Parochialis* 14. *Maii* 1714. *cor. Scott.*, quæ licet *sub die* 22. *Junii* 1716. *cor. Ansald.* fuerit revocata, nihilominus causa revocationis non fuit defectus juris, sed probationis nimiæ ebrietatis, prout de jure requiritur, ut clericus ex hoc capite beneficio spoliari possit; non enim omnis ebrietas satis est ad hujusmodi effectum, sed ea, quæ continua

3 est, & scandalosa, probari debet; Quod patet in milite, qui propter nimiam ebrietatem cingulo militari exuitur *l. omne delictum §. per vinum lapsis ff. de re militar.*, quo etiam argumento utitur *Rot. in d. Frisingen. Paro-*

4 *chialis coram Scott.*, & justa quidem ratione, quia clericus propter continuam ebrietatem redditur impos ad obeunda munia clericalia *cap. à crapula, ibique omnes de vit. & honest. clericor. can. vinolentum distinct.* 35., & paritas sine dubio stringit, nam uterque alienis militat stipendiis, clericus nempe pro Ecclesia, miles pro Principe.

5 Quo vero ad clericos concubinarios cum distinctione procedendum est, aut enim notorii sunt, & hoc casu arbitrio ordinarii possunt puniri quoad pœnas corporales, sed quoad privationem beneficiorum trina monitio de jure requiritur, vel saltem una in Synodo, quæ habet vim trinæ monitionis, quibus sic præmissis, clerici omnes ab his turpibus criminibus non desistentes omnibus officiis, beneficiis, & ecclesiasticis dignitatibus spoliandi sunt *cap. ut clericorum de vita, & honest. cleric. cap. sicut, ibique Barbosa num 6. cap. si autem de cohabitat. clericor., & mulier. Rot. decis.* 454. *per tot. cor. Pen. decis.* 55.

de.

*decis.*139.*par.*5. *decis.*147. *num.*12.*par.*14. *rec.* & in specie resolvit Sacra Congregatio Concilii *in Burgi S. Donnini Ecclesiæ Parochialis die 6.Maii* 1737.Nec una tantum monitio videtur satis *ex mente Trident. sess.*25. *cap.*14.,
6 hæc enim quoad privationem fructuum sufficit, sed quoad beneficiorum privationem, trina est necessaria, & ratio disparitatis est, quia privatio fructuum est pœna partialis, & quodammodo extra ordinem, sed privatio beneficiorum dicitur pœna ordinaria, ac omnium gravissima, prout est contra laicos pœna mortis, & confiscationis bonorum.

7 Et quamvis clerici notorie concubinarii sint ipso jure suspensi, & si interim celebrent, fiant irregulares *juxta opinionem Abb in cap.vestra de cohabitat. clericor.*, *& mulier.*, quam opinionem probat *Text.*satis clarus *in cap.quæsitum eod.tit.*, & consequenter clericos notorie concubinarios beneficiis privandos esse non immerito censuit *Guidonpap. quæst.*558. ubi testatur ita fuisse resolutum, nihilominus
8 contraria sententia verior est, & communiter recepta, clerici enim notorie, & publice concubinarii quoad se tantum, non quoad alios ab officio suspensi sunt, immo suspensio, quæ eis impetitur, non est proprie juris censura *Garz. de benef. par.*7. *cap.*14. *num.*19., ergo, ut beneficio privari debeant, opus est trina monitione *juxta Trident. sess.*25.*cap.*14. *Garz. de benef. par.*11. *cap.*10. *num.*184. *ubi concordantes*.

9 Verum hæc secunda opinio verior est in puncto juris, & procul dubio admittenda est in locis, in quibus Tridentinum receptum est, alias, ubi proceditur inspecta dispositione Sacrorum Canonum, non esset redarguendus Episcopus de injustitia, si clericum notorie concubinarium à jure suspensum, & irregularem, quoties interim celebraverit, beneficiis, & officiis spoliaret *juxta text.in cap.quæsitum de cohabitat.cleric & mulier.Guidonpap. d. quæst* 558.*in fin.*, & ita juxta sensum meum utraque opinio conciliari videtur.

10 Pro aliis vero delictis, quibus contra clericos inest incontinentiæ suspicio, privationi beneficii locus non est, quoniam hujusmodi delicta, quæ inter minora recensentur, peracta pœnitentia, purgantur, & abolentur *per text. in cap. at si clerici* §. *de adulteriis*, *ibique Gloss.*, *& Abb. num.*21. *versic. si hoc de judic. Barbos. in cap.sicut num.*4 *de cohabit. clericor.*, *& mulier.Rot. in Senogallien.Canonicatus de Luchis* 22. *Junii* 1716. §.*final. cor.*
11 *Eminentissimo Aldovrand.*Non tamen hujusmodi crimina remanere debent impunita, unde pro his delictis duplex infligitur pœna, altera suspensionis ab ordine *Bermond. in tract. de concubinar. tit. de adulter. num.*26.*Peguer. decis.*92.*num.*8., altera relegationis ad tempus
12 *Genuen.in prax.Cur.Neapolit. cap.*28.*num.*4; sed, si scandalose vivant, & pluries moniti in eorum turpitudine perseverent, beneficiis privandi sunt *ex Trident. sess* 21. *cap.*6. *de reformat.*, *ibique Barbos. num.*9. *Paris. de resignat. lib.*5. *quæst.*6. *num.*101., & habetur *in cap à crapula de vit.& honest.clericor.*, ubi quod prius debent moneri, & deinde suspendi *Gratian. discept. forens. cap* 991. *num.*16. *Tondut.quæst.benef.par.*2.*cap.*5.§.1 *num.*25.

13 Hæc, quæ dicta sunt de inferioribus criminibus, locum habent in beneficiatis, canonicis, præbendatis, aliisque ecclesiarum ministris, multo magis in parochis curam animarum habentibus; non enim idoneus videtur ad curam animarum, qui quodammodo
14 immemor est propriæ salutis, immo omnino ineptus est parochus, qui ea committit crimina, quæ in populo scandalum pariunt, & consequenter ecclesia privandus est, dummodo tamen crimina scandalosa plene, & concludenter probentur *l.Athletas* §.*calumniator*, *ibique Gloss.versic.damnatus l.non alia*, *ibique Gloss.ff.de his*, *qui notantur infamia Graff.dec. aur.lib.*2. *cap.*37.*num.*25,

15 Item publica criminis diffamatio contra parochum sufficiens causa est, ut ecclesia privetur, si tamen diffamatio ortum habeat à probis, & ecclesiasticis viris, alioquin, si incertum sit, à quibus ea proveniat, ac multo magis, si à pravis, & malevolis oriatur, privationi beneficii locus non datur *cap. inquisitionis* §. *quæsitum de accusat. Rot. decis.*408. *num.*16. *cum seqq.cor. Bich. Senogallien canonicatus de Luchis* 22.*Junii* 1716.*cor.Eminentissimo Aldovran.*

16 item non tam parochus, quam canonicus propter scandalum penes populum jam causatum privari debet præbenda, si tamen scandalum sit grave, & inde concludenter probetur, quod est primarium fundamentum privationis beneficii *Gambar in extravag. Julii II. de simoniaca elect. Papæ*, *Stephan. Aufrerius in Clement. ut clericorum num.*12. *de offic. ordinar.*, multa enim specialia sunt in scandalo, quæ supervacaneè non sunt repetenda, *ita habetur in cap.*18 *num.*16 *de vacat. quando electus ante confirmationem administrat.lib.*1.

17 Unum tamen adiiciam, quod parochus pro evitandis scandalis, aliisque inconvenientibus cogitur ad renunciandam ecclesiam *Comen. parochialis* 10. *Februarii* 1713. §.*irrele-*
18 *vantis cor.Eminentissimo Aldovrand.*, item si parochus sit odiosus populo *Bellett. disquisit. clerical.*§ 15. *num.*17.*cum seqq. par.*1 *de disciplin.*, *& in* §.10. *num.*5. *par.*2. *de cleric. delinquen.Cardin. de Luc. de paroch. disc* 8. *num* 7. *Ansald.in addit. ad decis.*18. *num.*26.*late Rot. dec.*47.*per tot. cor. Falconer. de jurepatronatus*, quod pariter sano modo intelligendum est de ea odiositate, quæ oritur ex mala ecclesiæ administratione, itaut parochus ad curam animarum ineptus videatur, secus, si odiositas sit penes populum, & parochus habeat sufficientem idoneitatem, tunc enim nullo modo ecclesia sit privandus, ita loquitur *Rot.d. decis.*47. *num.*11.*& per tot. cor.Falconer. de jurepatron.*

19 Nec minor est ratio in iis, qui ad episcopatum jam promoti pacifice possessionem adepti sunt; fane pro criminibus contra eosdem

Kk 2 evul-

evulgatis, ac pro evitandis scandalis cogi possunt à Papa ad dimittendum episcopatum *cap. nisi jam pridem*, *ibique Io Andreas num.49. Innoc. num.4. Hostien. num.30. 31. Fagnan. num.73. de renunciat. Abbas in cap. tua nobis n.10. de confirmat util, vel inutil. Parif. de resignat. lib.5. quæst.3. n.117. 122. Roman. consf.345. num.15.16. & singular.803. per tot. Jacobat. ad concil. lib.9. artic.3. versic. istum etiam ponit.*

20 Ampliatur, etiamsi culpa non probetur, non enim tantum culpæ defectus in hac re in spiciendus est, sed, an causa subsit, attendi debet, quidquid enim fit cum causa, licet fiat sine culpa, legitime dicitur factum *utraque Gloss. in cap.2. de constitut. cap. antiqua de privileg.* Sane culpa directe afficit ipsum episcopum delinquentem, sed causa respicit Papam, ita *Sixtus V.* deposuit Episcopum Cathaniæ,& exponendo Sacro Collegio rationes, quibus motus fuit, sufficere declaravit publicum odium, in quod inciderat, declarans licere Romano Pontifici Episcopum sine ullo crimine, ex causa tamen dimovere, *ut legitur in actis consistorialibus scriptis à Silvio Antoniano à secretis Sacri Collegii*, attamen hæc depositio non debet esse perpetua, sed ad tempus, nam episcopus, si alias ecclesiæ utilis fit, ad aliam ecclesiam esset transferendus *Abb. in cap. tua nobis n.13. de confirmationem utili, vel inutili, sic Pius II.* Episcopum Ferrariensem absque sua culpa indignationem Ducis Ferrariæ expertum transtulit ad Feltrensem ecclesiam *Gobelin. lib.4.* ibi: *Episcopum Ferrariensem, qui suis ovibus Principis odio prodesse non posset ad Feltrensem Ecclesiam transtulit.*

21 Econtra episcopus ob grave scandalum, quia ecclesiæ potius est damnosus, perpetuo ab episcopatu dimovendus est absque spe transeundi ad alium, *ita Urbanus II. teste Baronio anno* 1092 ob simoniam & alia crimine *Gottifridum* Episcopum Sedę Carnotensi deposuit; Item *Urbanus VIII.* coegit quedam episcopum, ut ob grave scandalum renunciaret *Pax Jordan. lucubrat. canonic. tom.1. prælud.8. num.72. Parif. de resignat. lib.5. cap.3. num.161. Passer.n. de stat. Homin. quæst.185. art.4. num.72.*

22 Verum tamen est, quod cum magna circum spectione, & nonnisi ex gravi causa, iisque auditis, episcopi deponendi sunt; exempla sunt *Gregorii IX.* antequam deponeret episcopum Bolniæ in Ungaria *Baron. anno* 1233. *num.56. Alexandri IV. anno* 1257. *num* 9. cum Archiepiscopo Salisburgensi, *Clem. VI. anno* 1358. *num.* 16. 17. cum Archiepiscopo Moguntino, *Martini V. anno* 1426. *num.*11. cum Episcopo Pragensi, & alibi.

23 Controvertitur etiam, an nempe clericus, qui se immiscuit cum moniali, ac sacrilegium commisit, privandus sit beneficio, vel potius sit ipso jure privatus. Sane certum est apud omnes eum privandum esse, cum hoc crimen gravissimum sit, & quacumque depositione, ac privatione beneficii dignissimum *Farinac de delictis carnis quæst.*146. *num.*26. At juxta sensum meum videtur potius beneficio ipse jure privatus *per Text. in Can. si qua monacharum* 27. *quæst.*1. *ibi à suo quoque remotus officio*; quæ verba potius latam, quam ferendam sententiam præseferre videntur; Verum quia adhuc incertum est, nec liquet, quod ob hujusmodi crimen vacet ipso jure beneficium, ideo tutius est, si judex ecclesiasticus privet, seu privatum declaret clericum beneficio, portione, & prebenda, dum *Text.* utramque patitur interpretationem.

24 Idem similiter dicendum est de parocho, qui proprias cognovit parochianas, quas ipse è Sacro Fonte levavit; quoniam ob incestum beneficio privatus est, vel privandus *Can. omnes Can. si quis præsbyter* 30 *quæst.*1. *Bellett. disquisit clericor. tit. de pœnis clericor.* §.8. *num.*1. & 2. *fol. mihi* 502. præsertim si in confessione fœminas sollicitaverit, hoc enim crimen gravius est, & hæresim sapit ob injuriam, quæ irrogatur Sacramento Confessionis, ideoque privationem beneficii, & quamcumque depositionem meretur clericus reus hujus criminis *Barbos. de Paroch.cap.*19. *n.*43.*par.*2. *Antonell. de regimin.ecclesiar. lib.*6. *cap.*6. *num.*1.

25 In his itaque casibus beneficia ipso jure vacant per privationem, & in sequelam ab ordinariis libere possunt conferri, non obstante quacumque appellatione interposita, prohibita *ex Tridentin. sess.*21. *cap.*6. dummodo tamen crimen in judicio probetur, aliter clericus tanquam injuste privatus, ad pristinam possessionem beneficii est reintegrandus *cap. conquerente de restitut. spoliat. cap. si constiterit in fin. de accusat. cum relatis in cap. antecedenti num.*36. seu danda est manutentio, quoties clericus non se habuit pro spoliato *Rot. decis* 319. *per tot. par.*19. *rec. tom.*1. & *latius. in Leodien. Pastoratus* 16. *Januarii.*1702. *coram Muto.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Clerici pro minoribus delictis incontinentiæ pensionibus non sunt privandi.
2 Amplia in clericis ebriis, & scandalose viventibus, quamvis pluries moniti fuerint.
3 Limita, si pluries moniti facti sint contumaces, & incorrigibiles, & deinde excommunicati.
4 Clerici concubinarii post trinam monitionem pensionibus quibuscumque privandi sunt.
5 Limita in pensione laicali.
6 Clerici aleatores proventibus ecclesiasticis privandi sunt.
7 Quid si sint contumaces.

Quia

Quia pro minoribus incontinentiæ delictis, quæ per pœnitentiam purgantur, clerici non privantur beneficiis, ideo multo
1 minus pensionibus sunt spoliandi, & sicuti pro hisce delictis beneficium non vacat, quamvis in sententia hoc dictum sit, ita non extinguitur pensio, etiamsi per sententiam id fuerit declaratum; hæc enim sunt delicta, quæ non pœna ordinaria, sed extra ordinem puniuntur *cap. at si clerici §. de adulteriis, ibique scribentes de judiciis*.
2 Ampliatur in clericis ebriis, & inhoneste viventibus non obstante, quod pluries moniti fuerint, & ratio est, quia *Text. in cap. à crapula de vit. & honest. clericor., & cap. sicut. de cohabitat. clericor. & mulier.* locum habent in beneficiis, ergo ad pensionem non possunt extendi, deinde pœnæ interpretatione legis potius emolliendæ sunt, quam exasperandæ *per Text. in l. interpretatione ff. de pæn.*
3 Limitatur, si clerici ebrii, & scandalose viventes pluries moniti facti sint contumaces, & incorrigibiles, tunc enim propter contumaciam suspendi, & excommunicari possunt, & in pœnam censurarum pensiones, & fructus ecclesiastici auferri debent *cap. Pastoralis §. verum de appellat. Bellamer. decis.* 244. & dicam in seq. capite.
4 Econtra de clericis concubinariis jam definitum est *ex Tridentin. sess.* 25. *cap.* 14, ubi post trinam monitionem beneficiis, & pensionibus quibuscumque perpetuo privandi sunt, nam concubinatus generat scandalum in populo, & quodammodo ex eo ordo ecclesiasticus infamatur, nil igitur mirum, si clerici concubinarii etiam pensionibus spoliari debeant, idcirco per sententiam privationis pensiones vacant, sicuti vacant beneficia ex juribus jam dictis.
5 Limitatur in pensione laicali, etiamsi reservata sit super beneficio ecclesiastico; pensio enim laicalis nihil aliud est, quam mera præstatio temporaria, quæ nihil differt à stipendio *l. stipendia C. de execut. rei judicat.* unde *sub decreto Tridentini*, quod loquitur de pensionibus ecclesiasticis, non continetur.
6 Denique inter clericos inhoneste viventes ad scribuntur etiam ij, qui ludos alearum publice frequentant, & cum aleatoribus conversantur, idcirco iis quoque pœna juris indicta est; sane clerici aleatores à communione fidelium alieni fiunt *can. episcopus distinct.* 35. ibi= *communione privetur* & in sequelam hujus pœnæ de jure infligitur altera subtractionis fructuum ecclesiasticorum *cap. pastoralis §. verum de appellat. ibique Gloss. in versic. subtrahuntur & communiter interpretes*; Quod & clarius sancitur in constitutione græca, quæ suppletur per Antonium Contium *prætermissorum* 1. *classis lib.* 1. *codicis fol.* 12. *ibi= clericus, qui ludit aleis, vel cum ludentibus conversatur, ob omni ministerio clericali segregetur, annonisque suis privetur*; & justa quidem ratione, quia ex ludo alearum scandala, rixæ, furta, & omnia mala oriuntur, ut bene explicat *Hostien. de excess. prælat. n.* 5. unde non tam condigna, quam debita est hæc pœna, quis enim ludos appellet, ex quibus tot crimina oriuntur, inquit Imperator *in proemio*
7 *digesti veteris §. illud vero*; Idque fortius procedit, si clerici pluries moniti non resipuerint, tunc enim non tam fructibus, & proventibus ecclesiasticis, quam pensionibus, titulis, & gradibus possunt juridice spoliari *Gloss. in cap. clerici versic. ad aleas de vit. & honest. cleric. Panimoll. decis.* 172. *addit.* 1. *num.* 18. *lib* 3. contumacia enim de jure pœna ordinaria plectitur *Can. honoratus ibiq. Gloss. distinct* 74. *can. dictum distinct.* 81. *cap. cum non ab homine de judic. l. omne delictum ibiq Gloss. versic. contumacia ff. de re militar. & alibi sæpe*.

ARGUMENTUM.

De privatione beneficiorum, ac pensionum ob excommunicationem, irregularitatem, violationem interdicti, ob postulationem contra ecclesiam, & inobedientiam mandatis Papæ, præceptis Episcopi, & decretis judicum Romanæ Curiæ *ad ornatum Text. in cap. pastoralis §. verum de appellat. cap. fraternitati de cleric. excomm. ministran. cap. finali de excess. Prælator. cap. final. de postulan. & Gloss. in cap. dolentes de celebrat. missar*.

SUMMARIUM.

1 Clerici contumaces, & excommunicati beneficiis privandi sunt.
2 Maxime, si in ordine ministraverint.
3 Clericus irregularis est incapax beneficiorum, ubi quid operetur clausula *te ipsum absolventes*, & de ratione, & privetur ob concomitentiam in homicidio voluntario ibidem in fin.
4 Clericus, qui deliquit contra juramentum, violavit fidelitatem, & contra episcopum testimonium dixit cum similibus beneficio privandus est.

Cleri-

5 Clericus violans interdictum beneficio carere debet.
6 Ampliatur in regularibus.
7 Clericus, qui postulat contra propriam ecclesiam, beneficio privandus est.
8 Amplia in canonico.
9 Clericus possidens duo beneficia, si defendat unam ecclesiam, & in sequelam jura alterius impugnat, neutro beneficio est privandus, ubi de ratione.
10 Clericus habens duo beneficia non potest præstare patrocinium uni contra aliud sub pœna privationis beneficii cujus jura impugnat, & quare.
11 Laicus suscipiens contra ecclesiam munus postulationis præbenda privandus est.
12 Ob ingratitudinem revocatur donatio.
13 Clericus contumax mandatis Papæ, præceptis Episcopi, & decretis judicum Romanæ Curiæ beneficio privandus est, ubi quod non valet resignatio in præjudicium impetrantis. 14.

C A P U T III.



Notandum etiam est clericos, qui pro gravi crimine, & contumacia ab ordinariis juris ordine servato excommunicantur non esse beneficiis privatos, excommunicatio enim intra annum non trahit secum privatio-
1 nem beneficii, sed si in excommunicatione perseverent, & renuant parere mandatis etiam intra annum ob excommunicationem, contumaciam, & contemptum clavium, beneficiis privandi sunt *cap. pastoralis* §. *Verum de appellat. Butr. in cap. postulastis num.* 5. *ibique Abb. num.* 7. *de cleric. excommunicat. ministrante Suarez de censur. disp.* 13. *sect.* 1. *n.* 1. *Sanchez respons. moral. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 11. *num.* 1. *in princip.* Clericus enim excommunicatus æquiparatur relegato, cui bona non subtrahuntur, nisi in sententia exprimatur *l. relegatorum ff. de interdict. & relegat. l. deportatorum C. de pæn.*

2 Quod maxime procedit, si clerici excommunicati, & contumaces in ordine ministraverint; hoc enim casu propter irregularitatem jam incursam, & spretum censurarum citius beneficiis spoliari debent *cap. fraternitati de cleric. excommunicat. ministran. Abb. in cap. cum. in nostris num.* 22. *de conceff. præben. Tondut. de pens. cap.* 68. *num.* 16. *Lotter de re benef. cap.* 33. *num.* 58. *lib.* 3. *Rot. decis.* 83. *num.* 23. *par.* 7. *rec. decis.* 306. *n.* 7. *cor. Buratt.*

3 & in sequelam irregularitatis incursæ non potest impetrare beneficia *Sacra Congregatio Concilii in Hispalen irregularitatis* 9. *Julii* 1701., ubi quod irregularis privatus remanet beneficiis, & capellaniis post incursam irregularitatem obtentis, quod verum est etiamsi in provisione apostolica inserta esset clausula *Te ipsum absolventes*, quia hujusmodi clausula absolvit quidem à censuris, non autem ab irregularitate, quæ proprie censura non est *cap. quærenti de verbor. significat. Rot. decis.* 44. *num.* 5. *par.* 2. *rec.*, immo irregularis ob concomitantiam in homicidio voluntario privatus remanet beneficio, & solum concessa absolutione ab irregularitate incursa, denegatur retentio beneficii, *ita Sacra Congregatio Concilii in Salamantina irregularitatis* 19. *Aprilis* 1704.

4 Crescit contemptus vis, ubi clericus, qui obedientiam, & homagium cum juramento promisit, negavit inde Episcopum esse dominum suum, ac contra ipsum testimonium dixit in foro seculari super juribus spiritualibus. Sane clericus in hoc casu ex pluribus capitibus effectus est indignus beneficio, primo, quia deliquit contra juramentum, secundo, violavit fidelitatem, quam ratione beneficii præstiterat, tertio negavit fidem, & Episcopum dominum ad judicium civile, seu laicale vocavit, ideoque clericus propter criminum multiplicitatem beneficio fuit spoliatus, *ita habetur in cap. gravem de excess. Prælat.*

5 Rursus violans interdictum promulgatum à Papa, seu Ordinario à beneficio suspenditur, quia clericus violans interdictum delinquit contra Principem ecclesiæ, contra Episcopum, ac clavium potestatem, quæ sine dubio gravia sunt *cap. final. ibique Gloss. Gonzal., & alii de excess. Prælat.*, ubi quod non servans interdictum amovetur ab ecclesiis, suspensus est ab officio, & beneficio, & caret omni jurisdictione ecclesiastica, quod pariter constat *ex Clement.* 1., *ibique Gloss. versic. alma de sentent. excommunicat.*, ubi quod clericus ex hoc capite ipso facto excommunicationem incurrit, & novissime *ex Tridentin. sess.* 25. *cap.* 12., ubi exemptio quoad effectum non servandi interdictum regularibus non suffragatur. Porrò
6 sicuti clericus secularis violans interdictum ipso jure excommunicatus est, & à beneficio, ac officio suspenditur, & inde crescente contumacia potest beneficio spoliari, ita regularis ab officiis, & gradibus propriæ religionis ex hoc capite facilius est amovendus.

7 Similiter jura ecclesiæ violat, qui munus advocati contra propriam ecclesiam suscipit, jura alterius defendendo, unde merito ecclesia, seu beneficio privandus est, quoniam ecclesiæ indignus est, qui contra ipsam postulare audet, exemplo Vasalli, qui postulans contra dominum tanquam ingratus feudo spoliatur *Gloss. in cap. unic. versic. perdit. quæ fuit prima causa beneficii amittendi*, nilque refert, an clericus provisus sit de ecclesia, vel in ecclesia, utrobique enim par ratio concurrit. Unde
8 propterea canonicus assumens munus advocati contra ecclesiam, in qua provisus est, tanquam rebellis, & ingratus per sententiam Judicis præbendam amittit *cap. ultimo in fin. Gloss. ibid. in versic. contra, ubi Abb. Ancharan. Butr. & alii de postulando Speculat.* § 1. *num.* 17. *de advocat.*

9 Limita, si clericus tanquam pastor unam ecclesiam possideat, & in alia sit quoque provisus, tunc enim neutro beneficio privandus est, si in judicio tueatur unam ecclesiam, licet in sequelam jura alterius impugnet, & ratio cla-

clara est, quia quod ex necessitate fit, contra legem non fit, *ita scribentes in cap. ultim. de postulan.*

10 Quid ergo, si clericus habeat beneficia in pluribus ecclesiis, numquid potest præstare patrocinium in judicio uni contra aliud? Respondeo non posse, licet enim unius beneficii sit defensor, lædit tamen jura alterius, quod sufficit, ut beneficio, cujus jura impugnat, tanquam ingratus spolietur, ubi enim non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum, *inquit text. in can. denique 14. quæst. 5. Gloss. in cap. final. versic. contra de postulan.*

11 Quid iterum dicendum est, si laicus habens in ecclesia præbendam munus postulationis contra ipsam suscipiat? Respondeo præbenda privandum esse, quia laicus fit ingratus ecclesiæ ratione præbendæ laicalis, prout talis est clericus ratione beneficii; deinde præbenda quoad laicum est beneficium, & in præbenda beneficium ecclesiæ consistit, ergo laicus præbendatus suscipiens contra ecclesiam munus postulationis præbenda carere debet *cap.*
12 *ultim. de postulan.*, eo modo, quo ob ingratitudinem revocatur donatio *cap. ultim. de donat. l. ultim. C. de revocan. donat. ubi scribentes.*

13 Denique clericus contumax præceptis sui Episcopi excommunicari, & privari potest beneficio, multo magis si resistat mandatis Papæ, & decretis Judicum Romanæ Curiæ, sicuti enim summa est in Papa auctoritas, ac magna in Judicibus Romanæ Curiæ potestas, ita magis crescit protervia clerici renuentis parere mandatis apostolicis *Gloss. in cap. dolentes versic. divinum officium de celebr. missar. ibi = unde videtur, quod sint suis beneficiis privandi propter inobedientiam, quia peccatum paganitatis incurrit quisquis sedi apostolicæ parere contemnit =*. Unde propterea merito per *Sac. Rotam* resolutum fuit beneficium clerici contumacis, & rebellis mandatis apostolicis potuisse impetrari, seu conferri à Papa, & collationem de jure sustineri in pœnam contumaciæ, non obstante resignatione bene-
14 ficii facta favore alterius, quia talis resignatio dicitur facta in fraudem impetrantis, & ad evitandam privationem, quæ de jure erat infligenda, præsertim si resignans habuerit notitiam impetrationis, seu collationis beneficii obtentæ à Papa ex capite contumaciæ, excommunicationis, irregularitatis, & his similium, *ita habetur in Augustana canonicatus S. Mauritii 14. Martii 1732. cor. R. P. D. Crescentio, confirmata die 9. Februarii 1733. cor. eod.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Clerici excommunicati, suspensi pensionibus privandi sunt.
2 Differentia inter excommunicatos, & suspensos quoad alimenta.
3 Clericus juste excommunicatus, si habeat aliunde alimenta, per sententiam privationis pensionem amittit.
4 Sententia excommunicationis, & privationis pensionum ecclesiasticarum trahit secum ipso jure executionem,
5 Clericus, si ad ecclesiam redeat, & resipiscat, ad pensionem non est reintegrandus, alimenta tamen non debent denegari, ubi de ratione.
6 Clericus suscipiens munus advocati, seu procuratoris contra ecclesiam, à qua pensionem exigit, pensione privandus est.

1 Clerici excommunicati, suspensi pensionibus, & proventibus ecclesiasticis privandi sunt *Gloss. in cap. pastoralis § verum vers. subtrahuntur de appellat. Monet. de option. cano-*
2 *nic cap. 4. num. 30.* Hoc tamen interest inter excommunicatos, & suspensos, quod clericis excommunicatis nihil pro alimentis relinquendum est, cum possint à contumacia resipiscere, & absolutionem consequi, suspensis vero à beneficio, dummodo tamen in contumaciam suspensi non sint, alimenta non sunt deneganda, etiam habito respectu ad qualitatem personæ *Gloss. in can. studeat in fin. distinct. 50. Gloss. in capit. cum vinctoniensis 25. versic. admferant in fin. de elect. Gloss. in cap. pastoralis §. verum versic. subtrahuntur in fin. de appellat. Garz. de benef. par. 7. cap. 13. num 98. Tondut. de pens. cap. 7. num 8. 9., ubi concordantes.*

3 Clericus itaque juste excommunicatus, si habeat aliunde alimenta, per sententiam privationis pensionem statim amittit, quæ opinio
4 vera est, etiamsi clericus appellaverit, quoniam justa sententia excommunicationis, & privationis pensionum ecclesiasticarum trahit secum ipso jure executionem, quod speciale est in excommunicatione *Gloss. in cap pastoralis versic. cum executionem, ubi Abb. & ceteri in-*
5 *terpret. de appellat.*, & consequenter, si clericus ad ecclesiam redeat, & resipiscat, ad pensionem non est reintegrandus, pensio enim semel extincta, amplius reviviscere non potest, nisi ex novo jure *can. quam periculosum 7. quæst. 1. l. servus 15. ff. de adimend. legat. Franc. in cap. si clericus num. 4 de præben. in 6.* alimenta tamen, ne in opprobrium ordinis clericalis mendicare cogatur, denegari non debent *Gloss in d. cap pastoralis versic. subtrahuntur de appellat. Gloss. in can. studeat in fin. distinct. 50. Tondut. de pens. cap. 35. num. 29.*, si enim alimenta debentur excommunicato, ex quo potest ad ecclesiam redire, *ut ait Gloss. in d. cap. pastoralis in fin.* multo magis, ubi post privationem pensionis rediit, & ecclesiæ satisfecit.

6 Ulterius clericus munus Advocati, seu Procuratoris suscipiens contra ecclesiam, à qua pensionem obtinet, pensione privandus est, pensio enim lato modo est beneficium ecclesiæ, deinde clericus ex hoc capite privatur officiis, immo, & stipendiis, quæ in rigore benefi-

cia

cia ecclesiastica non sunt, ergo multo magis pensione. Demum in hac re vis non stat in beneficio, sed in ingratitudine, quæ quodammodo trahit secum privationem pensionis *cap ultim. ubi scribentes de postulan.*, & faciunt ad hoc *text. in cap. ultim. de donat. l. ult. C. de revocan. donat.*

ARGUMENTUM.

De inhabilitate, & privatione Beneficiorum, ac Pensionum ecclesiasticarum in filiis illegitimis clericorum ob incontinentiam paternam *ad interpretat. Tridentin. sess. 25. cap. 15.*

SUMMARIUM.

1 Irregulares ex defectu non debent excludi à beneficiis, & quare.
2 Limita in irregularitate ex defectu natalium quoad beneficia paterna, ubi de ratione.
3 Differentia inter irregularitatem originis, & criminis.
4 Illegitimi sunt ignobiles, odiosi, nec Deo amabiles.
5 *Decretum Tridentini* contra illegitimos.
6 *Tridentinum* comprehendit casus præsentes, & futuros juxta dispositionem legum.
7 An filius illegitimus prohibeatur inservire, uti capellanus amovibilis in ecclesia, in qua Pater iisdem inservivit.
8 Verba *quoquo modo* omnem ministerii speciem comprehendunt.
9 Resolutiones Sacræ Congregationis in hac re.
10 Verba *quoquo modo* adjecta à Tridentino, qualiter sint intelligenda, ubi casus resolutio.
11 An nepos legitimus ex filio illegitimo possit obtinere beneficium avitum, negat *Rebuffus* num. 12. sed contra, ubi resolutiones num. 13.
14 Appellatione filiorum præsertim in materia odiosa non veniunt nepotes.
15 Nepos illegitimus ex patre illegitimo potest obtinere beneficium avitum.
16 Vitium patris, quod porrigitur ad filios, quomodo intelligatur.
17 Legitime natus ex radice infecta est capax beneficiorum.
18 An clericus illegitimus admitti possit in ecclesia receptitia, in qua pater fuit receptus, Cardinalium opiniones.
19 Illegitimus ad missus in ecclesia receptitia, in qua ejus pater ministravit, est amovendus, ubi casus, & Resolutio Sacræ Congregationis.
20 Ampliatur prohibitio, etiamsi beneficium paternum ab extraneo obtentum fuerit.
21 Illegitimus non potest obtinere beneficium, quod pro certis vicibus habet jus ministrandi in alio, in quo pater fuit titularis, ubi casus, & resolutio.
22 Ampliatur in filio illegitimo archidiaconi habentis jus præsentandi, ubi casus, & resolutio.
23 Ampliatur, ut illegitimus audire non possit confessiones in ecclesia paterna.
24 An filius illegitimus prohibitus sit devotionis gratia celebrare in ecclesia, in qua pater beneficium obtinet, vel alias obtinuit, Cardinalium opiniones, & resolutio Papæ num. 25.
26 Decretum de non celebrando ab illegitimo in ecclesia paterna à Congregatione in Resolutionibus apponitur, & quare.
27 Differentia inter legitimos, & illegitimos quoad dispensationem pro assequendis beneficiis paternis.
28 An Episcopus possit illegitimis dispensare.
29 Illegitimus dispensatus ad ordines censetur dispensatus ad beneficia.
30 Regulares illegitimi sunt capaces beneficiorum simplicium, exceptis prelaturis, & beneficiis curam animarum habentibus.
31 Pater legitimus potest succedere in beneficio filii.
32 An pater illegitimus beneficium filii obtinere possit, negat *Loterius*, affirmat *Sacra Rota* num. 33. Resolutio Sacræ Congregationis num. 34.
35 Irregularitas à filiis illegitimis contracta privatio est quoad executionem juris, & vacant de facto beneficia ab ipsis obtenta in ecclesia paterna num. 36.

CAPUT IV.



1 Quamvis irregulares ex delicto alterius tamquam tales ex defectu tantum ob officiis, beneficiis, & ministeriis ecclesiasticis arceri non debeant, cum scriptum sit indignos non esse, qui alieno vitio laborant *l. licet cod. de natural. liber.*;
2 Nihilominus irregularitas ex defectu natalium hujusmodi veniam non meretur pro assequendis mediate, vel immediate beneficiis, in quibus pater cum titulo ministrat, seu alias ministravit, quoniam filius sacerdotis est argumentum incontinentiæ paternæ gradiens super terram, *ut ait Gloss. in can. proposuisti vers. filii distinct. 82.*
3 Differt autem hæc irregularitas ab ea, quæ oritur ex crimine. nam irregularitas criminis deletur per pœnitentiam, cum sit tantum accidentalis; prout in clerico adultero cum similibus; at irregularitas ex defectu natalium semper durat, quia naturalis est, & crescit, si filius illegitimus obtineat beneficia in eccle-
4 sia paterna; Non mirum igitur, si Sacri Canones, & leges filios illegitimos uti ignobiles, degeneres, odiosos, nec Deo amabiles semper habuerint *cap nisi cum pridem §. non tamen de renunc. Can. si gens Anglorum distinct. 56. l. vulgo concepti ff. de stat hominum.*
5 His accedit, quod ut memoria paternæ incontinentiæ à locis Deo consecratis longissime arceatur, decreverunt Tridentini Patres *non licere scilicet filiis clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio in ecclesiis, ubi eorum*

eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, vel habuerunt, aliud etiam dissimile obtinere, nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare; Quod si in præsenti pater, & filius in eadem ecclesia beneficia habere, & possidere reperiantur, cogatur filium suum beneficium resignare, aut eum alio permutare extra ecclesiam intra spatium trium mensium, alias ipso iure eo privatus existat cap. 15. sess. 25.

6 Duplicem Dispositio Conciliaris partem habet, altera præsentes, altera futuros casus comprehendit, quod proprium est quarumcumque legum, quæ in ecclesia promulgantur, præsentibus, & futuris casibus providere *cap. ultimo de constit. l. leges Cod. de legibus*; Sed quia præsens tempus conciliaris dispositionis respectu primæ partis jam abiit, aliud non superest, nisi materiam futurorum casuum discutere cum infrascriptis dubiis, quæ à Sacra Congregatione Tridentini interprete, ut infra, resoluta fuerunt.

7 Quæritur primo, an filius illegitimus ad beneficia dispensatus prohibeatur ex decreto Tridentini uti capellanus amovibilis inservire ei ecclesiæ, cui itidem capellanus Pater suus olim inservivit; Ratio dubitandi oritur ex ipsomet decreto conciliari, quoniam filius illegitimus non solum non potest obtinere aliud simile, vel dissimile beneficium in ecclesia, in qua ejus Pater beneficium in titulum habet, vel habuit, verum etiam ibidem *quoquo modo* ministrare prohibetur, quæ quidem verba ampliant juris dispositio-
8 nem, & comprehendunt omnem ministerii speciem, ita ut filius illegitimus, sive titulum habeat, sive non, prohibitus censeatur in ecclesia paterna ministrare *Gloss. in cap. ut inquisitionis §. prohibemus de hæret. in 6.*

9 Sed contrarium verius est, nam Sacra Congregatio *in Andrien. Julii* 1585. *censuit oratorem non prohiberi per decretum Tridentini sess. 25. cap. 15., quominus tanquam Capellanus ad nutum amovibilis possit inservire eidem ecclesiæ, cui itidem capellanus pater olim suus inservivit*, Idemque habetur *in Calaguritana Julii* 1585., & *Maii* 1598. Item in ecclesia parochiali loci de Tholosa Pampilonen. Diœcesis adsunt plura simplicia servitoria beneficia ecclesiastica, quibus capellani inservire consueverunt. Obtinuit unum ex istis beneficiis licentiatus Yvarra, cui pro Capellano ad nutum amovibili modo inservit Lucuriaga Sacerdos optimæ vitæ; Nuper verò Episcopus dubium excitavit, quod Pater dicti Cappellani alias obtinuit unum aliud simplex beneficium in d. Ecclesia quod propterea obstet decretum Tridentini, licet ejus Pater jam fere 15. annis elapsis obierit; unde propositum fuit dubium, an Concilium obstet in hoc casu, & videtur, quod non obstet, quia decretum Conciliare loquitur, quando filius obtinet aliquod beneficium, & intitulatur in Ecclesia, ac uti Titularis, & nomine proprio inservit, seu ministrat, secus si nullum obtineat beneficium, sed tantum pro alio capellano ad nutum beneficiati titularis inservit, ut in casu, præsertim, cum jam 15. anni elapsi sint, quod ejus pater obierit, & *ita Sacra Congregatio in Pampilonen Septembris* 1586. *censuit non obstare, quo minus pro capellano amovibili possit inservire, & in Pampilonen Januarii* 1587, quod latius habetur *in Messana* 10 *Maii* 1698 *lib. decret.* 48. *fol.* 238, in qua, cum sacerdos Paulus Laurentius Spano loci delli martiri nuncupat. dispensatus ab Apostolica Sede super defectu illegitimitatis tamquam natus ex præsbitero, & libera muliere, cum decreto tamen de non celebrando in ecclesia, in qua ejus pater celebravit, & celebrat, petiisset in hoc sibi dispensari, quia in ecclesiis d. loci celebravit tantum pro ejus devotione, & pro eleemosina manuali, nec ullum beneficium ecclesiasticum umquam obtinuit, *Sacra Congregatio respondit danda esse decreta alias hac de re edita in Calaguritana, Pampilonen. ut supra.*

10 Quapropter ea verba Concilii *quoquo modo* intelligenda sunt, vel quando pater beneficium cum titulo obtinuit, vel quando filius cum titulo inservit, & ministrat, tunc enim censetur prohibitus ministrare in ecclesia paterna juxta decretum Tridentini, ita ad satisfaciendum pluribus Missarum oneribus, quæ ex piorum benefactorum fundationibus erecta sunt in parochiali ecclesia Villæ Franchæ deputatus est in capellanum amovibilem à patronis Franciscus Lazaibar filius naturalis moderni parochi dictæ ecclesiæ; Idcirco ad dubium, an eidem obstet dispositio conciliaris *cap* 15. *sess.* 25., *Sacra Congregatio respondit affirmative in Pampilonen indulti* 29. *Novembris* 1692. *lib. decret.* 42. *fol.* 666.

11 Quæritur secundo, an nepos legitimus ex filio illegitimo dispensatus, ut supra, possit obtinere beneficium avitum; Prima opinio negat, quia eadem concurrit ratio hæreditariæ successionis, præsertim si pater obierit, quoniam tunc nepos legitimus repræsentat personam patris *ad text. in cap. extirpandas de fil. Præsbit., Rebuff. de dispens. super defect. natal. n.* 27, 28., ubi refert ita fuisse pronunciatum.

12 Deinde vitium patris extenditur ad filium, & infecta primitiva, censetur infecta derivativa; Idcirco sicuti à beneficiis excluditur pater, quia naturalis est, ita est excludendus filius, qui ab eo ortum habet. Omnis enim macula, quæ est in patre, regulariter descendit in filium *l. quod si nolit §. si mancipia ff. de ædilict. edict., l. quisquis cod. ad l. jul. maiest. l. Divo cod. de quæst.*; *Gloss. in l. final. Cod. de natural. liber.*, ubi filius legitimus ex patre naturali à successione excluditur, ergo à fortiori à beneficiis ecclesiasticis arceri debet.

13 At affirmativa opinio verior est filium scilicet legitimum ex patre illegitimo non comprehendi sub decreto Tridentini, quod

loquitur de filiis illegitimis, non nepotibus legitimis, ergo filius legitimus potest obtinere beneficium avitum, *ita Sacra Congregatio in Caurien. 23. Septembris 1593., & die 21. Maii 1602. respondit filium legitimum ex filio illegitimo non prohiberi ex decreto ejusdem Tridentini obtinere beneficium avitum*, idemque habetur die 11. Decembris 1621., *ubi quod decretum Tridentini non comprehendit Nepotem legitimum ex filio illegitimo, Senogallien. 9. Novembris* 1647., in qua Sacra Congregatio *censuit ad primum non adesse repugnantiam Sacri Concilii Tridentini, quo minus filius legitimè natus ex patre naturali legitimato potuerit ad ecclesiam parochialem de jurepatronatus præsentari; cum relatis per Fagnan. in cap. ex transmissa n.21. de fil præsbiter.*, & ratio
14 est, quia appellatione filiorum præsertim in materia odiosa non veniunt nepotes *l quid si nepotes ff de testam. tutel.*
15 Immo Sacra Congregatio *in Nullius 5. Martii* 1598. *censuit Tridentinum non prohibere, quo minus filius illegitimus ex patre illegitimo beneficium, quod eius avus habuit, obtinere possit*, dummodo sit dispensatus ad beneficia in genere, ac proinde opinio *Rebuffi* omnino rejicienda est, quoniam, ubi intermediat persona, cessat ratio hæreditariæ successionis in beneficiis prohibitæ *Glossa singularis in can. præsbiterorum vers. filios distinct. 56.*
16 Multo minus vitium paternum in hoc casu ad filium porrigitur, hoc enim procedit in his, quæ descendunt in filium ex persona patris, secus in iis, quæ capit filius ab alio ex persona propria *Bart. cons.* 118. ubi firmat legitimum ex illegitimo esse capacem succes-
17 sionis avitæ; Idcirco natus ex radice infecta licitè, & validè obtinet beneficium avitum, quod capit ex providentia alterius præter patrem *Spada cons.* 35. *lib.*2., ubi refert per Sacram Rotam ita fuisse judicatum.
18 Quæritur tertio, an decretum Tridentini *sess.*25. *cap.*15. obstet filio illegitimo, quo minus in clericum ecclesiæ receptitiæ, in qua recepti absque ulla provisione divinis inservire, & massæ communis participea esse consueverunt, admitti queat, propterea quod ejus Pater duodecim ab hinc annis defunctus in clericum & ipse admissus fuit, divinisque inibi servivit, atque emolumenta percepit *die 2. Novembris* 1614. *prout ex lib. memorialium* 157. *fol.*950. habita fuit Congregatio Concilii in Vaticano, cui interfuerunt DD. Cardinales *Camerarius, Montelpin, Justinianus, de Monte, Paravicinus, Aquaviva, Sanctorum quatuor, Blanchettus, Mintica, Vicecomes, Sancti Marcelli, Seraphinus, Pamphilius*, in eaque proposito d. dubio Cardinalis *Sancti Marcelli* sensit concilium obstare rationibus, & auctoritatibus late allatis in scriptura his adjuncta, eumque omnes uno ore secuti sunt; *Justinianus* addidit jam Congregationem habuisse hunc receptum pro beneficiato, dum declaravit quem posse ordinari ad sacros ordines ad titulum ecclesiæ receptitiæ; *Seraphinus* prætendit, quod quanto magis ad jus cohæreat, tanto magis comprehenditur à Concilio, quod spectavit notorietatem incontinentiæ paternæ prodeuntis ex personæ ministerio, *Pamphilius* & illud adduxit, quod quamvis *DD. in cap. ex parte de concessione præbend.* sentiant id jus extingui personæ morte, fatentur tamen, quod si ille diu vixerit, alius eo mortuo est recipiendus, adeo ut nisi fuerit receptus, devolvatur jus recipiendi ad ordinarium, *Hostiensis, & Imola in cap. ex parte de concess. præbend.*; & ratio apud me juridica est, quia in ecclesia receptitia tot sunt recipiendi, quot consueverunt ibi adesse juxta facultates ecclesiæ *Gloss. in cap. ex parte in fin. de concess. præben.*
19 Unde propterea si illegitime natus etiam in genere dispensatus ad beneficia in ecclesia, in qua ejus pater ministravit, receptus sit, absque ullo dubio debet amoveri, & ita casus accidit, nam in ecclesia matrici terræ Saxi, quæ receptitia est, obtinuit olim quondam Joannes Margaglionus officium cantoratus, cui nulla est annexa præbenda, sed cantor participat de massa communi, & distributionibus quotidianis, prout cæteri sacerdotes cleri; Antonius Margaglionus filius naturalis d. Joannis sacerdos vigore dispensationis Apostolicæ in eadem ecclesia descriptus nullo gaudens beneficio, sed tantum eleemosinis missarum ex communi massa sine distributionibus attenta tenuitate sui patrimonii vivere nequit, cum post biennium servitii, ac pacificam, nemine de clero contradicente, perceptionem portionis fructuum tam massæ communis, quam distributionum quotidianarum, nunc ab aliis præsbiteris de clero receptitio prætendatur ipsum à servitio amovendum esse vigore conciliaris dispositionis *in cap* 15. *sess.*25, quam sibi non obstare asserit, dum eadem dispositio videtur dumtaxat prohibere, ne filii clericorum habere possint beneficia in eadem ecclesia, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, seu habuerunt; sed in hoc casu neque pater, neque filius beneficium obtinuerunt, nec habere possunt, quia inibi non existunt, ac proinde putans ei non prohibitam celebrationem missarum, & pro his eleemosinas, ac emolumenta percipere, instat declarari, an præsens casus comprehendatur sub dispositione *cap.*15. *sess.*25. *Sacra Congregatio in Marsicen.* 25. *Septembris* 1594. *lib. Decret.* 44. *fol.* 480. *attenta relatione Episcopi Marsicensis instantiam reiiecit*; & justa quidem ratione, quia participatio eleemosinarum ex massa communi, & distributionum stat loco beneficii, cum non minus eleemosinæ, quam distributiones quotidianæ inter redditus beneficiales computentur *ad tex. in extravagant. unica* §. *& quia de decimus*.
20 Ampliatur prohibitionem etiam locum habe-

habere, tametsi medio tempore beneficium ab extraneo obtentum fuerit, nam Illegitimus sive mediate, sive immediate est penitus incapax beneficii paterni *Tridentina Augu-*
21 *sti* 1589. Immo prohibetur obtinere aliud beneficium, quod habee ius ministrandi in ecclesia paterna, ita sacerdos Carolus Hyeronimua ex Francisco laico, & muliere soluta natua, & ad ordines, ac beneficia dispensatus præsentatus fuit ad parochialem ecclesiam Sancti Michaelis, cujus Rector per quatuor vices quolibet anno occasione processionum solet ministrare recitando orationea in ecclesia Sanctæ Mariæ gratiarum, cujus pater fuit intitulatus, ibique curam animarum exercuit; Quæritur, an dispositio concillaris etiam in hoc casu locum habeat, *Sacra Congregatio respondit locum habere in Nullius; seu Vercellen. 2. Septembris* 1645: & ratio est, quia in ecclesia Sanctæ Mariæ gratiarum, in qua pater fuit intitulatus, durat adhuc ratio paternæ incontinentiæ, ergo filius illegitimus nequit obtinere ecclesiam Sancti Michaelis *ex Tridentino, & constitutione* 30. *Clementis VII.*

22 Ampliatur prohibitio in Archidiacono, qui habet jus præsentandi in pluribus ecclesiis ratione sui Archidiaconatus, & in aliquibus fructus percipit, quoniam illegitimi in ecclesia paterna institui non debent *cap. ad decorem de fil. præsbiter*; casus est in Archidiacono ecclesiæ Legionensis habente jus præsentandi ad nonnulla beneficia ecclesiarum parochialium, in quibus ratione sui Archidiaconatus competit jus visitandi, & in aliquibus ex dictis beneficiis percipit etiam certos redditus annuos; cumque intendat ad unum ex eisdem beneficiis præsentare filium suum illegitimum, episcopus Legionensis, ad quem spectat illorum institutio, dubitans de hoc instat pro declaratione, an d. filio illegitimo in hoc casu obstet dispositio Sacri Concilii Tridentini, ita ut ab archidiacono patre præsentari non possit ad hujusmodi beneficium, præsertim si ex eo ratione Archidiaconatus aliqui percipiantur redditus, *Sacra Congregatio respondit cap. 15. sess. 25. obstare etiam in hoc casu, ita habetur in Legionen. 3. Junii* 1648.

23. Ampliatur, ut illegitimus in ecclesia paterna audire confessiones non possit, vetita enim censetur sacramentorum administratio illegitimo propter honestatem ecclesiæ, quod verum est, etiamsi pater illegitimi obierit, ita Sacra Congregatio ad dubium, an filius illegitimus possit audire confessiones in ecclesia, in qua pater fuit parochus, *respondit non posse in Oritana* 4. *Julii* 1648.

24 Quæritur quarto, an prohibeatur *ex decreto Tridentini* filius illegitimus devotionis gratia missam celebrare in ecclesia, in qua ejus pater beneficium obtinet, vel alias obtinuit; *Die* 22. *Januarii* 1604. habita fuit Congregatio in Vaticano, in qua interfuerunt DD. Cardinales *Camerarius*. *Montelpin*. *Justinianus*, *de Monte*, *Paravicinus*, *Platto*, *Sanctorum quatuor*, *Blanchettus*, *Mantica*, *Vicecomes*, *Donatus*, in eaque proposito d. dubio Cardinalis *Sancti Marcelli* in locum Cardinalis *Mathei* nuper defuncti subrogatus sensit filium illegitimum prohiberi devotionis gratia celebrare missam in ecclesia, in qua ejus pater beneficium obtinet, vel obtinuit, attulitque rationes, quæ habentur in voto hic inserto, *Camerarius* idem censuit, *Montelpinus* putavit posse hujusmodi filium in ea ecclesia celebrare, dum tamen id fiat rarissime; *Justinianus* tametsi fassus sit opinionem negativam esse etiam probabilem, dixit tamen se magis propendere in affirmativam, quia verbum ministrare intelligitur ratione tituli *per text. in cap. præsentium de fil. præsbiter, ubi Abbas notat.* ita limitari universalem titulum *de filiis præsbiterorum*; consideravit etiam, quod de jure communi filius erat tantum prohibitus ministrare cum titulo, unde Concilium prohibens filium ministrare *quoquo modo* valde ampliat jus commune intelligendo, ut prohibeat etiam, ne ministret ratione officii etiam temporalis, ita ut nec pro vicario amovibili deservire possit, nec esse cantor in ecclesia, in qua pater &c., ita ut sensus illorum verborum *quoquo modo ministrare* hic sit, ut neque cum titulo, neque sine titulo admittatur tamquam minister in ecclesia, in qua pater beneficium obtinet, vel obtinuit; Cæterum non esse prohibitam celebrationem missæ gratia devotionis; Hæc tamen interpretatio nimis esset aspera, & absurda

Tandem omnes DD. in hanc sententiam iuerunt, ut consuetudo sit regula, quod filius prohibeatur etiam devotionis gratia in hujusmodi ecclesia celebrare, verum in casibus particularibus, qui se obtulerint, quæ Cardinalis *Vicecomes* perpendit, esse concedendam filiis celebrandi licentiam, agendumque cum sanctissimo D. Nostro, ut Congregationi potestatem faciat in hujusmodi casibus concedendi, *die* 27. *Januarii* 1604.

25 *Sanctissimus D. Noster hanc opinionem veluti tutiorem probavit.*

26 Verum hodie in resolutionibus Sacræ Congregationis solet apponi decretum de non celebrando missam in ecclesia paterna, idque propter decentiam ecclesiæ, & scandalum quod forte oriretur, quoniam filius in hac ecclesia semper dicitur testis paternæ incontinentiæ, *ut constat in Messanen.* 10. *Maii* 1698.

27 Differentia est in hac re, quod quandoque Sacra Congregatio filiis legitimis dispensationem concedit, ut possint obtinere immediate beneficium paternum, præsertim si sit de jure patronatus *Cracovien.* 1. *Martii* 1692. *lib. Decret.* 42. *fol.* 125., *Comen.* 7. *Junii* 1692. *lib. decret.* 42. *fol.* 336., sed filiis illegitimis numquam dispensatur pro obtinendo mediate, vel immediate beneficio paterno, quia resistit dispositio juris, & Tridentini, immo ratio scandali, & paternæ incontinentiæ, & signanter obstat *Constitutio* 30.

Clementis VII., qui sic ait, *quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus.*

28 An Episcopus possit illegitimis dispensare, quoad ordines, & beneficia? Respondeo Episcopum posse dispensare quoad minores ordines, & beneficia simplicia, secus quoad dignitates, & canonicatus *Gloss. in cap. ad abolendam vers. sedis cap. ultimo ibique Gloss. de fil. præsbiter.* Dummodo tamen paterna non sint, quoniam Episcopus super his, sive agatur de legitimis, sive illegitimis, dispensare non potest *Gloss. in can. præsbiterorum in princ. distinct. 56. Gloss. in cap. 1. vers. tale de fil. præsbit. in 6.*

29 Cæterum illegitimus simpliciter dispensatus ad ordines censetur etiam dispensatus ad beneficia, nam pro eo, quod quis clericus est, habet jus ad obtinendum beneficium *cap. propofuit de fil. præsbiter.*, & facit textus *in cap. accepimus verbo eo præsertim de ætat. & qualit.* Verum si dispensatio ad minores ordines restricta sit, illegitimus non potest habere, nisi simplex beneficium, aut cappellaniam, quæ actu sacerdotalis non sit *cap. 1. ibique Gloss., & DD. de fil. præsbiter. in 6.*, secus, si dispensatio loquatur de majoribus ordinibus, tunc illegitimus potest promoveri ad dignitates, personatus, & ecclesias parochiales, *ita distinguit Amostaz de capell cap 4. num. 5 cum seq.*

30 Regularea autem illegitime nati, exceptis prælaturis, aliisque beneficiis curam animarum habentibus, nulla indigent dispensatione quoad beneficia simplicia regularibus in titulum conferri consueta, dummodo tamen professi sint, quia professio religiosa tollit omnem illegitimitatis maculam *cap. 1. cap. ult. utrobique Gloss. de fil præsbiter.*

31 Denique pater legitimus absque ulla dispensatione potest succedere in beneficio filii, quia id patri prohibitum non est, prout de jure prohibetur filio etiam legitimo immediate succedere in ecclesia paterna *Nucerina 22. Decembris* 1594. *ubi Sacra Congregatio re matnre discussa censuit patrem legitimum nulla indigere dispensatione ad obtinendum immediate beneficium filii, licet filius quamvis legitimus dispensatione egeat ad obtinendum immediate beneficium patris; ideo, si Sanctissimo Domino visum fuerit resignationem admittere, nulla opus esse dispensatione Rebuff. de dispensation. super defect. natal. num. 29.*

32 Dubium superest, an pater illegitimus possit obtinere beneficium filii, negat *Lotterius de re benef. lib. 2 quæst. 48. num. 194. cum seqq.*, ubi diffuse differit patrem illegitimum non posse obtinere immediate beneficium filii ex d. ratione paternæ incontinentiæ, quæ non cessat in hoc casu, prout militat in filio illegitimo, qui in ecclesia paterna immediate succedit, idque vi correlationis, quæ est inter patrem, & filium, ita ut quidquid dispositum est contra filios, locum etiam habeat contra parentes, ut ibi.

33 Affirmat *Sacra Rota decis. 1442. coram Seraphin.*, quoniam ratio incontinentiæ propriæ cadit in filios illegitimos, qui regulariter repræsentant patrem, non in patrem respectu filiorum, alioquin pater arceretur à beneficio propter propriam incontinentiam, quod Sacris Canonibus cautum non est, & ne id quidem cogitarunt Patres Tridentini, deinde hæreditaria successio hic locum non habet, quia Sacri Canones loquuntur de successione filiorum respectu parentum, quod regulariter accidit, non è contra; & ratio est, quia filiua vere, & proprie succedit patri, sed pater, nonnisi ordine turbato, filio succedere dicitur juxta illud, ordine turbato succedis Bulgare nato, *Gloss. in l. nam etsi parentibus ff de inoff. testam. Camacen 20.*

34 *Maii 1610. in qua Sacra Congregatio re alias diligenter examinata censuit, quamvis filius illegitimus prohibeatur immediate obtinere ecclesiam patris, non tamen patri prohiberi, etiam immediate obtinere ecclesiam filii, ideoque, nisi secus Sanctissimo visum fuerit, resignationem esse admittendam.* Mirum quod in re clara, & jam olim decisa *Loterius* alias practicus, & doctus in re beneficiaria resolutionem Sacræ Congregationis adhuc præstoletur.

35 Et quamvis hujusmodi irregularitaa contracta à filiis illegitimis ex delicto parentum proprie juris pæna non sit, attamen quantum ad executionem juris vera est privatio, nam filii illegitimi provisi de ecclesia, seu in ecclesia paterna beneficiis spoliantur, & in
36 sequelam ob hujusmodi privationem beneficia paterna ab ipsis obtenta vacant saltem de facto *cap. 2. cap. 3. cap. 4. cap. quoniam cap. ad extirpandas; cap. ult. de fil. præsbit.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Filius illegitimus est incapax pensionis, secus si ad clericatum dispensatus sit:
2 Filius illegitimus etiam ad clericatum dispensatus pensionem super ecclesia paterna obtinere non potest.
3 Limitatur, si beneficium patris in aliud commutatum sit.
4 Limitatur in filio legitimo ex filio illegitimo quoad beneficium avitum.
5 An pater possit transferre pensionem in filium illegitimum, ubi ratio dubitandi, & decidendi num. 6.
7 Quid in pensione reservata super alio beneficio ad eludendam dispositionem conciliarem.
8 Pensio imposita per fraudem revocanda est, & de facto extinguitur, ubi de ratione.

1 Filius illegitimua de jure est incapax pensionis ecclesiasticæ, quia est incapax clericatua, sine quo pensio reservari non potest, sed tamen dispensatus ad ordines censetur etiam dispensatus ad pensionem *Rot. decis. 447. num. 8 9. coram Pævia*; hæc tamen

2 dis-

2 dispensatio quoad pensiones obtinendas à filiis illegitimis non extenditur ad pensiones super fructibus beneficiorum, quæ patres obtinent, vel alias obtinuerunt, nam ratio paternæ incontinentiæ, quæ filios excludit à beneficiis paternis, locum etiam habet in pensionibus ibidem reservatis *ex Trident. sess.25. cap.15.*

3 Limitatur primo, si beneficium in aliud commutatum sit, quod fit, quando portio obtenta à patre erigitur auctoritate Episcopi, vel Papæ in canonicatum, & deinde alteri confertur, tunc filius illegitimus ad clericatum dispensatus potest super hoc canonicatu valide, & licite pensionem obtinere, aliud enim beneficium est, non patris, *Achill. decis 2, num.4. de fil. præsbit.*

4 Limitatur secundo in filio legitimo ex filio illegitimo quoad beneficium avitum, nam sicuti ipsum beneficium potest assequi, ita multo magis pensionem super eo obtinere, *ita Sacra Congregatio die 2. Julii 1609.*

5 Dubium est, an pater habens jus transferendi pensionem possit eam in filium illegitimum transferre, & ratio dubitandi est, quia filius illegitimus personatus, administrationes, & alia quæcumque beneficia, quæ ejus pater in titulum, vel commendam, aut administrationem in perpetuum, seu ad tempus aliquando obtinuit, nullo umquam tempore quoquo modo habere potest, *ita Clement VII. Constitut.30.*, ergo filius illegitimus est incapax translationis pensionis, nam, quando dicitur aliud quodcumque beneficium, comprehenditur præstimonium, & pensio *Felin. in cap. postulasti column 10. conclusio 4. de rescript.*, *Caccialup. quæst.30. de pens.*, *& in aliis*,

6 At ratio decidendi est, quia *Constitutio Clementis VII.* loquitur de beneficiis per patrem aliquando obtentis, quod non verificatur in hoc casu, in quo pater, qui pensionem transtulit, nunquam hoc beneficium habuit, & possedit, idcirco translatio pensionis substinetur, *ita Sacra Congregatio in Segobrien, seu Valentina 7. Martii 1608. lib.decret.31. fol.11. ibi = item decreto sess.25. cap.15. ejusdem Concilii filium illegitimum non prohiberi obtinere pensionem super beneficio, quam pater à se obtentam legitima suffultus facultate transtulit postea in eum*, & latius habetur *apud Gigas de pens. quæst.86.* quod nota pro filiis illegitimis clericorum habentium indulta transferendi medietatem pensionis, prout quotidie practicatur in Romana Curia.

7 Quid ergo, si pater naturalis præstiterit assensum, ut super suo beneficio pensio reservetur ad favorem Nepotis legitimi alterius parochi sub tacita conventione, ut iste parochus super suo prælest quoque assensum pro alia simili reservanda ad favorem ejus filii illegitimi, & uterque propriis expensis expedivit literas Apostolicas? Respondeo, pensionem reservatam illegitimo, licet alias ad clericatum dispensatus sit, esse ipso jure nullam, quoniam hujusmodi pensio imposita est super beneficio pleno, quamvis paternum non sit, ad eludendam dispositionem
8 concillarem; idcirco uti imposita per fraudem à judice debet revocari, ut extinguatur saltem quoad factum, nam qui de facto exigebat, amplius non exigit *plene Rot. decis.306. num.26. part.10. recen. decis.11. num.20.21. part.11. recen. cum ibi relatis.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione, seu privatione Beneficiorum, ac Pensionum ob non residentiam *ad ornatum Text. in cap. ex tuæ de cleric. non resident. Tridentin. sess. 23. cap.1. & sess.24. cap. 12.*

SUMMARIUM.

1 Clerici ob non residentiam beneficiis privandi sunt, sed diversimode. 2.

3 Episcopi ob non residentiam dignitate Episcopali privari possunt,

4 Amplia in Cardinalibus, servata tamen Constitutione Innoc. X; ubi de depositione *Card. S: Marcelli*.

5 Cardinales absentes privari non debent ecclesiastica dignitate, nisi in pleno Concistorio, quod declaratur ibidem.

6 Quoad parochos varia est dispositio Juris, ubi distinguitur.

7 Novus modus procedendi contra parochos absentes, ubi quod hic modus non derogat dispositioni Juris. 8.

9 Episcopus utroque modo potest procedere contra parochos latitantes, ubi quod nulliter, & injustè privati ad Beneficia reintegrandi sunt, ibidem in fin.

10 In ecclesia parochiali ipso jure inducta est pæna privationis ob non residentiam etiam sine trina monitione.

11 Impugnatur hæc distinctio.

12 Declaratur text. *in cap. extirpanda §. qui vero de praben.*

13 Canonici ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum ob non residentiam quomodo privandi sint, variæ sunt opiniones 14.17.

15 Pænarum multiplicitas odiosa est, & à jure exorbitans, limita, si aliter de jure cautum sit *contra Pitonium* num.16. in fin.

18 Ordinarius potest procedere contra canonicum absentem vel prout de jure, vel juxta formam Tridentini, sed contra num.19.

20 Or.

20 Ordinarius potest cummulare pœnas juris, & Tridentini, sed quoad privationem canonicatus tenetur expectare triconium.

21 Canonicus nulliter spoliatus ad possessionem præbendæ reintegrandus est, & danda est manutentio, quoties non se habuerit pro spoliato, ibidem.

22 Coadiutor ob non residentiam officio privandus est, servata dispositione juris.

23 Quænam juris forma servari debeat contra beneficiatos, & cappellanos absentes, opiniones hinc inde, distinguitur. 24.

25 An canonicus elapso tempore absentiæ de licentia ordinarii absque ulla monitione beneficio privari possit, prima opinio negat, secunda distinguit 26. dubitatur num. 27. resolvitur quæstio. 28. declara. 29.

30 Ordinarius clericum absentem ex justa causa, & cum licentia ad residentiam revocare potest sub pœna privationis beneficii, si necessitas, & utilitas ecclesiæ id exigat.

31 Beneficia vacantia ob non residentiam possunt conferri ab episcopo, vel ab iis, quibus de jure competit. 32.

CAPUT V.

1 On minus clerici, canonici, parochi, quam prælati, aliique in suprema ecclesiæ dignitate constituti beneficiis, præbendis, officiis, & dignitatibus ob non residentiam privandi sunt *Text. Juris. xpress in cap. pervenit de appellat. cap. conquerente, cap relatum, cap. quia nonnulli, cap. ex tuæ, cap. ult de cleric. non residen.*;

2 Sed alio jure utimur contra Episcopos, & Cardinales, aliter contra Parochos, & Canonicos, aliosque ecclesiarum Ministros. Unde de omnibus clericis beneficiatis dicam in præsenti capite, ut sciant Judices ecclesiastici quid servare debeant in privatione beneficiorum ob non residentiam.

3 Siquidem certum de jure est episcopos ex hoc capite dignitate episcopali privari posse, si per treavices moniti ad ecclesias non redierint, hoc tamen adjecto, quod post ultimam monitionem adhuc per mensem de jure expectantur *cap. qualiter, ibique Gloss. de cleric. non residen. Trident. sess.6. cap.1.*, ubi Episcopi absentes sine justa causa ultra sex mensea continuos, pœnam quartæ partis fructuum ipso jure incurrunt, quod, si per alios sex menses in absentia perseveraverint, alia quarta parte fructuum ipso jure privantur. crescente vero contumacia à Papa, prout de jure privari possunt *Urban. VIII. Constit.*139., ubi non solum Episcopi, sed etiam Cardinales de Episcopatu provisi ad residentiam obligantur sub pœnis ibidem expressis.

4 Ampliatur in Cardinalibus absentibus, servata tamen *Constitut.*8. *Innoc. X.*, in qua sancitur, quod pro prima vice Cardinales absentea à Romana Curia sine licentia per sex mensea extra tamen Statum Ecclesiasticum, omnia privilegia, indulta testandi, & transferendi pensionca ipso jure amittant, & per alios sex menses omnibus beneficiorum fructibus privantur, deinde crescente contumacia ipsimet beneficiis, commendis, pensionibus, aliisque redditibus ecclesiasticis spoliantur, his quoque elapsis, per tres menses adhuc expectantur, quod si non redierint, procedi potest ad privationem supremæ dignitatis. Quod & verum est inspecta dispositione juris, quoniam Cardinalis S. Marcelii absens à sua ecclesia, seu titulo per quinquennium, & pluries monitus, ut ad residentiam rediret, depositus, & privatus fuit per Papam in Concilio, *ita habetur in cap. 2. de cleric. non residen.*

5 Notandum tamen est, quod Cardinales absentes privari non debent beneficiis, & ecclesiastica dignitate, nisi in pleno Concistorio, & auditis iis, qui ibidem intersunt, prout se gessit *Leo IV.* in depositione *Cardinalis S. Marcelli*; Et ratio est, quia Sacrum Collegium est in possessione, ut sine ipso Papa in arduis procedere non debeat, deinde Cardinales sunt supremi Papæ consiliarii, qui non debent adjudicari, puniri, aut deponi, nisi cum consilio aliorum *juxta doctrinam Abb. & Hostien. in cap. 2. de cleric non residen*, quod & ratio suadet, quia firmum est judicium, quod pluribus sententiis confirmatur *cap. prudentiam de offic. Judicis delegati Clement. 1. de sentent. excommunicat.*, quod si aliter procedatur, improbare, non possum, nam Papa non stylo, & praxi, sed legibus justitiæ, & rationi subiicitur *l. digna vox Cod. de leg.*

6 Quo vero attinet ad Parochos, aliosque Pastores curam animarum habentes, varia est dispositio juris, sed tamen distinguendum est; Si enim certo scitur, ubi Parochus moram trahat, personaliter citandus est, ut intra competentem terminum ad ecclesiam redeat, quo elapso, adhuc per sex menses expectandus est, quibus pariter elapsis, parochiali ecclesia privari debet *cap. ex parte il primo de cleric. non residen.*; ubi vero latitat, & ignoratur, quo loco moretur, per tria edicta ad valvas ecclesiæ affigenda citari debet; deinde ab ultimo edicto expectandus est per sex menses, quibus elapsis, ad privationem procedendum est, ut ecclesia vacet, ac concursus convocari possit juxta Tridentini decretum; Iden in primo casu citandus est personaliter, quia quoties Parochus præsens est, nec residet, excusationem non habet, & ita juridice privatur. dum jam constat de contumacia; Secundo autem casu ter monendus est, ut ad ecclesiam redeat, & tardius privatur ecclesia parochiali, quia absens potest habere justam excusationis causam, & hujusmodi interpretatio, seu forma procedendi juridica est, & in praxi admittenda, ne detur correctio jurium, quæ potius debent conciliari *per Text. in cap. cum expediat de elect. in 6.*

7 Ve-

7 Verum à Tridentino *Sess.23. cap.1.* alius modus procedendi contra parochos absentes inventus est; prius enim citandi sunt per edictum, deinde procedendum est ad censuras ecclesiasticas, sequestrationem, & subtractionem fructuum, & demum aliis juris remediis Ordinarius potest uti etiam usque ad privationem, dummodo tamen ab ultimo edicto Parochi absentes adhuc per sex menses expectentur juxta declarationem Sacræ Congregationis, de qua testatur *Rot. decis.131. in fin. decis.163. in princ. part.4. rec. tom.2.*

8 Hæc quidem est nova forma procedendi contra parochos absentes, sed non derogat dispositioni sac. Canonum. De jure enim contra parochos latitantes profugos, & absentes tribus edictis procedendum est; è contra ex Tridentino unum sufficit, si ultra edictum adiiciantur censuræ ecclesiasticæ cum sequestratione, & subtractione fructuum, & ratio est, quia ex mente Tridentini sequestratio, & subtractio fructuum cum censuris stant loco trium edictorum, quæ de jure necessaria sunt, ut parochi absentes ecclesiis priventur; Idcirco ordina-
9 rius uno, vel alio modo procedere potest ad privationem beneficii contra parochos latitantes, utraque tamen forma juris, & Tridentini servanda est, aliter nulliter, & injuste procedit, & in sequelam Pastores ecclesiarum parochialium in integrum sunt restituendi; & ratio est, quia judex nulliter procedens non privat absentem titulo, nec possessione ecclesiæ, & in hoc sæpissime vel ex ignorantia, vel ex malitia peccant ordinarii locorum, qui juris ordine non servato contra parochos, aliosque clericos absentes ad privationem beneficiorum præcipitanter procedunt, non mirum igitur, si sententiæ ordinariorum, tanquam nullæ, & injustæ in curia infirmentur *ex plene deductis per Rot. decis.609. par.1. decis.131. decis.133. decis.163. part.4. rec. tom.2. decis.1366. n.1. cor. Seraph. decis.465. decis.466. cor. Caprar. per tot. & alibi frequenter.*

10 Nec turbat, quod, ubi agitur de ecclesia parochiali, ipso jure inducta sit ob non residentiam pœna privationis beneficii *Hyed. de incompatibil. par.1. cap.28. num.11.* quo casu certum est trinam monitionem de jure non requiri, quia privatio facta ab ordinario talis non est, sed potius sententia declaratoria facti, super quo jus non disponit;

11 Respondetur, quod hæc distinctio jure non probatur, & *Text. in cap. ex tuæ de cleric. non residen.* hanc distinctionem non facit, multoque minus Trident. *in d. cap.1. sess.23.* quod etiam loquitur de ecclesiis parochialibus. Præterea, ut parochi juridice priventur ecclesiis, trina monitio necessaria est, & lapsus semestris ab ultimo edicto *juxta Text. in cap. ex tuæ de Cleric. non residen.*

12 Nec iterum objiciatur *Text. in cap. extirpandæ §. qui verò de præben.*; ubi quod non residens ipso jure privatus est ecclesia cum facultate conferendi beneficium, etiam non expectata sententia privationis. Etenim *Text.* procedit in ecclesia parochiali canonicatui unita, cui canonicus tenetur per Vicarium residere, ideoque, si negligat ibidem deputare Vicarium, durius contra ipsum proceditur, ac ipso jure privatur ecclesia Parochiali, seu jure eligendi Vicarium, & in hoc sensu potest Vicaria libere conferri, & ratio evidens est, quia canonicus præsens in loco nullam excusationem potest habere, cur ecclesiæ parochiali per Vicarium non inserviat, *ita explicat Jo. de Sylv. de benef. par.4. quæst 3. §. qui vero Rot. decis.163. num.6. cum seqq. par.4. rec. tom.2.*. Hic sane casus singularis est, & in pœnam canonicus ipso jure privatur, quia cum præsens sit, negligit ecclesiæ parochiali providere, ex quo infertur à contrario sensu, quod si canonicus esset absens, nec posset Vicarium deputare, prius debet moneri, antequam ecclesia Parochiali privetur, absens enim potest habere justam excusationis causam *Gloss. in cap. extirpandæ versic. privatum, ibiq. Innoc. num.2. Abb. n.24. de præbendis.*

13 Quo vero ad canonicos Ecclesiarum Cathedralium, seu Collegiatarum, qui quandoque se absentant ab eorum ecclesiis, multiplex potest fieri juris consideratio. Altera quod sit in arbitrio ordinarii privare canonicum absentem juxta dispositionem *Text. in cap. ex tuæ de cleric. non residen.*, prout alias resolvit Sac. Congregatio Concilii teste *Mantic. decis.67. num.7.*, ubi quod per privationem vacat cappellania, etiam non expectato triennio.

14 Secunda consideratio est posse ordinarium utramque formam juris, & Tridentini servare, complicando pœnas, ita ut post tres menses à die absentiæ possit procedere ad monitiones, suspensionem, censuras, & fructuum subtractionem juxta dispositionem *Text. in cap. ex tuæ de cleric non residen.*, non obstante quod ordinarius juxta formam Tridentini judicium contra canonicum absentem inchoaverit *Monacell. formular.2. tit.13. num.68.*

15 Et quamvis pœnarum multiplicitas odiosa sit, & à jure exorbitans *cap. at si clerici in fin. de Judic. l. sanctio legum in fin. ff. de pœn. cum relat. per Piton. discept.133. n.10. lib.4.*, ubi ex hac regula infert non posse ab ordinario pœnas insimul complicari, quia tres pœnæ darentur contra canonicum absentem, videlicet subtractio fructuum, excommunicatio, seu suspensio, & privatio tituli canonicatus, nihilominus hoc procedit in gene-
16 re, & quando per se una pœna sufficit, secus ubi aliter de jure cautum est, tunc enim pœnarum multiplicitas de jure non repugnat *per Text. in cap. quoniam frequenter in fine ut lite non contestata l.1. verb. qui adversus ea ff. de postulando Gloss. in cap. at si clerici versic. duplici de judic. Abb. in cap. tuæ n.5. de Procurator., & in cap. cum in cunctis §. fina-*

§. *finali num.*2. *de elect. Civilistæ in l. Senatus censuit*, *ibique Glos.*, *& Bart. num.*1. *& in addit. ff. de accusat.*, & consequenter excommunicatio, & suspensio inventa à jure, subtractio fructuum addita à Tridentino, privatio canonicatus inflicta tum à Jure, tum etiam à Tridentino nullam habent inter se repugnantiam, quinimmo una pœna venit in consequentiam alterius, & potius dicitur augeri pœna, aucta contumacia, quam multiplicari. Porro quoad hoc perperam ratiocinatur *Piton. in d. cap.*133. *num.*10., quamvis erudite ibidem hanc materiam examinet. At de hoc ne mireris, quia scripsit more Advocati, qui ad desiderium suum, vel amici, & clientis in judicio solet contradicere, immo id afferuit potius ad opportunitatem causæ, quam pro veritate, quæ sola invenitur apud eos, qui theorice, ac practice etiam extra judicium materias, prout de jure, discutiunt.

17 Tertia demum consideratio est, quod ordinarius servare debeat formam Tridentini, ut scilicet expectandum sit triennium, quod incipit post lapsum trium mensium à die absentiæ, antequam canonicus absens præbenda spolietur, quoniam hæc nova forma procedendi contra canonicos non residentes subrogata videtur in locum formæ à jure inventæ; ergo hæc nova forma servanda est, non antiqua juris dispositio, ut præbenda juridice per privationem vacet *ex Triden. sess.*24. *cap.*12. *Piton. discept.* 133. *num.*8. *tom.*4. *Monacell. formular.*2. *tit.*13. *num.*67. *Rot. decis.*878. *n.*9. *in fin. coram Dunoz. junior.*, *Bellarminus in d. cap.*12. *Tridentini verbo alioquin.*, ubi refert resolutiones Sacræ Congregationis Concilii.

18 At si mihi liceat in tanta opinionum discrepantia sensum meum aperire inclinandum videtur in sententiam Sacræ Rotæ *decis.*67. *cor. Mantic.*, posse scilicet ordinarium procedere, vel prout de jure, vel juxta formam Tridentini, si enim potest ordinarius juxta *Monacelli* opinionem complicare pœnas juris cum pœnis Tridentini, cur non poterit uno, vel alio modo procedere? Sane Tridentinum novam formam procedendi contra canonicos non residentes invenit, sed antiquam non abrogavit, idcirco utraq. forma juris, & Tridentini firma, & stabilis remanet, quod enim non mutatur, quare stare prohibetur? *l. præcipimus Cod. de appellat.*

19 Verum ne hæc quidem opinio placet ex verbis Tridentini *d. cap.*12 *ibi = crescente vero contumacia contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur*; si enim Tridentinum formam juris postposuit, & novam invenit, utique antiquam juris dispositionem, quoad hoc abrogasse censetur; unde propterea tuto tenenda est sententia, triennium, scilicet expectandum esse, antequam canonicus præbenda privetur juxta resolutiones Sacræ Congregationis Concilii, quas refert *Bellarminus*, *Monacell loc. cit.*

20 Ita etiam probabilem admitto opinionem, ut ordinarius possit complicare pœnas juris, & Tridentini, sed canonicatus ob privationem non vacat, nisi post triennium completum; alioquin ordinarius hac forma non servata nulliter procedit, & canonicus ita pri-

21 vatus ad possessionem præbendæ est restituendus *Rot. decis.*287. *part.*12, *decis.*505. *part.*14. *decis.*117. *par.*15. *recen.*, *decis.*878. *num.*9. *cor. Dunozett. Junior.*. Imo quoties non se habuerit pro spoliato, danda est manutentio, cum sententia ordinarii tamquam nulla ob non servatam formam Tridentini, possessione beneficii non privet, ita Sacra Congregatio Concilii *in Alerien prætensæ privationis Canonicatus* 18. *Septembris* 1683. *& in Marsicana Privationis Canonicatus* 30. *Septembris* 1684.

Hæc, quæ dicta sunt de canonicis privandis post triennalem contumaciam juxta formam Tridentini, locum non habent contra coadjutores canonicorum ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum, licet enim coadjutor in omnibus coadjutum repræsentet, ejusque privilegiis perfruatur, nihilominus,

22 quia coadjutor canonicus non est, debet ordinarius procedere ad privationem coadjutoriæ ob non residentiam juxta dispositionem *text. in cap. ex tuæ de cleric. non residen*, *Ventrigl. prax. for. eccles. par.*2. *de coadjutor. annot.*13. §. *Unic. num.*39. *Piton. discept.*133. *num.*7., ubi refert resolutionem Sac. Congregationis Concilii, quod & antea dixit *Rot. decis.*392. *num.*5. *par.*3. *rec.*

23 Superest discutiendum, quænam juris forma tenenda sit contra beneficiatos, & cappellanos inferiorum ecclesiarum absentes ab eorum ecclesiis, si statuto, consuetudine, aut fundatione præcise residere teneantur? Ad quod videtur respondendum, prius monendos esse, ut intra congruum tempus arbitrio ordinarii præfigendum ad ecclesiam revertantur, quo elapso, beneficiis privari possunt *cap. inter quatuor*, *ibique Gloss. versic. tempore de cleric. non residen.*, ibi = *hoc ad arbitrium Episcopi refertur* =, & *habetur in cap. ultim.*, *ibique Innoc. in princip. eodem tit. Hostien. in summa hujus tituli n.*5. *circa med.* Nec servanda est ad unguem dispositio *text. in cap. ex tuæ de cleric non residen.* quia locum habet in parochis, præpositis habentibus administrationem in ecclesia; multo minus Tridentini forma, cum loquatur de canonicis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, unde in litera, beneficiatos ecclesiarum inferiorum non comprehendit. E' contra dicendum videtur, quod beneficiati, de quibus agitur, personaliter, vel saltem per tria edicta citari debeant, & post lapsum sex mensium privari beneficiis *ex plene deductis per Rot. decis.*12. *coram Mantic.*,

24 *decis.*593. *par.*1. *recen.*; quod verius est, quoniam indistincte contra quoscumque beneficiatos absentes proceditur, ea distinctione, de qua diximus *supra num.*6. contra parochos non residentes, *ita distinguit Abb in cap. ex tuæ num.*13., *ibique Butr.*, *& alii de cleric.*

cleric.non residen.& ita hac distinctione conciliantur jura, & opiniones, quæ inter se difformes esse videntur.

25 Quæstio gravis est inter canonistas de eo, qui licentiam ab ordinario obtinuit, ut ab ecclesia abesse posset intra certum tempus, an scilicet elapso absentiæ tempore absque monitione, nec servata dispositione juris beneficio privari possit, negat *Gloss. in cap. quoniam frequenter ut lite non contestata*; & ratio est, quia post lapsum temporis clericus beneficiatus habetur pro absente sine licentia sui superioris, sed absens sine licentia prius debet moneri, ut redeat, antequam privetur, ergo ex solo temporis lapsu beneficio privari non potest. Distinguit *Joan-*
26 *nes Andreas in d. cap. quoniam frequenter num.52.* Aut in ipsamet licentia inserta est monitio, aut non; primo casu potest beneficio privari etiam non servata forma juris, cum post lapsum temporis habeatur pro monito, & ita per æquipollens adimpletur, quod de jure necessarium est ad privandum beneficiatum absentem ab ecclesia; secundo casu absens citandus est, ut supra, ut juridice privari possit, idemque habetur ex mente *Gotifred. in cap.ex parte num 4 de cleric.non residen.*

27 Hæc tamen distinctio vera est, sed suas patitur difficultates ex ea recepta conclusione, quod, ubi certa forma à jure inventa est, tutum non videtur eam adimpleri per æqui-
28 pollens *ex plene deduct per Rot. decis. 167. num 10 & per tot. par.2. recen.* Dico itaque, quod à die elapsi temporis absentiæ, ac post lapsum sex mensium clericus absens absque ulla monitione privari potest, quoniam absens jam citatus est, & personaliter monitus ex ipsamet licentia, deinde expectatus fuit per alios sex menses, ergo, si privetur beneficio, servatur ad literam forma juris, *prout habetur in cap. ex tuæ de cleric. non residen.*, quod non caret ratione, nam clericus absens post lapsum temporis habetur pro contumaci, & contumacia crescit post lapsum aliorum sex mensium, in quibus de jure est expectandus, ideoque ex hac duplici contumacia de jure substinetur privatio beneficii facta ab ordinario, ad instar militis, qui non rediens intra permissum tempus, uti desertor privatur suo loco *l.3. versic. si ad diem ff. de re militar. l.2.C.de Comeat.lib.12.*,
29 quod intellige, nisi deinde justum probetur impedimentum, quo redire non potuerit, quo casu ad beneficium reintegrandus est, nam quamvis abiens personaliter, vel per edictum citatus, nec intra terminum rediens pro contumace habeatur, nihilominus sic citatus pro eo, quod absens est, causam excusationis adducere potest, & talis excusatio, quoties justa sit, & probabilis, debet de jure admitti *Can. præsentium 7. quæst.1. cap final. de cleric. non residen.*, prout excusatur miles, si justo detentus impedimento ad diem certum non redierit *l.desertorem §.si ad diem ff.de re militar.*

30 Immo ordinarius clericum absentem ex justa causa, & cum licentia ad residentiam revocare potest, quamvis tempus absentiæ nondum finitum si, & si deinde legitime monitus, ut supra, ad ecclesiam non redeat, beneficio jure hoc privatur; quod tamen fieri potest ab ordinario, si necessitas, aut utilitas ecclesiæ ita exigat, quia tunc licentia pro non data habetur, immo causa absentiæ cessat, quoties ecclesia patitur ministrorum defectum, & sic clericus absens legitime monitus habetur pro contumaci, acsi abesset ab ecclesia, tum sine licentia, tum etiam sine causa *Gloss. in cap. cum ad hoc in fin. de cleric.non residen. Innoc in cap. ex tuæ num.4. eod tit.*

31 Concluditur ex his, quod servato juris ordine post sex menses à die citationis, vel ultimi edicti per privationem ob absentiam vacat Ecclesia Parochialis, vacat beneficium, cappellania, seu portio ecclesiastica; item canonicatus, & dignitas in Ecclesia Cathedrali, seu collegiata, ubi Episcopus processit contra canonicum absentem juxta formam Tridentini, vacat per privationem post triennalem contumaciam; Unde propte-
32 rea beneficia sic vacantia libere possunt conferri ab Episcopo, si ad ipsum spectat collatio, seu ab iis, quibus de jure electio, seu præsentatio competit, alias impetrari debent à Papa *cap. licet Episcopus de præben. in 6. Abb.& Butr.in cap ex tuæ de cleric. non residen.cum relat. in cap.1. num.2. de vacatione ob privationem.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Pensionarius non tenetur ad residentiam, limita, si pensio cum onere residendi reservata sit, ibidem.
2 Pensio cum onere residendi reservata nihil differt à beneficio.
3 Clericus ob non residentiam pensione privandus est juxta dispositionem juris.
4 Pensio per privationem ex hoc capite extinguitur.

Supervacaneum videtur inquirere ex hoc capite de privatione pensionis, cum cleri-
1 cus pensionarius beneficiatus non sit. nec ullo modo teneatur ad residentiam in ea ecclesia, à qua annuam percipit pensionem *Gloss. in cap.quamvis in 3.addit.ibique Archidiac. column 2. versic. provideri, Franch.column.1 in 2.notab.de præben.in 6. cum relatis per Gig. de pension. quæst.31. in fin.* Sed hoc non obstante potest reservari pensio cum onere residendi, & inserviendi ecclesiæ, quo casu pensionarius vi huius oneris tenetur

 per-

personaliter in ecclesia residere , eidemque continuo inservire juxta modum in reserva-
2 tione pensi nis adjectum ; & ratio est , quia pensio reservata intuitu officii nihil differt à beneficio *cap. final. de rescript in 6.* Præterea,
3 si clericus pensionarius se absentet à servitio ecclesiæ sine causa , & licentia sui ordinarii, dummodo tamen prius , ut supra , moneatur, pensione privari poterit *cap. ex tuæ de cleric.*
4 *non residen. cap. final. eod. tit.* , & in hoc casu per privationem ex capite non residentiæ pensio extinguitur *cap. ex literis cap. grave m de excess. Prælator.*

ARGUMENTUM.

DE pœnis episcoporum , & de privatione beneficiorum , pensionis , ac fructuum contra parochos , commendatarios & canonicos non residentes *ad interpretationem Tridentini sess.6. cap.2 , sess.23. cap.1 ; sess.24. cap.12.*

SUMMARIUM.

1 REsolutionibus Sacræ Congregationis Concilii valde est deferendum.
2 Episcopus absens ab ecclesia , & diœcesi etiam ex causa publica alternativam amittit.
3 Beneficia , quæ vacant episcopo ebsente , vacant in curia , quod declaratur ibidem.
4 Ao episcopus absens illis tribus mensibus , quibus abesse potest ex Tridentino , gaudeat alternative, ubi casus. & resolutio proepiscopo.
5 Altera , resolutio Sacræ Congregationis cum relatione ad sanctissimum.
6 Declaratio Papæ in hac ra.
7 Beneficia , quæ vacant in mensibus episcopo absente , excepto Junio , & Decembri , possunt impetrari.
8 Cardinalatus olim erat via ad Episcopatum, hodie Episcopatus est via ad Cardinalatum.
9 Episcopus non residens non potest promoveri ad dignitatem Cardinalatus.
10 Limitatur pro illis tribus mensibus , quibus ex Tridentino potest abesse, vel pro quatuor ad effectum invisendi limina Apostolorum.
11 Contra parochos non residentes servanda ast dispositio juris.
12 Contra parochos non rasidentes potest etiam procedi ex decrato Tridentini.
13 Differentia inter dispositionem juris. & decretum Tridentini.
14 Verba *etiam usque ad privationem* quomodo intelligantur.
15 Ubi parochus est personaliter monitus ad redeundum intra Competentem terminum , eo elapso potest ab episcopo ecclesia privari.
16 Differentia,quando proceditur per edictum, & citationem personalem contra parochum absentem.
17 Parochi tenentur ad residentiam tempora pestis etiam sub pœnis Tridentini , & quare num. 18.
19 Parochus, qui confugit ad metropolitanum , citandos est in domo ultimæ habitationis , ubi de ratione num,20.
21 Abbas regularis ab episcopo cogi potest ad residentiam.
22 An habens dignitatem , cui ecclesia parochialis unita est, teneatur residere in parochiali , vel ibidem constituere Vicarium , distinguitur.
23 Provisus de canonicatu, & parochiali negligens providere de Vicario pro cura animarum ipso jure privatur parochiali.
24 Provisus de abbatia , quæ habet curam animarum , non tenetur residera , si omnis cura translata sit in Vicarium,
25 An per indultum retinendi duo benefitia incompatibilia censeatur concessum , ut in neutro resideat , duplex opinio ibidem num.26.
27 Provisus de duobus beneficiis tenetur in digniori residere, & quando privandus sit , si in minus digno resideat , ibidem.
28 Provisus de duobus benefitiis , dummodo in uno faciat per alium deservire , benefitio , cui per alium non inservit , privandus est arbitrio episcopi.
29 An commendatarii monasteriorum teneantur ad residentiam , distinguuntur casus num.30. 31. 32. 33.
34 Contra canonicos , & præbendatos non residentes servanda est forma Tridentini.
35 Amplia contra canonicum pænitentiarium.
36 Amplia contra canonicum , qui titulo canonicatus ad sacros ordines fuit promotus.
37 Non servata forma Tridentini nulla est privatio fructuum, & canonicatus, ibidem num.38.39.
40 Canonicus absens de licentia episcopi , in qua adiecta ast pæna privationis beneficii , non est citandus.
41 Triennium , quod datur è Concilio canonicis non residentibus , incipit à die absentiæ , non à die monitionis.
42 Contra canonicum absentam per Triennium , quadriennium , decennium , & ultra non est servanda dispositio conciliaris , sed proceditur ad privationem juxta dispositionem juris.
43 An dispositio conciliaris uti forma servari debeat sub pæna nullitatis actus , negant nonnulli , sed contra ibidem num.44.
45 Vicarius generalis de jure non habet potestatem destituendi ab officiis, & beneficiis.
46 An coadiutor parochi , seu canonici absens ab ecclesia privandus sit officio juxta Tridentinum , vel juxta dispositionem juris.
47 An episcopus possit procedere contra canonicos non residentes complicando pænas juris , & Tridentini , prima opinio negat , secunda affirmat num. 48. , quæ verior est num.49.

CAPUT VI.



Equitur materia privationis beneficiorum, pensionis, ac fructuum, aliarumq. pœnarum contra episcopos, parochos, commendatarios, canonicos, & beneficiatos non residentes juxta varias resolutiones Sa-
1 cræ Congregationis Concilii, quibus valde est deferendum ob auctoritatem interpretandi privative decreta Tridentini *juxta constit. Sixti V.*, *& aliorum*.

2 Siquidem ultra alias pœnas, de quibus in capite antecedenti, episcopus absens ab ecclesia, & diœcesi etiam ex causa publicæ utilitatis, seu pro munere legationis apud Catholicos Principes alternativam amittit ex regula Cancellariæ, quæ beneficium hoc tribuit tantum iis, qui vere, & personaliter resident *ex plene deduct. per Gonzal. ad reg* 8 *Cancellar. quæst.*43. *num.*12. *cum seqq. Rot. decis.*70. *num.*3. *decis.*239 *num* 1. *coram*
3 *Ludovis*; Unde beneficia, quæ vacant in civitate, & diœcesi ob absentiam episcopi, vacant in curia, seu apud sedem, cui *ex d. regula Cancellariæ* specialiter reservata sunt, exceptis duntaxat iis, quæ vacant in mensibus Junii, & Decembris, qui (quidquid in contrarium sentiat *Gonzalez. loco citato num.*116.) dicuntur ordinarii, fixi, & stabiles juxta practicos, & stylum Datariæ, quæ pro bisce duobus mensibus impetrantium supplicationes non recipit.

4 Dubium grave est, an episcopus absens ab ecclesia, & diœcesi etiam illis tribus mensibus, quibus ex decreto Tridentini abesse potest, alternativa gaudeat; Casus accidit *Januæ anno* 1581.; Cum enim vacasset beneficium simplex in ecclesia B. Mariæ de Castello, & episcopus à sua ecclesia abesset, Sebastianus Genzales illud à Papa impetravit; Verum episcopus habita notitia vacationis idem beneficium alteri contulit; Quæsivit provisus à Papa, an collatio episcopi absentis valida esset, & prætextu, quod illis tribus mensibus, quibus ei licet per Concilium abesse, habeatur pro præsente, & gaudeat alternativa, *Sacra Congregatio censuit episcopum illis tribus mensibus absentem haberi pro residente ex cap.*1. *sess.*23. *Triden. ubi quod, qui aliquantisper absunt, non videntur ex veterum canonum sententia abesse, quia statim sunt reversuri*.

5 Deinde, cum de hoc Episcopus Æginatensis dubitasset, idem dubium propositum fuit, an episcopus absens ex causa à Concilio approbata fruatur alternativa, quam Sanctissimus concessit personaliter residentibus dumtaxat, *Sacra Congregatio sub die* 2 *Septembris* 1581 *innixa præcipue regulæ Cancellariæ*, *& Constitutioni Pii V. prima men-*
sis anno 6. *censuit frui*, *referendum tamen Sanctissimo*, *qui audita relatione Sacræ Con-*
6 *gregationis declaravit se intelligere*, *ut non fruatur episcopus alternativa*, *quando abest etiam ex causa à Concilio approbata*, *idque ad tollendas lites*, *quæ oriri possunt super hoc articulo*, idemque habetur *in Æginaten.* 26 *Maii* 1612 *lib.*11. *decret. fol.*116. *ibi* = *sanctæ memoriæ Gregorius XIII. audita relatione Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit non debere Episcopum frui alternativa*, *cum abest etiam ex causa à Concilio approbata*; Porro hodie
7 beneficia, quæ absente Episcopo vacant in mensibus, Junio tamen, & Decembri exceptis, possunt valide impetrari *juxta regulam Cancellariæ*, *& declarationem Gregorii XIII.*

8 Accedit altera, & quidem gravior juris pœna contra Episcopum non residentem; pro qua re prius notandum est, quod olim Cardinalatus erat via ad Episcopatum, quod deinde variatum est, idcirco hodie Episcopatus est via ad Cardinalatum, regulariter enim Episcopi promoventur ad Cardinalatum, non Cardinales ad Episcopatum;
9 Præterea Episcopus, qui per alias vias extra Diœcesim divagatur, hujus dignitatis penitus fit incapax, eique obstat exceptio non residentiæ in Episcopatu, si Papa vellet eum propter singularia in ecclesiam merita ad hanc eminentem dignitatem promovere, *ita habetur in lib* 161. *memorial. fol.*723. *ibi* = *Cum Sacri Canones*, *Concilii Tridentini decreta*, *& Summorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones sanxerint, atque mandaverint*, *ut omnes Patriarchæ*, *Primates*, *Archiepiscopi*, *& Episcopi in eorum Ecclesiis*, *& Diœcesibus residere debeant*, *variasque*, *& graves in prædictos non residentes pœnas*, *ac censuras imposuerint*, *ac inflixerint*; *& tamen nonnulli hoc tempore reperiantur*, *qui propriæ salutis*, *propriique muneris obliti gregi suo assistere*, *& residere non curant*; *Sanctissimus Dominus noster ad hanc eorum contumaciam magis coercendam*, *ultra omnes*, *& quascumque pœnas*, *ac censuras contra eosdem non residentes hactenus constitutas*, *quas mandavit irremissibiliter esse exequendas*, *decrevit*, *statuit*, *& ordinavit*, *ut ipsi Patriarchæ*, *Primates*, *Archiepiscopi*, *& Episcopi*, *nisi de cætero ad præscriptum Sacrorum Canonum*, *decretorum Concilii Tridentini*, *& Apostolicarum Constitutionum in eorum Ecclesiis*, *& Diœcesibus re ipsa resederint*, *& quo tempore Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium promotio haberi contigerit*, *actu resideant nulla causa etiam gravi hoc casu excepta*, *ad dignitatem Cardinalatus adipiscendam prorsus inhabiles*, *& incapaces sint*, *ac esse intelligantur*; Ita ergo hic

Episcopus absens perdit jus, quod habet ad eam promotionem, quæ fit in Concistorio, & ducit ad Principatum ecclesiæ, sicuti clericus privilegium, quod habet, si residet, statim perdit ob non residentiam *Gloss. in extravag. execrabilis vers. vagandi de præben. l. si quis domesticorum Cod. de domest. & protector. lib. 12.*

10 Temperatur dicta Constitutio in hoc, ut non comprehendat tres menses, quibus Episcopus ob salubritatem aeris, vel ob aliam justam, ac rationabilem causam abesse potest ex decreto Tridentini, multo minus alios quatuor menses, qui dantur eidem, ut limina Apostolorum invisere commodè valeat, dummodo tamen tempus absentiæ ex utraque causa septem menses non excedat, *ita requirentibus nonnullis Episcopis Sacra Congregatio in Romana 3. Februarii 1635. habito verbo cum Sanctissimo respondit per Constitutionem super Episcoporum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium residentia ab eodem Sanctissimo Domino nostro nuper editam non fuisse sublatam facultatem ab eodem Sacro Concilio cap. 1. sess. 23. concessam, qua ex causa absendi aliquantisper à residentia, dummodo absentiæ spatium duos, vel ad summum tres menses non excedat = Qui anno, quo Episcopi Sanctorum Apostolorum limina visitaverint in quatuor mensibus, & septem respective in eadem Constitutione præmissis, comprehensi censeantur, adeo ut anno hujusmodi visitationis, & respectivè septem tantum mensibus à residentia abesse possint.*

11 Quo vero attinet ad parochos non residentes servandam esse dispositionem juris certum est; prius enim debent præcedere tria edicta, deinde lapsus sex mensium requiritur, ut absentes ecclesiis parochialibus legitime priventur, *ita Sacra Congregatio in Guardien. 26. Aprilis 1621. censuit posse episcopum contra parochum absentem ad privationem procedere. dum tamen tria edicta præcesserint, & lapsi sint sex menses ad præscriptam constitutionem Innocentii III. in cap. ex tuæ de cleric. non residen.*. Idem respondit *sub die 8. Junii 1624.*

12 Potest etiam episcopus contra parochos absentes ad privationem ecclesiæ procedere juxta Tridentini decretum *ita Sacra Congregatio in Barchinonen. Julii 1588.*, ubi quod habentes curam animarum ultra tempus præscriptum à Concilio *sess. 23. cap. 1.* non possunt discedere neque cum licentia episcopi, quod si discesserint, contra eos procedendum est ab episcopo juxta idem decretum Tridentini *sess. 23. cap. 1.*

13 Colligitur ex his posse episcopum contra parochos absentes vel procedere juxta dispositionem juris, vel formam Tridentini cum hoc tamen discrimine, quod juxta Tridentinum sufficit unum edictum cum censuris, & subtractione fructuum, nam subtractio fructuum cum censuris stat loco trium edictorum, dummodo tamen lapsi sint sex menses ut supra, sed de jure tria requiruntur *cap. ex tuæ de cleric. non residen.*, quod etiam habetur ex Tridentino ibi = *aliaque juris remedia etiam usque ad privationem*; Unde cum quæsitum fuerit, an episcopus præmissis tribus monitionibus pro revocando parocho ad residentiam possit procedere ad
14 privationem d. parochialis, & sic an verba *usque ad privationem* intelligantur inclusive, vel exclusive, *Sacra Congregatio die 8. Junii 1624. censuit intelligenda esse inclusive, dum tamen præcesserint tria edicta publica, & lapsi sint sex menses juxta text. in cap. ex tuæ de cleric. non residen. Castren. Februarii 1587., ubi dicitur, si non præcesserint tria edicta, & lapsi sint sex menses juxta text. in cap. ex tuæ de cleric. non residen., privationem esse nullam.*

15 Verum parochus absens personaliter citatus, & monitus ad redeundum intra competentem terminum potest eo elapso ecclesia spoliari arbitrio episcopi, nec necesse est aliud tempus expectare *Abb. in cap. ex tuæ num 12. de cleric. non residen.*, *Garz de benef. part. 3. cap. 2. num. 155. & 157. versus fin.*, *Loter. de re benef. lib 3. cap. 27. n. 89. Fagnan in d. cap. ex tuæ num 9 de cleric. non residen.*, *Tondut. quæst. beneficial. tom. 1. cap. 42. num. 7. vers. prima, Ventrigl. in prax. for. ecclesiast. tom. 1. adnotat. 19. §. 3. num. 6.*, *Barbos. ad Concil. sess. 24 de reformat. cap. 12. num. 70. in fin. & num. 71.*; *Idem de offic. & potest. paroch. part. 1. cap 8. num. 75 Rot. decis. 1346. num. 5. vers. nam coram Seraphin. tom. 2.*, *decis. 1041. num. 2. vers. primus est tom. 2. coram Penia decis. 10. num. 3. in fin. tom 1. coram Coccin.*

16 Et ratio disparitatis est, quia ubi proceditur per edictum, parochus absens dicitur contumax ficte, & interpretative, ideoque nonnisi post lapsum sex mensium ad privationem procedendum est, ubi autem per citationem personalem inchoatur judicium, dicitur vere contumax, & ideo post lapsum temporis in citatione legitime executa potest ab episcopo libere spoliari ecclesia *Garz. de benef par. 3. cap. 2. num. 155. in princip.*, *Tondut quæst. beneficial. cap 42. num. 7. vers. 2. Conclusio, Ventrigl. prax. for. ecclesiast. tom. 1. annot. 19. §. 3. num. 7.*, *Rot. decis. 12. n. 2 in princip. coram Mantic. decis. 465. num. 10. tom. 2. coram Caprar.*, & concordant decisiones jam relatæ *coram Seraphin.*, & *Penia.*

17 Rursus parochi nequeunt se excusare, quominus teneantur residere ex capite periculi vitæ, prout accidit tempore pestis, nam Sacra Congregatio *censuit parochos hoc tempore teneri in ecclesia parochiali residere. illosq. cogi ad præscriptum Tridentini cap. 1. sess. 23., ut parochianis suis peste laborantibus Sacramenta Baptismi, & pœnitentiæ per se, vel per alios idoneos omnino ministrent, & supradicta esse significanda Archiepiscopo Mediolanensi, & aliis Episcopis, factaq. desuper relatione Sanctissimo Domino nostro sub die 16. ejusdem, Sanctitas sua approbavit.*

& ita

& ita exequi mandavit, prout executum fuit Nullius 12 Maii 1629., Mediolanen. 13. Aprilis, Florentina 9. Novembris 1650.

18 Quod ratio exigit, nam ideo Tridentinum hic potius servandum est, quia per censuras, & subtractionem fructuum facilius obtinetur residentiæ finis in hac re, quæ propter periculum imminens exigit celerem juris executionem *Gloss. in cap. final. vers. celeritatem de elect. in 6.*

19 Quæres, quomodo se gerere debeat episcopus contra parochum non residentem, & qui confugit ad Metropolitanum? Respondeo casum accidisse Episcopo Scalensi, seu Revellensi, qui in visitatione Diœcesis invenit parochum Sanctæ Mariæ loci Pontonis absentem, & ejus ecclesiam penitus labentem, ac parochianos instantes, ut ipsorum animarum saluti consuleret, & quia præfatus parochus scandalose vixisset, super quibus capta per episcopum informatione reperiit d. parochum pluribus delictis inquisitum ex processu desumptis, nempe revelatione confessionis, publico concubinatu, denegatione Sacramentorum infirmis, alienatione bonorum mobilium ecclesiæ, & oblationum factarum pro ejusdem reparatione, quibus malis episcopus medelam præbere cupiens procedendo ad punitionem delinquentis, ipse se recepit ad Archiepiscopum Amalphitanum, ideo d. Episcopus supplicat declarari, quomodo in isto casu se gerere debeat, *Sacra Congregatio audita relatione Episcopi Scalensis injungendum censuit, prout præsentis decreti tenore injungit eidem, qui quoad præmissa omnia citato reo contumaci in domo suæ solitæ, & ultimæ habitationis procedat, prout de jure, ita habetur in Scalen. 17. Martii 1696. lib. decret. 56. fol. 124.*

20 Juridica sane resolutio, cum enim certo sciretur, ubi parochus absens moram traheret, neque ibi per Episcopum posset commode citari, tunc de jure sufficit citatio ad domum habitationis *cap. cum causam, ibique Gloss. vers. ad domum de dol. & contumac. l plerique ibique Bart., & alii ff. de in jus vocand.* Et deinde servatis servandis infligere censuras, subtrahere fructus juxta Tridentini formam, & demum post lapsum sex mensium privare absentem ecclesia parochiali, quæ ob privationem vacat non obstante appellatione, quæ à sententia privationis beneficii ob non residentiam non est admittenda, nisi ad effectum devolutivum, non suspensivum, *ut resolvit Sac. Congregatio die 12. Januarii 1619.*

21 Similiter ab obligatione residendi non potest se eximere Abbas ordinis regularis sub prætextu consuetudinis in contrarium, quodque modo sit regius consiliarius, & officio præsidentatus persungatur; unde cum quæsitum fuerit, an d. Abbas compelli possit ab Episcopo ad residentiam sui monasterii, *Sacra Congregatio censuit Abbatem teneri residere in propria sede abbatiali, & Episcopus eum cogit nomine Sacræ Congregationis Barchinonen residentiæ 27. Januarii 1691. lib. decret. 41. fol. 29.*, idem respondit *sub die 12. Januarii 1692. lib. decret. 42. fol. 9.* cum hoc quod causa amplius non proponatur; & sic Episcopus in hoc casu nomine Sacræ Congregationis potest procedere contra abbatem regularem non residentem, vel prout de jure, vel ad formam Tridentini, aliasque Constitutiones Apostolicas complicando pœnas juris, & Tridentini insimul, etiam usque ad privationem, si abbas monitus ejus mandatis non obtemperaverit.

22 Quæres insuper, in qua ecclesia teneatur residere, qui obtinuit dignitatem, cui facta est unio ecclesiæ parochialis; Respondit *Sacra Congregatio teneri residere in parochiali ex Constitutione Pii V. Brixien die 6. Novembris 1620. ad sextum, Imolen 9. Decembris 1651., in qua eadem Sacra Congregatio resolvit dandam esse declarationem 7. Januarii 1590., & deinde censuit, si parochialis perpetuo unita sit canonicatui debere oratorem in canonicatu residere; in parochiali constituendum ab Episcopo vicarium perpetuum cum congrua fructuum assignatione juxta Constitutionem san. mem. Pii V., quod si ad vitam oratoris unio facta sit, teneri ad residentiam in parochiali Cathacen 4 Februarii, Sancti Severini 19. Julii 1653., ubi quod in parochiali tenetur residere per vicarium perpetuum*;

23 Porro provisus de canonicatu, cui parochialis perpetuo unita fuit, negligens vicarium perpetuum in parochiali constituere ipso jure privatus est ecclesia parochiali, quæ tanquam vacans ab Episcopo libere conferri potest *cap. extirpandæ § qui vero de præben. ibi = alioquin illâ se sciat auctoritate hujus decreti privatum libere alii conferenda.*

24 Cæterum, si tota cura parochialis ecclesiæ auctoritate apostolica in perpetuum vicarium translata sit, provisus, sive abbas, sive præpositus nuncupetur, non tenetur in ea residere, ita Rodericus Pincheiro Episcopus Portugalliensis, cum parochialem ecclesiam haberet nuncupatam abbatiam sancti Olai oppidi, seu loci de Constante Portugalliensis Diœcesis, obtinuit à sede apostolica vicarium perpetuum, in quem omnis cura animarum legitime translata fuit, & sacramentorum administratio; renunciavit postea hujusmodi parochialem, quam obtinuit in totum Gaspar Rucherius, qui nunc à Sacra Congregatione supplicat declarari eum non esse obligatum ad residentiam d. parochialis ecclesiæ durante vita d. vicarii perpetui, in quem legitime omnis cura animarum translata fuit d. ecclesiæ parochialis; *Sacra Congregatio respondit non teneri, si tota cura animarum translata fuit legitime in hunc solum vicarium Portugallien. 2. Martii 1619. lib. 1. decret. fol. 96.*

25 Dubium est, an per indultum retinendi duas ecclesias, seu præbendas incompatibiles videatur concessum, ut in neutro resideat; prima opinio affirmat, ne inutilis sit dispensatio *Gloss. in Can. si quis in clero 7. q. 1. ibi*

ibi = sed quid si habet plures ecclesias, vel præbendas? Tunc dicas ecclesiam secum dispensasse. ut ad istud non cogatur Staphil. de liter. grat. tit. de form. expectat. de tert form. num. 11. idem sentit, quia dispensatio extenditur ad consecutiva, seu dependentia ex eo, super quo est dispensatum.

26 Negat *Glossa in cap. non potest vers. retinere de præben. in 6.*, nam dispensatio concessa est tantum, ut plures præbendas provisus retineat, & sic non est inutilis, dum tollit obstaculum juris; item dispensatio est odiosa, & ideo restringenda, ne obstet incompatibilitas, non autem amplianda, ut in neutro resideat. alioquin simplex dispensatio produceret duas exorbitantias, altera expressa retinendi duo beneficia, altera tacita non residendi, quod dici non debet, nec valet argumentum *Staphilei* dispensationem extendi ad consecutiva, exemplo minoris promoti ad beneficium, ibi enim censetur dispensatum saltem ad tempus, quia minor ratione ætatis ad sacros ordines promoveri non potest; non item in hoc casu, quia residentia de jure præcipitur omnibus beneficiatis, prout omnibus pluralitas beneficiorum interdicitur; unde sublato uno impedimento remanet aliud, cui Papa non censetur dispensasse, nisi expresse hoc dicat; igitur provisus de duabus præbendis tenetur residere, sed potest residere in altera, quam vult, vel nunc in ista, vel nunc in illa, & ita residendo propriæ satisfacit obligationi *Gloss. in cap non potest ve f. retinere de præben. in 6., Turrecremat in can. si quis in clero in fin. 7. quæst. 1., Sacra Congregatio in Regien. 17. Aprilis 1649., ubi parochus habens duas ecclesias æque, ac principaliter unitas, & pares potest residere in altera ex dd parochialibus sibi bene visa.*

27 Ex quo infero, si ecclesiæ, seu præbendæ pares non sint, teneri provisum de duabus residere in digniori *cap. extirpandæ §. qui vero ibique Abbas Column. 2. de præben., Ancharan., Geminian in cap. non potest ibique Franc. n 5. de præben. in 6.*, non est tamen privandus digniori ecclesia ex capite, quod in minus digna resederit, nisi magis utile sit residere in digniori, & monitus ab Episcopo parere contemnat, contumacia enim crimen est in qualibet re ecclesiæ privatione dignum *Gloss. in cap. viam veritatis vers. per contumaciam de dol. & contumac.*

28 Quid ergo si quis provisus sit de duobus beneficiis cum clausula, dummodo beneficio, in quo non residet, faciat per alium deserviri? Respondeo beneficio, cui per alium non inservit, privandum esse *Gloss. in cap. non potest vers. retinere circa med de præben. in 6. ibi = poterit tamen propter servitii negligentiam eo juste privari*; In hac tamen privatione non est servanda dispositio textus *in cap. ex tuæ de cleric. non residen.*, sed sufficit monitio juridica arbitrio Episcopi *cap. relatum de cleric. non residen.*

29 Discutiendum superest in hac re, an commendatarii monasteriorum teneantur ad residentiam, & quo jure, & quibus pœnis sint cogendi; Tutum super hoc puncto judicium firmari non potest, nisi distinguantur casus prout infra, qui verus modus est attingendi

30 veritatem juris; Primus casus est, quando Commendatarius nullam habet jurisdictionem spiritualem, sed tantum sacramentalem, tunc nullo modo tenetur residere, si cura sacramentalis soli Conventui incumbat, & ratio clara est, quia Commenda habetur pro simplici beneficio, quod ad residentiam non obligat *ita Sacra congregatio in Nullius 17 Novembris 1597., 8. Junii 1601. & 18. Novembris 1645.*

31 Secundus casus est de Commendatario, qui habet curam sacramentalem tantum in foro interno, ipsamque actu exercet, tali casu tenetur ad residentiam, & cogi potest sub pœna privationis, vel prout de Jure, vel ex decreto Tridentini. nam Commendatarius nihil differt à Parocho, nisi in solo nomine; Unde ad quæsitum, an Prior nuncupatus parochialis ecclesiæ, qui in ipsa parochiali habet Vicarium ad ejus nutum amovibilem, per quem cura animarum exerceri consuevit, teneatur ad residentiam, *Sacra Congregatio respondit hujusmodi Priorem ad residentiam teneri Oscen. 2. Martii 1598., Callian. residentiæ 29. Novembris 1699. ubi quod Rector Abbatiæ antiquis temporibus regularis, & successive secularis effectæ habentis annexam curam animarum cogitur ad residentiam.*

32 Tertius casus est in Commendatario, qui habet jurisdictionem temporalem tantum cum plena potestate percipiendi fructus, tunc nullo modo tenetur residere, sicuti non tenetur ad sacros ordines promoveri, nec potest adjici decretum, ut Commenda vacet, si non promoveatur *ex plene deduct. in cap. 11. lib. 1.* Commendatarius enim non est Prælatus, sed potius procurator habens legitimam administrationem *Gloss. in cap. nemo deinceps vers. commendare de elect. in 6., Gloss. in can., qui plures 21. quæst. 1. ubi scribentes communiter.*

33 Quartus demum casus est, aut Commendatarius habet jurisdictionem spiritualem, & eam actu exercet, tunc non tenetur residere ex Tridentino *sess. 23. cap. 1.*, nec pœnis ibidem inflictis subjacet, sed tantum poterit cogi residere ex dispositione juris, prout ante Concilium tenebatur, ad quod jus vetus videtur Concilium se retulisse *sess. 6. cap. 2.* Et quamvis *in cap. 1 sess. 23.* exprimat de curatis, aliisque quibuscumque beneficiis curam animarum habentibus, quæ verba ad solam jurisdictionem spiritualem referri possunt *cap dudum de elect. cap. super eo de præben. in 6., extravag. execrabilis ibiq. Gloss. circa fin eodem tit.* nihilominus de sola cura sacramentali rectius intelligenda sunt, & ideo, qui solam curam spiritualis jurisdictionis habent, cogi possunt residere juxta dispositionem juris dumtaxat *Nullius 19. Novembris 1596., in qua Sacra Congregatia*

censuit Commendatorios curam jurisdictionalem habentes nullo Concilii Tridentini decreto ad residentiam adstringi, neque si non resideant, pœnis ab eo contra non residentes constitutis subjacere, sed tantum ad residentiam teneri, quemadmodum ante Concilium tenebantur.

34 Postremo quoad canonicos, præbendatos, cantores, & cappellanos ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum *Sacra Congregatio probavit responsum à se alias editum; siquidem quantum pertinet ad formam Concilii necesse esse, cum ad privationem proceditur, servare ea temporum intervalla, quæ statuuntur decreto Tridentini sess.24. cap.12., & quamvis statutum à Sede Apostolica confirmatum quoad hos capellanias inducat privationem ipso jure solo spatio dierum 60., attamen, cum sit odiosum, & pœnale, videtur intelligendum de tempore continuo, non interpolato, posse tamen ordinarium animadvertere in eos, qui fraudem in absentia commiserint, ita habetur in Paduana die 7. Julii 1605*; Deinde *censuit istos tres annos debere esse continuos, ut scilicet capellani cantores primo anno, si extra duos menses non resederint, mulctentur pœna privationis medietatis fructuum, tertio vero possint privari capellaniis d. Paduana die 27 Julii 1605. lib. decret.29. fol 127. Item non obstante statuto injungente contra non residentes pœnam privationis ipso jure decrevit procedendum esse ad tramites Tridentini; Quo vero ad alios beneficiatos musicos canentes in Theatris injungitur ordinario, ut nomine Sacræ Congregationis pœnam privationis imponat Vercellen. residentiæ die 1 Octobris 1720.*

35 Ampliatur in canonico pœnitentiario, qui pariter tenetur residere in ecclesia cathedrali, prout cæteri alii canonici sub pœnia Tridentini, quia eadem, vel major urget ratio *Borchinonen. Julii 1588. ibi: pœnitentiarium non posse discedere ultra permissum tempus trium mensium, quod si discesserit, contra eum etiam Episcopus procedit juxta decretum Tridentini sess.24. cap.12.* Unde ad dubium, an absenti canonico pœnitentiario ultra tres menses, & per alium inservire faciente quoad munus pœnitentiarii contra eum servanda sit regula præscripta à Concilio Tridentino *sess.24. cap.12. de reformat.* super privatione canonicatuum ecclesiæ cathedralis, vel potius sit diversimode procedendum, *Sacra Congregatio in Curien 7. Decembris 1697 lib. decret.47. fol.554. respondit canonicum pœnitentiarium esse comprehensum sub dispositione Sacri Concilii Tridentini cap.12. sess.24 de reformat.*

36 Ampliatur in eo, quæ ad titulum canonicatus fuit ad sacros ordines promotus, ita quoque ad dubium, an Canonicus Andreas de Lupis ex causa non residentiæ possit servatis alioquin servandis privari canonicatu, ad cujus titulum fuit ordinatus, *Sacra Congregatio respondit affirmative in Romana privationis 18 Maii 1604. lib. decret.34 fol.80.*, & quamvis idem Concilium prohibeat alienationem beneficii, ad cujus titulum quis fuit ordinatus *ut in cap.2. sess.21. Tridentini*, nihilhominus id procedit in alienatione, seu resignatione voluntaria, non autem in privatione, quæ fit in executionem juris, alioquin hoc modo ordinatus ex nullo delicto privaretur beneficio, quod est absurdum *ut tradunt Garz. de benef. part.2. cap 5. num.120. cum seqq. Barbosa Torcular. jur. resolut.38. num.12., Barbos. de offic., & potest. Episcop. part.2. allegot 19. num.45. in princip. Anaclet. in jus canonicum tom.1. lib.1. tit.9. de renunciat. §.3., & 48. Pignatell. consult. canon. tom.1. consult.164. num.10. juxta venetam impress. Lauren. for. beneficial. part.3. quæst.234. ad 376., Panimoll. decis.139. num.67., Rot. decis.1024. num.6. tom.2. coram Emerix Junior. decis 212. num.6. tom.1. coram Ubold. quæ est decis.560. part.2. recen. repetit. in decis.151. part.4. tom.1. recen.*

37 Itaque non servata forma Tridentini contra canonicos, & beneficiatos ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum nulla est privatio tam fructuum, quam canonicatus, *ita habetur in Vigilien. privationis canonicatus die 11 Augusti 1605*, & quidem fructuum, quia canonicus privatus fuit primo anno omnibus, & tamen, etiamsi sine causa abfuisset, primo anno erat privandus tantum dimidia, quæ ratione individuitatis tota corruit; canonicatus autem privatio nulla est, quia præcedere debebant duæ fructuum privationes, altera primi anni in dimidia, & altera secundi in omnibus, at hic nec tanto tempore absuit, nec bis, sed semel tantum, & quidem nulliter omnibus fructibus privatus fuit.

38 Secundo quia cum sciretur, ubi esset, scilicet Romæ, ubi litigabat sciente Episcopo, debebat personaliter citari, *ut tradunt omnes in cap. ex tuæ de cleric. non residen.*, sed hic canonicus citatus fuit per edicta, ergo &c.

39 Tertio, quia quatenus satis fuisset citari per edicta, post illorum publicationem sex mensibus erat expectandus, *ut habetur in cap. ex tuæ de cleric. non residen.*, & tamen fuit privatus spatio quatuor mensium post publicationem primi edicti; Nec obstare

40 visum fuit, quod Episcopus, qui dedit licentiam, limitaverit tempus duorum mensium cum monitione, ut rediret, quo casu non esset necessaria citatio *secundum opinionem Joannis Andreæ in cap. ex parte de cleric. non residen.*, quia id procederet, si adjecta fuisset pœna privationis, *ut bene declarat idem Joannes Andreas in cap. quoniam n.52. vers. ego puto prædicta procedere, ut sitc non contestata Afflict. decis.289. num.11.*; *Itaque decreverunt omnes utramq. privationem esse nullam, oratorique restituendos esse tam fructus, quibus privatus fuit, quam canonicatum alteri collatum, scribendumque esse Episcopo, ut statim ita exequatur.*

41 Trien-

41 Triennium autem, quod datur à Tridentino canonicis non residentibus, non incipit à die monitionis, sed à die absentiæ *Cathacen. 14 Novembris 1651 relat. per Manaeell. formular. legal. pract. tom. 2. tit. 13. formular. 2. num 66.*, in qua ad dubium, an ex eo quod idem Canonicus absens fuerit spatio duorum, & plus annorum, post quorum lapsum tantum fuerat monitus, currat eidem terminus trium annorum à Sacro Concilio indultorum, vel sex mensium à die absentiæ, vel à die primæ monitionis, *Sacra Congregatio respondit incipere triennium à die absentiæ*; Nec deest hujus resolutionis ratio, quia Concilium limitavit tempus absentiæ ad tres menses dumtaxat; Idcirco illis elapsis Canonicus absens habetur pro interpellato ab ipsomet Tridentini decreto ad effectum, ut ei statim currat tempus *Vulpian. in l. si fundum 114. ff. de verbor signif., l. magnam cod. de contrahen, & comitt. stipulat. Honded. cons 36. num 4. 5. lib. 2., Rot. decis. 231. num. 13. 14. part. 9. recen. tom. 2., decis. 523. num. 7. 8. part. 11. recen.*

42 Infertur ex his non esse servandam dispositionem conciliarem, si Canonicus absens fuerit per triennium, quadriennium, decennium, & ultra, sed esse procedendum juxta dispositionem juris, & sic sufficere, ut personaliter citetur ad redeundum intra congruum tempus, quo elapso potest juridicè procedi ad privationem Canonicatus, omissis pœnarum gradibus à Tridentino præscriptis *juxta Text. in cap ex parte de cleric. non residen.*, cum enim triennium bis, seu ter jam elapsum sit, aliud non remanet, nisi sola juris dispositio, *ut in puncto firmat Massobr. in prax. habend. concur. ad parochial. requisit. 1. dub. 3. num. 22. & seqq., Barbos. in cap. ex tuæ num. 4 de cleric. non residen., & de offic. & potest. paroch. part. 1. cap. 8. num. 74.; Pignatell. consult canonic. tom 2. consult. 4. num. 10. in fin. Panimoll. decis. 80. num. 20. tom. 2., Rot. decis. 67. num. 6. coram Mantic., decis. 10. num. 5. tom. 1. coram Coccin.*; Quod etiam literaliter statuisse videtur idem Concilium *in d. cap. 12. sess. 24. ibi = crescente vero contumacia contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur*, alioquin Canonicus absens frueretur duplici, seu triplici triennio, quod repugnat, *& ita censuit Sacra Congregatio in Vrciaquen Archidiaconatus 3. Augusti 1709.*

43 Et quamvis dubitari possit, an Tridentini dispositio tamquam forma substantialis servari debeat sub pæna nullitatis actus, prout dubitat, *Fagnan in cap. cum accessissent num. 30. de constitut.*, ex quo ibidem decretum irritans non sit, prout alibi idem Tridentinum actus annullando expressit, idemque repetit *Fagnan. in cap. qui præsbiterum 2. num. 87. de pœniten. & remiss. & docent Civilistæ in l. à divo Pio 15. §. in venditione ff. de re judicat.*, ubi quod non servata forma ibidem præscripta quoad executionem pignorum actus aliter factus adhuc substinetur, quia Imperator ibidem decretum irritans non adjecit, *& docent Card. Petra ad Constitut. Apostolic. Constit. 1. Leonis IX. sect. 3. num 72. tom. 1. Suarez de leg. lib. 5. cap. 31. num. 9. 10. Castropal. oper. moral. par. 1. tract. 3. disput. 2. punct. 9. num. 2. vers. quod si, Altimar de nullit. tom. 1. de nullit. sententiar. rubric. 6. quæst. 8. num. 31. 36. Cyriac. controver. foren. cap. 687 num. 19. tom 4., Bellamer. decis. 696. vers. quia ista est regula Rot. decis. 750. num. 4. vers. cum quia par. 1. diversor.*

44 Nihilominus hujusmodi opinio in hac re non est admittenda, nam modus ipse procedendi gradatim à Concilio præscriptus habetur pro forma, item Tridentinum novam formam tribuit pro canonicis privandis ex capite non residentiæ, ita ut novæ formæ ab ipso præscriptæ nihil addi, aut detrahi possit, ergo, si aliter procedatur, actus erit nullus *Giennen Maii 1586., in qua Sacra Congregatio censuit non posse procedi ad privationem, nisi præcisè servata forma à Concilio Tridentino præscripta in cap. 12. sess. 24. Collen 4. Maii 1697 lib. decret. 47. fol. 195.*, ubi Sacra Congregatio *audita relatione Episcopi, ac re mature discussa censuit sententiam privationis non substineri, & iniungendum, prout præsentis decreti tenore iniungit eidem Episcopo, quatenus procedat servata forma Concilii cap. 12 sess. 24. de reformat., Larinen. privationis 2. Maii 1711.* ubi stante nullitate privationis beneficii ob non residentiam conceditur manutentio beneficiato *Romana Canonicatus 3. Decembris 1718.*, ubi privatio canonicatus facta non servata forma Concilii irrita declaratur, idemque habetur *in Alerien. Marsicana de quibus in cap. antecedenti*, nec deest ratio, quia forma à lege tradita in dubio est de substantia, cuius omissio actum vitiat *Bald. in l. comparationes column. 2. Cod. de fid. instrument., & in l si tutor. Cod. in quib caus. restit. in integr non est necessar.*, & talis est praxis huius sacri Tribunalis ex dictis *in Paduana, Vercellen, Vigilien privationis canonicatus.*

45 Hoc tamen interim non est prætereundum, quod privatio ecclesiæ parochialis, canonicatus, & his similium fieri debet juxta formam juris, & Tridentini ab Episcopo, non autem ab ejus vicario, qui de jure non habet potestatem destituendi ab officiis, beneficiis, & ministeriis ecclesiasticis parochos, canonicos, & clericos non residentes, nisi specialiter hoc ei commissum fuerit *per Text. expres. in cap licet de offic. vicar. in 6., & tradunt communiter Garz. de benef. part. 5. cap. 9. num. 75. Barbos. de potest. Episc. allegat. 50. num. 74., Ventrigl. in prax vicar. part. 1. sect. 2. subsect. 1. num. 17 19. 22.*, peccant itaque vicarii generales sibi vindicantes eam potestatem, quæ solis Episcopis de jure competit, sicuti ipsimet Episcopi perperam procedunt ad privationem beneficiorum non servata forma juris, & Tridentini,

ut

ut in Vigilien, Romana, & Larinen privationis jam relat.

46 Et quamvis Sacra Congregatio *in Brixien. 6 Decembris 1620. ad primum* simpliciter resolverit coadjutores omnes, quomodocumque sint capellaniæ instituta, teneri ad residentiam personalem ea lege Concilii, prout ipsi parochi tenentur, nihilominus verius est coadjutores decretis Tridentini non subjacere, sed contra ipsos non residentes procedendum esse ad privationem juxta dispositionem juris, *ita habetur in Oxomen die 8. Maii lib. decret. 38. fol. 204.*, in qua Sacra Congregatio *inhærendo decretis hac de re alias editis respondit coadjutorem esse monendum sub pœna privationis juxta text. in cap. ex tuæ de cleric. non residen.* Coadjutor enim Ecclesiæ Parochialis non est parochus, sicuti talis non est coadjutor canonici, nec provisus dici potest in ecclesia, seu de ecclesia, durante vita coadjuti *ex dictis in cap. anteceden.*, quod & alibi firmatum est auctoritate *Sacræ Rotæ*; Præterea contra coadjutores non posse cumulari pœnas juris, & Tridentini indubitatum est, nam sicuti coadjutores canonicorum non gaudent privilegio triennii, ita non subiiciuntur aliis pœnis inflictis à Tridentino *in d. cap. 12.* contra non residentes.

47 Dubium superest in hac re discutiendum, an possit Episcopus procedere contra canonicos non residentes complicando insimul pœnas juris, & Tridentini; Prima opinio negat, nam pœnarum multiplicitas in jure odiosa est, idcirco omnes insimul non possunt complicari *per text. in cap. de his de accusat.*, *l. Senatus censuit ff. eodem*, *Fagnan. in cap. quantum num. 41.*, *& seqq. de offic. ordinar. & in cap ex tuæ num. 20. de cleric. non residen.*;

48 Secunda opinio affirmat id pendere ab arbitrio Episcopi, ut resolvit Sacra Congregatio *in Cathacen. 14 Novembris 1671 apud Monacell. in formular. 2. num. 66. 67.*, qui *num 68.* addit, quod pendente triennio contra canonicos absentes potest Episcopus procedere ad censuras, subtractionem fructuum, non obstante, quod judicium juxta formam Tridentini inchoatum sit;

49 Quæ opinio in puncto juris verior est, nam pœnarum multiplicitas non repugnat, quando ita de jure cautum est *cap. quoniam frequenter in fin ut lite non contestat ibi = Ita videlicet, quod alterutra pœna, quæ magis timeri debeat, Judex à principio sit contentus, ad alteram nihilominus processurus, si hoc meruerit protervitas contumacis, & notant communiter civilistæ in d. l. Senatus censuit ff. de accusat.* & constat satis ex dictis *in cap. anteceden.*, ubi contrarium propugnans juridice in hoc reprehenditur, & consequenter etiam in hoc erravit *Fagnanus*, qui eamdem opinionem tenet, & juxta quidem ratione, nam crescit contumacia canonici absentis, qui bis, & ter monitus ad residentiam non venit; Idcirco Episcopus potest addere pœnas, videlicet censuras, sequestrationem fructuum, & his similia *per tex. in l. relegati ff. de pæn.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 EPiscopus Vicario super fructibus ecclesiæ parochialis unitæ potest reservare pensionem.
2 Vicarius perpetuus ob non residentium exercitio curæ juxta dispositionem juris est privandus.
3 In privatione pensionis sufficit una citatio.
4 Canonicus non residens privandus est fructibus juxta decretum Tridentini.
5 Episcopus sequestrans fructus, non citato Rectore absente, nulliter procedit, ubi de ratione.
6 Cappellanus non edimplens onera sibi injuncta capellaniæ, & fructibus privandus est juxta legem fundationis, ubi casus.
7 Provisus de duabus præbendis cum onere inserviendi alternatim utrique ecclesiæ facit fructus suos, etiamsi modo infirmus neutri possit inservire.
8 An infirmus amittat fructus, & distributiones illius præbendæ, in qua non residet, si consuetudine etiam residentia in loco præbendæ requiratur.
9 Infirmus de jure percipit fructus, & distributiones.
10 Infirmus ex propria culpa percipit distributiones, & quare.
11 Infirmus percipit portionem distributionum, quæ accrescunt præsentibus, ubi rationes.
12 Infirmus non residens non percipit fructus, si aliter consuetudine cautum sit.
13 Archidiaconus absens occasione visitationis ultra trimestre privatur fructibus, si talis est consuetudo loci.
14 An canonicus infirmus habens coadiutorem lucretur distributiones, si coadjutor absit sine causa, prima opinio affirmat, ibidem resolutio Sacræ Congregationis Concilii.
15 Coadjutor amittit distributiones juxta alias resolutiones ibidem num 16, ubi rationes num. 17.
18 Declaratur resolutio *in Aven'onen.*
19 Absentes de licentia capituli tenentur restituere distributiones, & fructibus ultra tres menses absentiæ privantur.
20 An canonicus conjectus in carcerem amittat distributiones quotidianas, distinguitur.
21 Alimenta canonico in carcerem incluso non debentur, si aliunde habeat, debentur ex distributionibus, si aliunde non habeat num. 22., & quomodo sine regulanda, ibidem.
23 Vicarius generalis, insimul canonicus, si choro non interfit, distributiones quotidianas amittit.
24 Canonicus inserviens Archipræsbitero distributiones quotidianas amittit.
25 Canonicus factus inquisitor, si ecclesiæ non inservit, distributionibus privatus.
26 Canonicus absens ab ecclesia ex culpa sua fructus, & distributiones amittit.
27 An canonicus absolutus ex hactenus deductis priveretur distributionibus. duplex opinio num. 28.
29 Canonico absenti ad redimendam vexationem debentur distributiones.
30 An privetur distributionibus, si possessionem canonicatus nondum adeptus sit num. 31.
32 Differentia inter canonicos regulares, & seculares quoad amissionem fructuum, & distributionum num. 33.
34 Privatio fructuum, & pensionis habent similitudinem inter se.
35 Similitudo quid sit.
36 Ob privationem ex capite non residentiæ pensio extinguitur, & cessat in jus percipiendi fructus, ac distributiones.

1 INter alias causas, quibus Episcopus de
jure potest reservare pensionem, adscri-
bitur subrogatio, quæ fit, quando Rector
principalis habens ecclesiam unitam non po-
test illi deservire, sed cogitur in ea perpe-
tuum Vicarium ponere, ut in Gasbacen.,
Imolen. Sancti Severini, de quibus supra,
tunc pro Vicario illo Episcopus pensionem
constituit eidem solvendam cap. avaritiæ
ibiq. Gloss. cap. extirpandæ §. qui vero de
præben., cap. super eo ibique DD. eodem tit.
2 in 6.; Unde talis Vicarius non residens
exercitio curæ privandus est juxta disposi-
tionem Textus in cap. ex tuæ de cleric. non
residen. cap. 1. ibique Gloss. de capell monach.
3 in 6. sed in privatione pensionis sufficit una
citatio, vel personalis, vel edictalis, ut
pensio per privationem extinguatur pro eo
saltem tempore, quo Vicarius absens fuit
ab ecclesia Gloss. marginalis in l. cum talis
quæstio Cod. de servit. & aqua.
4 Similiter canonicus absens ab ecclesiæ ser-
vitio privandus est medietate fructuum pro
primo anno, & omnibus pro secundo, sed
tamen, ut legitime privetur, citandus est
ut supra Vigilien. 11. Augusti 1605.; aliter
5 Episcopus sequestrans, seu subtrahens fru-
ctus absentis nulla præmissa citatione nulli-
ter procedit, ita Sacra Congregatio die 2
Septembris 1581 censuit sequestrationem, &
subtractionem fructuum ex Concilio non po-
tuisse fieri Rectore non citato ad residentiam,
& ideo fructus relaxandos, & restituendos
esse, quod ratio suadet, nam à sequestro
non est incipiendum cap. 1. ibique Gloss. vers.
arbitrio de sequest. possess. & fruct. l. unica
ibique DD. eod. de prohibit. sequestr. pecun.
6 Idque etiam procedit contra cappellanum,
etiamsi lege fundationis fructibus privatus
sit, ad quod facit casus cujusdam testatoris,
qui in fundatione capellaniæ laicalis præscri-
psit celebrationem missarum, & recitatio-
nem divinorum officiorum adjecta conditio-
ne, quod si capellanus adimplere neglexe-
rit, excepto casu infirmitatis, privetur pro
primo trimestre fructibus, & pro secundo
trimestre capellania ipso facto; Cumque
capellanus servitium per octo menses præsta-
re nequiverit, eo quia excommunicatus ob
æs alienum præstare non potuit, quæsivit
Ordinarius, an sit locus privationi capella-
niæ & fructuum, Sacra Congregatio die
10. Mortii 1635. respondit, si concurrat ju-
stitia sententiæ, & culpa ipsius excommunicati,
locum esse privationi, ita quoque cum testa-
tor cappellaniam fundasset ea lege adjecta,
ut cappellanus non inserviens, & absens à
servitio ecclesiæ eadem puniretur pœna, qua
alii capellani ecclesiæ absentes mulctantur,
Sacra Congregatio censuit ad secundum pri-
vandum esse distributionibus applicandis sa-
cristiæ Ferrarien. capellaniæ 3. Mortii 1703.
7 Rursus in proposito rei, de qua res est,
provisus de duabus præbendis cum onere in-
serviendi alternatim utrique ecclesiæ, etiamsi
modo infirmus sit, facit fructus suos utrius-
que præbendæ, eosque justè postulat à Ca-
pitulo, quia habetur pro residente in utra-
que ecclesia, prout habebatur, quando erat
sanus, dummodo tamen utrique ecclesiæ in-
servire consueverat Natta cons. 41. ubi in fin.
sic habet = Non obstat, quod ex qua D. Ger-
manus habetur in ecclesia Casalensi pro resi-
dente propter ejus infirmitatem, ut patet ex
d. epistola exhibita, non debet haberi pro
residente in ecclesia Astensi propter eamdem
infirmitatem, quia fictio non debet plus ope-
rari, quam veritas, sed si vere d. Germa-
nus in ecclesia Casalensi resideret, non habe-
retur pro residente in ecclesia Astensi, & sic
fructus præbendæ Astensis percipere non de-
bet. Ad ista respondetur, quod D. Ger-
manus potest u..."que loco vere residere inter-
polatis temporibus, & servire per semestre
ecclesiæ Astensi, & per aliud semestre eccle-
siæ Casalensi, sicuti in sanitate facere consueve-
ras &c. Ergo nunc infirmus haberi potest, ut
in utraque ecclesia residens, & videtur modo
geminis, ut ajunt, sellis sedere.
8 Dubium est, an ita infirmus lucretur fru-
ctus, & distributiones illius præbendæ, in
qua non residet, si consuetudine etiam resi-
dentia in loco præbendæ requiratur: Et
videtur debere lucrari, quamvis enim à fru-
ctibus, & distributionibus arceantur ii,
qui in suis ecclesiis non resident, eisque ne-
9 gligunt inservire, nihilominus excipiuntur
ii, quos infirmitas, seu justa, & rationa-
bilis corporalis necessitas, aut evidens ec-
clesiæ utilitas excusat cap. ad audientiam
de cleric. non residen. cap. unico eodem tit in
6. Sacra Congregatio in Papien. die 23. Maii
1595., & 10. Februarii 1624 censuit canonico
ægroto, quamvis extra locum cathedralis ec-
clesiæ ægrotaverit, præstandas esse totius ejus
temporis distributiones, qua de causa divinis
10 interesse nequivit, idemque resolvit deberi
etiam iis infirmis ex propria culpa, alias
enim nimis rigor esset, nec superiorem hu-
jusmodi inquisitionem facere debere, adden-
do afflictionem afflictis, quia multæ possunt
esse causæ, & non turpes, ita habetur in
Ulyssipponen. 22. Februarii 1620. lib. De-
cret. 12. fol. 33.
11 Item ad dubium, an scilicet canonicis in-
firmis debeantur portiones earum distribu-
tionem, quæ à canonicis absque impedimen-
to à choro absentibus amissæ præsentibus ac-
crescunt, Sacra Congregatio habita in Pa-
latio Apostolico die 29. Februarii 1600. re-
spondit infirmum debere percipere etiam por-
tionem accrescentem præsentibus, primo,
quia textus in cap. unico de cleric. non residen.
in 6. generaliter loquitur, dum excipit infir-
mos; secundo quia tantum operatur fictio in
casu ficto, quantum veritas in casu vero. Ter-
tio quia textus in d. cap. unico jubet infirmo
ministrari ea omnia, quæ sano fuissent mini-
stranda, ergo & hanc portionem accrescen-
tem, quam sanus percepisset Viterbien. 26. Au-
gusti, Urbevetana 9. Septembris, 1628 & in
Nullius 10. Martii 1629.

12 Sed

12 Sed contraris opinio verior est infirmum scillcet justè percipere fructus, & distributiones illius præhendæ, in qua residet, licet ratione infirmitatis ibidem nequeat inservire, & ita loquuntur *jura citata*, ac resolutiones, quæ in contrarium adductæ sunt pro sola dubitandi ratione, secus si aliud habeatur de consuetudine, & ratio est, quia infirmitas excusat quidem à servitio ecclesiæ, sed non à residentis; ergo infirmus fructibus alterius præbendæ, in qua non residet, juridice privatur *Gloss. in cap. cum omnes vers. constitutum de constit.*, *Gloss. in cap. ad audientiam in princip. de cleric. non residen.*

13 Unde bene Sacra Congregatio *censuit Arcbidiaconum ex causa visitationis sibi incumbentis posse abesse etiam ultra tres menses, sed fructus non deberi, nisi dari consueverint absentibus ex justa causa, nec posse facere fructus suos, nisi pro illis tribus mensibus gratia vacationis à Tridentino permissis, quæ tamen omnia de lucrandis fructibus locum habere intelligantur, ubi ecclesiæ non sit consuetudo, ut arcbidiaconus visitans nihil percipiat, eam consuetudinem Sacra Congregatio vult salvam remanere, ita habetur in Palentina Septembris* 1585., Verum in hoc casu proviso de duabus præbendis pro rata servitii, quod utrique ecclesiæ præstitisset, si sanus esset, posset de æquitate impartiri indultum, quod à Sacra Congregatione non solum pro fructibus, sed etiam pro distributionibus quotidianis aliquando conceditur *Tullen. seu Nullius* 12. *Julii* 1721. *lib.*71. *Decret. fol.* 262., *Colonien. Indulti* 5. *Junii* 1734. *lib.*84. *Decret. fol.*321., quod ratio expostulat, quia afflictio non est danda afflictis, neque pæna verti debet in culpam *Glos. in d. cap. ad audientiam versic. infirmitas de cleric. non residen. l. Divus Marcus in princip. ff. de offic. præsid.* Quod tamen verum puto, si causa subsit, quod enim ex causa fit, semper juste fieri dicitur *Gloss. in cap. antiqua de privileg.*, alioquin indultum est denegandum propter præjudicium, quod irrogaretur canonicis præsentibus, quibus fructus, & distributiones canonici absentis accrescunt *ad notat. per DD. in d. cap. unico ibique Gloss. de cleric. non residen. in 6.*, *Gloss. in Clementina ut ii, de ætat., & qualit. & constat ex dictis in Viterbien., Urbevetana, & in aliis ut supra.*

14 Dubium quoque est, an canonicus infirmus, qui habet coadjutorem, & solitus divinis interesse, lucretur distributiones, si coadjutor sine causa abfuerit; Prima opinio affirmat, quoniam sicuti canonicus coadjutore carens quotidianas distributiones acquirit, si morbo, aut alio legitimo impedimento detineatur, quo minus possit divinis officiis intervenire *cap. unico de cleric non resid. n. in 6.*, ita canonicus coadjutore provisus, alioquin deterioris conditionis esset canonicus habens, quam non habens coadjutorem *ita Navar. cons. 2. de cleric. ægrotan. Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 5. § 9. num.* 119. *Garz. de benef. part.* 4. *cap.* 5. *n.* 62. *cum seqq.*, *Castropal. oper. moral. tom.* 2. *disput.* 1. *punct.* 10. *num.* 9.; Deinde privilegium coadjutoriæ in ipsius odium retorqueretur, si coadjutus non posset cum coadjutore, posset sine coadjutore lucrari distributiones, quod repugnat *per text. in cap. ad Apostolicam de regular. cap. quod ob gratiam de reg. jur. in 6*, *l. quod favore cod. de leg.*, *& ita Sacra Congregatio die 28 Martii 1615 lib 47. decret. respondit ad primum coadjutum quandiu ex causa infirmitatis divinis non interfuerit, lucrari debere distributiones quotidianas, perinde acsi coadjutorem non haberet, licet coadjutor abfuerit sine causa à sacris canonibus approbata, Avenionen ut infra.*

15 At Sacra Congregatio Rituum *in Patavina*, ut refert *Garzias loc citat*, contrarium resolvit ibi = *distributiones quotidianæ non debentur canonico infirmo, vel alias legitime impedito, quando habet coadjutorem, sed si coadjutor non resideat, punctatur in ipsius coadjutoris damna*; Idem censuit in causa, cui titulus *dubium punctaturarum* 31 *Julii* 1694. *lib.* 44. *decret fol.* 3.9., *& habetur in Ascalana die* 5. *Junii* 1706. *lib* 56. *decret. fol.* 170.

Et quamvis *Garzias loco citato num.* 64. dicat resolutionem Sacræ Congregationis Rituum procedere, cum coadjutus legitime impeditus vult, ut coadjutor resideat, secus ubi non vult, ut inserviat, tunc enim coadjutus lucratur distributiones, cum ipse sit impeditus, & coadjutor non sit in culpa, cum sine ejus voluntate inservire non possit; Nihilominus hæc distinctio mihi non placet, eamq. merito impugnat *Castropalaus lib* 2. *disput.* 1. *punct.* 10. *num.* 9. *his verbis* = *Verum hæc distinctio mihi non probatur, potius enim judicarem mulctandum esse coadjutum impeditum nolentem, ut coadjutor inserviat, quam volentem, quia nolens, ut inserviat, repugnat fini, ob quem est coadjutoria assignata, & inique procedit, ejusq. voluntas habenda est pro non adjecta; At volens, ut inserviat, juri se conformat.*

16 His præmissis cum Joannes Joseph Flores Sierra canonicus ecclesiæ Cathedralis Ovetensis ob ejus ingravescentem ætatem obtinuisset à Sede Apostolica coadjutorem cum futura successione Franciscum Sierra, qui ex causa delicti coactus fuit abesse ab ecclesiis; Unde ad dubium, an dicto tempore durante, si ægrotaverit dictus Joannes canonicus coadjutus, habendus sit pro præsente tempore infirmitatis, & possit lucrari distributiones, *Sacra Congregatio respondit negative salvo jure agendi contra coadiutorem pro relevatione, ita habetur in Oveten. coadiutoriæ, & distributionum. die 6. Junii* 1639. Iterumque proposita causa *die* 30. *Januarii* 1740. *stetit in decisis, & amplius*, & ratio

17 est, quia coadjutoriæ in beneficiis cum futura successione permittendæ non sunt, nisi quando urgens necessitas, aut evidens utilitas id postulat *ex Trident. sess.* 25. *cap.* 7.;

Idcircò, ne finis iste frustretur, coadjutus ob culpam coadjutoris, qui divinis interesse non potest, juridicè privatur distributionibus, quas infirmus absque dubio perciperet, si coadjutorem non haberet, nam coadjutus coadjutorem postulans alterum in locum sui ponit, ut ejus vices suppleat inserviendo ecclesiæ, ad quod coadjutor tenetur, prout continetur in literis coadjutoriæ, & sic videtur dispositioni juris renunciare, eo modo quo jubilationis privilegio tacitè renunciat, qui impetrat sibi coadjutorem, & distributiones amittit, si per ipsum ecclesiæ non inserviat *Rot. decis.* 790. *num.* 14. *coram Penia*, *Calaguritaua jubilationis* 2. *Maii* 1733., in qua dato dubio, an Josepho de Miranda ad obtinendam jubilationem obstet, quod jam habet coadjutorem cum futura successione, *Sacra Congregatio respondit affirmative*; Ita ergo cessat ratio, quod privilegium coadjutoriæ in odium coadjuti retorqueatur, immo ex hoc resultat coadjutum esse deterioris conditionis, ubi habet, quam ubi non habet coadjutorem; Si enim is, qui habet, perdit jubilationis privilegium, quod de jure ei competeret, si coadjutorem non haberet, ita amittit fructus, & distributiones, qui sibi postulavit coadjutorem, qui non residet, nec ecclesiæ inseruit juxta resolutiones *in Patavina*, *Asculana*, *Oveten.*, quæ mihi satis in jure fundatæ videntur.

18 Verum resolutionem *in Avenionen.*, quæ est contraria, admittendam esse putarem, quando coadjutoria datur, ut coadjutor succedat, non ut inserviat, tunc enim verum est coadjutum infirmum lucrari distributiones quotidianas pro tempore infirmitatis, perinde ac si coadjutorem non haberet, ut *in d. Avenionen.*, cujus ratio videtur juridica, nam coadjutor in hoc casu est potius successor beneficii, quam comes personæ infirmæ. Deinde coadjutoria ad alium finem obtenta præter servitium ecclesiæ verè retorqueretur in odium Coadjuti, si is tempore infirmitatis, vel alterius impedimenti distributiones quotidianas amitteret, & ita hac interpretatione non est contrarietas in decretis Sacræ Congregationis Concilii.

19 Ampliatur canonicos absentes de licentia Capituli teneri restituere distributiones quotidianas tunc temporis perceptas; fructibus vero præbendæ ita demum esse privandos, si ultra tempus à Tridentino permissum ab ecclesia absuerint, quoniam nulla est concessio capituli absendi ab ecclesia ultra tempus permissum ex defectu potestatis *Lunen. Sarzanen.* 10. *Martii* 1625.

20 Quæritur, an canonicus conjectus in carcerem amittat fructus, & distributiones quotidianas, an debeantur alimenta, & quando, super quibus fructibus, & quomodo sint regulanda; Resolutio pendet à justitia, vel injustitia detentionis; Si enim canonicus in carcerem injustè conjectus est, Itaut divinis interesse non potuerit, distributiones quotidianas utique lucratur, *Sacra Congregatio in Vercellen. die* 25. *Octobris* 1594. *censuit quod, si quis indebite conjectus fuerit in carcerem, utique distributiones quotidianæ debeantur, quodque fructus massæ grossæ tandiu debeantur, quandiu per sententiam non constiterit juste illum in carceribus detineri, & die* 28. *Martii* 1598. *lib* 9. *decret. fol.* 9. *Casalen.* 6. *Augusti* 1616. *fol.* 47. *censuit canonico appellanti à sententia sui ordinarii quoad carcerationem, & sequestrationem certi temporis, quam passum esse dicitur, non deberi distributiones, & fructus, donec per sententiam fuerit declaratum juste, vel injuste carceratum, sed esse expectandum eventum causæ Aversana* 19. *Martii* 1644. *in qua dictum fuit canonicos injuste detentos à judice, ubi fuerint absoluti, percipere debere distributiones quotidianas, acsi divinis interessent*; E converso autem canonicus juste in carcerem intrusus fructus, & distributiones quotidianas amittit, *ut habetur in Valentina die* 6 *Julii* 1613. *ibi* = *Congregatio habita domi Cardinalis Sanctæ Cæciliæ unanimiter censuit juste conjectum in carcerem quotidianas distributiones non deberi*; Deinde habita congregatione in Palatio Apostolico in eadem causa, & sub eodem die *responsum fuit eos fructus, qui sunt vere distributiones quotidianæ, deberi injuste conjectis in carcerem, juste coniectis non deberi; justitiam enim, vel injustitiam in hac specie pendere à tribus sententiis, vel unica, quæ in rem judicatam transierit; Interim vero ab aliis distributiones prædictas non lucrifieri, sed esse per alios canonicos conservandas quoadusque liqueat de justitia causæ, vel injustitia; ac demum canonicum justè carceribus detrusum minime privari posse distributionibus, quas antea lucratus est, & quod statis diebus divinis interfuit; fructus vero præbendæ videri captivis deberi, cum non fuerit declara-*
21 *tum eos justè carceribus mancipatos. Demum dictum etiam fuit canonicis inclusis non deberi quidem alimenta, si aliunde habeant, unde vivere possint, sive ex bonis patrimonialibus, sive ex ecclesiasticis, sed in distributionibus quotidianis nihil resolvit.*

22 Verum quoad alimenta ex distributionibus percipienda Sacra Congregatio jam pronunciaverat *in Valentina die* 10. *Januarii* 1611., *videlicet canonico in carcerem conjecto etiam pendente criminali judicio deberi alimenta ex distributionibus quotidianis, si nihil aliud habeat, unde vivere possit, ad quod Cardinalis Sanctæ Cæciliæ attulit etiam textum in l.* 1. §. *quare & si ita ff. de ventr. in possess. mitten.*; *Illud etiam probarunt Patres hoc casu in alimentis decernendis non esse habendam rationem dignitatis personarum, sed vitæ tantum necessaria esse ministranda canonico carceribus mancipato.*

23 Cæterum Vicarius generalis, & respective canonicus, qui propter muneris occupationem divinis interesse non potest, fructus quidem præbendæ percipit, sed distributiones quotidianas amittit, & si omnes reditus cano-

canonicatus in distributionibus consistant,
eos utique lucratur, dempta tamen tertia
parte, quæ accrescit inservientibus *ita Sa-
cra Congregatio die 2. Septembris* 1603.
*lib.92.decret fol.*276., *Calaritana Junii* 1571.
lib 14. *decret. fol.*102., *Adrien. die* 5 *No-
vembris* 1601., *ubi quod canonicus fiscalis
Curiæ Episcopalis, quo tempore horis canoni-
cis non interfuerit etiam ob causam negotio-
rum, nequaquam percipere debet distribu-
tiones quotidianas*; idem resolutum fuit *die* 20.
Februarii 1602., *& die* 18. *Julii* 1602., *ubi
quod vicario, qui non interfuit in choro, deben-
tur fructus præbendæ, sed distributiones
quotidianas amittit*, *Bitecten* 18. *Decem-
bris* 1627. *ubi quod canonicus inserviens Epis-
copo in officio vicarii non lucratur distributio-
nes pro illis horis, quibus divinis non in-
terfuit*, quod regulariter verum est in om-
nibus canonicis, beneficiatis, & clericis,
nam pro rata temporis, quo statis horis non
interfuerunt, distributiones amittunt *Rea-
tina* 14. *Februarii* 1609., *Firmana* 26. *Fe-*
24 *bruarii* 1639., *ubi quod canonicus volunta-
rie inserviens Archipræsbitero Curato pro
tempore, quo ratione d. servitii abest à choro,
distributiones quotidianas non lucratur*; Im-
mo is, qui licet absens potest percipere di-
stributiones quotidianas, prout est canoni-
cus absens pro litibus capituli *Feltren. Ja-
nuarii* 1590., *Massanen.* 21. *Aprilis* 1592.,
amittit anniversaria defunctorum, & alia
hujusmodi incerta pro missis, hæc enim reli-
cta, vel elargita censentur intuitu servitii
personalis *Avenionen* 10 *Septembris* 1639.
25 Et quamvis canonicus inquisitor hæreticæ
pravitatis lucrari deberet distributiones quo-
tidianas, dum abest ratione officii, quo re-
ligionem tuetur *ad text. in l. sunt personæ ff.
de religios. & sumpt. funer.*, prout percipit
canonicus visitans nomine Episcopi limina
Apostolorum *Fossanen* 21. *Januarii* 1617.,
nihilominus canonicus inquisitor, si non in-
terfuit, distributionibus privatur, quia nihil
pro eo de jure cautum habetur *Civitaten. Octo-
bris* 1587.
26 Denique illud certum, & indubitatum est,
quod omnis clericus absens ab ecclesia ex
culpa sua fructus, & distributiones quoti-
dianas amittit, *Joann. Andreas, Ancharan.
Franc. in cap. unico de cleric. non residen. in* 6.
*Ciarlin. controv. foren. tom.*2. *cap.*227. *ferè
per tot. Sacra Congregatio in Ferentina di-
stributionum* 24. *Septembris*, *&* 19. *Novem-
bris* 1718.
27 Quæritur, an canonicus conjectus in car-
cerem, & absolutus cum clausula *ex hacte-
nus deductis* lucretur distributiones quotidia-
nas. Negat *Pignatell. consult.*157. *tom.*4., ubi
inquit, quod ex mente Sacræ Congregatio-
nis Concilii absolutus ex capite innocentiæ
lucratur distributiones quotidianas; Sed,
28 pace tanti viri, id verum non est, nam
etiam absolutus cum clausula *ex hactenus
deductis* juste percipit distributiones, & ratio
juridica est, quia ita absolutus reus non est,
& talis dici non potest, tametsi contra eum
novis supervenientibus judiciis agi possit,
Arianen 28. *Aprilis* 1635., *in qua ad* 6.
*resolvitur canonicos inquisitos, & deinde ab-
solutos uti non repertos culpabiles per senten-
tiam, licet cum clausula ex hactenus deductis,
debere utique percipere distributiones quoti-
dianas totius temporis, quo talem ob causam
divinis interesse non potuerunt*, *Anagni-
na* 13. *Januarii* 1646., *ubi quod præposito
debentur distributiones quotidianæ tempore,
quo fuit ab AC. detentus ob prætensam fal-
sitatem, à qua uti non culpabilis repertus po-
stea fuit absolutus Anagnina* 23. *Augusti* 1681.
ubi refertur ad extensum decretum, de quo
supra *in Arianen. Motulen archidiaconatus*
10. *Aprilis* 1683. *lib. decret.*83. *fol.*98. *Re-
gien.*1. *Decembris* 1691. *lib. decret.*41. *fol* 353.
Firmana 29. *Martii* 1692. *lib. decret.*42.
*fol.*221. *Venusina* 20. *Decembris* 1692. *lib.
decret.* 42. *fol.*734. *Isernien.* 2. *Maii* 1693.
*lib. decret.*43 *fol.*235. *Albanen.* 14. *Novem-
bris* 1693. *lib. decret.*43 *fol* 161. *Brixien. distri-
butionum* 16. *Julii* 1695. *Liicien* 17. *Septem-
bris* 1695. *Ferentina* 16 *Junii* 1696.
29 Attamen canonico absenti ad redimendam
vexationem, dummodo causam non dede-
rit, debentur distributiones quotidianæ to-
tius temporis, quo ob hanc causam divinis
interesse non potuit, tametsi hujusmodi im-
pedimentum ex culpa, seu facto capituli non
processerit *Montisfalisci* 26. *Novembris* 1616.
*lib.*28. *decret fol.*521.
30 Verum ibidem Sacra Congregatio valde
anceps fuit, an hoc procedat in canonico,
qui nondum canonicatus possessionem sit as-
secutus, & propterea jussit, ut in specie
discuteretur *textus in cap. unico de cleric.
non residen. in* 6., qua parte statuit, ut le-
gitime impeditis debeantur distributiones
quotidianæ, vindicet sibi locum ante ade-
ptam possessionem canonicatus, si capitu-
lum non præstiterit impedimentum, quo mi-
nus caperetur.
31 Super hoc puncto pro diligentiis per me
factis nihil circa hoc resolutum inveni, cen-
serem tamen in hoc casu canonicum distri-
butiones quotidianas non lucrari, nam *textus
in d. cap. unico* loquitur de iis, qui possessio-
nem apprehenderunt, & horis canonicis in-
teresse consueverunt ibi = *ut distributiones
quotidianæ canonicis, ac aliis beneficiatis, &
clericis, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis
adfuerint, tribuantur*; ergo qui possessionem
canonicatus non est assecutus, nec officiis in-
terfuit, distributiones amittit juxta regu-
lam, de qua testatur *Geminian. in cap. unica
§. qui vero num* 4. *de cleric. non residen. in* 6.
Mantuana 6. *Februarii* 1627. *lib.*13. *decret.
fol.*197. *Asculana* 5. *Junii* 1706. *lib.*56. *decret.
fol.*149.
32 Differunt valde canonici regulares à ca-
nonicis secularibus quoad effectum perci-
piendi, seu amittendi fructus, & distribu-
tiones quotidianas in absentia, & differen-
tiam assignat Sacra Congregatio *in Comen.*
Februa-

Februarii 1586. *ibi* = *Item censuit decretum Tridentini sess.*24. *cap.*12. *vers. præterea*, & *vers. distributiones non comprendere canonicos regulares, sed nulla habita ratione ipsius ecclesiæ statuti, & consuetudinis canonicos regulares posse cum licentia suorum superiorum ex causa rationabili abesse per id tempus, quod ipsis permittetur, distributiones quotidianas eatenus sic absentes percipere, quatenus superiori in capitulo eis videbitur concedendas; Portionarios vero seculares, qui divinis officiis non intersunt, minimè posse consequi distributiones quotidianas, nisi ex causis à jure permissis.*

33 *Canonicos regulares cum legitima licentia superiorum abesse posse etiam ultra* 40. *dies citra amissionem alicujus partis fructuum; Portionariisque secularibus absentibus non deberi fructus, nisi pro tempore, quo ex statuto, seu consuetudine ecclesiæ ipsis abesse licet, modo ultra tres menses.*

34 Ne mireris, quod alibi de pensionibus, hic potius de fructibus, & distributionibus amittendis agatur, quoniam privatio fructuum, & pensionis habent similitudinem inter se cum hac differentia, quod privatio pensionis est pœna perpetua, fructuum autem temporalis, quod sufficit, nam similitudo, *inquit Boetius in Topica Tullii lib.*3. est rerum singularium vel differentium comparatio, nec in ea requiritur, quod tota res sit toti rei similis, sed in eo, ad quod confertur, *inquit Glossa in cap. non potest in prima additione præben. in* 6. Confert igitur ad tractatum privatio fructuum, prout

36 privatio pensionis; sicuti enim ob privationem ex capite non residentiæ pensio extinguitur *ex dictis in cap. antecedenti in additione*, ita ob privationem cessat jus percipiendi fructus, & distributiones saltem pro eo tempore, quo beneficiatus ab ecclesia abfuit *cap. ex literis de excess. Prælat. Gloss. marginalis in l. cum talis quæstio Cod. de servit.*, & *aqua*.

ARGUMENTUM.

QUando clerici ecclesiæ adscripti compelli possint ab Ordinario ad præstandum dictæ ecclesiæ servitium sub pœna privationis Beneficii, Stipendii, & Pensionis *ad interpret, Trident, cap.*16. 17. *sess.*23.

SUMMARIUM.

1 SErvitium ecclesiæ, & residentia parum differunt
2 Concilium *Calcedonense* quoad clericos ecclesiæ adscriptos quid disponat.
3 Antiqua adscriptio importabat titulum.
4 Hæc adscriptio inducta erat ad similitudinem colonorum, qui fundis solebant adscribi.
5 Tot clerici juxta antiquam disciplinam adscribebantur ecclesiæ, quot essent necessarii juxta illius facultates.
6 Clericus adscriptus ecclesiæ sine licentia episcopi discedere non poterat.
7 Forma literarum, idest literæ formatæ, quæ sint ex Concilio Nicæno.
8 Sub Alexandro III diaconus poterat ordinari sine titulo.
9 Nova consuetudine inductum est, ut clerici non pro numero ecclesiarum, sed pro rata redditum ordinarentur.
10 Prohibitio clericis adscriptis discedendi ab ecclesia restricta ad solos beneficiatos.
11 *Tridentinum* quoad clericos ordinatos, & ecclesiæ adscriptos quid statuat.
12 Decretum *Tridentini* inhærens vestigiis *Concilii Calcedonensis* renovatio est similitudinis, non identitatis, ubi de ratione.
13 Clerici ecclesiæ adscripti juxta Concilium Calcedonense poterant compelli ad inserviendum ecclesiæ sub pœna privationis beneficii.
14 Clerici in ecclesiis receptitiis sub pœna privationis redditum tenentur ad servitium ecclesiæ.
15 An Clerici ecclesiæ adscripti juxta Tridentinum possint obligari ad servitium ecclesiæ, resolutiones Sacræ Congregationis difformes, conciliantur, & assignatur ratio num. 16.
17 Clerici adscripti, si ex patrimonio, & redditibus ecclesiasticis habent sufficientem substentationem, cogi possunt ad servitium ecclesiæ, secus si nihil habent.
18 An clerici non adscripti cogi possint ad inserviendum ecclesiæ sub pœna privationis beneficii, distinguitur num. 19.
20 Beneficia ad cultum divinum, & ad munia ecclesiastica obeunda instituta sunt.
21 Beneficia simplicia de jure communi residentiam requirunt.

CAPUT VII.

1 DE clericis ecclesiæ adscriptis, quando scilicet compelli possint ab Episcopo ad servitium illi impendendum sub pœna privationis beneficii, nihil à nobis usque nunc tactum est, licet materia sit tractatui accommoda, & parum differat ab iis, quæ *in antecedentibus capitibus* dicta sunt de clericis beneficiatis ad residentiam revocandis sub hac pœna; Immo servitium ecclesiæ magis coarctat, quam simplex residentia, nam in servitio residentia inest, non autem contra; Verum antequam veniam ad punctum privationis, prius præmittendum est, quid olim fuerit, & quid

quid nunc sit adscriptio, cujus notione facile quis intelliget, quid in hac re erit resolvendum.

2 Notandum itaque neminem ex dispositione Concilii Calcedonensis potuisse promoveri ad ordinem ecclesiasticum, qui alicui ecclesiæ, aut martyrio, aut monasterio intitulatus, seu adscriptus non esset, & ordinatio absoluta, hoc est sine titulo, irrita erat *can.1. & 2. distinct.70.* sed hæc adscriptio, seu institutio longe diversa erat à recentiori adscriptione, secundum quam hodie dicimus clericos teneri inservire ecclesiæ,
3 cui sunt adscripti, nam illa antiqua adscriptio importabat verum titulum, & imponebat præcisam obligationem ibidem perpetuo permanendi *can. Sanctorum distinct.70.* ubi dicitur, in qua ecclesia quilibet intitulatus est, ibi perpetuo perseveret, idem refert eruditissimus *Thomassinus vetus, & nova ecclesiæ disciplina de beneficiis part.2. lib.1.*
4 *cap.10. per tot.*, & hæc antiqua adscriptio videtur quasi inducta ad similitudinem colonorum, qui fundis solebant adscribi, prout servi glebæ perpetuo addicti, & veluti affixi numquam possunt avelli à fundo, & ejus cultura, quod non obscure annuunt sacri canones, in quibus clerici dicuntur mancipati, devincti, & præfixi ecclesiis, *ut express. habetur in Concilio Hispalensi secundo cap.3. ibi = scribitur in lege mundiali de colonis agrorum, ibi esse quisque jam cæpit., ibi perduceret, non aliter, & de clericis, qui in agro ecclesiæ operantur, canonum decreto præcipitur.*

5 Itidem juxta antiquam illam disciplinam tot clerici dumtaxat adscribebantur uni ecclesiæ, quot essent ejusdem servitio necessarii, & quot ex illius facultatibus possent alimenta percipere, *ut habetur in can.62. Concilii Nicæni juxta editionem Pirani, & Turriani, & in Concilio Aquisgranensi cap.118.*

6 Ex quibus sequebatur, quod cum parvus esset numerus clericorum, ne ecclesiæ debitis servitiis destituerentur, necessarium fuerit statuere, ne aliquis clericus posset omnino discedere sine licentia Episcopi, *ut habe-*
7 *tur in distinct.71. 72.*; Unde fuit etiam in Concilio Nicæno composita certa forma literarum, quæ ob id formatæ dicebantur, & earum exemplar per extensum refertur *in distinct.73. can.1.* sine quibus literis non licebat clericis abesse, nec alicui eos suscipere, quarum quidem formatarum similitudo aliqualiter exprimitur in hodiernis literis testimonialibus, seu commendatitiis.

8 Post antiquorum prænarratum ecclesiæ modum hæc tituli necessitas relaxata fuit in Concilio Lateranensi sub Alexandro III *cap. Episcopus, cap. tuis de præben.*, in quibus permittitur, ut etiam sine titulo Diaconus possit ordinari, si de sua, seu paterna hæreditate subsidium vitæ habere possit;
9 Quapropter tum de nova consuetudine inductum est, ut clerici non pro numero ecclesiarum, sed pro rata redditum ordinentur, sed cum eorum numerus longe excreverit, cessavit etiam ratio præcisæ necessitatis ecclesiarum, qua prohibitum generaliter fuerat omnibus clericis, ne possent abesse ab ecclesia, cui adfuissent adscripti, & dispo-
10 sitio antiquorum canonum ad clericos tantum beneficiatos, eosque non omnes restricta fuit.

11 Et licet Tridentinum *cap 16. sess.23.*, ubi disponit, ut nullus in posterum ordinetur, qui ecclesiæ, aut pio loco non adscribatur, dicat id facere inhærendo vestigiis sexti ca-
12 nonis *Concilii Calcedonensis*, tamen hæc adhæsio, & renovatio potius est similitudinis, quam identitatis, quod ulra prædicta patet etiam evidenter ex eo, quod adscriptio statuta per sextum canonem *Concilii Calcedonensis* sufficiebat pro titulo, & eo ipso, quod clericus erat adscriptus illi ecclesiæ, poterat ordinari Diaconus, vel Sacerdos, *ut constat ex can. neminem can. Sanctorum distinct.70.*, adscriptio autem per Tridentinum instituta, vel renovata non sufficit pro titulo ad effectum promotionis ad ordines,

13 His positis, si agitur de clericis ecclesiæ adscriptis juxta canonem sexti *Concilii Calcedonensis*, tunc nulli dubium est, quo minus ita adscripti teneantur impendere ecclesiæ servitium, quia sicuti ad ordines valide, & licite promoventur, ita sunt vere beneficiati, & in sequelam beneficiis privari possunt, si juridice moniti ecclesiæ non inserviant ex *Trident. sess.21.cap 3 ibi = crescenteq. contumacia liceat contra eos procedere juxta juris, & sacrorum canonum dispositionem cap. ex tuæ ibique omnes de cleric. non resi-*
14 *den.*, quod hodie in ecclesiis receptitiis accomodare possumus, nam sicuti ita recepti vere beneficia possident, & hoc titulo ordinantur, ita possunt compelli ad præstandum ecclesiæ servitium sub pœna privationis fructuum, proventuum, aliorumq. emolumentorum, quæ inter ipsos distribuuntur *cap. ex parte cap. inter quatuor, cap. final. de cleric. non residen. cap. pervenit 2. de appellat.*

15 Si vero agatur de clericis ecclesiæ, seu pio loco adscriptis juxta Tridentinum *d. cap.16. sess.23.* tunc diversimode est procedendum, nam Sacra Congregatio *in Anconitana 14. Februarii 1609. lib.11. decret. fol.43.* respondit eos dumtaxat clericos, *qui in ordinatione alicujus ecclesiæ servitio adscripti sunt, ab ordinario compelli posse, ut in ea præscriptas functiones habeant, illosq. locum eodem ordinario inconsulto deserere non debere sub pœna interdictionis sacrorum*; Sed contrarium quoad primam partem resolvit *in Calven. 13 Februarii 1642. lib.17. decret. fol.12. ibi = An ordinati ad titulum ecclesiæ cathedralis, seu beneficii adscripti servitio ecclesiæ ejusdem, eaque derelicta degentes in urbe sine literis dimissoriis Episcopi cogi possint ad residentiam, Sacra Congregatio respondit*

pondit non posse, sed eis esse inter licendum exercitium ordinum; Utraque tamen resolutio potest conciliari fœdere distinctionis, quæ, ni fallor, mihi juridica videtur, aut agitur de compulsione præcisa, & absoluta, aut de compulsione secundum quid, & conditionali, primo casu clericus ecclesiæ adscriptus non potest cogi ad servitium, & habet locum resolutio *in Calven*, non item in secundo casu, & vera est resolutio *in*
16 *Anconitana*; Ratio disparitatis ea est, quia in compulsione præcisa, & absoluta vis infertur, & tollitur voluntarium, quod non licet, secus in compulsione secundum quid, & conditionali, quoniam clericus relinquitur quidem in sua libertate quoad servitium ecclesiæ, sed ei aufertur dumtaxat exercitium ordinum, quos habuit ab ecclesia intuitu adscriptionis, & ita temperatur rigor resolutionis *in d. Anconitana*.

17 Cæterum inspecta æquitate, quæ in hac re semper præponderat, clerici adscripti habentes patrimonium, quod una cum redditibus ecclesiasticis sufficiens sit ad congruam, compelli possunt ecclesiæ inservire, aliter si nihil habeant, ut alibi inserviant pro illorum necessaria suhstentatione, permittendum est, *ita habetur in Constantinopolitana* 1. *Aprilis* 1628 *lib.*13.*decret.fol.*424. *ibi=si patrimonium una cum redditibus, qui in ecclesia percipiuntur ad honestam substentationem hujusmodi Sacerdotum adscriptorum sit sufficiens, posse à suo Episcopo pæna præscripta à Concilio compelli ad præstandum servitium, quod ejusdem ecclesiæ necessitas, vel utilitas requirit, alioquin permittendum esse, ut ipsi aliis inserviant ecclesiis, in quibus necessaria pro illorum substentatione percipere valeant.*

18 Rursus si quæstio sit de clericis, qui nulli ecclesiæ adscripti sunt, iterum distinguendum est, aut non adscripti habent beneficia ecclesiastica, aut non; Primo casu compelli possunt inservire ecclesiæ, quia ratione beneficiorum ecclesiæ sunt adscripti juxta dispositionem sexti Concilii Calcedonensis, & in sequelam beneficiis privari, si mandatis Episcopi non pareant *cap. ex tuæ de cleric. non residen.*, *Can. contumaces ibiq. Gloss. versic. neglexerint distinct* 50. *ibi = clerici contumaces, & si qui prioris gradus elati superbia, aut ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, auferetur officium, & beneficium Trident. sess* 21 *cap.*3. *in fin*; Aut nullum ecclesiasticum possident beneficium, tunc omnis ratio expostulat, ne compellantur, *ita Sacra Congregatio in Collen.* 24 *Martii* 1612 *lib.*11. *decret fol.*115. *ibi = Item censuit, si clericus in diæcesi nullum obtinet officium, neque beneficium ecclesiasticum, non posse ab Episcopo compelli, ut choro intersit, & alia munera obeat.*

19 Aut demum clerici possident beneficia simplicia, quæ non obligant ad residentiam, tunc regula stat pro clerico beneficiato etiam ecclesiæ adscripto, nam nova onera beneficiis simplicibus ab ordinario imponi non possunt, *ut pluries resolvit Sacra Congregatio in Lauden. die* 1. *Decembris* 1605. *Veronen. die* 14. *Martii* 1620. *Firmana die* 5. *Februarii* 1628. *Burgi S. Sepulchri* 13. *Februarii* 1638., nisi necessitaa, aut ecclesiæ utilitas aliud exposcat, hoc enim casu onus servitii pro obeundis functionibus ecclesiasticis, vel in ecclesia cathedrali, vel collegiata, aut parochiali imponi potest, & impositum de jure sustinetur *ex Trident. sess.*23. *cap.*17., *cap. significatum, ubi Gloss. & DD. de præben.*, & habetur *in Plebana Visitationis sacrorum liminum lib.*5. *literarum visitationis liminum fol.*237.*ibi= quantum attinet ad servitium ecclesiæ cathedralis, quæ in diebus festivis propter parvum numerum canonicorum, & defectum mansionariorum detrimentum patitur, Eminentissimi PP. impartiti sunt Episcopo facultatem, ut pro necessario servitio suæ ecclesiæ cogere possit quolibet die festo duos ex obtinentibus cappellanias, seu beneficia in d. ecclesia, ut dum missa decantatur, duo ex eis per turnum inserviant, alter in officio diaconi, alter vero in officio subdiaconi, Syrenen. die* 13. *Januarii* 1635., in qua ad dubium, an Episcopus possit oratorem cogere ad prestandum hoc servitium, Sacra Congregatio *respondit Episcopum aliquo emolumento, seu stipendio juxta qualitatem loci, & ecclesiæ præstandum compellere posse; Idem in casu necessitatis ecclesiæ, & paupertatis clericorum Congregatio indulsit, ut Episcopus possit quidem cogere clericos, sed constituto illis aliquo honesto stipendio ex mulctis pecuniariis in Curia Episcopali ex maleficio collectis; sic scriptum fuit sub die* 21 *Junii* 1621 *in d. Plebana visitationis liminum*; Porro si simpliciter adscripti honesto stipendio ad servitium ecclesiæ compelli possunt, multo magis beneficia etiam simplicia possidentes,
20 quæ ad cultum divinum, & ad munia ecclesiastica obeunda constituta sunt *ex Trident. sess.*21. *cap.*3. *cap. cum ad hoc de clerio.*
21 *non residen. ubi Abbas num.*5. illud notandum dicit, quod beneficia etiam simplicia requirunt residentiam de jure communi, quod probatur ex hoc textu, nec sufficit deservire per alium, multo magis in hoc casu, in quo urget necessitas, & utilitas ecclesiæ.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 ORdinarii clericis adscriptis, qui ecclesiæ inserviunt, tenentur assignare stipendia, ubi de ratione.

2 Clerici negligentes in eorum officio circa functiones ecclesiasticas stipendiis in parte mulctantur, vel in totum privantur judicio ordinarii.

3 Stipendia pro servitio ecclesiæ in subsidium etiam clericis conjugatis possunt reservari.

4 Stipendium, quod clericus conjugatus intuitu servitii ab

Epi-

episcopo obtinuit, ob reiterationem matrimonii expirat.

5 Clericus conjugatus non deferens vestem clericalem stipendio privandus est arbitrio ordinarii.

6 An clericus adscriptus habens pensionem super beneficio in civitate, vel diœcesi existenti, compelli possit ad servitium ecclesiæ arbitrio ordinarii, distinguitur.

7 Quid in hac re episcopus agere debeat.

8 Clericus ecclesiæ adscriptus, si contumax sit, ut vagus, & desertor gradu depellitur.

9 Episcopus revocans clericum ad ecclesiæ servitium abstineat a pœnis pecuniariis.

1 ORdinarii locorum clericis ecclesiæ adscriptis, ut functiones in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, & parochialibus curent, & peragant, stipendia ex aliqua parte redditu um aliquorum simplicium beneficiorum, vel fabricæ ecclesiæ, si proventus suppetant, tenentur assignare; quamvis enim, qui ordinantur ob necessitatem, vel utilitatem ecclesiæ, cui adscribuntur, nullum jus ex tali adscriptione acquirant ad participandas distributiones cum cæteris beneficiatis, tamen de æquitate stipendium aliquod ex ipso ecclesiæ servitio merentur, *ut habetur in Bellunen Januarii* 1587. *lib.*
2 *decret.4. fol.*227. Præterea, si clerici negligentes fuerint in hisce functionibus ecclesiasticis, judicio ordinarii stipendiis in parte mulctari, vel in totum privari possunt *ex Triden. sess.*23. *cap.*17.
3 Itidem ibidem disponitur, quod si ministeriis quatuor ordinum minorum exercendis clerici cælibes præsto non sint, sufficiunt conjugati, eisque juxta ecclesiæ facultates stipendia debent reservari, dummodo tamen bigami non sint, & ad munia obeunda idonei, nec non tonsuram, & habitum clerica-
4 lem in ecclesia gestent. Ex quo infero stipendium, quod clericus conjugatus ab Episcopo obtinuit intuitu servitii ecclesiæ, ob reiterationem matrimonii statim expirare, bigamus enim omni privilegio clericali nuda-
5 tus est *cap.*1 *de bigamis in* 6., item clericus conjugatus non deferens tonsuram, & vestes clericales per aliquod tempus arbitrio ordinarii considerandum, & monitus non resipuerit, stipendio privandus est ex defectu privilegii clericalis *cap.*1. *de cleric. conjugat. in* 6. *cum relat. in cap.*3. *de vacat. ob matrim in addit. lib.*1.
6 Quæres, an clericus habens pensionem super beneficio in civitate, vel diœcesi existenti sibi legitime reservatam possit ab Ordinario compelli ad servitium ecclesiæ, cui adscriptus est, vel in ecclesia cathedrali collegiata cum similibus arbitrio Ordinarii? Respondeo non posse, quoniam iis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus detrahendum non est, *inquit Triden. sess.*25. *cap.*5., nec onere servitii, ad quod clericus pensionarius non tenetur, ab Episcopo pergravari debet, *ut habetur in Lauden. Firmana, Veronen, & in aliis*, nisi aliud necessitas, aut utilitas ecclesiæ exposcat *cap. significatum ibique Gloss. & DD. de præben.*
7 Verum in hac re Ordinarius præcipitanter non agat, clericus enim prius monendus est, ut ecclesiæ, cui adscriptus est, vel alii ejus arbitrio sub pœna interdictionis ordinum servitium præstet; deinde mulctandus est fructibus pensionis in parte, vel in totum; demum crescente contumacia etiam pensione
8 potest privari, clericus enim contumax ut vagus, & desertor gradu depellitur *Gloss. in l.*3. *vers. ab executione l. non omnes §. Qui in pace ff. de re militar.* quod etiam innuit Tridentinum *sess.*23. *cap.*16 *ibi = ne incertis vagetur sedibus Gloss. in Can. Honoratus vers. adhuc, & vers. privabis distinct.*74 *Gloss in Can. final. in fin.*23. *quæst.*7.
9 Episcopus tamen revocans clericum ad servitium ecclesiæ cathedralis, collegiatæ, seu parochialis, cui adscriptus est, abstinere debet à pœnis pecuniariis, nam Sacra Congregatio etiam semper visa est distinguere circa qualitatem pœnæ reprohando pecuniariam, *ut habetur in Caietana* 15. *Maii* 1625. *lib.*12. *decret. fol.*265. *Verulana* 19. *Julii* 1625. *lib* 60. *memorialium fol.*231., *in qua mandavit, ut Episcopus à pœnis pecuniariis abstineat, & exactum restituat.*

A R G U M E N T U M.

AN propter necessitatem, vel utilitatem ecclesiæ clerici possint cogi ad ordines suscipiendos sub pœna privationis Beneficii, & Pensionis *ad interpret. Trident. Sess.*21. *cap.* 2.

S U M M A R I U M.

1 COactione absoluta nemo potest cogi ad suscipiendos ordines, secus coactione conditionali, & secundum, quid.

2 Episcopus ob solam utilitatem potest cogere clericos ad ordines suscipiendos per subtractionem loci dignioris.

3 Episcopus, si etiam necessitas urgeat, potest cogere clericos ad suscipiendos ordines sub pœna privationis beneficii.

4 Clericus potest invitus ob necessitatem, & utilitatem ecclesiæ cogi ad suscipiendum regimen ecclesiæ curatæ ex sententia *Petri de Palude*.

5 Civis potest cogi ad suscipiendam tutelam, & officium judicandi, si respublica indigeat.
6 Cardinalium opiniones, & resolutio Sacræ Congregationis in hac re num. 7.
8 Ad titulum patrimonii quis non ordinatur, nisi pro necessitate, & utilitate ecclesiæ.
9 Sacerdotes in defectum aliorum tenetur subvenire indigenti in extrema necessitate.
10 Resolutiones de non cogendis clericis ad titulum patrimonii ordinatis ad inserviendum ecclesiæ, & peragendas ibidem functiones, conciliantur.
11 Clericus renuens suscipere Sacros Ordines propter delictum beneficio privandus est.
12 Limita, si sit utilis pro aliis ecclesiæ negotiis, & delictum sit occultum.
13 Clericus illiteratus ad Sacros Ordines promoveri non debet, sed compellitur studiis operam dare.
14 Clericus penitus imperitus beneficio est privandus, secus si mediocri polleat scientia, ubi casus numer. 15.

CAPUT VIII.



Ro resolutione præsentis quæstionis præmittenda est distinctio inter coactionem præcisam, & absolutam, & inter coactionem conditionalem, seu secundum quid, de qua dictum etiam est *in cap. ante-*
1 *cedenti*; Et quidem coactione absoluta, quæ omnino voluntatem excludit, conveniunt omnes neminem cogi posse ad ordines suscipiendos *can.* 1. *ibique notat Præpositus num.* 1., *can.* 2. *distinct.* 74., nam Sacramentum ordinis est voluntarium *can. si ergo* 8. *quæst.* 1., itaut si omnino invitus quis ordinetur, nihil recipiat *cap. majores de baptismo*; Coactione autem conditionali, quæ à philosopho dicitur violentum mixtum, potest Episcopus compellere clericos non legitime impeditos ad suscipiendos ordines sacros etiam suis beneficiis non adnexos propter utilitatem, & necessitatem ecclesiæ, hac tamen distinctio-
2 ne adhibita, quia si hoc faciat ob solam ecclesiæ utilitatem absque necessitate, poterit eos compellere per subtractionem locorum cogendo illos sedere in choro, capitulo, & refectorio in inferiori loco, quam consueverint, *ut dicit ibidem Archidiaconus*, & ita intelligitur *can. Episcopo*, *can. consuluit distinct.* 74.
3 Si verò etiam necessitas urgeat, Episcopus poterit eos cogere ad ordines suscipiendos etiam per subtractionem beneficiorum secundum *Archidiaconum*, *Præpositum*, & alios omnes loco citato, pro cujus distinctione est textus literalis *in cap. quæris de ætat. & qualit. ibi = Quod si pro sola voluntate renuerit ordinari, & suaserit utilitas ecclesiæ, aut necessitas ipsos, dummodo idonei sint, ad majores ordines suscipiendos per amissionem locorum, & beneficiorum subtractionem, appellatione cessante, compellas*; Quem textum *Joannes Andreas Panormitanus*, & *alii* sic redigunt in summarium, ibi = *Propter necessitatem, & utilitatem ecclesiæ compelluntur clerici suscipere ordines suis beneficiis non adnexos*, ad idem textus in can. si qui, & can. placuit *distinct.* 74. ibi = *Placuit, ut quicumque clerici, vel diaconi pro necessitatibus ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis volentibus ad honorem ampliorem in ecclesia sua promovere, nec illic ministrent in suo gradu, unde voluerunt recedere*; Idque asserit communiter teneri *Sylvester in verbo ordo* 3. *num.* 10. dicens, quod quamvis clericus non habens beneficium ecclesiasticum, vel dignitatem cogi non possit ordines suscipere, idemque sit, si tali beneficio, vel dignitati non sit talis ordo adnexus, *ut in can.* 1 *&* 2. *distinct.* 74., hoc tamen fallit, si utilitas, vel necessitas ecclesiæ hoc exposcat, quo casu, si clericus se excuset sola voluntate sine alia causa, debet compelli per subtractionem officii, & beneficii *Thomassinus nova, & vetus ecclesiæ disciplina part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 86. §. 14., ubi varia quoad hoc refert Concilia.
4 Similem quæstionem ponit *Petrus de palude in quarta distinctione* 31., ubi quærit, an quis invitus cogi possit ad suscipiendum regimen ecclesiæ curatæ, & respondit cogi posse, & teneri obedire, ubi rationabilis est causa, videlicet vel necessitas, vel communis utilitas, idque probat hoc argumento, quia ad bonum regimen ecclesiæ magis est obediendum præsidenti in spiritualibus, quam ad bonum regimen temporalium sit obediendum præsidenti in ipsis temporalibus
5 sed in temporalibus cogitur laicus suscipere tutelam pupilli, vel curam adulti, vel prodigi, quia hoc Reipublicæ temporali interest, sicut etiam quis cogitur suscipere officium judicandi, si Respublica indigeat *cap. pastoralis de offic. ordinar.*, ergo multo magis, si ecclesia vere, & absolute indigeat, tenebitur quis curam illius suscipere, ad eamque suscipiendam cogi poterit à Prælato, & sic docent etiam ad literam *Cardinalis in can.* 1. *num.* 3. *distinct.* 74., idemque censent *D. Thomas*, & *Duranus relati à Cardinali*, dum tenent clericum eamdem ob causam cogi posse ad acceptandam dignitatem, vel Episcopatum.
6 De hac etiam re habita fuit Congregatio in Palatio Cardinalis de Monte, cui interfuerunt DD. Cardinales, *Millinus*, *Detres*, *Sancta Susanna*, *Dom. de Roh*, *Pius*, *Boncompagnus*, & *Amon*, cumque in ea propositum fuisset dubium, an nempe Episcopus præsbiteros ordinatos ad titulum patrimonii ob sacerdotum penuriam invitos ecclesiis præficere possit; *De Roh* dixit sententiam affirmativam ductus rationibus, & auctoritatibus superius expressis; *Millinus* idipsum sensit supposita necessitate, eo enim casu sacerdotes tenentur ex seipsis ministrare sacramenta, & *D. Thomas*, & *Cajetanus* docent;

docent ; ergo multo magis præcipienti Epi-
ſcopo ; Item probavit exemplo Epiſcopatus,
cui etiam invitus quis præficitur , & ſimili-
ter adducto *à Palude* de Principe temporali,
qui poteſt ſubditum cogere ad magiſtratum
ſuſcipiendum ob reipublicæ neceſſitatem. Ad-
de, Epiſcopus poteſt cogere regulares etiam
exemptos ad inſerviendum eccleſiis, ſi ne-
ceſſitas poſtulet, multo igitur magis cleri-
cos, & ſacerdotes non exemptos; quæ faci-
lius procedunt in ſacerdotibus ad titulum
patrimonii ob utilitatem , & neceſſitatem
eccleſiæ ordinatis . Dixit etiam clericos eſſe
partem naturalem reipublicæ, *& retulit Na-
varrum in manuali cap.*24. aſſerentem morta-
liter peccare ſacerdotem , qui in neceſſitate
conſtituto negat ſacramenta miniſtrare ;
De Très adduxit textum *in cap. quoniam de
offic. ordinar.* Quomodo autem poterit Epi-
ſcopus providere , ſi reluctantes non poterit
compellere ? Fruſtra enim juriſdictio , ſi jus
coercendi non competat . Item adduxit tex-
tum *in can.quicumque de conſecrat.diſtinct* 4.
ubi habetur clericum teneri ſacramentum
baptiſmatis adminiſtrare in caſu neceſſitatis,
ergo idem de ſacramento pænitentiæ, hoc
enim eſt in multis ſacramentum neceſſarium,
ſicuti baptiſmus ; Item textus *in cap. paſto-
ralis de offic. ordinar. & l. ſi neceſſitas ff. de
muner. & honor.* , ubi tenetur quis accepta-
re juriſdictionem ſibi delatam ; dixit etiam
in ordinatione ſacerdotis Epiſcopum uti illis
verbis *accipe Spiritum Sanctum &c.*,& quam-
vis hanc juriſdictionem dimittendi peccata
habeat habitu tantum , tamen cum primum
Epiſcopus conſenſit , aut præcipit , remove-
tur impedimentum , & habitus reducitur
ad actum ; Item *Suarez* movet hanc quæſtio-
nem , an quis invitus cogi poſſit curam ani-
marum ſuſcipere ,& reſpondet ratione bene-
ficii ſacerdotem ad id teneri ex juſtitia , ſed
ratione ordinum teneri ex charitate , quæ
quidem charitas obligat ſub mortali in caſu
neceſſitatis ; *Sancta Suſanna* ait , clericum
in ſuſceptione ordinum tranſiiſſe in poteſta-
tem Epiſcopi , & teneri miniſtrare ex chari-
tate , quæ obligat ſub mortali , cum ſubeſt
neceſſitas ; Si tenetur , ergo & cogi poteſt
cap. novit de judic. , *Dom. de Roù* dixit cle-
ricum in actu ordinis ſpondere Epiſcopo obe-
dientiam , obedientia autem ſecundum ſub-
jectam materiam , ideſt juxta ordinem ,
quem ſuſcepit ; *Pius* , *Boncompagnus* , &
7 *Amon* eidem ſententiæ adhæſerunt; Omnes
vero probarunt id eſſe intelligendum , dum-
modo alias ſacerdotes ſint idonei , & cano-
nicum impedimentum non habeant , *& ita
reſolutum fuit die* 15. *Martii* 1629.
8 His additur , quod ad titulum patrimonii
quis non debet ad ſacros ordines aſſumi ,
niſi pro neceſſitate , & utilitate eccleſiæ *ex
Trident. ſeſſ.*21. *cap.*2 , idcirco æquum eſt,
ut huic neceſſitati ordinati , quantum in eis
eſt , ſuccurrant , ac ſuorum ordinum mini-
ſteria exerceant in ſacramentis adminiſtran-
dis .

9 Additur quoque , quod in defectum alio-
rum , & in neceſſitate extrema quilibet ſa-
cerdos tenetur ſub mortali ſubvenire indi-
genti , & paſcere fame morientem *can paſce
diſtinct.*86. *ibi = Si non paviſti , occidiſti* ;
& ſi præsbiter pænitentiam morientibus ab-
negaverit , reus erit animarum *can. ſi præſ-
biter* 26. *quæſt.*6. , & de ſacramento baptiſ-
mi eſt textus *in can. quicumque de conſecrat.
diſtinct.*4. ; Porro ſi uti ob neceſſitatem , &
utilitatem eccleſiæ ordinatus tenetur ſuſci-
pere regimen animarum , quod periculoſum
eſt , ita eadem ratione non ordinatus cogi
poteſt invitus ad ordines ſuſcipiendos ſub
pæna privationis beneficii , quia alias provi-
dere non poſſet , & abſque jure exercendi
fruſtra Epiſcopo juriſdictio fuiſſet attributa ,
quod implicat .
10 Neque his obſtat , quod alias Sacra Con-
gregatio declaravit clericos ordinatos ad ti-
tulum patrimonii , qui incertis vagantur ſe-
dibus , cogi non poſſe , ut deſerviant ali-
quibus diebus alicui eccleſiæ, *ut in Conſtan-
tinopolitana , Colleu.* , *de quibus in capite
antecedenti* , id enim videtur intelligendum,
dummodo rationabilis neceſſitas non urgeat
ex ſupradictis , & eodem modo intelligenda
erit alia declaratio de clericis non adſcriptis
in ordinatione ſervitio alicujus eccleſiæ , qui
ab Epiſcopo cogi non poſſunt ad functiones
in eccleſia obeundas *ex cap.* 16. *ſeſſ.*23. *Trident.*
11 Verum , ſi clericus renuat ſacros ordines
ſuſcipere ratione delicti , beneficio tamquam
indignus privandus eſt , niſi pro aliis nego-
tiis eccleſiæ ſit valde utilis , tunc enim diſ-
penſative toleratur , ſi tamen ejus delictum
occultum ſit *cap. quæris de ætat. & qualit.*
12 *ibi = & niſi forte illi , qui ordinari pro
jam dicta cauſa recuſant , in aliis eccleſiæ ſer-
vitiis valde utiles fuerint , auferantur eis
beneficia , & aliis canonice conferantur cap.*1.
ibique Hoſtien & Gotifred. eodem tit.
13 Quid ergo ſi clericus ſe excuſet à ſuſce-
ptione ordinum propter illiteraturam ? Reſ-
pondeo ad ordines ſacros non eſſe promo-
vendum , quamvis ingens ſit eccleſiæ mini-
ſtrorum penuria , idque propter abſurda ,
& inconvenientia , quæ ex hoc capite oriri
poſſent , ſed potius compellendum eſſe , ut
diligenter ſtudiis vacet , interim utendum
opera regularium loco præsbiterorum , ita
ad conſultationem Epiſcopi reſpondit *Sacra
Congregatio Concilii teſte Fagnano in cap.
quæris num* 18. *de ætat. & qualit.*
14 Et quamvis literarum imperitus beneficio
ſit privandus tamquam incapax , nihilomi-
nus hoc procedit in penitus illiterato , ſecus,
ſi mediocri ſcientia polleat , licet non ſuffi-
cienti *Fagnan. in cap. accepimus num.*48. *de
ætat. & qualit.* ; Caſus mihi accidit , nam
15 quidam clericus literis ſui ordinarii ad be-
neficia commendatus permutavit in alia diœ-
ceſi auctoritate Apoſtolica quædam ſimplicia
beneficia cum canonicatu in eccleſia cathe-
drali , cui erat unita parochialis eccleſia ;
expedita hinc inde permutatione Epiſcopus

id graviter ferens ad Curiam accessit, ut d. permutatio improbaretur ex capite, quod clericus non erat idoneus, præsertim circa ea, quæ pertinent ad curam animarum, quæ erat canonicatui annoxa; Interrogatus de hac re respondi Episcopo non expedire litem in Sacra Congregatione Concilii introducere, nam licet clericus non esset idoneus ad curam animarum, non erat tamen penitus imperitus, quod de jure requiritur, ut canonicatu, & ecclesia parochiali eidem unita privetur; Dicebam itaque quod in Sacra Congregatione aliud decretum obtineri non potest, nisi ut iterum examinetur, quod si d. clericus idoneus repertus fuerit, lis acta est, si vero in examine fuerit reprobatus, Sacra Congregatio solet rescribere, ut deputetur Vicarius pro cura animarum, & interim clericus non idoneus det operam studiis non recuperaturus curæ animarum exercitium, nisi postquam datis scientiarum incrementis effectus fuerit capax; Quod etiam absque decreto Sacræ Congregationis potest Episcopus *ex Trident. sess.21. cap.6.*, sed tamen clericus minus idoneus, ut supra, beneficio non est privandus; Aquievit his Episcopus, deinde coram amicis, qui me ad congressum introduxerant, conquestus est de me, acsi rationi, & juri innixum consilium non dedissem; si hoc ita sit, quisquis ex jam dictis poterit judicare; Verum tamen est, quod d. Episcopus in Congregatione non comparuit, ut clericus ex capite inhabilitatis canonicatu, & ecclesia parochiali eidem annexa privaretur.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Clericus habens pensionem cogi potest ob utilitatem, & necessitatem ecclesiæ ad suscipiendos ordines, ubi de ratione.

2 Clericus renuens ad ordines promoveri parte fructuum mulctandus est.

3 Ex concilio *Remensi* clerici, qui renuunt ordines suscipere, quarta proventuum parte mulctantur.

4 Crescente contumacia clericus pensione spoliandus est, si intra competentem terminum non ordinetur.

5 Contumax, & desertor æquiparantur.

1 Clericus habens pensionem super aliquo
beneficio sibi legitime reservatam ob
necessitatem, & utilitatem ecclesiæ cogi po-
test ab Ordinario ad suscipiendos sacros ordi-
nes sub pæna privationis fructuum, & pen-
sionis, ea enim, quæ dicta sunt supra de be-
neficiis, locum habent in pensione ob eam-
dem rationis identitatem; Prius tamen cle-
2 ricus monendus est, deinde ei subtrahendi
sunt fructus in parte arbitrio Ordinarii, ut
ita indirecte de nolente fiat volens *Gloss. in
can. consuluit distinct 74. ibi = Privabis,
3 dic parte stipendiorum, non omnibus*; Ita
in Concilio *Remensi anni* 1581. concessum
fuit Episcopis, ut beneficiarios cogere pos-
sent sacris implicari ordinibus, prout eccle-
siarum suarum necessitas deposceret, utque
contumaces quarta parte mulctarent pro-
ventuum ecclesiasticorum *tit. de curat. offic.
cap.18., tit.35. cap.15.*
4 Verum crescente contumacia, si pluries
monitus mandatis Episcopi clericus non pa-
ruerit, nec intra competentem terminum
ordinatus, etiam pensione spoliandus est *ex
dictis in capite antecedenti in additione*,
5 contumax enim, & desertor æquiparantur
quoad pænas juris *Gloss. in l.3. vers. ab exe-
cutione ff. de re militar. ibi = & est argumentum
contra subditos, qui non obediunt Prælatis,
ut pæna desertionis teneantur.*

ARGUMENTUM.

An provisi de dignitatibus, canonicatibus, & portionibus in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata compelli possint ad ordines suscipiendos sub pæna privationis Beneficii, Pensionis, ac fructuum *ad interpret. Tridentin. sess.22. cap.4.*

SUMMARIUM.

1 Concilium *Tridentinum* quoad obligationem canonicorum suscipiendi sacros ordines refertur.

2 Divisio materiæ.

3 Canonici obtinentes beneficia in ecclesia cathedrali cogi possunt ad ordines suscipiendos sub pæna privationis beneficii.

4 Impedimentum legitimum excusat ab hac pæna, quod tamen juridice est probandum.

5 Provisus de beneficio cum onere assumendi sacros ordines intra annum excusatur, si episcopus eum noluit promovere.

6 Decretum *Tridentini* quoad onus suscipiendi ordines habet locum etiam in ecclesiis collegiatis insignibus.

7 Canonici ecclesiæ collegiatæ simplicis cogi non possunt ad promotionem ordinum, ubi resolutio favore canonicorum *Sanctæ Mariæ in Cosmedin*, & *Sancti Eustachii* Urbis num.8. 9.

10 Re-

10 Regulatires beneficiatus cogi non potest ad Sacros Ordines suscipiendos, nec beneficio privari.
11 Ordinum adnexio præbendis collegiatæ ecclesiæ ex causa potest adjici, ubi decretum Sacræ Congregationis contra quatuor præbendatos accolitos ecclesiæ collegiatæ *Sancti Gaudentii Civitatis Novariæ*.
12 Ordinum onus potest de jure imponi ex causa præbendis vacaturis, & vacantibus.
13 Ob utilitatem, & necessitatem ecclesiæ etiam præbendæ non vacanti onus ordinum imponi potest ab ordinario sub pœna privationis beneficii.
14 Amplia in ecclesiis consortialibus, & receptitiis, ac clericis beneficia possidentibus.
15 Concilium *Londinense* quoad ordines quid statuat.
16 Innocentii III *Epistola* quoad ordinee quid disponat.
17 Ætas requiritur pro obtinendis beneficiis in ecclesia cathedrali, sed sufficit, ut provisus intra annum possit promoveri ad diaconatum, ubi resolutio Sacræ Congregationis.
18 Qualis ætas requiratur in proviso de duobus beneficiis unitis, distinguitur.
19 Contrariorum uno probato, probatur & aliud.
20 Resolutio Sacræ Congregationis quoad ætatem habentis duo beneficia unita.
21 Incapax ex defectu ætatis ecclesiæ parochialis est incapax canonicatus eidem æque, ac principaliter uniti.
22 Provisio duorum beneficiorum facta non habenti ætatem quoad unum est etiam irrita quoad aliud, & utcumque beneficium vacat.

CAPUT IX.

1 IN ecclesiis cathedralibus, & collegiatis plura extant beneficia, quibus varia sunt onera adnexa, ut scilicet alii missas, alii evangelium alii epistolas dicant, seu cantent, unde propterea, ut unusquisque suum munus exequatur, statuit Tridentinum *quoscumque, qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, & alia quævis beneficia in dictis ecclesiis obtinent, vel in posterum obtinebunt, quocumque ii privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobilitate sint insigniti, teneri, justo impedimento cessante, infra annum ordines suscipere, alioquin pœnas incurrant juxta Constitutionem Concilii Viennensis, quæ incipit ut ii, qui, quam præsenti decreto innovat, cogantque Episcopi eos diebus statutis dictos ordines per seipsos exercere, ac cætera omnia officia, quæ debent, in cultu divino præstare sub eisdem, & aliis etiam gravioribus pœnis arbitrio eorum imponendis; Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio*, ita habetur *in cap.4. sess.22.*

2 Itaque ex hoc conciliari decreto de pluribus dubitari contigit; primo, an Episcopi habentes facultatem à Tridentino imponendi alias, & graviores pœnas, possint ita provisos sub pœna privationis beneficii compellere ad sacros ordines suscipiendos; Secundo, an hujusmodi decretum afficiat omnes provisos in quibuscumque ecclesiis collegiatis; Tertio, an ob provisionem factam non habenti ætatem beneficium iterum vacet ad omnes juris effectus.

3 Quoad primum dubium *respondit Sacra Congregatio sub die 25. Januarii 1608.* obtinentes beneficia in ecclesiis Cathedralibus compelli posse ad suscipiendos ordines sacros canonicatui adnexos etiam sub hac pœna ibi= *censuit non induci vacationem ipso jure præterquam in beneficiis curatis ob non susceptum præsbiteratum, vel alium ordinem sacrum adnexum infra annum; Cæterum obtinentem canonicatum deberi, & posse compelli sub pœna privationis ad suscipiendum ordinem sacrum canonicatui, vel dignitati adnexum.*

4 Et quamvis legitimum impedimentum excuset ab hac privationis pœna, nihilominus non sufficit id afferere, sed juridicè est probandum; Unde cum quidam canonicus propter infirmitatem non potuerit infra annum promoveri ad præsbiteratum *juxta cap.4. sess.22. Concilii Tridentini*, petiit declarari, an infirmitas sit justa causa evitandi privationem canonicatus, *Sacra Congregatio in Faraonen. respondit infirmitatem censeri quidem justum impedimentum, sed eam coram judicibus ordinariis ritè, & rectè probari oportere cum qualitatibus, quæ de jure requiruntur, ut impedimentum præstet excusationem ad text. in cap. quam sit in fin., cap. commissa de elect. in 6.*

5 Probatum tamen remanet, si Episcopus renuit provisum ad ordines promovere, tunc enim provisus post lapsum anni beneficio non est privandus, quia impedito tempus non currit *Sarsinaten. die 5. Julii 1601. ibi = censuit scribendum ad Episcopum, ut, nisi aliquit defectus post collationem ecclesiæ, & subdiaconatus supervenerit, provisum de parochiali promoveat ad sacerdotium, interimque decrevit illi non currere tempus anni præfixum ad se promoveri faciendum*, idemque habetur *sub die 22. Septembris 1607. ibi =Congregatio censuit minime posse Episcopum proviso tempus prorogare, sed si Episcopus obtinentem parochialem renuit promovere, illi utpote impedito tempus non excurrisse, Taurinen. 10. Februarii 1608. ibi = censuit Episcopum minime quidem posse anni tempus prorogare, sed si parochus ordinari petierit, & per Episcopum steterit, quo minus illum ad præsbyteratum promoveat, annum illi nequaquam currisse.*

6 Quo vero attinet ad secundum dubium certum est decretum Tridentini *sess. 22. cap.4.*, licet simpliciter loquatur, comprehendere dumtaxat ecclesias collegiatas insignes, quod satis eruitur *ex cap. 12. sess.24.*, in quo distributio ordinum subdiaconalium, diaconalium, & præsbiteralium fit tantum pro ecclesiis cathedralibus, & collegiatis in-
7 signibus, ergo provisi in ecclesiis collegiatis simpli-

ſimplicibus ſacros ordines intra annum ſuſcipere non tenentur, nec privari poſſunt beneficiis, & præbendis, ſi intra annum
8 non promoveantur; Et quidem caſus accidit in eccleſia collegiata *Sanctæ Mariæ in Coſmedin*, pro qua inter cætera propoſitum fuit dubium, an canonici dictæ eccleſiæ in legitima ætate conſtituti poſſint præciſe compelli ad ſuſcipiendum ſaltem ordinem ſubdiaconatus, & dilata reſolutione *die* 22. *Septembris* 1681., negativa prodiit reſolutio *die* 18. *Maii* 1686.; Deinde obtenta per Archipræsbyterum nova audientia *die* 13. *Novembris* 1689. de novo inſtetit declarari, quod dicti Canonici præcisè teneantur, & compellendi ſint ad ſuſcipiendum ſaltem dictum ordinem ſubdiaconatus, & interim non poſſint quotidianas diſtributiones percipere, quamvis in ea jugiter inſerviant: Unde ad dubium, an ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis, *Sacra Congregatio juribus ab utraque parte mature perpenſis ſtetit in deciſis, & hujuſmodi cauſam amplius non proponi mandavit ac pro neceſſitate in poſterum cenſuit per Eminentiſſimum Cardinalem Diaconum agendum cum Sanctiſſimo quoad futuros canonicos inſtituendos, ita habetur in Romana juris intereſſendi in capitulo* 22. *Decembris* 1691. *lib. decre.* 41. *fol.* 370., *Romana* 16. *Februa-*
9 *rii* 1704, in qua cum capitulum, & canonici eccleſiæ collegiatæ *Sancti Euſtachii* prætenderent cogere canonicum Joannem Angelum Magnonum ad ſuſcipiendos ſacros ordines ex quodam decreto edito *anno* 1654., & renovato in actu viſitationis *anno* 1655., per clar. mem. Cardinalem Urſinum, quo mandabatur nonnullis canonicis, ut ſacros ordines ſuſciperent ſub pœna amiſſionis medietatis fructuum; cumque praxis illius eccleſiæ dicto decreto eſſet contraria, & ex alia parte dictus canonicus tali laborabat corporis infirmitate, qua ad ſacros ordines promoveri non poterat cum aliis relatis in folio, *Sacra Congregatio* reſcripſit = *orator non moleſtetur*.

10 Utraque ſane reſolutio mihi videtur in jure fundata, nam beneficiatus regulariter invitus cogi non poteſt ad ſacros ordines ſuſcipiendos, nec ex hoc capite beneficio poteſt ſpoliari, ſi ordinari renuat *can. Epiſcopus, Can. geſta diſtinct* 74. *ibi = geſta &c. in quibus Archidiaconus Honoratus adducitur, plena eſſe cognovimus ſemine jurgiorum, cum uno eodemque tempore una perſona nolens ad ſacerdotii ordinem provehitur, quæ tamquam immerita à diaconatus officio removetur; & ſicut juſtum eſt, ut nemo creſcere compellatur invitus, ita cenſendum puto, ne quiſquam inſons ob ordinis ſui miniſterio deiiciatur injuſte*; Imo ita amotus in priſtinum gradum debet reſtitui juxta d. textum, quem ſupplet *Thomaſſinus nova, & vetus eccleſiæ diſciplina part.*2. *lib.*1 *cap.*16. *in princip. ibi = locum, & adminiſtrationem ſuam Honorato archidiacono reſtituas, admonemus &c.*

11 Verum ex cauſa ordo ſacerdotalis, ſeu diaconalis præbendis de jure adjici poteſt, ita contendentibus invicem canonicis collegiatæ Sancti Gaudentii Civitatis Novariæ ſuper adnexione, & diſtributione ſacrorum ordinum, *Sacra Congregatio die* 9. *Februarii* 1664 *reſpondit quatuor præbendis accolitalibus eſſe adnectendum ordinem ſacrum, non obſtante diſceſſu canonicorum exiſtentium, ſed abſque illorum præjudicio, circa quos tamen ſervetur diſpoſitio Clementinæ ut ſi de ætate, & qualitate innovata per Concilium Tridentinum cap* 4. *ſeſſ.*22. *de reformat.*. *Cæterum quicumque in poſterum dictas præbendas obtinuerint, ſe ſacro ordine initiandos intelligant*; Ab hujuſmodi decreto ſeſe gravatos eſſe ſentientes canonici repropoſita cauſa die 14 Aprilis 1674 *reſcriptum fuit pro tribus ex dictis præbendis accolitalibus ordinem ſacrum, de quo in ipſius Sacri Concilii decreto, intelligendum eſſe de ſacerdotali, pro quarta intelligendum eſſe de diaconali; Hoc tamen ſine præjudicio obtinentium, adeoque hodiernos dictarum præbendarum poſſeſſores, quamvis in ſacerdotali ordine conſtitutos in eo minime teneri miniſtrare*; His poſtremis decreti verbis adhærentes canonici in accolitali ordine conſtituti, nec in ſacerdotali, nec in proprio accolitali ſervire volunt, ideoque capitulum decreti obſervantiam petiit *coram A. C. Thomato*, qui dubium, ut par eſt, remiſit ad Sacram Congregationem; Quare, an dicti canonici erectione accoliti, ordine tamen ſacerdotali conſtituti teneantur eccleſiæ, & eccleſiaſticis functionibus inſervire, ac miniſtrare in proprio ordine accolitali, *Sacra Congregatio cenſuit teneri, niſi eligant miniſtrare in ordine ſacro canonicali, ita habetur in Novarien adnexionis ordinum die* 11. *Julii* 1693. *lib* 43. *decret. fol.*342.

12 Hujuſmodi quoque reſolutio ſaltem *ex decretis* 1664., & 1674. nihil differt à diſpoſitione juris, nam ſicuti valet ſtatutum capituli, ut, qui in poſterum ad certam præbendam vacaturam eligaretur, miſſarum onus ſubire teneatur, multo magis id poteſt fieri à Sacra Congregatione, quæ Principis auctoritate fungitur; Ultra quod tenent omnes adnexionem ordinum præbendæ vacanti de jure imponi poſſe, ſi cauſa ſubeſt, ergo etiam vacaturæ, paria enim ſunt adnectere ordinem præbendis vacaturis ſine præjudicio obtinentium, ac onus miſſarum adjicere præbendis vacantibus, in quibus nulli irrogatur præjudicium *ad text. expreſſ. in cap. ſignificatum ibique Gloſſ.*, & *DD. de præben.*

13 Cæterum ob utilitatem, & neceſſitatem eccleſiæ etiam præbendæ non vacanti, ideſt beneficio pleno ordinum adnexio per decretum Epiſcopi juridice fit, quod idem eſt, ac dicere poſſe proviſum de præbenda cogi, & compelli ad ſacros ordines ſub pœna privationis beneficii, ſi intra annum non promoveatur *Gloſſ. ſingularis in can.*2. *diſtinct.*73. *cum relat. in cap. antecedenti*.

14 Hæc

14 Hæc indistinctè vera sunt in quibuscumque
ecclesiis etiam consortialibus, & receptitiis,
immo in omnibus clericis beneficia possiden-
tibus, nam si ita exigit utilitas, & eccle-
siæ urgeat necessitas, compelli possunt clerici
omnes, & beneficiis privari, si moniti ad
sacros ordines non promoveantur, prout con-
tra præpositos, archidiaconos, diaconos, qui
ad sacros ordines sub hac pœna promoveri te-
nentur, extant capitula Concilii Remensis
edita ab Eugenio Papa III. ut refert Divus
Bernardus de consideratione ad eumdem Pon-
tificem cap.11. lib.3. ibi=si inobedientes ordi-
nari contempserint, honore suscepto priven-
15 tur; quod etiam definitum fuit in Concilio
Londinensi anno 1125. can.6. ibi =statuimus,
ut clerici, qui ecclesias, seu beneficia habent
ecclesiastica, & ordinari, quo liberius vi-
vant, subterfugiunt, cum ab Episcopis invi-
tati fuerint, si ad ordines promoveri contem-
pserint, ecclesiis simul, & beneficiis eorum
16 priventur; Idem respondit ad suum lega-
tum in Longobardia Innocentius III. Episto-
la 170. registr.14. ibi =si quos invenerit in
ipsis idoneos ad gradum sacerdotii assumen-
dum, tu illos, ut se ad superiores ordines
faciant promoveri, per subtractionem benefi-
ciorum, appellatione cessante, compellas;
Eadem hæc sunt pene verba decreti Alexan-
dri III. in cap. quæris de ætat. & qualit. lite-
raliter transcripta in capite antecedenti.
17 Quo vero attinet ad tertium dubium, cer-
tum est, quod clericus obtinens canonica-
tum, vel dignitatem, aut portionem in ec-
clesia cathedrali, seu collegiata insigni de-
bet habere ætatem à jure requisitam, sed
tamen sufficit, quod intra annum ad ordinem,
quem canonicatus, vel dignitas, aut portio
requirit, possit promoveri, non obstante,
quod distributio ordinum subdiaconalium,
diaconalium, & præsbiteralium in ecclesia
adhuc facta non sit Sacra Congregatio in Ci-
vitaten. 28. Februarii 1592. ibi= Item censuit
oportere volentem obtinere in cathedrali ec-
clesia esse constitutum in tali ætate, ut intra
annum saltem ad diaconatum valeat promove-
ri, idque procedere etiam ante factam in ec-
clesia ordinum distributionem, Vicentina
5. Septembris 1699 lib.49. decret. fol.319.,
in qua cum adsint portiones distinctæ in sa-
cerdotales, diaconales, & subdiaconales,
& capitulum habeat jus eligendi ad quam-
dam mansionariam sacerdotalem, supplica-
tum fuit, an posset eligere unum, qui vige-
simum quartum annum non complevit, atten-
ta dispositione Tridentini cap.4. sess.22., Sa-
cra Congregatio censuit sufficere nominan-
dum esse in ea ætate, ut infra annum valeat
promoveri, nisi aliter in fundatione caveatur;
alioquin provisio facta ante ætatem irrita est;
Unde ad dubium, an collatio canonicatus
in cathedrali facta ab Episcopo ei, qui intra
annum ad ordines ex defectu ætatis promo-
veri non poterat, valeat stante cap. 4. sess.22.
Concilii Tridentini, Sacra Congregatio in
Faraonen. censuit non valere.
18 Quæres qualis ætas requiratur in clerico,
qui ab Episcopo duo obtinuit beneficia, quo-
rum unum cum cura est, sine cura alterum,
utrumque tamen unitum ex causis in jure ex-
pressis? Respondeo cum distinctione; aut
beneficium cum cura accessoriè unitum est di-
gnitati ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ,
tunc sufficit provisum in ea ætate constitu-
tum esse, in qua est capax dignitatis, nam
primariò confertur dignitas, reliquum ve-
nit in sequelam, & consequenter sufficit
ætas 22. annorum ex Tridens. sess.24. cap.12.,
aut dignitas stat accessoriè ecclesiæ parochia-
li, quod attentis ejus qualitatibus id fieri
non repugnat, tunc non sufficit, quod pro-
visus sit in ætate ad dignitatem obtinendam,
sed requiritur ætas definita à Sacris Canoni-
bus pro ecclesiis parochialibus legitimè asse-
19 quendis, contrariorum enim uno probato,
probatur & aliud l. 1. ibique Gloss. ff. de
his, qui sunt sui, vel alieni juris, Gloss. in
cap.1. instit. eodem tit., aut demum utrum-
que beneficium æque, ac principaliter uni-
tum est, tunc unum beneficium non assumit
naturam alterius, sed utrumque stat de per
se, & utrumque requirit ætátem, prout de
20 jure; Quod satis innuit Sacræ Congrega-
tionis declaratio in Rossanen. die 11. Janua-
rii 1591. ibi = Item censuit attendendam esse
naturam Archipræsbiteratus, non parochia-
lis, & sufficere, quod provisus sit in ea ætate,
quam exigit archipræsbiteratus, si parochia
est unita perpetuo, & accessorie archipræsbi-
teratui, secus si æque, & principaliter unita
essent, quia tunc non assumit naturam archi-
21 præsbiteratus; Præterea inspecta secunda
parte hujus resolutionis provisus de duobus
beneficiis æque, & principaliter unitis in-
capax unius ex defectu ætatis efficitur etiam
incapax alterius, licet enim clericus habeat
ætatem legitimam ad canonicatum, vel di-
gnitatem obtinendam in ecclesia cathedrali,
vel collegiata, tamen ea caret, quæ requi-
ritur in ecclesia parochiali juxta text. in cap.
cum in cunctis §. inferiora de elect., cap. licet
22 canon. eodem tit. in 6., & in sequelam, quia
provisio est irrita ipso jure ex Trident. sess.22.
cap.4., clericus utroque beneficio ob defe-
ctum ætatis privandus est cap. quia nonnulli
de cleric. non resident. ibi = Et qui receperit,
quod contra Sacros Canones accepit, amittat.
Immo utrumque beneficium vacat in Curia,
& potest libere impetrari à Papa ex regula
24. Cancellariæ, præsertim si provisus in
utroque beneficio ut supra unito temerè mi-
nistraverit ex constitutione 7. Pii II., Rot.
decis.40. num.3. part.18. recen.

ADDI-

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 PEnsio, seu stipendium assignari potest clericis primæ tonsuræ, ut intra certum tempus teneantur assumere accolitatum, lectoratum, ostiariatum sub pæna privationis.

2 Provisus de canonicatu non promotus ad subdiaconatum, vel præsbiteratum dimidiam distributionum partem de jure amittit.

3 Provisus ob non susceptos debitis temporibus ordines, quos beneficium requirit, distributiones perceptas restituere tenetur, licet inservierit.

4 Retentio distributionum datur vel pro primo anno, vel pro eo tempore, quo clericus ætatem pro ordinibus suscipiendis attigit.

5 Provisus ob non promotionem ad ordinem subdiaconatus fructus, & distributiones amittit, si statuto ita caveatur.

6 Provisus non obstante statuto de suscipiendis ordinibus lucratur fructus, & distributiones, si ob litem sibi motam super beneficio ad ordines non promoveatur.

7 Provisus non obstante statuto de suscipiendis ordinibus lucratur distributiones ex speciali lege fundationis.

1 CLericis etiam primæ tonsuræ potest assignari ab Episcopo, & Capitulo stipendium, seu pensio, ut intra certum tempus teneantur assumere accolitatum, lectoratum, ostiariatum, & his similia, in eisque statutis diebus inservire pro functionibus ecclesiasticis, quæ in ecclesia cathedrali, seu collegiata peraguntur etiam sub privationis pæna in parte, vel in totum arbitrio ordinarii, si intra d. tempus non promoveantur, & ecclesiasticis functionibus non intersint *ex Tridentino cap.4 sess.22. cap.17. sess.23.*

2 At quoad privationem distributionum ob non promotionem ad ordinem subdiaconatus, vel præsbiteratus rigor Sacrorum Canonum ultra progreditur, censuit enim Sacra Congregatio *in Nepesina Julii* 1588. *oratorem in subdiaconatus ordine non constitutum vocem in capitulo non habere, & si intra annum, justo impedimento cessante, ordines requisitos non susceperit, incidere in pænas Clementinæ, ut ii de ætat., & qualitat. juxta cap 4. sess.22 Concilii Tridentini, Eugubina 14. Februarii 1609. lib.11. decret. fol.45. ibi = censuit, si orator est legitimæ ætatis, ita ut infra annum possit promoveri ad sacerdotium, ut requirunt canonicatus ecclesiæ Eugubinæ, durante anno, si statis horis interfuerit, percipere debere nedum fructus, sed etiam distributiones quotidianas sui canonicatus; quod si anno elapso, justo impedimento cessante, non fuerit promotus, ei subtrahendam esse dimidiam distributionum partem, quamvis divinis interfuerit, sicuti cavetur in Constitutione Clementis V., quæ incipit ut ii innovata ex decreto Tridentini sess.22. cap.4.*

3 Similiter provisus de canonicatu in ecclesia cathedrali cum onere suscipiendi debitis temporibus ordines, quos ætas postulaverit, distributiones, quas post ætatem inserviens, sed non promotus percepit, restituere tenetur, licet crederet se non teneri ordines suscipere, nisi post completum annum 22. ex Tridentino *sess.23. cap.12.*, ita Bernardus Guadagnus in minori ætate existens obtinuit canonicatum in ecclesia metropolitana prævia sanctissimi dispensatione super defectu ætatis à Sacro Concilio præscriptæ cum obligatione tamen in literis apostolicis iniuncta, quod cum primum ad ætatem legitimam pervenisset, proximis inde quatuor temporibus ordinem ipsum, quem ætas postulaverit, videlicet subdiaconatus, diaconatus, & præsbiteratus suscipere teneatur; Verum quia die 14. Septembris 1695. ætatem annorum 21. complevit, nec subdiaconatus ordinem tunc assumpsit sub credulitate, quod ad id non teneretur, nisi completo anno 22., ex quo verba Concilii Tridentini *sess.23. cap.12. de reformat.* præscribentia ætatem annorum 22 ad subdiaconatus ordinem intelligenda essent non de incepto, sed de completo *juxta text. in can.1. distinct.78.*, quem late exornat *Fagnan. in cap. aqua num.16. de consecrat. eccles. vel altar.* Hinc post obtentam *die 16. præteriti mensis Julii* annalem dilationem ab hac Sacra Congregatione ad sacros ordines suscipiendos, supplicavit etiam pro facultate sibi retinendi distributiones medio tempore exactas, attento servitio ecclesiæ per id tempus continuo, ac bona fide præstito; cum autem audito desuper Archiepiscopo, & per ArchiepiscopumCapitulo, alleget iste utrumque obstaculum, tenorem nempe apostolicæ dispensationis, ac Constitutionum ecclesiæ, nec non exemplum alterius canonici, qui in eisdem facti circumstantiis exactas distributiones capitulo restituit, hinc citato, & contradicente Capitulo superest decernendum, an petitæ retentioni distributionum sit annuendum in casu &c. *Sacra Congregatio respondit negative. ita habetur in Florentina distributionum* 12. *Januarii* 1697. *lib 47. decret. fol.5.*

4 Et quidem non est locus retentioni distributionum, nisi pro iis, quas vel pro primo anno, vel usquequo ad ætatem pervenerit suscipiendi ordines, ætati dispensatus percepit, has enim provisus lucratur, si ecclesiæ inservierit, & inserviat; ita quoque Joseph Maria Martellus provisus de mense Martii proxime præteriti ab Eminentissimo Nerlio indultario de canonicatu in ecclesia metropolitana possessionem ejusdem *die 16. prædicti mensis* adeptus est; verum quia per constitutionem capitularem privantur canonici distributionibus quotidianis usquequo ad sacros ordines promoti fuerint, dictusque orator ætatem requisitam ad illos suscipiendos non habet, supplicat sibi indulgeri, ut integras distributiones quotidianas à die adeptæ possessionis lucrari valeat non obstan-

te

te constitutione prædicta, quæ limitationem pati videtur in casibus, quando eadem ordinum susceptio cum legitimo impedimento differatur, *Sacra Congregatio in Florentina 30 Maii 1699. lib.49. decret. fol.216 audita relatione Eminentissimi D. Cardinalis Morigia Archiepiscopi florentini censuit deberi oratori, licet in sacris non constituto, quotidianas distributiones primi anni à die adeptæ possessionis, dummodo tamen ecclesiæ inservierit, & inserviat in futurum*, & constat *ex Eugubina die 14. Februarii 1699. ibi = durante anno, si statis horis interfuerit percipere debere nedum fructus, sed etiam distributiones quotidianas sui canonicatus Patavina 22. Augusti* 1648.

5 Et eo fortius distributiones, & fructus amittit in parte, vel in totum in sacris non constitutus, si statuto ecclesiæ ita caveatur, prout in ecclesia collegiata *Sanctæ Mariæ in via lata* de urbe cavetur, ut canonicus noviter intrans non constitutus in sacris teneatur se facere promoveri ad subdiaconatum intra sex menses, quibus decursis, si ulterius à d. promotione cessaverit, nihil participet, nisi pro medietate per alios sex menses, quibus decursis, si ulterius à d.promotione cessaverit, nihil participet, quousque fuerit promotus, nec interim habeat vocem in capitulo, prout ex Sacro Concilio Tridentino decretum est; Cum itaque Franciscus Antonius Cavedonus, qui de canonicatu per obitum Pauli Emilii Azzonii prius vacante, & postea à Joanne Francisco Rivs dimisso per Datariam provisus illius possessionem adeptus fuit *sub die 15. Octobris* 1679. prævia jurata promissione observandi Constitutiones capituli post elapsum semestre prædictum, quinimo, & alium annum prorogationis a Sanctissimo Domino Nostro ipsi concessæ, nec sacrum subdiaconatus ordinem suscipere, nec novam prorogationem obtinere curaverit, capitulum eumdem privavit medietate fructuum *à die 15. Aprilis* 1681., quo prorogationis indultum expiraverat, *usque ad diem 15. Octobris ejusdem anni*, illamque convertit in emptionem quorumdam candelabrorum pro servitio ecclesiæ, prout in similibus fieri mandat alia Constitutio; At prætendente Cavedono se numquam fuisse adstrictum ad sacros ordines suscipiendos, ex quo in particulari Congregatione desuper deputata pendebat lis super canonicatu inter ipsum, & Joannem Baptistam Capocium ab Eminentissimo D.Cardinali Maidalchino titulari provisum, quæ nuper dumtaxat decisa fuit ipsius Cavedoni favore, habitoque proinde recursu ad hanc Sacram Congregationem *sub die 15. Julii proxime elapsi* rescriptum fuit, *ut causa ponatur in folio*, quæritur, an petita fructuum privatio substineatur, *die* 11. *Aprilis* 1682. *respondit negative, privationem scilicet non substineri, ita habetur in Romana privationis fructuum canonicatus* 14 *Martii* 1682. *lib. decret.* 32. *fol* 181.

6 Et quamvis contra statutum emanaverit hæc resolutio, attamen id juridice factum est, quia impeditus ex lite non tenetur sacros ordines suscipere *Gloss. in cap. commissa vers. pacificam de elect. in 6 Rot. decis.* 451. *ibique adden num.9 coram Ludovis.*; Aliter provisus de canonicatu in hac ecclesia, si intra tempus cessante impedimento non promoveatur, juste privatur fructibus ad formam statuti, de cujus validitate ambigendum non est, quia est conforme dispositioni Tridentini, ad quod capitulum, & canonici statuentes se retulerunt.

7 Denique licet non constitutus in sacris ex statuto capituli fructus, & distributiones amittat, nihilominus certum est deberi ex speciali lege fundationis, quæ statuto est contraria, & ita casus accidit, nam adversus resolutionem captam die 18. præteriti mensis Augusti, qua dictum fuit Canonico Michaeli Angelo quamvis sacris ordinibus non insignito deberi distributiones quotidianas à pio fundatore particulariter assignatas, non obstante contrario usu ecclesiæ etiam confirmato per literas *sanctæ memoriæ Urbani VIII.* non admittendi scilicet ad participationem emolumentorum canonicalium, nisi canonicos in sacris constitutos, obtinuerunt capitulum, & canonici collegiatæ ecclesiæ *Hispelli* iterum audiri; Quare tam ex deductis in præterita positione, quam ex noviter utrinque deducendis iterum resolvendum proponitur dubium; An sit standum, vel recedendum à decisis, *sub die* 18. *Augusti* 1696 *in casu &c. Sacra Congregatio stetit in decisis, & amplius hujusmodi causam non proponi mandavit Spoletana distributionem 4. Maii* 1697. *lib.*47. *decret. fol.*183.

ARGUMENTUM.

AN Præbenda primo vacatura erecta ab Episcopo pro officio Theologi, seu Interpretis Sacræ Scripturæ vacet in Curia, vel extra; & quando Canonicus Theologus privari possit præbenda, si non resideat, & sacras lectiones non expleat, & quo jure; Quid in Pensione, & stipendio *ad interpret. Trident. sess. 5. cap. 1.*

SUMMARIUM.

1 DEcretum *Tridentini* quoad deputationem præbendæ theologalis.

2 An præbenda primo vacatura deputata ab Episcopo pro officio theologi vacet in mense Apostolico, resolutiones Sacræ Congregationis ibidem.

3 Refertur resolutio *in Cusentina*, quæ videtur contradicere, & de ratione.

4 Deputatio præbendæ facta ab Episcopo, prout unio est, vacationem impedit.

5 Præbenda primo vacatura comprehenditur sub decreto Tridentini, & vacat officio theologi.

6 Declaratur resolutio *in Cusentina*.

7 Deputatio præbendæ Theologalis vacationem non impedit.

8 Præbenda Theologalis vacat etiam in mense Ordinarii.

9 An, & quo jure canonicus theologus, qui muneri suo non satisfacit, privari possit præbenda, prima resolutio privandum esse ad formam Tridentini, secunda juxta dispositionem juris nunc...

11 Secunda resolutio magis placet auctori, & quare.

12 Conciliatur utraque resolutio.

13 An ad depositionem Theologi necessaria sit monitio, vel sit aliquod tempus præfixum, cujus lapsu canonicus theologus possit privari.

14 In ecclesiis cathedralibus *Legionis*, & *Castellæ* lector, & pænitentiarius ob absentiam per mensem sine licentia Episcopi, & Capituli præbendis ipso jure privantur.

15 Episcopus præbendam vacantem per privationem potest conferre, ubi declaratur.

16 Quid si præbenda per privationem vacet in mense Apostolico, duplex opinio.

17 Episcopus præbendam Theologalem, antequam vacet, conferre non potest, ubi de ratione.

18 Præbenda nulliter collata ab Episcopo, antequam vacet, vacat ut prius.

CAPUT X.



1 UT in posterum in unaquæque ecclesia, in qua saltem populus sit numerosus, adesset peritus, qui in sacra pagina, & præsertim quoad ea, quæ ad curam animarum spectare noscuntur, alios sacerdotes, ac clericos valeat, & possit erudire, Tridentinum piis Summorum Pontificum, & probatorum Conciliorum Constitutionibus inhærens, & adjiciens *statuit, & decrevit, ut in ecclesiis metropolitanis, & cathedralibus, aut in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido etiam nullius diœcesis, ubi nulla præbenda, præstimonium, seu stipendium deputatum reperitur, præbenda quomodocunq. præterquam ex causa resignationis primo vacatura, cui aliud onus incompatibile non sit, pro lectoribus sacræ Theologiæ ipso facto perpetuo constituta, & deputata intelligatur, ita habetur in cap. 1. sess. 5.*; De stylo tamen præbenda primo vacatura per decretum Episcopi in unaquaque ecclesia, de qua loquitur Tridentinum, deputatur, & erigitur, quod supponitur in dubiis infra enucleandis.

2 Quæritur primo, an præbenda primo vacatura constituta per Tridentinum, seu erecta per decretum Episcopi pro officio Theologi vacet in mense Sedi Apostolicæ reservato; Super hoc puncto usque *ab anno* 1581. Sacra Congregatio ad preces Episcopi Majoricensis, cui mandaverat, quod ex tunc erigeret officium lectoriæ, quodque illi applicaret primos canonicatum, & præbendam vacaturos, *censuit talem deputationem, & constitutionem non habere locum in canonicatibus, & præbendis Sedi Apostolicæ reservatis, ita habetur in Majoricen. 1581. ad primum, Feltren. 10. Octobris 1596. lib. decret 8. fol. 192. ad quartum ibi = censuit esse respondendum, si in mensibus Apostolicis præbenda vacaverit, collatio beneficii ad Sanctissimum spectabit, si vero in mensibus ad inferiores collatores spectantibus, tunc electio personæ ad Episcopum spectabit, collatio ad eos, ad quos ante Concilium pertinebat Oscen. die 24. Aprilis 1597. & die 22. Februarii 1618. ibi = censuit teneri Archiepiscopum præbendam theologalem erigere, sed eam erectionem effectum non sortiri, si præbenda ipsa vacaverit in mense Sedi Apostolicæ reservato, & die 23. Decembris 1623. ibi = censuit cap. 1. sess. 5. non comprehendere canonicatus, & præbendas vacantes in mensibus Sedi Apostolicæ reservatis Antuerpien. 15. Julii 1645.*

3 E' contra eadem Sacra Congregatio variasse videtur *in Cusentina die 7 Aprilis 1592. lib. 7. decret. fol. 58., & lib. 8. fol. 42., dixit*

dixit enim scribendum ad Episcopum competere ipsi facultatem erigendi præbendum primo vacaturam in theologalem vigore decreti Tridentini cap. 1. sess. 5.; *Itaque eam quamprimum non expectata erigat vacatione, qua eveniente etiam in mense Sedi Apostolicæ reservato unio per eum facta officio theologali suum sortiretur effectum*; Porro si unio suum non debet sortiri effectum, præbenda theologalis non vacat in Curia, etiamsi per obitum vacet in mense Apostolico, nam si vacaret in Curia, deputatio Episcopi effectum suum non sortiretur, *ut in Majoricen, Feltren.*, *& in*

4 *aliis*; Immo præbenda theologalis non vacat in Curia, nec extra, quia deputatio Episcopi, prout unio est, impedit vacationem *Gloss. in Clementina frequens § quidam etiam ecclesias verbo mensa de exess. Prælat. Rebuff. in prax. tit. de union. num. 12. in fin.*, *Oldrad. cons. 257. num. 12. in fin.*, *Rot. decis. 419. num. 2 coram Lodovis.*

5 Clarius ex decreto Tridentini *d. cap. 1. sess. 5.*, in quo tantum excipitur præbenda vacans ex causa resignationis, & ea, quæ habet onus aliquod incompatibile cum officio theologali, ergo à contrario sensu præbenda, quæ vacat præter causam resignationis, nec habet onus incompatibile, sub decreto Tridentini comprehensa censetur, argumentum enim à contrario sensu in jure validissimum est, & rem ad evidentiam probat *l. 1. ibique Gloss. ff. de offic. ejus*, *Gloss. in can. quicumque distinct. 19.*, *Gloss. in can. ex eo 15. quæst 3 in princip.*, & consequenter vacat officio theologali, cui tamen ex Tridentini decreto, quam Episcopi deputata, constituta, & unita intelligitur, adeo ut electio personæ theologi, quæ spectat ad Episcopum, trahat secum collationem præbendæ, quæ ejus officio annexa est *Gloss. & DD. in cap. super eo de præben. in 6.*

6 Quid ergo in hac re erit resolvendum? Respondeo præbendam theologalem vacantem in mense Apostolico vacare in Curia, ejusque provisionem pertinere ad Papam cum onere tamen eam conferendi canonico, seu alteri, qui debitis temporibus valeat, & possit sacras lectiones explere, quod facile admittitur, decet enim integram remanere dispositionem conciliarem, & deputationem Episcopi, præsertim si facta sit de mandato Sacræ Congregationis Concilii, & ita procedit resolutio *in d. Cusentina*.

7 Et quamvis ibidem dicatur, quod deputatio Episcopi sit unio, non tamen impedit vacationem, prout in beneficiis unitis, quoniam unio, quæ ex causa fit Capitulis, & Monasteriis, impedit vacationem propter tituli suppressionem, & ita loquuntur jura citata. At in hoc casu præbenda primo vacatura relinquitur in eo statu vacationis ut prius, & dumtaxat adjicitur, ut is, qui de ea providebitur, decoratus esse debeat qualitate theologali, idcirco sicuti præbenda

8 vacat in mense Papæ, ita etiam vacat in mense Episcopi, & ad ipsum pertinet collatio, *Sacra Congregatio in Luceorien. 27. Aprilis 1595. censuit erigendam esse ab episcopo præbendam theologalem, erectionemq. in ea tantum præbenda esse locum habituram, quæ primo vacaverit in his, quæ ad Episcopi collationem spectabunt*.

9 Quæritur secundo, an, & quo jure privandus sit Canonicus theologus, qui non residet, & Sacras lectiones debitis temporibus non peragit; Duæ sunt super hoc puncto resolutiones inter se difformes, nam *in Placentina 29. Martii 1607. Sacra Congregatio censuit canonicum præbendam theologalem obtinentem posse quidem compelli, ut per se, & non per substitutum muneri suo satisfaciat, quod si in residendo se præbuerit contumacem, debere Episcopum adversus eum procedere ad præscriptum Concilii Tridentini cap 12. sess. 24. & pro eo tempore, quo cessante causa legitima, & justo impedimento absuerit, debere Episcopum alium ejusdem canonici sumptibus substituere, qui ejus vicem interim suppleat*.

10 Deinde *in Oxomen. die 6. Novembris 1607. ad secundum, & tertium* oppositum resolvit, videlicet non juxta Tridentini decretum, sed juxta dispositionem juris adversus canonicum theologum, qui non residet, nec officium suum implet, esse procedendum ibi = *ad secundum respondit Episcopum procedentem adversus obtinentem præbendam theologalem, quia sacras lectiones debitis temporibus non haberet, non teneri ea servare temporum intervalla, quæ servanda sunt ex decreto Tridentini cap. 12. sess. 24.*, *quoties proceditur ob non residentiam, vel omissionem servitii in divinis, sed posse vel per sequestrationem, vel alia ratione etiam ad privationem adversus eum procedere*, quodque clarius habetur ad tertium ibi = *Posse etiam ad privationem juxta formam juris*.

11 Mihi tamen placet hæc secunda resolutio, tum quia posterior est, tum etiam quia non congruit huic casui dispositio conciliaris *in d. cap. 12. sess. 24.*, ibi enim agitur simpliciter contra canonicum non residentem, hic contra canonicum, & theologum insimul, qui muneri suo non satisfacit, ibi cogitur canonicum residere ratione tituli, hic theologum ratione officii, & sic materia est mixta, quæ proinde non continetur sub decreto Tridentini *d. cap. 12. sess. 24.* simpliciter loquente de canonicis non residentibus; Præterea verius censeo Episcopum ad privationem præbendæ theologalis posse procedere juxta dispositionem juris, *ut in d. Oxomen. ad secundum & tertium, Castellaneten. 19 Julii 1698. lib. decret. 48. fol. 350. ibi = audita relatione episcopi censuit canonicum theologum teneri ad legendum, & compelli posse juris remediis*.

12 Notandum tamen est in hac re, quod quandoque magis expedit, ut canonicus resideat pro servitio ecclesiæ, juribus capituli, quam ut munus lectoriæ exerceat, quod relativè ad circumstantias facti, & temporum potest

esse verum, licet simpliciter loquendo magis utile sit ecclesiæ sacram scripturam interpretari, & exponere *cap. quia nonnullis cap. super specula de Magistr.*; Hoc posito, ne in decretia Sacræ Congregationis adsit contrarietas, utraque resolutio potest sic conciliari; aut Episcopus procedit contra canonicum simpliciter non residentem, ut redeat pro servitio ecclesiæ, utilitate, & juribus capituli cum similibus, tunc procedit resolutio *in d. Placentina*, quoniam contra canonicos non residentes servanda est forma Tridentini *d. cap. 12. sess. 24. cum relatis in capitibus antecedentibus*; aut Episcopus procedit contra theologum, ut ad ecclesiam revertatur, ibique expleat sacras lectiones, tunc vera est resolutio *in d. Oxomen.*, satis scilicet esse servare dispositionem juris; & quidem mihi videntur discreta jura in hac re, aliud enim est procedere contra canonicum simpliciter non residentem, aliud contra canonicum non legentem *l. Papinianus ff. de minor.*

13 Quæritur tertio, an sit necessaria monitio ad depositionem, vel sit aliquod tempus præfixum, cujus lapsu possit canonicus lector privari nulla præcedente monitione; *Sacra Congregatio in d. Oxomen. ad quartum respondit necessariam quidem esse monitionem*, quod de jure certum est *per ea, quæ tradunt Canonistæ, in cap. ex tuæ de cleric. non residen.*, sed quoad secundam dubii partem nullum dedit responsum, & merito, quia contra canonicum lectorem nullum de jure definitum est tempus, cujus lapsu lector sit privatus, vel privandus, sed caveri debet,

14 prout cautum habetur in ecclesiis metropolitanis, & cathedralibus regnorum *Legionis, & Castellæ* in Hispaniis, in quibus duo sunt graduati, quorum alter in theologia, alter in jure canonico, uterque tenetur residere in dd. ecclesiis sub pæna privationis ipso jure, si unus, vel ambo sine licentia Episcopi, & Capituli intra mensem vel continuum, vel interpolatum se absentaverint ex Constitutione Leonis X., de qua testatur *Garz. de benef. part. 5, cap. 1. num 225.*

15 Denique in eventum depositionis lectoris si quæras quomodo Episcopus se gerere debeat, prout id quæsivit Episcopus Oxomensis, facilis est responsio Episcopum posse conferre præbendam vacantem per privationem *d. Oxomen. ad 5.*, quæ resolutio nullam habet juris dubitationem, si depositio lectoris ab Episcopo in suo mense facta sit.

16 Dubii tamen juris est, si depositio lectoris facta sit ab Episcopo in mense Apostolico, prima opinio affirmat spectare ad Episcopum, quia ubi facta est privatio, ibi vacat beneficium *Rot. decis. 71. de præben. in antiquis*, præsertim si in loco persona sit, quæ ab officio deponitur *Gomez. ad regul. de impetran. benef. per obitum familiar. Cardinalis quæst. 7. in fin.*; Secunda opinio negat, quoniam *regula* 8. *Cancellariæ* sibi reservat omnia beneficia quomodocumque, & qualitercumque vacantia in mense Apostolico, quæ verba ita ampla & effrænata, comprehendunt etiam vacationem ob depositionem *Rot. decis. 599. num. 3. part. 18. recen.* Ergo præbenda theologalis, quæ ob depositionem vacat in mense Apostolico, vacat in Curia, quod mihi verius videtur, nam beneficia, quæ per matrimonium, militiam vacant in mense Apostolico, sunt sedi Apostolicæ reservata *ex dictis in cap. 3. de vacat. ob matrim. lib. 1.*

17 Cæterum caveat Episcopus conferre præbendam theologalem, antequam vacet, nam nullus præter Papam potest dare jus ad beneficia vacatura *Joannes Andreas in cap. bi qui num 1. de præben. in 6.*, alioquin collatio est ipso jure nulla *ex mente Sacræ Congregationis sub die 21. Martii 1596. ibi = censuit provisionem præbendæ adhuc non vacan-*

18 *tis minime esse validam*; & consequenter præbenda theologalis nulliter collata ab Episcopo vacat ut prius, vel in mense ipsius, vel in mense Apostolico pro effectibus jam dictis.

A D D I T I O.

S U M M A R I U M.

1 Ubi pensio, seu stipendium jam assignatum est pro Theologo, non est opus erigere præbendam Theologalem.

2 Contra canonicum Theologum, qui muneri suo non satisfacit, procedendum prius est per subtractionem fructuum.

3 Canonicus Theologus fructus ob privationem amittit, etiamsi redierit.

4 Canonicus Theologus crescente contumacia juxta formam juris pensione, & stipendio privandus est.

5 Canonici legentes Sacram Theologiam in publica universitate de licentia Episcopi faciunt fructus suos, secus distributiones quotidianas, si non intersint.

6 Canonici lectores in ecclesiis metropolitanis, & cathedralibus faciunt fructus suos, si resident, & lucrantur distributiones, dum legunt, etiamsi divinis non intersint.

7 Canonici lectores extra tempus lectionis distributiones quotidianas amittunt, ubi de ratione.

1 Si pensio pro canonico lectore super aliqua præbenda ab Episcopo cum assensu capituli ante Concilium reservata sit, non est necesse erigere præbendam theologalem, prout alias de stipendio Sacra Congregatio rescripsit *in Barchinonen 14. Martii 1598. ibi = censuit, si stipendium pro lectore Sacræ Theologiæ jam ante Concilium fuit, ut præponitur, in cathedrali deputatum, non esse necesse ex decreto ejusdem Concilii erigere præbendam theologalem*, à pari enim in hac re procedit pensio cum stipendio, & è contra.

2 Quærea, an quando contra canonicum lectorem, qui muneri suo non satisfacit, procedendum sit? Respondeo prius esse procedendum

dendum per subtractionem fructuum pensionis, aut stipendii, ut literaliter disponitur *in cap.1. sess 5.*, *& habetur in Casalen. die 15. Novembris* 1618. *Avenionen.* 14. *Novembris* 1699. *lib. decret.*49. *fol.*381. *ibi = Audita relatione Archiepiscopi censuit injungendum, prout præsentis decreti tenore injungit eidem Archiepiscopo, ut cogat canonicum theologum ad legendum etiam per subtractionem fructuum ad formam Sacri Concilii.*

3 Ex quo infero, quod si post lapsum temporis in citatione præfixum canonicus lector redierit ad ecclesiam, quamvis pensione, aut stipendio non sit privatus, nec privandus, fructus tamen interim decursos ob privationem amittit *l. ex causa ff. de re militar ibi = notatus, & restitutus temporis, quo in desertione fuerit, stipendiis expungitur l.1. cod. de re militar. lib.*12. *Gloss. in can. contumaces distinct.*50.

4 Deinde crescente contumacia potest Episcopus procedere ad privationem pensionis, vel stipendii juxta formam juris *l.3. §. qui militiæ ff. de re militar. ibi = qui militiæ tempus in desertione implevit, emerito, idest stipendio privatur*; & in sequelam tam de jure, quam de facto ob privationem pensio lectoris extinguitur, & stipendium cessat.

5 Obiter hic notandum est, quod canonici legentes sacram theologiam in publica universitate percipiunt fructus suarum præbendarum cum hac differentia, quod in civitate possunt legere sine licentia Episcopi, extra civitatem, idest extra locum residentiæ requiritur Episcopi assensus, sed distributiones quotidianas amittunt, si divinis non intersint *Conimbrien. die* 13. *Aprilis* 1592. *lib.*8. *decret. fol.*120., in qua Sacra Congregatio *censuit docentes jus canonicum in publica universitate privilegiis de percipiendis in absentia suarum præbendarum fructibus gaudere, & potiri, quamvis præbendæ, quas obtinent, sitæ sint in cathedralibus ejusdem civitatis, in qua publice lectoris munere funguntur, & die* 10. *Martii* 1592. *censuit canonicos obtinentes in publica universitate cathedram theologiæ pro die, quo legunt, distributiones quotidianas, nisi divinis interfuerint, non lucrari*, idem respondit *in Nullius* 10. *Februarii* 1597. *canonicos scilicet de Episcopi licentia legentes jus canonicum, vel sacram theologiam, vel eisdem per quinquennium operam dantes in publica universitate, dum propterea absunt, fructus suorum canonicatuum percipere debere, non autem distributiones quotidianas, & si omnes reditus cathedralium, seu collegiatarum ecclesiarum in distributionibus quotidianis consistant, utique eos quoque lucrari debere, dimissa tamen una ex tribus partibus, quæ inservientibus accrescit*, idem habetur in *Nullius* 27. *Februarii* 1597.

6 E' contra canonici lectores, si resident in ecclesiis metropolitanis, & cathedralibus, non solum fructus suarum præbendarum percipiunt, quod certum est apud omnes ex *cap. cum omnes de constit. tot. tit. de cleric. non residen.*, verum etiam lucrantur distributiones pro tempore, quo legunt, *ita habetur in Brixien* 27. *Aprilis* 1595. *ibi = censuit Sacra Congregatio dandas esse literas pro theologo, ut eo die, quo legit, percipiat distributiones quotidianas, etiamsi divinis non interfuit Mediolanen.* 11. *Maii* 1630. *censuit oratori ex munere suæ præbendæ privatim in sacristia legenti tempore lectionis distributiones quotidianas petitas esse tribuendas*; Hoc enim privilegium est solius canonici præbendam theologalem obtinentis, *ita censuit Sacra Congregatio die* 10. *Martii*

7 1592., ergo canonici lectores extra tempus lectionis distributiones amittunt, si divinis non interfuerint, & ratio clara est, quia, dum legunt, habentur pro interessentibus, dum non legunt, non habentur *Nicoreten. Novembris* 1586., in qua *Sacra Congregatio* ad dubium, an canonicus lector habeatur pro præsente *respondit negative, nisi pro tempore, quo legit, Anagnina* 16. *Decembris* 1646. *ibi = censuit theologum lucrari non debere distributiones quotidianas, nisi à die, quo legit, non autem die præcedenti.*

ARGUMENTUM.

AN Vicarius Capitularis possit ad placitum Capituli ab officio amoveri, & salario privari ob negligentiam administrationis jurium Episcopatus, & justitiæ *ad interpret. Tridentini sess.*24. *cap.*16.

SUMMARIUM.

1 Vicarius capitularis sine justa causa non potest à capitulo amoveri ex resolutione Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium.

2 An vicarius capitularis possit ad placitum capituli amoveri, resolutiones Sacræ Congregationis Concilii difformes num.3.

4 Electio vicarii capitularis dupliciter fieri potest, & conciliantur resolutiones num.5.

6 Officium vicarii licet temporale per amotionem vacat, ubi de ratione.

7 Ecclesia vacat non solum, ubi deest pastor, sed etiam ubi caret ministris.

8 Ob

8 Ob amotionem factam à Sacra Congregatione ex causa suspicionis vacat officium vicarii, ubi casus, & resolutio.
9 Administratio rei suspecto est auferenda.
10 Vicarius capitularis debet esse insignitus qualitate doctorali in jure canonico, aliter ejus electio cassatur.
11 Per cassationem vacat officium vicarii.
12 Electio vicarii capitularis potest fieri ad certum tempus, quod improbatur à Sacra Congregatione.
13 Electio vicarii capitularis ad tempus de consuetudine potest tolerari, ubi de ratione.
14 Post lapsum temporis vacat officium vicarii.
15 Limita causa limitatum producit effectum.
16 Vicarius capitularis ob perpetuum morbum officio privandus est, & ob privationem officium vacat.
17 Vicarius capitularis non residens, & vagus ab officio est amovendus.
18 Ob captam possessionem Episcopatus vacat officium vicarii capitularis.
16 Quid si Episcopus post adeptam possessionem Episcopatus vicarium generalem non deputet?

C A P U T XI.

1 Ontraria super hoc puncto amotionis vicarii capitularia ab officio decreta emanarunt ab utraque Sacra Congregatione, tum Episcoporum, & Regularium, tum etiam Concilii Tridentini, & quidem Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium negotiis præposita pluries censuit vicarium capitularem pro bono regimine ecclesiarum eligi debere pro toto tempore sedis episcopalis vacantis, nec posse, nisi ex justa causa amoveri, *ut testatur Fagnan. in cap. bis, quæ num.71. de majorit.& obedien.*& refert decreta *Nicolinus in verbo vicarius capitularis num.54. 59.*, *Monacell formular.legal.for.ecclef.par.1.tit.1. formular.2. num.14.*

2 At Sacra Congregatio Concilii etiam in suis resolutionibus visa est contraria in hac re decreta pronunciasse, nam ad dubium, an capitulum ad ejus libitum vicarium alias per ipsum electum, seu confirmatum juxta dispositionem Tridentini possit amovere, respondit *posse, dummodo intra octo dies alium constituat, ita habetur in Panormitana lib.1.decret.fol.163.*, *Taurinen lib.7 decret. fol.48.ibi = ad primum* Congregatio *respondit licere capitulo sede episcopali vacante revocare ad libitum vicarium à se constitutum, dum tamen intra octo dies alium constituat Goana 16 Januarii 1644. lib.17. decret. fol.274 ibi = censuit dandas esse declarationes, quod capitulum possit ad libitum amovere vicarium capitularem ab ipso electum, vel confirmatum, dummodo intra octo dies alium eligat.*

3 Deinde *in Leopolien electionis vicarii capitularis die 14. Januarii 1736. ad secundam dubium*, an scilicet sit locus remotioni, respondit *negativè*, licet ad primum super validitate electionis vicarii capitularis *affirmativè* pronunciaverit,

4 Verum decet pro veritate scribentem, quantum fieri potest, resolutiones Congregationum inter se difformes concordare. Sciaa itaque electionem vicarii capitularis dupliciter fieri posse, vel simpliciter, vel pro toto tempore vacationis; primo casu capitulum potest vicarium capitularem ad placitum amovere, quia hujusmodi officium ad nutum de jure est amovibile *Gloss.in Clementin.2.vers.per electionem de rescriptis*; deinde vicarius capitularis tamquam minister capituli fungitur ejus nomine exercitio jurisdictionis, quæ in ipsum transit sede episcopali vacante *Sorozz de offic.vicar.lib.1.quæst.16. num.6.& seqq. Pignatell.consult.159. num.3. tom.9. Pax. Jordan. tom.2. lucubrat. lib.12. tit.2 num.34.*, *Quaranta in summ.Bullar. in verbo capitulum sede vacante num.4. Garz. de benef par.5. cap.7 num 28.29.*, ergo capitulum potest vicarium ad placitum removere ab officio, & ita intelligendæ sunt resolutiones Sacræ Congregationis Concilii *in Panormitana, Taurinen, Goana, de quibus supra.*

5 Secundo casu Vicarius capitularis non potest amoveri, nisi ex justa causa, idque ex mente, & facto capituli eligentis pro toto tempore vacationis, nam qui eligit perpetuo, dum simpliciter eligere poterat, legibus amovibilitatis renunciare censetur *l. si quis in conscribendo Cod. de pact.*, *l. si judex 41. ff.de minor.*, hoc casu veræ sunt resolutiones Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, ita etiam loquitur *Leopolien electionis vicarii capitularis*, ut constat ex folio, & relatione Nuncii Poloniæ, qui de hac mente capituli testatur.

6 Hinc ad rem nostram officium vicarii capitularis, licet sit temporale, per amotionem vacare dicitur, quia vicariatus dignitas est, & Episcopum repræsentat, immo vicarius capitularis sede episcopali vacante major est Generali sede plena, dum gerit vices Episcopi in regimine rerum spiritualium, & temporalium, nilque differt à priore obedientiario, ob cuius amotionem prioratus vacat; & quamvis vicarius capitularis perpetuus non sit, tamen quoad hoc satis est, quod talis esse possit *Gloss. in Clement.2. vers.per electionem de rescript.*, neque enim
7 dumtaxat vacat ecclesia, cui deest pastor, sed etiam cum caret ministris *Gloss.in cap.ut circa vers.vacent.de elect in 6.*

8 Item vacat, si Sacra Congregatio alium deputat, vel capitulum de ejus mandato alium eligit, forte quia vicarius capitularis est suspectus pro causis clericorum in Tribunali Curiæ Episcopalis pendentibus, ita Joannes Baptista præsbiter assisiensis exponens electum dudum fuisse in vicarium capitularem Hieronymum Mazlicchi priorem cathedralis ecclesiæ sibi aperte inimicum, ejusque electionem fuisse nullam, quia facta fuerat

viva

viva voce, & deinde per schedulas, sed non complicatas, neque in urna positas, petiit vel declarari nullam eam lem electionem, vel saltem sibi deputari alium judicem pro suis causis, unde propterea Sacra Congregatio ad secundum dubium, an sit locus petitæ deputationi alterius judicis *respondit locum esse, & injungendum capitulo, ut deputet alium judicem juxta petita*, licet ad primum electionem validam fuisse pronunciaverit, *ita habetur in Assisien.* 11.*Maii* 1669.*lib.*26.
9 *decret. fol.*22., & hujus resolutionis ratio est, quia administratio rei, cujus quis est suspectus, de jure aufertur *Gloss. in l. fidejussor. vers. officium ff. quis satisdare cogantur*.
10 Item ex Tridentino Vicarius capitularis debet esse insignitus qualitate doctorali in jure canonico, aliter ejus electio cassatur, irritatur, & annullatur *Clusina* 21. *Februarii* 1682. *lib.*32. *decret. fol.* 142. *ibi = attenta relatione moderni Archiepiscopi Senensis Sacra Congregatio benignè commisit eidem, ut veris existentibus narratis electionem vicarii capitularis ecclesiæ cathedralis Clusinæ factam in personam Camilli Nardi casset, irritet, & annullet, illiusque loco alium idoneum habentem requisita Sacri Concilii Tridentini in eodem munere vicarii prædictæ ecclesiæ eligat, deputet, ac præficiat*; Sane cassatio, irritatio, & annullatio electionis supponunt jus aliquod in electo, licet contra decretum Tridentini electio vicarii facta sit; ergo
11 per cassationem, irritationem, & annullationem vacat officium vicarii *cap. cum nobis de elect., cap. bonæ memoriæ eodem tit., cap propofuit ibique Gloss. verbo cassationem de concess præbend. l.* 1. §. 1. *ibique Gloss. vers. infirmabitur ff. de feriis*; *Archidiaconus in cap. non solum de appellat. in* 6. *& alibi*.
12 Item electio Vicarii capitularis potest fieri à capitulo ad certum tempus, *ut tradunt Quaranta in summ. Bullar. verbo capitulum num.*4. *Garz. de benef part.*5. *cap* 7., *Ventrigl. in praxi part.*2. *annot.*15. §.2. *num.*18. *&* 19., & quamvis modum eligendi vicarium capitularem cum hisce restrictionibus improbet Sacra Congregatio *teste Nicolio in flosc. verbo vicarius capitularis num.* 59.,
13 nihilominus hujusmodi electio de consuetudine potest tolerari, quia nihil de jure definitum est, ut electio vicarii capitularis debeat esse pura, immo ratio dictat oppositum, nam vicariatus sede Episcopali vacante officium est, quod dari potest ad tempus
14 *ex auctoritatibus mox relatis*, idcirco post lapsum temporis vacat officium vicarii, quia post dictum tempus jurisdictio judicis expirat *cap. de causis de offic. judic. delegat.*,
15 & facit, quod limitata causa limitatum producit effectum *l. in agris ff. de acquiren. rer domin. l.*2. *ff. de his quæ testamen. delen. l. age cum Geminiano Cod. de transact.*
16 Ulterius Vicarius capitularis, qui perpetuo, vel tali morbo laborat, qui impedit causas audire, & jus suum unicuique reddere, officio privandus est, & alius idoneus habens requisita Tridentini est subrogandus, & in sequelam ob privationem, & alterius electionem officium hujusmodi vacare certi juris est *ex l. si longius ff. de judic. ibi = si longius spatium intercessurum erit, quo minus judex datus operam possit dare, mutari eum jubet Prætor, hoc est, si forte occupatio aliqua judicem non patiatur operam judicio dare, incidente infirmitate l. judex ff. eodem ibi = judex datus in eodem officio permanet, licet furere cœperit, quia rectè ab initio judex addictus est, sed judicandi necessitatem morbus sonticus remittit, ergo mutari debet l. si quos Cod. de offic. Præfect. orientis*.
17 Denique Vicarius capitularis non residens, vel vagus extra diæcesim exercitio jurisdictionis privatus est *l.*3. *ff. de offic. præsidis ibi = si excesserit, privatus est, l final ibique Gloss. ff. de offic. præfect. urb.*, & ab officio per capitulum amoveri debet, cum judicare non possit, ac per consequens, si capitulum alium deputet, officium hujusmodi statim vacat *cap. ex literis cap. gravem de excess. Prælat. cap. propofuit ibique Gloss vers. vacare de concess. præben.*
18 Et quamvis post promotionem Episcopi factam à Papa in concistorio officium vicarii capitularis vacare censeatur, dum Episcopus post promotionem aquirit potestatem jurisdictionis *cap. nosti, cap. transmissam utrobique Gloss. & DD. de elect.*, nihilominus verius est non vacare, nisi post adeptam possessionem episcopatus *juxta text. in extravag. injunctæ de elect.*, quia tunc sedes episcopalis non est amplius vacans, *ut de com muni testantur Pavin. de potest. capitul. sede vacant. quæst.*10. *num.*10., *Novar. in summ. Bull. par.*1. *tit. de capitulo sede vacan num.*40. *vers. ult. Gonzalez. ad reg.*8. *cancellar. Gloss.*15. §.2. *num.*88., *apud quos concordan.*
19 Quid ergo, si Episcopus forte absens post adeptam episcopatus possessionem vicarium generalem non deputet? Respondeo officium vicarii non vacare, nisi post adventum Episcopi, idque propter utilitatem clericorum, & civium, quibus Episcopo absente justitia facilius administratur, *l. meminisse ff. de offic. proconsul. ibi = meminisse oportebit usque ad adventum successoris omnia debere proconsulem agere, cum sit unus proconsulatus, & utilitas provinciæ exigat esse aliquem, per quem negotia sua provinciales expliceant; ergo in adventum successoris debet jus dicere Gloss. ibidem*, quæ sic ait *ibi = sed dic, quod non dicitur finitum officium, nec dicitur privatus, donec successor advenerit, & ipse sciverit l. si forte ff. de offic. Præsid.*, ubi quod interim gesta valent; voluntas enim Episcopi ea esse videtur, ut vicarius capitularis in officio continuet, donec alter ab ipso deputetur, eligatur, ac præficiatur.

ADDI-

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Vicarius capitularis habet jus petendi salarium, quod debetur *juxta solitum* ecclesiæ.
2 Emolumenta obventa tempore sedis vacantis restituere tenetur successori, ubi resolutiones.
2 Vicarius capitularis negligens in officio salario pro tempore negligentiæ est privandus.
4 Vicarius capitularis pecunia corruptus, vel aliter male judicans in totum salario est privandus, ubi de ratione.

1 Vicarius capitularis pro eo tempore, quo officium exercuit, habet jus petendi salarium, quod tamen debetur non juxta qualitatem personæ, sed juxta solitum ecclesiæ *Ostunen. procurationis, & residentiæ 28. Julii 1708. ad tertium, Tranen, de qua infra.*

2 Cætera autem emolumenta jurisdictionis sede vacante spectant ad successorem in Episcopatu *Guardien. 6. Maii 1690. lib.40 decret. fol* 331., in qua cum tunc temporis Episcopus, cui Vicarius capitularis renuebat solvere fructus Cancellariæ sede Episcopali vacante maturatos, supplicasset injungi eidem Vicario, ut præfatos fructus eidem traderet, & consignaret, *Sacra Congregatio censuit danda esse decreta alias de hac re edita, & signanter in una Agrigentina* 17. *Aprilis* 1627. *tenoris sequentis, Sacra &c. censuit emolumenta tempore vacationis sedis Episcopalis obvenientia ex jurisdictione, & sigillo, aut alias undequaq. neque ad Vicarium spectare, sed deberi futuro successori reservari, si ad Episcopum, ecclesia non vacante, pertinuissent, Tranen.* 13. *Novembris* 1694. *lib.*44. *decret. fol.*529. *ibi = censuit dandam, & servandum esse decretum hac de re editum in Messarien. Januarii* 1587. *ad tertium dubium tenoris sequentis; Emolumenta vacationis tempore obvenientia ex jurisdictione, & sigillo, aut alias undecumq. neque ad capitulum, neque ad Vicarium spectare, sed deberi futuro successari reservari, si ad Episcopum, ecclesia non vacante, pertinuissent; Ex his tamen emolumentis deducendum est salarium rationabile Vicario constituendum.*

3 Hujusmodi autem salario dupliciter privatur vicarius capitularis, primo si negligens fuerit in officio, & administratione jurium Episcopatus vacantis, quod tamen intelligendum est pro tempore negligentiæ dumtaxat, & non ultra *l. judices cod. de annon. & tribut. lib.*10. *ibi = Judices, quos circa profliganda ærarii nostri compendia negligentes, ac desides fuisse constiterit, omnia, quæ in administratione positi perceperunt emolumenta, reddere compelluntur*, quod etiam notat *Bartolus ibidem*.

4 Secundo Vicarius capitularis pecunia corruptus, vel aliter male judicans in totum salario est privandus *Bald. in l. mancipia cod. de servis fugitiu. Alexand. in l. si Judex ff. de var. & extraordinar. cognit.*; *Angelus in l. fi. vacantia cod. de bonis vacant. lib.* 10., quod ratio suadet, nam Judex, cui subtrahitur officium, beneficio, idest stipendio etiam carere debet *Gloss. in cap. final. vers. datur de rescript. Gloss. in can.*2. *circa med. distinct.*73.

ARGUMENTUM.

AN Vicarii ad curam animarum deputati possint ad nutum Episcopi, Capituli, & Monasterii amoveri, ac ex causa in totum, vel in parte congruà privari; & quando hujusmodi Vicariæ vacent, vel non pro effectibus juris *ad interpret. Trident. sess.* 7. *cap.* 7., *& Constit.* 47. *Pii V.*

SUMMARIUM.

2 Vicariorum duplex species.
2 Vicarii deputati in parochialibus ecclesiæ collegiatæ unitis sunt amovibiles ad nutum Episcopi, & Capituli.
3 Vicarii deputati ut supra possunt à capitulo ad nutum amoveri, secus ab Episcopo, & de differentia num.4.
5 Semel approbatus non potest amplius reprobari, nisi ex causa.
6 Vicarii deputati à capitulo ad nutum non possunt ab Episcopo amoveri, nisi ex causa legitima, & pati, qua privantur vicarii perpetui.
7 Quoad amotionem, quæ fit ab Episcopo, non differt vicarius temporalis à perpetuo.
8 Amotio, seu amovibilitas spectat ad eum, ad quem spectat nominatio.
9 An vicariæ vacent in Curia, distinguitur.
10 Vicariæ perpetuæ non differunt à beneficiis ecclesiasticis.
11 Vicariæ unitæ monasteriis non vacant, ubi resolutio Sacræ Congregationis.

CA-

C A P U T XII.

1 Icarii curam animarum habentes dupliciter possunt considerari, alii enim deputantur à capitulo, seu monasterio in parochialibus ecclesiæ collegiatæ, & regulari unitis, & hi semper sunt, nisi aliud caveatur, amovibiles ad nutum, alii vero deputantur ab Episcopo, & sunt amovibiles, vel perpetui arbitrio ipsius *ex Trident. sess.7. cap.7.*

2 Quoad primam vicariorum speciem respondit Sacra Congregatio *in Consan. Novembris 1585. vicarios etiam temporarios non posse in parochialibus ecclesiæ collegiatæ unitis deputari, nisi prævio examine, & approbatione D. Patriarchæ, sive ejus vicarii ex Trident. sess.7. cap.7., & constitut.47. Pii V. & sic deputatos posse ad nutum capituli, nec non ab ipso quoque ordinario amoveri; Illud tamen esse observandum, ut deputatorum amotio non fiat, nisi postquam à capitulo eorum loco, qui amoventur, alii nominati fuerint, & ab ordinario, ut supra, approbati Aquilejen. 8. Augusti 1607. lib.17. memorialium fol.173. ibi=censuit vicarios etiam temporaneos non posse in parochialibus ecclesiæ collegiatæ unitis deputari, nisi prævio examine, & approbatione D. Patriarchæ, sive ejus vicarii juxta decretum in cap.7. sess.7. Concilii Tridentini, & constitutione 47.*
3 *Pii V., & sic deputatos posse ad nutum capituli, nec non ab ipso quoque ordinario ex causa amoveri, observandum tamen esse, ut amotio deputatorum non fiat, nisi postquam à capitulo loco illorum, qui amoventur, alii nominati fuerint ab ordinario, ut supra, approbati, aut donec à capitulo alius nominetur per ordinarium approbandus.*

4 Discrepat tamen prima resolutio ab hac secunda, quod in prima Episcopus potest vicarios ad nutum amovere, at in secunda id Ordinario permittitur ex causa; tamen in hac re mens Sacræ Congregationis ea semper fuit, ut in Episcopo requiratur causa, & justa quidem ratione, nam Episco-
5 pus, quem semel idoneum approbavit, non potest amplius reprobare, nisi nova emergat causa, pro qua approbatus ad curam debeat reprobari *ad text. express. in cap. accepimus ibique Gloss. in verbo reputari de ætat & qualit., Gloss. in can. in istis vers. non licebit distinct.4., Gloss. in can dilectissimi vers judicari 8. quæst.2. can. horrendus ibique Gloss. caus.32. quæst.5.*, & clarius habetur *in Civitaten. 20. Novembris 1585. lib.17. memo-*
6 *rial. fol.158. ibi = Congregatio Concilii respondit ad primum non posse vicarios ad nutum capituli deputatos in ecclesiis, de quibus agitur, amoveri ab ordinario, nisi ex causa legitima, atque probata, per quam, etiamsi perpetui essent, possent privari.*

7 Ita ergo respectu hujus amotionis, quæ quandoque fit ab Episcopo, nil differt vicarius temporalis à perpetuo, nam sicuti perpetuus de jure non potest amoveri, nisi ex causa rationabili *cap 1. ibique Gloss., & DD. de capell. monac. in 6.*, ita vicarius temporalis à capitulo ut supra deputatus.

8 E' contra in amotione respectu capituli nominantis causa non requiritur, nam amotio, seu amovibilitas spectat ad eum, ad quem spectat nominatio *Asculana 13. Novembris 1655.*

9 Quo vero attinet ad secundam, an scilicet vicariæ ab Episcopo erectæ vacent in Curia, vel extra ad omnes juris effectus, distinguendum est inter vicarias perpetuas, & temporales, nam *ex Tridentino sess. 7. cap.7.* Episcopus vicarios in ecclesiis parochialibus uno, vel alio modo potest deputare; primo casu vicariæ vacant in Curia, si vacant in mense Apostolico, cum obligatione capiendi provisionem Apostolicam, sol-
10 vendi annatam, & his similia, nam vicariæ perpetuæ, quæ conferuntur in titulum, regulantur ad instar beneficiorum, adeo ut ea, quæ disposita sunt in beneficiis, etiam in istis vicariis procedant *Fagnan. in cap. ex parte num.19. de offic. vicarii Garz. de benef. part.9. cap.2. num 286. Oldrad. consf.67. num 2. Spada cons.147. num 2. lib.3.* secundo casu nullo modo vacant, quia vicariæ temporales nullum dant jus vicario deputato ad curam ecclesiarum parochialium *Clementina unic. ibique Gloss. & DD.*
11 *de offic. vicar.*; Quod fortius procedit in vicariis unitis Capitulo, vel Monasterio, in quibus non possunt ab Episcopo deputari, nisi vicarii amovibiles ad nutum nominantium, *ut expresse habetur in Cremonen. ex lib.17. memorial. fol.66. ibi = Congregatio ad primum respondit in parochialibus unitis monasterio non modo non teneri, sed nec posse Episcopum instituere vicarios perpetuos, cum debeat ad curam deputare eos, quos à Regularibus nominatos per examen idoneos judicaverit ad ipsorum Regularium nutum amovibiles juxta Constitutionem Pii V.; In ecclesiis, aliisque locis ex decreto Concilii sess.7. cap.7. arbitrarium esse Episcopis, an constituant vicarios perpetuos, vel temporales, & quod possint vicarios perpetuos, præsupponitur in Constitutione Pii V. de vicar. perpet., eosque sic deputatos teneri expedire à Sede Apostolica novas provisiones, & solvere annatas, ut in d. Constitutione;* Deinde *ad tertium respondit non esse locum reservationi, quia deputantur vicarii ad nominationem juxta text. in Clementin. unic., ibique Gloss. vers. de mensa de supplen. negligen. Prælat., Clementina frequens verb. quidam etiam de excess. Prælat., cum relat. in cap.1. de vacat. per obitum lib.1., & alibi,*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Congrua, & pensio parum differunt;
2 Vicarius ecclesiæ parochialis deber esse contentus congrua, & nihil aliud prætendere potest, ubi casus, & resolutio.
3 Vicarius non potest petere, ut congrua augeatur, limita si non sit sufficiens non obstante acceptatione.
4 Congrua ducatorum 26. assignata pro Vicario curato de gremio capituli reputatur sufficiens.
5 In congruam vicariæ assignatæ uni ex capitularibus imputantur distributiones, & alia emolumenta incerta, secus in aliis Vicariis.
6 Congrua semel assignata, si tractu temporis diminuta non sit sufficiens, debet augeri.
7 Amplia non obstante quavis præscriptione, ubi resolutio Sacræ Congregationis.
8 Congua excessiva potest diminui ex causa.
9 Vicarius congrua privari non potest, nisi sit contumax mandatis Episcopalibus, ac Rotalibus, ubi de ratione.

1 Congrua portio, quæ vicario assignatur per Episcopum pro exercenda cura animarum in ecclesia monasterio unita, nihil differt à pensione, imo pensio est, nam Monaci omnes fructus ecclesiæ parochialia percipiunt excepta certa portione, quæ eidem debetur in præmium laboris, & curæ animarum *Gloss in cap. avaritiæ, cap. de monacis, cap. extirpandæ, cap. ex posuisti, ibique Gloss. & DD. de præben., cap. 1. de præben. in 6., Rot. decis. 37. num. 4. part. 4. recen. tom. 1.*

2 Hujusmodi autem congrua, seu pensione vicarius ecclesiæ parochialis debet esse contentus, nec quidquam ex distributionibus, aliisque emolumentis, quæ in dies obveniunt, prætendere potest, quia de jure debentur parocho curam animarum habenti, ita cum quæsitum fuerit, an æconomo in ecclesia parochiali ultra mercedem certam ab Ordinario statutam, & quolibet mense assignatam, debeantur etiam distributiones quotidianæ, & incerta emolumenta, alias archipræsbitero, & parocho debita, & in dies obvenientia, *Sacra Congregatio censuit æconomo nihil aliud deberi præter id, quod ei ab Episcopo pro congrua fuit assignatum Rossanen. 10. Octobris 1596.*

3 Multo minus potest petere, ut congrua sibi semel assignata augeatur, imputet enim sibi vicarius, si congruam tenuem acceptavit *Rot. decis. 239. num. 1. part. 2. decis. 218. num. 6. part. 18. recen.*, quod tamen non habet locum in casu, quo congrua ut supra assignata non sit sufficiens, tunc enim non obstante acceptatione ab iis, qui ad id tenentur, supplendum est, quod deest pro congrua *Burgi Sancti Sepulchri congruæ 8. Augusti, & 5. Septembris 1699. ad primum.*

4 Notandum in hac re, quod minor esse solet congrua vicariorum ecclesiæ cathedralis ea, quæ assignatur vicariis ecclesiarum parochialium, monasterio, aut capitulo unitarum, congrua enim ducatorum 26. monetæ assignata pro dote vicarii curati de gremio capituli reputatur sufficiens, nec augeri debet juxta formam *Constitutionis 47. Pii V.* quando vicarius est de participantibus, *Mel-*
5 *phien. vicariæ 14. Novembris 1705.*, imo in congruam vicariæ erectæ pro cura animarum, & assignatæ uni ex capitularibus imputandæ sunt distributiones, & cætera emolumenta solis præsentibus, & interessentibus debita *Acernen. vicariæ 11. Julii 14. Novembris 1693, & 13. Februarii 1694. ad tertium*; E'contra congrua debita vicariis ecclesiarum parochialium ut supra unitarum non potest esse minor scutorum quinquaginta *juxta Constitutionem Pii V.*, in eaque Incerta non computantur, quia venter non patitur dilationem *Rot. decis. 420. num. 2. part. 1. decis. 130. num. 9. par. 18 recen.*

6 Cæterum congrua semel super certis bonis, aut decimis assignata, si tractu temporis adeo diminuta sit, ut vicarius non habeat, unde vivere possit, debet augeri arbitrio judicantis usque ad summam sufficientem inspecta qualitate, & dignitate personæ, nec non oneribus ecclesiæ *Rot. decis. 551. num 3.*
7 *par. 18 recen.*; quod quidem augumentum vicario de jure debetur non obstante quacumque præscriptione etiam centum, & ultra annorum, quia agitur de congrua, seu alimentis, quæ partitionem excludunt quocumque tempore; Unde Sacra Congregatio *in Portucallen. reductionis congruæ die 18. Decembris 1723. merito censuit esse locum commutationi congruæ augendo summam oblatam scutorum 80 usque ad scuta 150.* Deinde reproposita causa *stetit in decisis*, ut refert *Piton. discept. 66. per tot. tom. 3.*

8 E' contra, si est excessiva, reducenda est ad minorem quantitatem arbitrio judicis, quia assignatio congruæ semper intelligitur rebus in eodem statu permanentibus, quibus mutatis semper est locus reductioni tum de jure communi, tum etiam ex Constitutione Pii V. *Abbas in cap. probibemus in fin. de cens., Rot. decis. 81. num. 43. part. 18. recen.*

9 Et quamvis regulariter loquendo congrua tolli non possit, prout de jure auferri non possunt alimenta, nihilominus potest ea privari vicarius contumax, qui mandatis Episcopi, aut decretis rotalibus parere temere contemnit, & ratio est, quia uti excommunicatus nihil ex redditibus ecclesiasticis participare potest *cap. excommunicamus §. credentes de haeret. in punct. Rot. decis. 374. per tot. par. 18. rec.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE vacatione, seù privatione Beneficii, ac Pensionis contra clericos vagabundos *ad ornatum Gloss. in Can. non oportet il primo de consecrat. distinct. ultim.*

SUMMARIUM.

1 FOrmâ juris, quæ servatur contra parochos, & canonicos absentes, omittenda videtur contra clericos vagabundos, ubi de ratione.
2 Vagabundus de jure civili est ille, qui non habet certam habitationem.
3 Vagabundus de jure civili perdit privilegium.
4 Clericus vagabundus de jure canonico est ille, de quo dubitatur, an vivat, vel mortuus sit.
5 Beneficium clerici, de cujus vita dubitatur, potest ab Ordinario libere conferri.
6 Datur immissio hæredibus ab intestato ad bona absentis, si ignoratur, an vivat, vel mortuus sit.
7 Clericus, de cujus vita, vel morte dubitatur, desinit habere liberam administrationem beneficii.
8 In servo profugo, de cujus morte, aut vita dubitatur, cessat libera peculii administratio.
9 Ampliatur, sive beneficium sit residentiale, sive non.
10 Declaratur *text. in l. nec nos cod. de capt. & postlim. revers.*
11 Declaratur *Innocen. in cap. ex tua de cleric. non residen.*; *& Abb. in cap. quoniam frequenter, ut lite non contestata*.
12 Si Clericus vagabundus adhuc vivat procedendum est ad privationem beneficii residentialis juxta dispositionem juris.
13 Clericus vagabundus beneficio, quod nullam requirit residentiam, privandus non est.
14 Limita, si clericus vagabundus ducat vitam inhonestam, & vitiosam, & quæ forma juris sit servanda ibidem. 15.

CAPUT XIII.



DE clericis, qui ecclesias omnino deserunt, & modo huc, modo illuc divagantur, non erit incongruum inquirere, quomodo contra ipsos ad privationem beneficiorum procedendum sit. Sane forma ju-
1 ris, quæ servatur contra parochos, canonicos, & beneficiatos absentes, omittenda videtur contra clericos vagabundos ex ea solida ratione, quia clericus vagabundus magis delinquit, quam simpliciter absens, quod patet, nam omnis vagabundus est absens, sed non omnis absens dici potest vagabundus. Deinde clericus absens ab ecclesia, regulariter habet sedem fixam, & sta-
2 bilem, sed vagabundus non habet certum locum, in quo moretur *Bartol. in l. Prætor. 19. §. Prætor. ait num. 1. & 24. ff. de nov. oper. nunciat. ibi = nota, quod ille, qui non habet certam habitationem, est vagabundus = Abb. in cap final. col. 8. versic. sed circa hoc quæro de for. competen.*; Immo clericus absens regulariter recedit ab ecclesia ex aliqua justa, & rationabili causa, sed vagabundus nullam habet causam se absentandi, & huc, vel illuc discurrit animo invisendi modo unum, modo alium Principatum, modo unam, modo aliam Civitatem, & Provinciam, ac dicitur talis, quia ubique divagatur, eo dumtaxat loco excepto, in
3 quo morari tenetur; Unde merito de jure civili vagabundus per quinquennium privilegio spoliatur, quia indignum est desides tandiu a muniis aberrantes inter domesticos Principis numerari *per Text. in l. si quis C. de domestic. & protectorib. lib. 12.*

His positis, videndum modo est, quomodo in jure canonico clericus vagabundus sumatur, an nempe, ut juridice beneficio privari possit, servari debeat juris forma, vel potius
4 omitti. Siquidem clericus vagabundus non est ille, qui certam sedem non habet, prout sumitur de jure civili, sed dicitur ille, de quo dubitatur, an vivat, vel mortuus sit, *ita Gloss. in canon. non oportet il primo de consecrat. distinct. ultim. in fin. ibi = Si autem clericus tandiu absit, quod dubitetur, an vivat, vel mortuus sit, desinit habere liberam administrationem*.

Hujusmodi autem *Glossæ* auctoritas satis indicat Ordinariis locorum, quomodo benefi-
5 cium clerici vagabundi conferri debeat; Si enim dubitetur de ejus vita, vel morte, quod ex testibus constare debet, potest libere Ordinarius absque ulla juris forma, dummodo tempus congruum lapsum sit, quod ejus arbitrio remittitur, clericum vagabundum privare, aliumque clericum idoneum de beneficio sic vacante providere, eo modo,
6 quo datur successoribus ab intestato immissio ad bona hæreditaria absentis, si ignoratur, an absens vivat, necne *Rot. decis. 556. num. 15. cum seqq. par. 19. tom. 2. recen.*, & ratio est, quia, ubi juste dubita-
7 tur de morte, seu vita, clericus statim desinit habere administrationem ecclesiæ, & quodammodo beneficium ipso jure vacare censetur ex auctoritate *Glossæ in d. canon.*
8 *non oportet.*; Sicuti in servo profugo, in quo

quo, si de ejus morte, aut vita dubitatur, libera peculii administratio à Domino concessa expirat *l. libera peculii ff. de pecul.*, *ibi = libera peculii administratio non permanet, neque in fugitivo, neque in subrepto, neque in eo, de quo nesciat quis, an vivat, vel mortuus sit*. Paritas valde congruit casui, de quo agitur, quoniam servus profugus æquiparatur vagabundo, prout vagabundus etiam profugus denominari potest, & ita argumentatur *Andreas Barbatia sicul. lus consf. 11. num. 11. lib. 1. Salzed. prax. criminal. cap. 52. num. 4. Corsett. consf. 383. in notab. si beneficiatus verb. vagabundus cum ibidem relat.*, quidquid in contrarium sentiat *Felin. in cap. quoniam frequenter n. 23.*, *ut lit. non contest.*

9 Nec interest, an beneficium residentiale sit, vel non, prout ex generali ecclesiæ consuetudine exempta sunt ab onere residentiæ omnia beneficia simplicia *Innoc. in cap. final. num. 1.*, *ibique Imol. num. 9. de cleric. non residen. Felin. in cap. dilectus 2. num 1. de rescript Rebuff. in prax. tit. dispensatio de non residen. num 8.* Non enim vis stat in obligatione residendi, vel non, prout perperam concludit *Felin. loc. cit. num. 23. in fin.*; sed in divagatione, quæ crimen importat, & in incertitudine vitæ, quæ quodammodo inducit vacationem beneficii ipso jure juxta auctoritatem *Gloss. jam dictæ*, quam singularem appellat *Corsett. d. consf. 383. verb. vagabundus*.

10 Nec relevat *text. in l. nec nos cod. de capt. & postlim. reverf.*, in quo se fundat *Felinus*, ubi quod super hæreditate ejus, de quo dubitatur, an apud hostes sit, vel interfectus, pacisci, & transigi non possit, quoniam *textus* non loquitur de milite vagabundo, sed de eo, qui in bello pugnavit, sanè hoc argumentum probat, quod si clericus de licentia superioris pugnasset contra hostes catholicæ religionis, & dubitaretur, an apud hostes esset, vel potius interfectus, utique ejus beneficium in hac incertitudine tamquam vacans non posset conferri, quod facile admittitur; Deinde, si dubitatur, an quis vivat, vel mortuus sit, quandoque datur immissio *Rot. d. decis. 556.* ita à pari Hæc sine dubio sufficiunt pro disparitate casus contra auctoritatem *Felini*, qui dubitat de opinione *Glossæ* jam relatæ.

11 Et quamvis *Innocen. in cap. ex tuæ num. 4. de cleric. non residen.*, *& Abb. in cap. quoniam frequenter num. 10. ut lite non contestata* simpliciter asserant clericum vagabundum etiam beneficio, quod residentiam non requirit, privari posse, nihilominus intelliguntur, ubi dubitatur de vita, seu morte clerici vagabundi, ut supra, aliter nimis durum esset, quod beneficium clerici vagabundi, quem adhuc vivere constat, ab Ordinario conferri possit; & sic absque ulla monitione privari, quod ratio juris non patitur.

12 Præterea, si clericus vagabundus adhuc vivat, procedendum est ad privationem juxta dispositionem juris, ubi beneficium præcisam residentiam requirit *Gloss. in cap. ex tuæ versic. ipsos ibi = Vagabundos = de cleric. non residen.* & constat ex dictis supra *in cap. 5.*

13 E' contra clericus vagabundus beneficio, quod nullam requirit residentiam, nullo modo privandus est, ubi enim residentia non est necessaria, ibi absentia videtur licita, quod mihi verius videtur, & rationi magis consentaneum juxta sententiam *Innocentii in cap. final. de cleric. non residen.*, ubi quod clericus absens privari non potest beneficio, quod residentiam non requirit, nisi aliud exigat utilitas, aut necessitas ecclesiæ, idque apud me nullam habet dubitationem, quoniam clericus vagabundus, si vivit, idem est, ac si esset absens *Gloss. in cap. ex tuæ versic. ipsos de cleric. non residen.*

14 Limitatur, si clericus ultra divagationem, etiam vitam inhonestam, & vitiosam duceret; tunc enim ab ordinario juste privari potest præbenda, seu canonicatu, immo etiam simplici beneficio, & in hoc sensu vera etiam est sententia *Innocen. & Abb. locis supra citat.*, ubi dicunt satis esse delictum divagationis ad privationem beneficii. Nec hoc casu servanda est integre forma juris, & Tridentini; & quidem non est servanda forma juris, quia locum habet contra beneficiatos absentes *cap. ex tuæ de cleric. non residen.*, multo minus forma Tridentini, quia loquitur de canonicis ecclesiarum cathedralium, & collegialium non residentibus, & ratio disparitatis est, quia clericus vagabundus, si inhoneste, & vitiose vivat, citius privandus est beneficio, quam simpliciter absens ab ecclesia; exemplum est in clerico homicida, seu scandaloso etiam extra diœcesim, si enim ratione delicti absens sit, & citetur, cessat penitus forma juris, & Tridentini, quia non citatur, ex quo absens est, sed monetur, ut redeat, quia reus est, ita à pari clericus non citatur simpliciter, quia absens est, sed quia est vagabundus, & vi-

15 tiosus. Idcirco clericus vagabundus infra competentem terminum arbitrio ordinarii non rediens juridice privatur beneficio, quod inde per privationem ipso jure vacat, & potest libere conferri *cap. ex literis cap. gravem de excess. Prælator.*

ADDI-

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 CLericus vagabundus, de quo dubitatur, an vivat, vel mortuus sit, pensione non est privandus, sed potius differtur solutio.
2 Melius est nostra non solvere, quam solutum repetere.
3 Clericus vagabundus habens pensionem non potest revocari ad residentiam, ubi de ratione.
4 Limita, si clericus vagabundus sit delinquens, vitiosus, & scandalosus.
5 Clericus vagabundus ob contumaciam, & censuras potest pensione privari.
6 Pensio per privationem extinguitur.

1 FRustra quoque inquiritur de clerico vagabundo ecclesiasticam possidente pensionem, quoniam, etsi dubitetur, an vivat, vel mortuus sit, pensione privari non potest, cum id jure non caveatur, sed titularis juste differt solutionem, donec certo sciat clericum vagabundum adhuc vivere; immo procurator ad exactionem deputatus injuste sub hac incertitudine vitæ petit pensionem; in-
2 terest enim nostra non solvere, quam solutum repetere *L.3 ff. de compensat.*, si vero
3 scitur, ubi moram trahat, ad residentiam revocari non potest, pensionarius enim, cum in rigore beneficiatus non sit, residere non tenetur *Gloss. in cap. quamvis in 3 addit.*, *ubi Archidiac. & Franch. de præben. in 6.*
4 At quia clericus vagabundus regulariter solet esse delinquens, & vitiosus, ideo non tam ex capite vagationis, quæ delictum importat, quam ex capite vitæ inhonestæ, & scandalosæ potest ab Episcopo ad propriam
5 diœcesim revocari *can. placuit 21. quæst. 2.* Quod si contumax fit, pensione privandus est *Gloss. in l. omne delictum versic. contumacia ff. de re militar.*, ubi contumacia clerici punitur pœna ordinaria, prout contumacia militis, & eo fortius, si clericus contumax censuris fuerit innodatus *cap. pastoralis §. verum de appellat. Tondut. de pension. cap. 7. num. 8. Bellamer. concl. 244. tit. de dol.*, *&*
6 *contumac.* Et in hoc sensu ex eisdem tamen juribus, quibus vacant beneficia, etiam per privationem pensio extinguitur *cap. ex literis de excess. Prælat.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione, seu privatione Beneficii, Officii, & Pensionis ob apostasiam *ad ornatum Glossæ in cap. 1. de apostat.*

SUMMARIUM.

1 APostata à fide beneficiis, & officiis ipso jure spoliatus est.
2 Apostata à Religione inter vagabundos adscribitur, ubi de divisione materiæ.
3 Apostatæ à fide longius ablegantur ab ordinibus, & dignitatibus ecclesiasticis.
4 Hæreticis sponte comparentibus beneficia obtenta restituuntur.
5 Hæreticus, & apostata quoad pœnas juris parificantur.
6 Apostata, si vere pœnitens crimen apostasiæ purgaverit, beneficiis non est spoliandus.
7 Clericus minorum ordinum, aut primæ tonsuræ proprie apostata non est, si habitum clericalem dimiserit, aut matrimonium contraxerit, ubi quod beneficia ipso jure vacant ob status incompatibilitatem 8.
9 Clerici moniti ad reassumendum habitum clericalem, si in hoc fuerint contumaces, beneficiis privandi sunt.
10 Clerici in Sacris constituti sunt apostatæ, si habitum clericalem dimiserint, & cogi possunt ab Ordinario ad ejus reassumptionem sub pœna privationis beneficii, ubi quod in apostasia inobedientiæ requiruntur tres sententiæ conformes, ut beneficia, seu officia ipso jure vacent. 11.
12 Clerici non incedentes in habitu, & tonsura beneficia, & pensiones ipso jure amittunt.
13 Monaci apostatæ à religione incurrunt excommunicationem, & infames efficiuntur, ac officiis religionis privati debent.
14 Milites, qui diu vagantur in partibus longinquis, gradibus militaribus spoliantur.
15 Monachus, qui subtus habitum proprii ordinis defert, improprie dicitur apostata, nec officio privandus est, ubi declaratur.

CAPUT XIV.

1 JAm dictum est de apostatis à fide, qui tam à jure, quam Constitutionibus Apostolicis Beneficiis, Officiis, & Ministeriis Ecclesiasticis ipso jure Spoliantur *Cap. 2. §. quicumque de hæretic. in 6. Spad. consf. 44. per tot. cum relat. in Cap. 25. n. 13. de Vacat. ob hæres. lib. 1*; Nunc rationi admodum consentaneum est, ut inquiramus de Clericis, & Monacis à Religione apostatanti-
2 bus; Apostata enim intèr Vagabundos, & & profugos meritò adscribitur, itaque dicam primo de Clericis beneficiatis, qui habent ordines minores, aut primam tonsuram, secundo de Ecclesiasticis in Sacris Ordini-

dinibus constitutis, tertiò de Monacis, aliisque Religiosis, qui in Religione approbata solemnem emiserunt professionem.

3 Verum antequam veniam ad rem, de qua agitur, præmittendum est, quod quamvis apostatæ longius ablegentur ab ordinibus & dignitatibus ecclesiasticis ex epistola *Innocentii I. Papæ*, quam ad extensum refert *Thomassinus vetus & nova Ecclesiæ disciplina lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 62. §. 6., quod etiam sentit *Oldrad. cons.* 47. ubi ait summoperè cavendum esse quoad honores, & gradus Ecclesiasticos apostatis deferendos, à quibus nec nostra discrepat sententia, cum apostatæ à fide sint valdè suspecti, & forte eorum conversio parum constans, ut experientia do-
4 cet, nihilominus quoad beneficia jam obtenta non est ita rigorosè procedendum, quoniam sicuti de æquitate hæreticis sponte comparentibus restituuntur bona, & beneficia ecclesiastica *Gloss. in cap. vergentis versic. Misereri de hæret.* ibi = *de sola erga misericordia restituuntur, ut hic dicitur, & etiam Episcopatus Gloss. in Summa.* 23. *q.* 7. *Paris. cons.* 185. *lib.* 4. ità à pari, nam apostata, &
5 hæreticus quoad pœnas juris Parificantur *l. fin. cod. de apostat. Innocent. in cap.* 1. *eod.*
6 *tit.*, quod tamen verum est, si ante sententiam, & antequam se clamari permittat, ad unionem ecclesiæ apostata redierit, & vere pœnitentia crimen apostasiæ purgaverit, tunc enim beneficiis, & dignitatibus obtentis non est spoliandus, ita de hæretico, qui sponte ad ecclesiæ unionem rediit, consuluit *Roland. cons.* 63. *num.* 24. *lib.* 3. Hæc dicta sint pro declaratione eorum, de quibus fusiùs disseruimus *in cap.* 25. *de vacat. ob hæresim lib.* 1. & alibi. Hoc posito.

7 Quoad primum punctum certum est clericos ordinum minorum, aut primæ tonsuræ beneficia ecclesiastica possidentes non esse proprie apostatas, nec pœnis apostatarum esse puniendos, si habitum clericalem dimiserint; possunt enim liberè redire ad seculum, fieri decuriones, adscribi ad militiam, contrahere matrimonium. De his memini
8 me jam dixisse, quod ratione incompatibilitatis status eorum beneficia ipso jure vacant, & libere possunt ab Ordinario conferri, quia per assumptionem status laicalis, per matrimonium, beneficiis tacitè renunciasse videntur, *ita habetur in cap.* 3. *de vacat. ob matrim. lib.* 1. At si tales clerici propriam dignitatem, & honorem clericalem parvipendentes vestes deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum scilicet in divinis, alterum in carnalibus, personaliter, aut per edictum publicum à proprio Episcopo monendi sunt, ut honestum habitum clericalem eorum ordini, & dignitati congruentem deferant, quod si semel cor-
9 repti in hoc delinquent, beneficiis privari possunt, & debent *ex Tridentin. sess.* 14. *cap.* 6. *in fin.*

10 Quo vero ad secundum punctum major urget ratio, quia ecclesiastici in sacris ordinibus constituti sunt vere apostatæ ob dimissionem habitus clericalis, ideoque carcere, aliisque pœnis ab ordinario compelli possunt ad ejus reassumptionem, deinde nequeunt amplius mutare statum, & redire ad seculum; immo ratione sacrorum ordinum in habitu, & tonsura continuo incedere tenentur *cap. à nobis de apostat.*, quod si temere laicales deferant vestes, & moniti ab Episcopo non resipuerint, habentur ut laici, perdunt privilegium clericale, & à sacerdotio decidunt *Gloss. in authen. de Sanctiss. Episcop. versic. tradatur ibi = quod dicitur clericum apostatantem officio curiæ dari, & à sacerdotio cadere cap.* 1. *de apostat. ibi = tamquam laici conversantur*; ergo beneficiis ecclesiasticis spoliandi sunt *cap.* 2. *de pœnis in* 6., & in sequelam beneficia hujusmodi per privationem ipso jure vacant, aliisque idoneis clericis ab Episcopo libere conferri possunt *cap.* 1. *ibique scribentes de apostat. Navarr. cons.* 1. *per tot. eod. tit. summistæ in verb. apostasia, ibique Barbos. & alii Rot. decis.* 325.
11 *num.* 14. *par.* 16. *recen.* ubi habetur, quod in apostasia inobedientiæ requiruntur tres sententiæ conformes, antequam dici possit inducta vacatio beneficii.

12 Hodie vero aucta est pœna clericorum non incedentium in habitu, & tonsura *ex constitut.* 92. *Sixti V.*, ubi ex hoc capite beneficia, & pensiones ipso jure vacant, *ita habetur in cap.* 3. *de vacat. ob matrim.*, *& in addit. lib.* 1.

13 Demum quoad tertium punctum sciendum quoque est, quod monaci, seu religiosi apostatæ à religione animo amplius non redeundi de jure excommunicationem incurrunt *cap.* 2. *de apostat.*, & ipso jure infames efficiuntur *can. alieni* 2. *quæst.* 7. *can. si quis* 3. *quæst.* 4., idcirco spoliari debent à suo superiore omnibus officiis, & gradibus propriæ religionis *Rebuff. tit. de mod. amitten. benef. num.* 47. *Rot. decis.* 325. *num.* 14. *par.* 16. *re-*
14 *cen.* ad instar militum, qui diu vagantes in partibus longinquis apppellantur desertores, ac gradibus militaribus spoliantur *per Text. in l. desertorem ff. de re militar.*

15 Limitatur, si religiosus professus etiam vestes laicales indutus subtus deferat habitum proprii ordinis, tunc enim impropriè dicitur apostata, cum non habuerit animum deferendi propriam religionem *Rot. decis. unic. num.* 12. *cum seqq. coram Achill. de apostat.*, ideoque officiis, aliisque gradibus religionis ex hoc capite privandus non est, nisi sit contumax, & inobediens præceptis sui superioris *ex dictis in cap. antecedenti in addit.*, *& pluries alibi.*

ADDI-

A D D I T I O.

S V M M A R I V M.

1 Monaci à propria religione apostantes pensionibus spoliandi sunt.
2 Pensiones favore religiosi sunt manuales, & amovibiles.
3 Monaci in pensionibus non habent, nisi meram exactionem fructuum amovibilem ad nutum superioris.
4 Facilius de jure amittitur exercitium officii, quam jus beneficii, facilius exactio, quam jus exigendi.
5 Per privationem ob apostasiam pensio extinguitur.

1 Monaci quoque à propria religione apo-
stantes pensionibus spoliandi sunt,
sicuti enim officia sunt manualia, & ad nu-
2 tum amovibilia, ita manuales, & amovibi-
les sunt pensiones, nec aliter à Prælato re-
gulari in favorem sui religiosi obedientiarii
reservari possunt *Abb. in cap. nisi essent n.12.*
de præben. Mohedan.decis.10.de causa posses-
sionis, & proprietat. decis.230, num 1. & 3.
3 *cor. Mantic.*, Ultra quod monaci in benefi-
ciis regularibus non habent, nisi solum exer-
citium, prout in pensionibus, nisi meram
exactionem fructuum amovibilem ad nutum
superioris *cap. cum ad monasterium de regu-*
lar. cap. monaci de stat. monachor. Navarr.
lib.3. cons.13. eod. tit. Passerin. de stat. ho-
4 *min. inspect.11. num.283.*, Unde sicuti fa-
cilius amittitur exercitium officii regularis,
quam jus beneficii, facilius exactio, quam
jus exigendi, facilius jus exigendi tempo-
5 rale, quam perpetuum, ita per privationem
ob apostasiam pensio extinguitur *Clemen-*
tin.1.de supplen. neglig Prelator. cap. ex li-
teris cap. gravem de excess. Prælator.

ARGUMENTUM.

De privatione, seu vacatione Coadjutoriæ, ac Pensionis ob non residentiam, ob cæcitatem, apoplesiam, paralipsim, & his simiiia *ad ornatum text. in can. hinc etenim distinct. 49., & Gloss. in Clement, gratiæ de rescript.*

SUMMARIUM.

1 Coadiutoria datur intuitu ecclesiæ, vel personæ, primo casu coadjutor ob non residentiam potest privari. 2, secus secundo casu. 3, ubi declaratur.
4 Contumacia debet esse triennalis, ut canonicus ecclesiæ cathedralis, seu collegiatæ privari possit præbenda, idem in coadjutore canonici, sed contra. 5.
6 Coadjutoria expirat ob perpetuum coadjutoris morbum, ubi exemplificatur.
7 Clerici cæci, aut claudicantes propter irregularitatem honoribus ecclesiasticis decorari non debent.
8 Cæcus nequit in judicem eligi, & electio ejus resolvitur, nec promoveri potest ad dignitatem senatoriam.
9 Judex, qui furere incæpit, amittit exercitium judicandi, & ab officio removendus est.
10 Legatum remanet caducum, si legatarius interim fiat incapax legati.
11 Mandatum de providendo expirat, si providendus declaretur inhabilis.
12 Limitatur, si infirmitas supervenerit post coadjutoriæ purificationem.
13 Judex cæcus propter supervenientem cæcitatem judicaturam non amittit, idem in senatore ibid.
14 Quid agendum, si coadjutor post purificationem coadjutoriæ fiat incapax, seu impotens ad servitium ecclesiæ?
15 Limitatur, ubi collatio beneficii est pura, licet ejus executio ad aliud tempus dilata sit.
16 Qualitas adjecta verbo intelligitur secundum tempus verbi.
17 Eques tempore receptionis robustus ad professionem admittendus est, quamvis inde fiat debilis.
18 Non omnis morbus privat officio coadjutoris, sed tantum, qui perpetuo impedit, ubi quod quæstionis resolutio pendet à qualitate morbi perpetui, vel temporalis.

C A P U T XV.



Uplex in præsenti capite occurrit juris inspectio, altera quoad privationem coadjutoris ex capite non residentiæ, altera quoad vacationem coadjutoriæ ex capite
1 morbi perpetui. Quoad primam præmittendum est dupliciter coadiutoriam concipi posse, vel contemplatione ecclesiæ, vel intuitu personæ ipsius coadjutoris;
primo casu tenetur coadjutor personaliter residere in loco beneficii, ac ibidem perfungi muniis pastoralibus, quibus coadiutus commode interesse non potest. Præterea
2 coadiutor absens ab ecclesia sine causa, &
licentia Episcopi officio coadiutoria privandus est, sed tamen ante privationem monendus est, ut ad ecclesiam redeat, vel per citationem personalem, si scitur, ubi moram trahat, alias per tria edicta *juxta text. in cap.*

cap. conquerente cap. ex tuæ de cleric. non resi-den. Rot decis. 276. num. 4. part. 1. decis. 392. par. 3. recen., Sacra Congregatio Concilii *in Oxomen. relata per Piton. disecpt. 133. num. 7. lib 4.*

3 Secundo autem casu coadjutor ad residentiam non tenetur, ac proinde privandus non est coadjutoria ex hoc capite, quia non est datus, ut expleat onera coadjuti, sed ut post obitum ipsius succedat ecclesiæ, potissimum, si coadjutoria facta sit ei, qui potest divinis officiis commode interesse absque ope coadjutoris, quod tamen intellige, nisi aliud caveatur in literis apostolicis, non enim repugnat, quod ob prærogativam personæ coadjutoria à Papa admittatur, & tamen ex peculiari lege teneatur coadjutor residere pro explendis omnibus iis oneribus, quibus coadjutus, vel non vult, vel non potest commode persungi; ideoque coadjutor sub pæna privationis officii tenetur ad residentiam, tum quia in hoc casu favor ecclesiæ præponderat favori personæ *l. sunt personæ in fin. ff. de religios. & sumptib. funer.*, tum etiam quia utilitas ecclesiæ, quæ publica est, præfertur utilitati coadjutoris, quæ est privata *cap. licet versic. illa semper de regular. can. scias 7. quæst. 1. l. actione §. labeo ff. pro soc. l. unic. § penult. C. de cadue. tollen. §. ea enim, quæ communiter auth. de restitut.*, *& ea, quæ parit. Gloss. in l. 1. versic. reipublicæ ff. solut. matrim. Roland. cons. 86. num. 63. lib. 1.*

4 Nec turbat, quod ubi agitur de coadjutore canonici cathedralis, sen collegiatæ ecclesiæ, servari debeat forma Tridentini *sess. 24. cap. 12.*, ubi habetur, quod contumacia debet esse triennalis, ut canonicus præbenda privari possit ex capite non residentiæ; Item quia coadjutor repræsentat in omnibus coadjutum, ejusque privilegiis participat. Si igitur canonicus coadjutus nequit privari præbenda, nisi post triennium, computandum post tres menses absentiæ,
5 ita à pari coadjutor. Respondetur, quod *Tridentinum* loquens de canonicis nequit extendi ad coadjutorem, qui habet simplex officium sine jurisdictione, & præeminentia, nec repræsentantia coadjuti, quidquam ei suffragatur, quoniam *Tridentin. loc. citat.* requirit, ut quis sit vere canonicus, non fictè, prout talis est coadjutor, qui & insuper defuncto coadjuto tenetur capere possessionem canonicatus *Rot. decis. 456. n. 6. 8. par. 1. decis. 648. in fin. par. 3. rec.* Porro contra coadjutorem absentem ut supra, non secundum Tridentini formam, sed secundum dispositionem juris ad privationem coadjutoriæ ex capite non residentiæ procedendum est *cap. ex tuæ de cleric. non residen. Rot. decis. 276. num. 4. part. 1. recen. cum relat. in cap. 5. num. 22. de vacatione, seu privatione ob non residentiam.*

6 Quo vero attinet ad secundam inspectionem non controvertitur inter canonistas, quominus ob perpetuum coadjutoris morbum coadjutoria expiret, casus est in coadjutore, qui cæcus prorsus effectus est, aut in apoplesiam, seu paralipsim incidit; coadjutoria enim adinventa est, ut coadjutor expleat onera coadjuti, ac sedulò inserviat ecclesiæ, divinis interessendo officiis *cap. de Rectoribus, latè Fagnan. in cap. consultationibus de cleric. ægrotan. cap. 1. eod. tit. in 6.*; Deinde res devenit ad casum, à quo incipere non potuit *cap. factum, ibique Gloss. de regul. jur. in 6. l. in ambiguis §. 1. ff. eod.*, cæcus enim, seu paraliticus est incapax coadjutoriæ, cum ecclesiæ inservire non possit, ergo propter perpetuum morbum coadjutoria resolvitur *in puncto Rot. decis. 2217. cor. Coccin. repetita in decis. 602. part. 5. rec. decis. 142. num. 7. coram Emerix Mindonien. coadjutoriæ die 1. Decembris 1732. cor. Eminentissimo Aldrovando.*

Hæc est conclusio, quæ licet non habeat in puncto juris contradictorem, nihilominus ex sequentibus juris fundamentis, ple-
7 nius firmatur, & quidem primo *ex can. hinc etenim distinct. 49.*, ubi clerici, aut cæci, aut claudicantes propter irregularitatem, aut inhabilitatem incursam, honoribus ecclesiasticis decorari non debent, ita à pari, coadjutor enim non acquirit, nisi jus ad rem, quod propter morbum perpetuum est resolubile, ideoque propter cæcitatem, apoplesiam coadjutoria expirat.

8 Secundo cæcus nequit in Judicem eligi, & electio ejus resolvitur *l. cum Prætor. ff. de Judic.*; nec promoveri potest ad dignitatem senatoriam *l. 1. ff. de postulan.*, ita coadjutor desinit esse talis, si ante purificationem coadjutoriæ fiat cæcus, aut alias perpetuo inhabilis ad servitium ecclesiæ.

9 Tertio nimis urget *Text. in l. Judex ff. de judic.*, ubi deciditur, quod Judex, qui furere incæperit, licet non desinat esse talis, amittit tamen exercitium judicandi, immo ab officio removendus est, & alius subrogandus. Hic sane *Textus* ad literam accommodatur coadjutori, qui non habet, nisi exercitium coadjutoriæ *juxta doctrinam Hostien. Abb. & aliorum in cap. de rectoribus de clerica ægrotan. Rot. d. decis. 2217. num. 9. cor. Coccin.*; Si igitur Judex ob supervenientem furorem exercitium judicaturæ ipso jure amittit, multo magis coadjutor exercitio coadjutoriæ, & officio coadjutoris privatus erit, vel privandus, quod dupliciter potest fieri, vel per sententiam definitivam, vel per declaratoriam, quod verius est, quoniam coadjutoria expirat ex capite cæcitatis, vel apoplesiæ ob dispositionem legis, quæ momentanee operatur, & vacationem inducit.

10 Quarto etiam casus planus est in legatario, qui non acquirit jus rei legatæ, nisi post obitum testatoris, ideoque, si interim fiat incapax, legatum remanet caducum *l. in tempus, ibique Bart. ff. de hæredib. instituen. l. intervenit ff. de legat. præstan. l. unica C. de caduc. tollen.*, ita idem asseritur in coadjutore,

jutore, qui non obtinet jus in beneficio, nisi post decessum coadjuti. Sane licita est argumentatio de legato rei ad officium coadjutoris, quoniam legatum donatio defuncti est, & officium coadjutoriæ lato modo donatio ecclesiastica præventive facta potest denominari.

11 Demum mandatum de providendo expirat, si clericus ita provisus declaretur inhabilis, vel fiat perpetuo impotens pro servitio ecclesiæ *Gloss. marginal. in Clementin. gratia de rescript. ibi = Gratia à principio valida per factum superveniens quandoque expirat =,* Immo executor nihil agit, si procedat ad collationem beneficii in vim mandati de providendo, quia impotenti impotentia perpetua beneficium conferri non potest *can. hinc etenim distinct.*49., ita à pari, nam mandatum de providendo tribuit jus ad rem, sicuti coadjutoria cum futura successione.

12 Temperatur conclusio dupliciter, primo si infirmitas, quæ in coadjutore ante erat temporalis, post coadjutoriæ purificationem effecta sit perpetua, & ratio clara est, quia post obitum coadjuti cessavit coadjutoria, & qui ante erat coadjutor, postea effectus est beneficiatus cum pleno jure inserviendi, seu administrandi ecclesiam, ideoque ob morbum perpetuum beneficio privandus non est, *ut distinguit Oldrad. cons.*58. *num.*4. *Rot. d. decis.*2217. *num.*20. *in fin.*, & *num.*28. *cor.*

13 *Coccin.*; Sicuti Judex jam creatus per supervenientem cæcitatem judicaturam non amittit *l. cæcus ff. de judic.*, nec senator dignitate Senatoria privatur *l. 1. ff. de postulan.*.

14 Præterea in hoc casu vel dandus est novus coadjutor, vel cogendus est ita beneficiatus ad renunciandum beneficium, vel aliter ecclesiæ consulendum est, reservata tamen annua pensione pro alimentis, quod ratio naturalis suadet, nam ecclesia debitis servitiis defraudanda non est *cap. de rectoribus de clerico ægrotante cap. unico utrobique Interpretes eod. tit. in 6.*

15 Limitatur secundo, ubi collatio beneficii est pura, licet ejus executio ad aliud tempus dilata sit, sufficit enim, quod provisus tempore collationis habuerit omnes qualitates à jure, vel statuto requisitas ex vul-

16 gata regula, quod qualitas adjecta verbo intelligitur secundum tempus verbi *l in delictis §. si extra ff. de noxal. actionib. l. titius ff. de militar. testam. Marescott. variar. resolut. lib.2. cap.35. num.102. Rot. decis.*584. *num.*4. *par.1. recen.* Unde propterea post provisionem canonice obtentam nequeunt amplius contra ipsum in ejus executionem objici exceptiones personales, cæcitatis nempe, apoplesiæ, & his similium *Rot. decis.*75. *num.*1. & 10. & *per tot. par.*18. *rec.*,

17 ubi Eques tempore receptionis robustus ad professionem admittendus est, quamvis inde debilis, aut claudus esse cœperit.

18 Ex quibus evidenter apparet, quod non omnis morbus privat officio coadjutoria, sed tantum qui perpetuo administrationem, & servitium ecclesiæ impedit; Unde quoties coadjutor infirmus habet spem recuperandi sanitatem, ac explendi onera ecclesiæ coadjutoriam non amittit, nec ea privandus est *cap.2. de cleric. ægrotante Rot. decis.*1168. *num.*10. *coram Coccin.*; Hæc tamen quæstio potius facti est, quam juris, ac de qualitate morbi perpetui, vel temporalis potius in praxi disputatur, quam de veritate conclusionis, quæ in puncto juris non habet contradictorem, ut nempe ob infirmitatem perpetuam expiret coadjutoria *can. hinc etenim distinct.* 19. *Gloss. marginal. in d Clementin. gratiæ de rescript. Mindonien. coadjutoriæ jam relata, ubi concordantes.*

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Congrua, seu portio fructuum, quæ coadjutori ad tempus reservatur, non est deneganda coadjutori cum futura successione, ubi de ratione.

2 Congrua, seu portio fructuum non differt a pensione.

3 Coadjutor incidens in perpetuum morbum pensionem, seu portionem fructuum amittit.

4 Unica determinatio respiciens pluria determinabilia æqualiter debet determinare.

5 Ubi expirat coadjutoria, extinguitur etiam pensio, seu portio fructuum coadjutori reservata.

6 Pensio extinguitur, si coadjutor privetur coadjutoria ex capite non residentiæ.

7 Amplia, si privetur ex causa ineptitudinis, inhonestatis, scandali, & his similium.

8 Amotus ab officio cum dedecore habetur pro mortuo.

9 Pensio coadjutoris non tam privatione officii, quam morte extinguitur.

1 Coadjutori ad tempus pro parocho illiterato, impotenti congrua arbitrio Ordinarii reservanda est *ex Tridentin sess.*21. *cap.*6.; Hæc autem congrua, seu portio fructuum etiam coadjutori cum futura successione denegari non debet, præsertim in coadjutoriis Ecclesiarum Parochialium ex auctoritate apostoli, quod nempe, qui altari servit de altari vivere debet *cap. cum*

2 *secundum de præben.* Hæc autem congrua, seu fructuum portio, quæ in coadjutoriis perpetuis ex stylo Curiæ reservatur, nihil differt à pensione, dum percipitur ex reditibus ipsius beneficii, ut patet.

3 Hoc præmisso coadjutor incidens in perpetuum morbum pensionem, seu portio-

4 nem fructuum statim amittit ex regula, quod unica determinatio respiciens plura determinabilia æqualiter debet determinare *l. si legatarius §. cum ita ff. de legat.*3., & facit etiam regula accessorii, si enim expirat ex

5 hoc capite coadjutoria, multo magis pensio, seu portio fructuum coadjutori reservata *Gloss. in cap. final. versic. datur de rescript. in 6.*

ibi = unde privatus officio, & beneficio privatus intelligitur, cum sit ejus sequela.

Clarius, si coadjutor removeatur ex capite non residentiæ ab officio coadjutoriæ,
6 quoniam pensio, cessante officio coadjutoris, cessat, & extinguitur *Can. eos distinct.* 81. *ibi = sicuti se justissime ab officio alienos faciunt, ita beneficio ecclesiarum privatos esse judicamus =*, & generaliter habetur *in cap. cum cessante, ibique Tiraquell. num.*224. *de appellat.*

7 Ampliatur, si coadjutor privetur hujusmodi officio ex causa ineptitudinis, inhonestatis, scandali, & his similium *Gloss. in l.* 3. *C. de curios. & stationar. lib.*12., *ibi nota; non juvatur officio, vel dignitate, qui male eam*
8 *servat*; immo habetur pro mortuo, qui cum dedecore ab officio, vel dignitate remotus est, quod verum est in quocumque clerico, qui ob grave crimen beneficio privatur *Gloss. in l* 1. *C. de primicer. lib.*12., *ibi = nota hic, quod dicitur ille extinctus, & mortuus, qui ab aliqua dignitate, vel officio cum dedecore remotus est =*, quod dictum aureum est *Jo: de Platea in d. leg.* 1. *ut ibi per Gloss.* Unde
9 non tam amotione ab officio, quam morte, quæ ex ipsamet amotione oritur, pensio coadjutoris extinguitur.

ARGUMENTUM.

DE vacatione Beneficii, & Pensionis ob dissolutionem unionis *ad ornatum Textus in cap. cum cessante de appellat.*

SUMMARIUM.

1 PApa potest unire beneficia capitulis, vel monasteriis perpetuo, vel ad tempus, vel sub conditione, & deinde ex causa revocare unionem 2.
3 Beneficia unita non vacant, ubi rationes.
4 Non valet impetratio beneficii non facta mentione unionis, vel nisi doceatur de unionis revocatione 5. ubi declaratur.
6 Unio ecclesiæ perpetuo facta monasterio non infert unionem beneficiorum in eadem ecclesia existentium, & è contra 7.
8 Clausula *cum omnibus annexis, & connexis* quomodo intelligatur in unione beneficiorum.
9 Valet collatio, seu impetratio beneficii ob temporalis unionis dissolutionem.
10 Per dissolutionem unionis vacat beneficium, ubi declaratur.
11 Unio temporalis æquiparatur commendæ.
12 Potest monasterio fieri unio plurium beneficiorum simplicium sub conditione percipiendi tot fructus, ut ex his dos competens monasterio constituatur.
13 Perceptis tot fructibus dissolvitur unio, & beneficia vacant cum facultate impetrandi.
14 Qui habet facultatem uniendi, habet etiam facultatem dissolvendi.
15 Ordinarius beneficium à se unitum debet prius restituere in pristinum statum, & deinde conferre.
16 Per dissolutionem unionis factam à Papa censetur inducta vacatio beneficii, ubi de ratione.
17 Unio beneficii, quæ redundat in præjudicium ecclesiæ revocanda est, ubi quod beneficium vacat, & debetur impetranti.
18 Unio æque, ac principaliter etiam fit de duobus beneficiis, item de duobus episcopatibus 9.
20 In bonis unitis separatio impetrari non potest.
21 Dissoluta unione, utrumque beneficium vacat, & tenet collatio unius sine alio.

CAPUT XVI.

1 ROmanus Pontifex pro indigentiis tum clericorum, tum etiam regularium solet perpetuo, vel ad tempus, aut sub aliqua conditione unum, vel plura beneficia capitulis, & monasteriis unire, ut ea sufficientibus ditata reditibus possint commode substinere ministros pro peragendis officiis, & ministeriis ecclesiasticis;
2 Deinde ex causis sibi bene notis uniones ab ipso factas revocat, & beneficia sic suppressa in pristinum statum restituit, iterum ea conferendo clericis idoneis, & habilibus. Præterea quomodo, & quando beneficia unita vacent pro effectibus juris in præsenti capite inquirendum est, hæc enim faciunt ad præsentem Tractatum, prout quisque videt.

3 Itaque notandum est primo, quod omnia beneficia perpetuo unita capitulis, monasteriis, aut locis piis tam quoad temporalia, quam quoad spiritualia amplius non vacant, & in sequelam non possunt amplius conferri, resignari, aut permutari; ratio multiplex est, primo quia titulus, qui per unionem extinctus est, non est conferibilis, impetrabilis, aut in alium transferibilis; secundo quia dignitas, seu locus pius, cui unio subjective facta est, nunquam moritur, quod sine dubio impedit vacationem; tertio quia beneficium unitum efficitur membrum, in quo vacatio non est possibilis *ex plene deductis per Loter. de re benefic. lib.* 1. *quæst.*28. *num.*104. *Rot. decis.*71. *decis.*196. *utrobique num.*2. *decis.*658. *num.*3. *par.*2 *rec. decis.*340. *num.*2. *par.*4. *tom.*1. *decis.*90. *n.*1. *par* 4. *tom.*2. *decis.*642. *num.*11. *par.*4. *tom.*3. *decis.*71. *num.*7. *par* 8. *decis.*374. *num.*15. *par.*9. *tom.*2. *recen. decis.*219. *num* 24. *decis.*310. *num.*10. *par.*16. *decis.*773. *num.*6. *par.*18. *recen. tom.*2. *decis.*662. *num.*11. *decis.*771.

*cis.*771. *num.*24. *decis.* 835. *num.* 4. *coram Molin.*

4 Unde propterea hujusmodi beneficiorum impetrationes, quæ frequentes sunt in Romana Curia non carent obreptionis, seu subreptionis vitio, si per impetrantem mentio unionis non fiat *cap super literis, ibique Felin. de rescript. Sylv. de benefic par.*3. *quæst.*11. *n.*73. *decis* 3. *de rer. permut.in antiqu. decis.*324. *per tot. decis.*784. *num.*52.

5 *decis*845. *num.*9 *cor. Molin.*, nisi deinde per impetrantem doceatur de revocatione unionis, ac nova beneficii creatione *Cassador. decis.*2. *num.* 2. *de union. Rot. decis.*71. *n.*21. 24. *par.*8. *rec.* Quinimmo non solum de hoc constare debet, sed & insuper probandum est beneficium esse collativum, aliàs non datur vacatio *Felin. in cap. in nostra n* 9. *&* 30. *de rescript. Abb. cons.*47. *num* 1. *cum seqq. lib.*2., ubi doctè explicat beneficii ecclesiastici requisita.

6 Notandum secundo, quod ex unione beneficii, seu ecclesiæ perpetuo facta monasterio non bene infertur ad unionem beneficiorum in eadem ecclesia existentium; hæc enim beneficia sunt quid distinctum, & separatum ab ipsamet ecclesia unita, eo modo, quo provisa de ecclesia non censetur provisus de beneficiis, quæ in eadem ecclesia erecta sunt *cap. final., ibique Abb. in primo notab. de præben. Rot. decis.*14. *n.*11. *&* 12. *decis.*92. *num.*5. *cor. Duran decis.*155. *n.*2. 3. *cor. Cerr.* Sane non implicat, quod ecclesia perpetuo unita monasterio amplius vacare non censeatur, & vacent beneficia in eadem ecclesia existentia; aliud enim est disponere de ecclesia, aliud de beneficio in ecclesia existente, prout aliud est provideri de ecclesia, aliud provideri in ecclesia, quod

7 patet à contrario, si enim uniantur beneficia ecclesiæ, utique non censetur ecclesia etiam unita, ita sub unione ecclesiæ non veniunt beneficia, quæ ibi extant, quia, ut jam dictum est, sunt corpora inter se distincta, ac separata, & uno posito, non ponitur aliud, & è contra.

8 Nec turbat, quod in unione ecclesiæ regulariter inseri soleat clausula *cum omnibus annexis, & connexis, seu cum omnibus juribus, & pertinentiis, & his similibus.* Respondetur, quod vis hujus clausulæ ea est, ut comprehendat tantum beneficia, quæ ipsimet ecclesiæ annexa sunt tamquam membra, ita quod ecclesia, & beneficia reputentur unum, & idem corpus, tunc enim sub unione ecclesiæ, veniunt etiam beneficia, quæ sunt de ecclesia, & ecclesiæ incorporata, seu annexa, *cap. quia monasterium de religios. domib. l si quando C de bon.vacan. lib.*10. *Rot. decis.*14. *num.*13. *decis.*92. *n.*12. *cor. Duran.*; secus ubi beneficia sunt separata, quoniam hæc sunt quidem in ecclesia, sed non de ecclesia, nec dicuntur de annexia, & connexia ipsi ecclesiæ, ergo hæc beneficia sub unione non veniunt, nisi aliud constet de mente Papæ unientis ecclesiam, quæ tamen mens debet esse clara, & patens, seu quod literaliter, aut necessario deducatur ex aliia clausulia in Bulla unionia insertia, aliter semper urget dispositio juris pro exclusione unionis beneficiorum in ecclesia unita existentium *ex juribus jam dictis*.

9 Notandum tertio, quod, ubi agitur de unione temporali beneficii collativi, valet post lapsum temporia collatio, seu impetratio obtenta à Papa, vel ab Ordinario, & ratio est, quia per dissolutionem unionis non fit novum beneficium, sed idem remanet, prout erat ante unionem, *ita distinguit Cassador. decis* 2. *num* 2. *de union. decis* 5. *num* 4. *de reservat. Put. decis.*13. *n* 1.

10 *lib.*3. *Rot. decis*71. *num.*22. *par.*8. *rec.*, ac proinde per dissolutionem unionia beneficium vacat de jure, ut prius, licet verius

11 sit, quod nunc potius vacet de facto, quoniam unio temporalis æquiparatur commendæ, in qua non datur vacatio, nisi de facto *Rot. decis* 371. *n.*1. *cor. Cavaler.*, *decis.*672. *num.*2. *par.*2. *recen.*

12 Notandum quarto, quod monasterio potest fieri unio plurium beneficiorum simplicium sub conditione percipiendi certam fructuum quantitatem, ut ex hia fructibus dos competens constituatur monasterio pro alen-

13 dis ministris; Docto enim de perceptione tot fructuum, prout in literis Apostolicia continetur, statim dissolvitur unio, & in sequelam beneficia vacant cum facultate impetrandi, nam dissoluta unione, beneficia temporaliter unita redeunt ad primævum statum, in quo erant priua ex auctoritate *Cassador. Putei ut supra*, & justa quidem ratione, quia paria sunt unire beneficia ad tempus, vel sub conditione percipiendi tot fructus. Porro, si post lapsum temporis vacant beneficia unita, vacant quoque per purificationem conditionis *cap. cum cessante de appellat. Rebuff. in prax. rubric. de union. revocan. num.*1. *&* 2. *Caccialup. tractat. de union. artic.*9. *num.* 3. 4., ubi quod cessante causa unionis, cessat unio.

Notandum quinto Papam posse perpetuam beneficii unionem à se factam revocare, ac dissolvere, idque posse etiam Ordina-

14 rium loci recepti juria est, quoniam ex potestate uniendi infertur ad potestatem dissolvendi, *ut docent Azzor. instit. moral. par.*2. *lib.*6. *cap* 29. *quæst.*5. *Garz. de benef. par.*12. *cap.*2. *num* 301. *Barbos. univers. jur. ecclesiast. lib.*3. *cap.*16. *num.*68. *in fin. Rot. decis*475 *num.*17. *cor. Bich.*, cum hac ta-

15 men differentia, quod Ordinarius beneficium sic unitum debet priua restituere ad primævum statum, & deinde illud conferre, alioquin collatio hujus beneficii simpliciter facta de jure non subsistit *Rot. decis.*71. *n.*22.

16 *par.*8. *rec.*. E' contra per dissolutionem unionia factam à Papa censetur ipso jure inducta vacatio beneficii, quod speciale est in Papa, qui scienter conferendo beneficium inducit vacationem, ubi aliaa non adesset *ad Text. in l. quidam consulebant in fin. ff.*

de re judic., *ibi = Princeps enim decrevit Ancharan. conf.293. num.3. Caffador. dec.2. num.17. de union.*

17 Notandum sexto, quod unio beneficii, quæ redundat in præjudicium ecclesiæ, revocanda est; unio enim à jure permittitur pro necessitate, & utilitate *cap. exposuisti de præben. Rebuff. prax. benefic. tit. de unionum revocat. num.13. Tamburin. de jure Abbat. disput.15. cap.7. num.3. in fin. Azzor. instit. moral. par.2. lib.6. cap.28. quæst.14. cap.29. quæst.4.*, & consequenter beneficium vacat ob revocationem unionis, sive ea fiat à lege, vel ab homine, nam cessante causa unionis cessat unio, & beneficium debetur impetranti *Spad. conf.40. num.10. lib.2. Rot. decis.406. num.19. par.16. recen.*

18 Notandum denique, quod etiam unio fit de duobus beneficiis æque, ac principaliter, quo casu unus est titularia utriusque beneficii absque ulla confusione jurium, seu privilegiorum, quæ utrique beneficio competunt *cap.1. ibique Gloss. versic. uniendo ne sede vacan. Abb. ibidem num.1. & 6. Barbos. allegat.66. num.46. Garz. de benefic. par.12. cap.2. num.37. Azzor. instit. moral. lib.6. cap.28. par.2. quæst.2. Rot. decis.76. num.7. cor. Cels. decis.2304. num.5. cor. Coccin. decis.640. num.19. cum seqq. decis.806. num.7. & per tot. coram Dunozett. jun. decis.534. num.3. decis.563. num.5. cor. Molin.*, sicue

19 duo Episcopatus uniuntur sub uno Episcopo *can. & temporis qualitas can. præcipimus §. sicut duo 16. quæst.1. Gratian. discept. forens. cap.892. num.1. & per tot. lib.5. Mandoz. conf.27. num.1. Rot. decis.330. num.1. cum seqq cor. Cavaler. decis.331. num.6. cor. Duran. & in Ampurien. seu Civitaten. unionis 19. Junii 1682. §. assistit. cor. Ursin. confirmata die 8. Febr. & 10. Junii 1686. cor. Cacc.*. Et sicuti ad unum Episcopatum sine alio non potest quis promoveri, ita unum beneficium sine alio conferri non potest *per Text. in l.1. §. præterea sciendum ff. de sepa-*

20 *rat*, ubi quod in bonis unitis separatio impetrari non potest *Azzor. instit. moral. par.2. cap.28. quæst.20. lib.6.*

21 Dissoluta tamen unione utrumque beneficium vacat de per se, & tenet collatio unius sine alio *cap. vacante, ibiq. Gloss. Innoc. de præben.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 An pensio reservata monasterio contemplatione paupertatis cesset, & extinguatur cessante paupertate, distinguuntur casus 2, 3. 6.

4 Privilegia concessa monasteriis intuitu paupertatis cessant cessante paupertate.

5 Indulta percipiendi usque ad certum tempus fructus beneficiorum vacantium pro solvendis debitis expirant, si ante tempus debita extincta sint.

7 Differentia inter pensionem, & onus.

8 Pensio perpetua assignata monasterio intuitu paupertatis potest cassari à Principe, si monasterium dives efficiatur.

9 Privilegium, quod ex post incipit esse ecclesiæ nocivum, revocatur.

10 Beneficia integre, & absque ulla diminutione conferri debeat.

1 IN sequelam eorum, quæ supra dicta sunt, sequitur quæstio, an pensio reservata monasterio contemplatione paupertatis cesset, & extinguatur cessante paupertate? Pro resolutione præsentis quæstionis tres ca-

2 sus distinguendi sunt, quorum primus est, ubi pensio reservatur monasterio pauperi hac conditione, ut cum monasterium tot reditus acquisierit, statim pensio cesset, hic casus est planus ex mente Papæ, quæ ratione, aut auctoritate non indiget, cum in claris explosa sit quævis juris interpetratio *l. ille, aut ille ff. de legat.3.*

3 Secundus casus est, ubi pensio reservatur monasterio intuitu paupertatis ut supra, sed paupertas fuit causa impulsiva, ut pensionis reservatio fieret, tunc res dubii juris est, & casus resolutio pendet ex facti, & temporum circumstantiis, seu ex mente reservantia pensionem, quæ varias patitur juris interpetrationes; censeo tamen pensionem sic reservatam extingui; primo, quia ubi agitur de exoneranda ecclesia ab onere pensionis, omnis debet capi interpretatio favore ejusdem; secundo effectum, quem parit causa finalis, producit etiam causa impulsiva, quoniam voluntas Papæ ea est, ut indigentiis monasterii consulatur, & mens eadem est, sive pensio reservetur ex una, vel alia causa; idcirco cessante monasterii paupertate, pensio extinguitur, sublatis quibuscumque differentiis, quæ inter causam finalem, & impulsivam de jure intercedunt *cap. cum cessante de appellat. Glos. in cap. si pauper versic. cesset de præben. in 6. Rot. decis.635. num.5. coram Cerr.*, ubi assignatio redituum facta seminario pauperi cessat, si fiat dives, ac sufficientibus affluat proventibus; quemadmodum privilegia, quibus monasteria, aut loca pia à Papa sæpe condecorantur, vel

4 ratione religionis, vel ratione paupertatis, vel ex alia quavis causa, statim cessant, & expirant, cessante causa, pro qua liberaliter à Principe concessa fuerunt *Gloss. magistralis in can. ita nos vers. cessaverint 25. quæst.2. Gloss. in l. final. Cod. de restitut. milit. l. ex facto ff. de vulgar. & pupillar.*, *Oldrad. in lib. magn. quæst. disputat. quæst.93.*, *quæ incipit quæstio est, an privilegium concessum Rot. decis.93. num.3. coram Penia*; quod tene menti contra privilegia regularium.

Nec ab his differunt ea indulta, & super-

5 ventiæ, quæ à sede apostolica Cardinalibus, & Episcopia quandoque conceduntur perci-

percipiendi scilicet usque ad certum tempus fructus beneficiorum vacantium pro solvendis debitis in diœcesi, curia, legatione, aut alibi contractis, *ut literaliter disponit text. in cap. si propter de rescript. in 6.*, quoniam tùnc hæc indulta, seu superviventiæ eo ipso, quod debita remissione creditorum, vel aliunde extincta sunt, cessant, expirant, & similiter vacant ex mente Principis, quæ ea est, ut sicuti durante causa ea habeantur cum effectu concessa usque ad præfinitum tempus, ita ea cessante etiam ante lapsum temporis denegata censeantur, neque enim verisimile est Principem voluisse, ut hujusmodi indulta, & superviventiæ, quæ nimium exorbitant à jure, extendantur ad alios casus præter ejus mentem, immo contra dispositionem juris, qua cavetur, ut cessante necessitate cesset pariter id, quod pro necessitate indultum fuit *Can. pro remedio 1. quæst. 7. ibi= quod ergo necessitas pro remedio reperit, cessante utique necessitate debet cessare pariter, quod urgebat, quia aliud est ordo legitimus, aliud quod usurpatio ad præsens fieri tempus impellit Card. in cap. 2. in 3. not. ibique Abbas Anchar. in 1. not. de custod. eucharest*; quod pariter nota contra indultarios.

6 Tertius demum casus est, ubi pensione gravatur beneficium pro dote monasterii, & alimentis ministrorum, hoc casu pensio non cessat, si deinde monasterium dives efficiatur, non enim pensio assignata est præcise pro indigentiis temporariis, sed pro dote monasterii, & sic pensio ita reservata assumit naturam oneris fixi, stabilis, ac perpetui, sicuti pro dote ecclesiæ assignari solent bona, census, & loca montium; Immo proprie loquendo hæc non est pensio, sed potius onus ecclesiæ impositum, præsertim si monasterio fiat solutio in decimis, fructibus, cum similibus *Rot. decis. 107. num. 18. 19.*

7 *part. 10. recen.*, quamvis pensio ea proprie sit, quæ imponitur ab homine, onus, quod indicitur à lege ex relata *Sacræ Rotæ* auctoritate, quæ in hoc bene dicit.

8 Verum si monasterium, cui pensio perpetua assignata est, inde dives efficiatur, posset pensio ad preces Titularis annullari, & cas-

9 sari à Principe, exemplo privilegii, quod revocatur, si ex post incipit enormiter nocivum esse ecclesiæ *cap. suggestum de decim.*, *Gloss. in cap. statutum versic. ad noxam de rescript. in 6.*, deinde quia hujusmodi pen-

10 sio est exorbitans à jure, quod præcipit, ut beneficia integre, & absque ulla diminutione conserantur, *cap. unico ut ecclesiastica beneficia, cap prohibemus de censib. con. pastoralis de iis, quæ fiunt à Prælat. can. si quis præbendas in fin. 1. quæst. 3.* Ideoque omnis ratio exigit, ut hujusmodi pensio omnino cassetur, quod mihi verum videtur, & satis consonum rationi *ex dictis in cap. 19. & 20. in addit. lib. 1.*, ubi de pensionum cassatione, quæ fit motu proprio Papæ, seu Principis.

ARGUMENTUM.

De amotione Regularium ab Officiis, Prioratibus, & Abbatiis, ac privatione Pensionis ob malam administrationem, dilapidationem bonorum, ac redituum ecclesiasticorum *ad ornatum Text. in cap. cum ad monasterium verb. prævaricator cap. monaci verb. priores de statu monachorum*, & quando potius sit dandus coadjutor, seu coadministrator *ad ornatum Text. in cap. ea quæ eod. tit.*

SUMMARIUM.

1 Abates non ità facile ab eorum officiis removendi sunt, sed opus est, quod pluries deliquerint alienando, seu dilapidando fructus monasterii.

2 Abbates pluries moniti ob negligentiam in administratione officiis privari debent, vel saltem dandus est coadjutor, seu coadministrator. 3.

4 Regulares electi ad inferiora officia pro levibus causis removentur, ubi differentia inter Prælatum regularem, & simplicem Religiosum.

5 Differentia inter Clericos seculares, & regulares quoad privationem beneficiorum, & officiorum.

6 Prior regularis privat, & destituit Monachos.

7 Prior introducens fœminas in Monasterium, ibique scandalose conversatur, officiis privatus est, vel privandus.

8 Regulari, qui privatus est exercitio Prioratus, non debetur manutentio, secus clerico seculari, qui de pluribus inquisitur criminibus pœnitentiam peregit, ubi quod manutentio conceditur, *firmo remanente sequestro*.

9 Prælatus regularis ob dilapidationem bonorum, & fructuum Monasterii Officio, & Prælatura privandus est, ubi quoad alienationem bonorum Monasterii, & Ecclesiæ Prælatus regularis nil differt à clerico seculari. 10.

11 Differunt tamen quoad dilapidationem fructuum, ubi quod Prælatus regularis privatur officio, & administratione, secus clericus secularis. 12.

13 Regularis, si timetur de futura dilapidatione, ab officio potest removeri, secus clericus secularis ibidem.

14 Prælatus regularis amovetur ab officio, si regulæ præjudicet, aut illam non observet; Item removetur ob majus bonum ipsius religionis. 15. secus clericus secularis. 16.

17 Ob grave, & scandalosum factum religiosi exercentis curam animarum privatur de rigore juris religio ecclesia parochiali monasterio unita.

18 Ec-

18 Ecclesia ob delictum prælati privatur feudo ad tempus, quandoque bonis perpetuo spoliatur ibidem.
19 Ex facto, seu crimine unius tota universitas de æquitate non est pergravanda, ubi casus *Benedicti XIII.*
20 Regulares habentes administrationem, aut curam animarum dissimiles non sunt coadjutoribus beneficiorum secularium.
21 Coadjutoria expirat propter cæcitatem apoplesiam, item officium regulare ibidem.
22 Prælati regulares habentes jus perpetuum in Abbatia, seu Generalatu propter perpetuam inhabilitatem à desitorio amoveri debent, ubi exemplificatur.

CAPUT XVII.

1 Bbates, qui sunt ordinum capita, cæterique Prælati regulares habentes administrationem redituum ecclesiasticorum non ita facile ab eorum officiis removendi sunt, sed opus est, quod pluries in officio deliquerint alienando, seu dilapidando fructus, quos in utilitatem mo-
2 nasteriorum de jure tenentur impendere. Sed si sæpius moniti non resipuerint ab ea, & quidem crassa in administrando negligentia, quæ maxima monasteriis intulit detrimenta, possunt, & debent deponi, ac officiis privari *cap. cum ad monasterium verb. quod si prævaricator, ibique Gloss. in versic. negligens de statu monachor. cap ea, quæ verb. si autem eod. tit. l. si quos cod. de officio prætor. orientis Abb in cap. monaci num. 5. ibiq. Butr. num.* 8. *eod. tit. Sayr. de censur. lib.* 5. *cap.* 21. *n.* 1. *Bordon. oper. moral. tom.* 4. *decis.* 5. *Miscellan. num.* 207. *in fin. Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæst* 33. *num* 47. *Caren.*
3 *resol.* 38. *per tot.*; Alioquin, si male administrare incæperint, dandus est coadjutor, seu coadministrator *per Text. in cap. ea, quæ de stat. monachor., ibiq Abb. num.* 6. *Hostien. in cap. cum ad monasterium num.* 14. *eod. tit.*

4 E' contra autem regulares electi ad inferiora officia pro levibus causis removendi sunt *Gloss. in cap cum ad monasterium versic. amoveri de stat. monachor.*, & ratio est, quia in pænis etiam inter regulares habetur respectus ad qualitatem personæ, sicuti inter ecclesiasticos seculares *Gloss. in cap. final. versic. causas de transact. cap. sane ibiq. Gloss. versic. compelli cap. pastoralis, in fin. de offic. Judic. delegat.*, quoniam, cæteris paribus, facilius privandus est clericus beneficio, quam qui in ecclesiastica dignitate constitutus est,

5 Differunt tamen clerici seculares à regularibus in hoc, quod seculares juris ordine servato, beneficiis privandi sunt, regulares autem summarie, de plano, & sola facti veritate inspecta, ab officiis removentur *cap. ultim. de stat. monachor. ibi = absque judiciorum strepitu*; & ratio disparitatis est, quia clerici seculares habent liberam ecclesiarum administrationem, regulares cum dependentia, ideoque ii ab officiis, & administrationibus monasteriorum facilius dejiciuntur *cap. qualiter* 24. *de accusat. Gloss. in cap. ultim. versic. absque de stat. monachor. Gloss. in cap. per tuas versic. levioribus de simonia = ibi=quia non ita pingue jus habent regulares, sicut seculares, vel potius quia non est tantum scandalum pro remotione regularis, sicut secularis; & hoc est de consuetudine approbata Rot. decis.* 6. *in Mantiss. Card. de Luc. de benefic. lib.* 12. *impress. venet. decis.* 20.
6 *n.* 4. *in fin. par.* 1. *recen.*, ubi Prior privat, & destituit monachos, licet de gravibus non cognoscat, nec judicialiter procedat.

Et quamvis Prior regularis destituendi monachos potestatem habeat, nihilominus ipse ex causa gravis criminis severioribus
7 subjacet pænis, quoniam si introducat fœminas in monasterium, ibique scandalosè conversatur, choreas, & convivia faciendo, officiis privandus est, immo ipso jure spoliatur *ex Constitutione Pii V. la* 20. §. 4. *& Gregorii XIII. in ordine* 28. *d. decis.* 6. *penes Mantiss. Card. de Luc. de benefic.*
8 *lib.* 12. Immo regulari, qui privatus est titulo, seu exercitio prioratus ex Constitutione Apostolica, non est danda manutentio, quæ regulariter possidenti non solet denegari, quod patet in eadem causa super manutentione *in decis.* 7. *impress. in Mantiss. Card. de Luc. de benef. lib.* 12. E contra clericus secularis de pluribus inquisitus criminibus, quorum pænitentiam jam peregerat, nec concurrebant requisita *Tridentini de clericis concubinariis*, manutentionem in ecclesia parochiali merito obtinuit, licet deinde mandatum fuerit servari decretum Ordinarii super appositione æconomi; quod sane decretum ratione non caret, quoniam ita absque ullo scandali periculo fidelibus ecclesiastica sacramenta administrantur, *ita habetur in Leodien. Pastoratus* 16 *Januarii* 1702. *cor. Mut.*; & ita resolutiones *Sac. Rot.* inter se non pugnant.

9 Fortius, si Prælatus regularis sit dilapidator bonorum, & fructuum monasterii, nam quod officio, administratione, & prælatura regulari privari debeat, *sunt textus express. in cap. monaci verb. priores, ibique Gloss. versic. dilapidator, Abb. num* 6 *de stat. monachor. cap. cum ad monasterium eod. tit. cap. licet beli de simonia, Bordon. oper regular. tom.* 5. *prax. criminal. cap.* 97. *num.* 105. *de furib. Tamburin. de jure Abbat. lib.* 1. *disput.* 13. *quæsit.* 2. *num.* 4. *Diaz. in prax. criminal. cap.* 71. *num.* 1. *Bellett. disquisit. clerical. par.* 2 *de pæn. cleric.* § 35. *num.* 4. 6. *Sayr. de censur. lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 7. *Roman. consil.* 467. *num.* 8.

10 In hoc à pari procedunt Prælatus regularis cum clerico seculari, utrobique enim ob dila-

dilapidationem bonorum ipso jure amittunt beneficia, officia, & prioratus, *ut habetur in extravagan. ambitiosæ de reb. eccles. non alienand. Tamburin. de jur. Abbat. par.3.*
11 *disp.13.quæsit.12. num 4.cum seq.* Sed quoad dilapidationem fructuum inter se differunt, nam Prælatus regularis privatur officio, seu administratione regulari, cum dominium fructuum non penes ipsum, sed penes religionem resideat; idcirco, ubi regularis dilapidat, seu distrahit fructus, disponit de eo, quod est alterius, ac sibi usurpat, quod est religionis, quæ ratio cessat in clerico seculari, qui habet dominium, vel absolutum, vel modificatum juxta varias canonistarum, & theologorum opiniones, nec perperam distrahendo fructus sui beneficii dici potest dilapidator, immo quodammodo utitur jure suo juxta unam opinionem, licet
12 juxta alteram graviter peccet. Unde propterea clericus propter dilapidationem fructuum ecclesiasticorum beneficio privari non potest *Spad. consf.99 lib.2. Rot. decis.472. decis.600.per tot.coram Pan.*

13 Quinimmo regularis ab officio potest amoveri, si timetur de futura dilapidatione fundata in consuetudine dilapidandi *Bald. in cap. venerabili num.5. de offic. judic. delegat.* quoniam magis expedit monasterio, ut bona, & fructus per fidelem œconomum administrentur, quam remaneant sub periculo dilapidationis; quod dici non potest de clerico seculari, contra quem non præsumptis, sed vera requiritur bonorum ecclesiasticorum dilapidatio, ut inde beneficiis privari possit juxta dispositionem juris.

14 Rursus pœna amotionis ab officio locum etiam habet contra Prælatum regularem, si regulæ præjudicet, aut illam non observat *Gonzal. in cap. monaci num* 8. *de stat. monachor. Tamburrin. de jure Abbat.dispat.13. quæsit.2. num.8. lib.1. Baronius anno* 1015. *fol.* 54. *tom.* 11. refert exemplum Abbatia
15 Corbeiensis indisciplinati, & quandoque majus, ac commune bonum ipsius religionis ita exigit *Tamburrin. ubi supra num.*9 Hæc proprie regularibus conveniunt, non autem
16 clericis secularibus, qui propter majus bonum ecclesiis, seu beneficiis privari non debent.

17 Item propter grave, & scandalosum factum religiosi exercentis curam animarum de rigore juris privatur religio ecclesia paro-
18 chiali monasterio unita; quod non repugnat, quoniam ecclesia ob delictum prælati privatur feudo ad tempus *cap.1. §. item si clericus, ibique Gloss. in versic. ad Regem pertineat de legib. Corrad*, quandoque ob publicam utilitatem perpetuo spoliatur *l.jubemus nullam navem, ibique Gloss. versic. corrigimus C. de sacrosanct. eccles.*; æquitas
19 tamen suadet oppositum, ut nempe ex facto, seu crimine unius tota universitas non sit pergravanda *cap. non debet de regul. jur. in 6. l. sancimus C. de pœn.*, & ita religio Patrum Servorum, quæ olim fuit privata ecclesia parochialis S. Nicolai in Urbe unita conventui, seu monasterio ob grave scandalum religiosi ad curam animarum deputati, ad pristinum jus 1728. *per Benedictum XIII.* reintegrata fuit.

20 Postremo ponderandum est, quod regulares habentes administrationem monasteriorum, aut curam animarum in ecclesiis dissimiles non sunt coadjutoribus beneficiorum secularium, cum utrobique non competat iis, nisi solum exercitium officii, seu beneficii, remanente titulo penes monasterium
21 & coadjutum; Ut igitur coadjutoria in beneficiis secularibus expirat propter cæcitatem, apoplesiam, paralipsin, ita ex eisdem causis vacant officia regularia,& in sequelam alii regulares æque idonei pro regimine monasterii,& ecclesiæ parochialis deputandi sunt *l.cum prætor §.non autem l.si prætor Lcæcus ff. de Judic.l.1.ff.de postulan. l.si quos Cod.de officio prætor.orientis Can.hinc etenim distinct.*49. & in specie *Rot. decis.*2217. *n.*9. *cor. Coccin.*; quæ licet loquatur de beneficio seculari, applicabilis est contra abbates, & priores regulares habentes officia, & curam animarum; utrobique enim cessat servitium ecclesiæ, cessat administratio, seu regimen monasterii, quod per cæcum, aut paraliti-
22 cum expleri non potest, licet Prælati regulares habentes jus perpetuum in Abbatia, seu Generalatu propter perpetuam inhabilitatem à definitorio, aliisque vocalibus amoveri potius debeant, ut talia officia vacare censeantur *Abb. in cap. cum ad monasterium in* 2. *principali quæstione de stat. monachor. Rot. decis.*382. *in fin. coram Put. lib.*1., ubi ex mente *Oltradi* dicit magnum Magistrum ex causa per conventum posse amoveri.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Religiosi dilapidatores pensionibus privandi sunt, nulla habita distinctione inter abbatem, & monachum. 2.

3 Dominus potest peculium traditum servo ad placitum revocare.

4 Limità in pensione ad vitam regulari reservata auctoritate Papæ, ubi de ratione.

5 Quid probandum sit, ut monachus pensione ad vitam privari possit.

6 Crescente contumacia, augeri debet & pœna.

7 Contumax privatur fructibus.

HÆc, quæ mox dicturi sumus, certa, & indubitata sunt juris principia; Si enim religiosi dilapidatores bonorum ecclesiæ ab officiis amoventur, multo magis pensioni-
1 bus, quas ad certum tempus, vel simpliciter possident, privandi sunt. Sane si regularis

ris solet dilapidare, quod commune est, à
fortiori dissipavit fructus pensionis sibi assi-
gnatos pro suis indigentiis, qui enim prodi-
gus est in re alterius, multo magis in re,
quæ quodammodo sua est, & ad proprium
usum destinata; Deinde non expedit mona-
sterio, ut qui ob dilapidationem bonorum
amovetur ab officio regulari, utatur inde,
ac fruatur pensione cum periculo converten-
2 di fructus in usus prophanos. Hæc vera sunt,
nulla habita distinctione inter Prælatum re-
gularem, & subditum, inter abbatem, &
monachum, agitur enim de pensione ad nu-
tum amovibili *cap. cum ad monasterium de.
stat. monachor. Rot. decis.302. num.2. in fin.*
3 *par.2.rec.* eo modo, quo peculium traditum
servo potest Dominus ad placitum revocare
*l. peculium in principio l. peculium 40. in fin.
ff. de pecul.*, ita à pari.
4 Id tamen fallit in pensione ad vitam regu-
lari reservata auctoritate Papæ, non enim
privandus est ob dilapidationem bonorum
monasterii, sufficit enim, quod amoveatur
ab officio administrationis, & puniatur in
eo, in quo deliquit, alioquin nimium exor-
bitans esset regularem duplici pœna puniri,
officio scilicet, & pensione, quod implicat
*per Text. in cap. at si clerici in fin. de judic.
l. sanctio legum in fin. ff. de pæn.*. Unde, ut
5 monachus, seu religiosus pensione ad vitam
privari possit, probandum est, quod fructi-
bus pensionis male utatur, seu abutatur,
ac dissipet, insumendo eos in usus propha-
nos, illicitos, & prohibitos, ut ita in eo,
in quo deliquit, puniatur *per Text. in can.
quid dicam 14. quæst.4., ibi = male possidet,
qui male utitur*, quod præsertim procedit,
si pluries à suo superiore, vel ab Episcopo
6 monitus, contumax sit, & ratio est, quia,
ubi contumacia crescit, pœna quoque auge-
ri debet *cap. quoniam frequenter in fin. ut lit.
non contestat. l. relegati ff. de pæn. Bellamer.*
7 *decis.244.* ubi quod contumax privatur fru-
ctibus.

ARGUMENTUM.

AN Abbatiæ, Prioratus, Administrationes, & Pensiones claustrales, quæ simpliciter, vel ad triennium, seu ad certum tempus dantur Monacis, vacent vel ipso jure. vel per amotionem; Quid si conferantur, & acquirantur ad preces Magnatum *ad interpret. Constit. Innocentii VIII., Clementis VII., Gregorii XIII., Urbani VIII., Alexandri VII., & aliorum*, & de Abbatiis claustralibus vacantibus per obitum, seu amotionem apud Sedem *ad ornat. extravagan. ad regimen præben.*, *& regulæ 2. Cancellariæ*.

SUMMARIUM.

1 ABbatiæ, prioratus, & administrationes claustrales inter beneficia perpetua connumerantur.

2 *Perpetuum* dicitur, quod certo tempore non limitatur, licet detur ad beneplacitum superioris.

3 Hodie abbatiæ, prioratus, & administrationes dantur ad triennium, & quandoque ad annum *ex Constit. Innocentii VIII, & Clementis VII*.

4 Semel electus post lapsum triennii ad idem officium immediate eligi non potest, sed vacare debet per aliud triennium.

5 In honoribus de jure datur vacatio quinquennalis, triennalis, & biennalis.

6 Officium regulare post triennium vacat, præsertim si ita cautum sit.

7 Quandoque post triennium vacat, sed non plene, nisi in adventu Generalis.

8 Proconsul, & Præfectus imperium amittit, si successor advenerit.

9 Proconsul portam Romæ ingressus deponit imperium, & monachus, Generali accedente, dimittit officium jam vacans.

10 Officium regulare ob amotionem vacat etiam intra triennium.

11 Præsertim si amotio facta sit ex causa.

12 Officia regularia de jure sunt ad nutum amovibilia.

13 An abbas electus ad triennium cum facultate conferendi prioratus vacantes amittat hanc facultatem, si simpliciter ad aliud triennium confirmetur, duplex opinio.

14 Monaci Cluniacenses petentes, & iterantes preces pro assequendis prioratibus inhabilitatis pœnam incurrunt, & prioratus amittunt.

15 Monaci Cluniacenses obtinentes prioratus ad preces, & favorem magnatum privantur eisdem, & per annum inhabilitantur.

16 Monaci, & religiosi omnes ob crimen ambitus inhabilitantur, & privantur ipso jure omnibus officiis, & dignitatibus num.17. 18.

19 Quid sentiat *Divus Bernardus* de ambitiosis.

20 Sententia *Cassiodori* contra ambitiosos.

21 Ambitio refrænanda est à clericis, & monacis, & quare.

22 Abbatia perpetua etiam localis per privationem vacat.

23 Ab abbatia claustralis per obitum, seu amotionem vacans, vacet in Curia, distinguitur 24.

CA-

CAPUT XVIII.



1 Olim abbatiæ, prioratus, administrationes, & quæcumque officia regularia inter beneficia perpetua connumerabantur; erant enim inter se incompatibilia *cap. cum singulis de præben. in 6.* devolvebatur jus conferendi ad Episcopum juxta præscriptum Concilii Lateranensis III, si intra sex menses à Prælato regulari clericis, seu monacis non conferebantur *clement. unic. de supplen. neglig. Prælat.*, nec perpetuationem amittebant, licet à Prælato regulari possent ad placitum revocari, nam
2 *perpetuum dicitur, quod certo tempore non limitatur, etiamsi detur ad beneplacitum superioris*, ut ait *Guimierius in Gloss. pragmaticæ de collat. §. item quoad dictas.*

3 Hodie autem abbatiæ, prioratus, & administrationes claustrales ad triennium tantum dantur à Prælato regulari una cum definitorio. Hunc modum eligendi, seu deputandi monacos ad hujusmodi officia Congregationi cruciferorum primus præscripsit Innocentius VIII. ibi = *Non ad vitam, sed ad triennium dumtaxat juxta primævam institutionem*; Clemens VII ultra progressus est, voluit enim tres Priores cuique cœnobio deligi in capitulo generali, quorum singuli singulis mox annis præessent, dum sequens
4 coiret capitulum, idemque quoad Priorem generalem monacorum silvestrinorum, ut ad triennium eligatur, statuit Paulus III. *constit. 38. ibi = sed is, qui uno triennio in Priorem ipsius prioratus præfuerit, ultimo ipsius triennii die Prior esse desinat*; Nec aliter quoad Monacos sancti Basilii censuit Gregorius XIII. *Constit. 58. §. 12. ibi = Eorumdem sive abbatis generalis, sive visitatorum, sive procuratoris item generalis munera sive officia triennalia sint, licebit tamen in eodem capitulo generali, ubi manifeste cognitum fuerit expedire, eosdem omnes, aut eorum aliquos ad aliud triennium in eodem, quod gesserint, officio, nec ultra confirmare, qui tandem ab eisdem muneribus saltem per aliud triennii spatium officio vacent*; Quod etiam cautum habetur in Constitutionibus Patrum Excalceatorum confirmatis per Breve Clementis XI anno 1701. ibi = *Electus ad triennium ad officium per aliud officium vacare debet in Religione Patrum Excalceatorum ex Breve Clementis XI. ibi = Prohibemus cæterum, & interdicimus reelectiones ad eadem officia juxta præscriptum Constitutionum part. 3. cap. 1. §. 7. 8.*; Nec differunt ab his Constitutiones Ordinis Cistercienfis Provinciæ Thusciæ, ita enim *in Constitutione 23.* statuitur ibi = *Præsides ultra triennium minime confirmari possunt, immo finito triennio per sexennium præsidentatus vacet, quod locum habet in præsidente à capitulo electo, non autem in eo, qui subrogatus fuerit in locum demortui intra triennium, ipse enim post triennii vacationem poterit ad d. præsidentatum reassumi, ac eligi, idem etiam fit de Prælatis, itaut nullus incipiat, nisi à die confirmationis capituli*; Pleræque demum Congregationes post Tridentinum eidem inhæsere triennii regulæ, inter quas etiam adscribitur Ordo S. Hieronymi in Hispania, *ut videre est in Constitutione 3. Clementis XII.* §. 19. §. 31. §. 35. §. 38., ubi quod tam dignitas Generalatus, quam Prioratus, & alia officia usque ad triennium durant, quo elapso statim expirant, & vacant.

5 Hujusmodi autem Constitutiones, & statuta de abbatibus, prioribus, & administratoribus claustralibus ad triennium deligendis ad similitudinem decurionum, qui ad regimen reipublicæ deputantur, in ecclesia introducta sunt, quippe quia in honoribus civilibus dantur intervalla temporum, scilicet quinquennalis, triennalis, & biennalis vacationis *l. 1. Cod. de muner. & honor. non continuandis, & de intervallis lib. 10. ibi = ita vacationum concessa tempora non aliis prodesse possunt, quam his, qui ad eosdem, vel alios honores, eademque, vel alia munera denuo vocantur l. ab honoribus Cod. eodem tit. ibi = ab honoribus ad honores ejusdem quinquennii datur vacatio, triennii vero ad alios, legatione autem perfunctis biennii vacatio concessa est.*

6 Interim tamen officium monachale, quod ad triennium datum est, expleto triennio, vacare de jure censetur, præsertim si ita cautum sit, nam verbum *vacare* aptum est comprehendere quamcumque vacationem, & juxta subjectam materiam intelligi debet *Rot. decis. 25. num 5. part. 2. recen. ibi = nam & administratio etiam finito tempore administrationis, vel mortuo administratore vacare dicitur.*

7 Quandoque etiam officium regulare durat quidem per triennium, sed vacat saltem quoad exercitium per accessum superioris, cujus adventus vacationem officii plene consumit, quod habetur in Constitutionibus ordinis canonicorum regularium sanctæ crucis Conimbrien. in Regno Lusitaniæ *cap. 1. de elect. ibi = Porro rectoris officium, ut aliorum Priorum integro triennio durat, vacat, cum Pater generalis ad collegium cum collegis illud visitaturus novum rectorem instituturus accedit*; & sic patet, quod non triennium, sed accessus superioris plene perficit vacatio-
8 nem, eo modo, quo Proconsul, seu Præfectus augustalis ad provinciæ regimen delectus eo ipso imperium amittit, si successor advenerit *l. meminisse ff. de offic. proconsulis, l. 1. ff.*
9 *de offic. præfect. augustalis*; Immo sicuti Proconsul portam Romæ ingressus deponit imperium *l. final. ff. de offic. Proconsul.*, ita mona-

Ss

monacus in adventu Patris Generalis post triennium jam vacans dimittit officium etiam quoad exercitium.

10 Vacat insuper officium regulare ob amotionem factam à definitorio, tametsi triennium expletum non sit, ita ex Constitutionibus Ordinis Sancti Basilii Prælati, & Procuratores, si utiles fuerint Monasteriis, possunt quidem confirmari; sed intra triennium etiam libere amoveri *ex cap. 15. de offic. Prælat.* ibi = *Prælati, atque Procuratores non modo per triennium Monasteriis, quibus præsunt; verum, si utiles admodum iis fuerint, per alterum triennium, & sic per sexennium in eisdem Monasteriis confirmari possint, ita tamen ut semper ad arbitrium Regiminis, idest Abbatis Generalis, Visitatorum, & Definitorum, quoties opus fuerit, amoveri possint*; Idque confirmatum fuit per decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium *die* 16. *Novembris* 1648., approbatum ab Innocentio X. ibi = *In eadem Dieta diligens habeatur tractatus de reformatione Congregationis ad observantiam regularem corrigendo, & reformando ea omnia, quæ correctionis, vel reformationis officio videbuntur indigere, ita quod, si Abbatem, vel alium cognoverint amovendum, amoveant etiam non expleto sui officii tempore*,

11 Multo magis vacat, si amotio facta sit ex causa, ita Abbates Congregationis Vallis Umbrosæ sive annales, sive perpetui possunt ex causa ab officiis amoveri ex Capitulis ejusdem Ordinis confirmatis per Innocentium VIII. *Constit.* 2. §. 17., 23., 37.; Idemque de Abbatibus, aliisque Prælatis Ordinis Sancti Basili sancitur in Constitutione *Gregorii XIII* 58. §. 24., quod nullam in hac re
12 habet dubitationem, quoniam officia regularia sive simpliciter, sive ad certum tempus concessa ad nutum sunt amovibilia *Gloss. in cap. monachi vers. non mutentur cap. cum ad monasterium §. tales de stat. monacor.*, *Decius in cap. ad nostram num.* 23. *de confirmat. util. vel inutil. Fagnan. in d. cap. cum ad monasterium num.* 33., *de Luca de regular. discur.* 15. *num.* 15. *vers. & quo casu*, *Lezzana oper. moral. consult.* 42. *num.* 21. *cum seqq.*

13 Hinc quæstio non levis occurrit discutienda, an abbas electus ad triennium cum facultate conferendi prioratus vacantes hanc facultatem amittat, si simpliciter ad aliud triennium confirmetur; Hanc quæstionem tangit *Cynus in l. eum qui ff. de jurisd. omn. Judic.*, ubi quærit, an arbitrium circa nonnulla datum Potestati civitatis duret, si confirmetur in officio pro sequenti tempore, & censet arbitrium expirasse, quia pro certo, & limitato tempore data est arbitrandi facultas, ergo ad aliud tempus non censetur concessa. Sed contra opinionem *Cyni* est textus *in l. sed. & si manente ff. de precar.*, ubi quod idem precarium est, si intra tempus prorogatum sit ab eo, qui precarium concessit *l. si donatæ §. final. ff. de donat. inter vir. & uxor.*, ubi quod si quis alienum annulum dedit sponsæ, & deinde pro eo suum dederit, secundus annulus fit mulieris, non ex secunda donatione, sed ex prima, quia secundus annulus in locum primi censetur subrogatus, ita à pari per confirmationem abbatis ad aliud triennium eadem durat potestas conferendi prioratus, obedientias, & administrationes interim vacantes, quod mihi videtur probabilius, nam sicuti confirmatio abbatis fieri solet ob ejus meritum, dum in hoc officio utilis admodum fuit monasterio, ita talis confirmatio interpretanda est cum omnibus juribus, quibus potiebatur in primo triennio, alioquin inducta in augmentum parerent diminutionem, quod repugnat *per text. in l. quod favore Cod. de leg. l. nulla ff. eod.*

14 Denique ob crimen ambitus condignæ in claustrales pœnæ non defuerunt; Monaci enim Ordinis Cluniacensis olim petentes, & iterantes preces pro obtinendis prioratibus incurrebant pœnas inhabilitatis, & prioratibus ad preces obtentis spoliabantur *ex Biblia cluniacensi fol.* 1460., 1465., 1466., *ut testatur Ugo V. abbas*, *qui anno* 1200. statuta compilari fecit ibi = *ut suis desideriis satisfaciant, obedientias petunt, vel sibi redditus assignari, statuimus, ut ipsis in hujusmodi petitionibus nullus præbeatur assensus, imo si commoniti non destiterint, graviori disciplinæ subdantur, & qui habuerint, amittant taliter acquisitas*.

15 Deinde ibidem etiam sancitum fuit, ut monaci, qui Magnatum seculi favorem, & preces ad assequendos prioratus, administrationes, & obedientias interponerent, impetratis statim, & impetrandis per annum carerent, ibi = *interventu secularium commissi sibi obedientias, vel prioratus exposcunt, statuimus, ne ullus taliter quemlibet petens honorem umquam illum obtineat, vel alium infra annum*; Idque etiam habetur *ex Constitutione Pii IV.* contra Monachos Congregationis Montis Virginis munus Abbatis per se, vel per alios postulantes, ibi = *Qui munus Abbatis postulaverit, eo censeatur ipso jure exclusus, similiter & ii, pro quibus postulatum fuerit, pœnam inhabilitatis incurrant*, quod refertur *in Constit.* 31. *Clementis X.*, & ratio est, quia sine suffragatione temporis, sine merito laboris ad honores indignum est perveniri, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant *can. miramur in fin. distinct.* 61.

16 Hodie autem crimen ambitus monacis, regularibus, & religiosis omnibus ex Constitutionibus Romanorum Pontificum sub gravioribus pœnis interdictum est; Monaci enim Congregationis Cælestinorum conferentes, & assequentes dignitates, & officia ad preces Magnatum nedum iis, quæ per preces obtenta sunt, sed etiam iis, quæ canonice eis commissa fuerunt officia, ipso jure privantur *ita Alexander VII. Constit.* 3. §. 2. ibi =

§.2. ibi = *Motu proprio &c. omnes, & ſingulos Monachos dictæ Congregationis cujuſcumque gradus, ſtatus, conditionis, qualitatis, & dignitatis exiſtentes, qui de cætero ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia d. Congregationis aſſequenda intenti ad Principum, & Prælatorum, & aliarum quarumcumque perſonarum tam ſecularium, quam eccleſiaſticarum de gremio d. Congregationis non exiſtentium recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliiſq. viis illicitis directe, vel indirecte, palam, vel occulte ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aſpiraverint, vel aliis minus legitimis, & honeſtis rationibus ea obtinere quæſiverint &c. ipſoſque, & eorum quemlibet ad quaſcumque Prælaturas, dignitates, officia, gradus, honores, adminiſtrationes, & munera in ipſa Congregatione obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, & obtentis per eos Prælaturis, gradibus, honoribus, & dignitatibus, adminiſtrationibus, functionibus, & officiis hujuſmodi eo ipſo privamus.*

17 Eiſdem fere verbis pœnam privationis ipſo jure contra aſſequentes, & conferentes dignitates, ac officia intuitu perſonarum extra gremium ordinis Sancti Auguſtini indixit idem Alexander VII. *conſtit.* 113. §.3., & 8., idque etiam cavetur contra Monachos Caſſinenſes *ex Conſtit. Gregorii XIII.*, *Urbani VIII. Conſtit.* 248. §.5., *Clementis X. Conſtit.* 17 §.5.

18 Item ambitum fratribus ſancti Hieronymi Congregationis feſſulanæ ſub privatione officiorum ipſo jure incurrenda prohibuit *Urbanus VIII. Conſtit.* 258. §.2. *Clemens X.* monacis montis virginis *Conſtit.* 31. §.1. & 2. & Capucinis ſimiles inflixit pœnas idem *Clemens X. Conſtit.* 46. § 1., & merito, quia ad honoris faſtigia non literis commendati, ſed probatæ vitæ ſunt aſſumendi *Biblia Cluniacen. loc. citat. ibi = literis eos non oportere initi, quamvis de non removendo literas habeant confirmationis can. nullus* 1. *quæſt.* 1., *can. decernimus* 1. *quæſt.* 7. Deinde crimen ambitus in ſe pernicioſi exempli eſt, nec ex eo bonus exitus poteſt umquam ſortiri *Can. Principatus* 1. *quæſt.* 1. *ibi = Principatus, quem ambitus occupavit, etiamſi moribus, aut actibus non offendit, ipſius tamen initii ſui eſt pernicioſus exemplo; & difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio*, quæ verba literaliter deſumpta ſunt *ex can. miramur diſtinct.* 61. *Suarez de relig. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 4. *Maranta contr. jur. par.* 5. *reſp.* 2. *num.* 19. *per tot. Adden. ad deciſ.* 2. *num.* 75. *part.* 3. *recen.* Item licet
19 nil ambitione acerbius, nil moleſtius ſit, attamen apud miſeros mortales nil eſt celebrius in ejus negotiis. Sane ambitio vera crux eſt ambientium, & quamvis omnes torqueat, omnibus tamen placet; deinde ejus quæſtibus tota legum, canonumque diſciplina inſudat, nec id ſufficit, nam ubique ſerpit, ubique inhiat inexplebili aviditate rapacitas, inquit *divus Bernardus de conſid. ad Eugenium Papam III. cap.* 3. *in fin. lib.* 2., præſertim inter Monachos, Religioſos, & eos etiam, qui rigoroſam profitentur pau-
20 pertatem, quod nemini licet, ſive Eccleſiaſticus ſit, ſive regularis, immo etiam laicus, ut ait *Caſſiodorus lib.* 1. *var. fol.* 247. *impreſs. Pariſien. ibi = iniquum eſt enim, ut locum apud vos habeat ambitus, quem nos laicis divina conſideratione præcluſimus.* Præ-
21 terea ab omnibus clericis, monacis, & religioſis neceſſariò cohibenda eſt ambitio, ut beneficia, officia, & dignitates obtentas ſine mala hominum opinione, quæ ſemper animum turbat, unuſquiſque retinere valeat *Caſſiodorus lib.* 2. *fol.* 700. *ibi = ſingularis boni fructus eſt ambitionis refrænatia, illo maxime tempore, quo ſine opinionis damno poſſis adquiſita retinere.*

22 Cæterum Abbatiam perpetuam, tametſi localis ſit, ob privationem vacare certi juris eſt, idque literaliter conſtitutum fuit in Congregatione ordinis ciſtercienſis Regni Hiſpaniarum *ex Conſtitutione Clementis X.* 55. §.5. *ibi = quod ſi morte, promotione, renunciatione, aut privatione aliqua Abbatia vacaverit, Monaci illius Monaſterii, cuius Abbas obierit, renunciaverit, vel privatus fuerit, duorum dierum naturalium ſpatio, qui numerari debeant à defuncti morte, & renunciatione à Generali reformatore admiſſa, atque conventui juridice notificata, ac privatione per definitivam ſententiam confirmata, & intimata ad electionem Abbatis ejuſdem Monaſterii procedant*, Abbatia enim beneficium eſt, ſeu dignitas *cap. ut apoſtolicæ de privileg. in* 6., *Clement. etſi principalis, ibique Cardinalis in prima quæſtione de reſcript. canon. ſi quis deinceps* 16. *quæſt.* 7., *Lotter de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 26. *num.* 18 *cum ſeqq*; Porro ſicuti beneficium, ſeu dignitas eccleſiaſtica ob privationem vacat, ita quoque Abbatia localis, & clauſtralis, *Clement X. Conſtit.* 55. §.5.

23 Diſcutiendum ſupereſt, an Abbatiæ clauſtrales cadant ſub reſervationibus apoſtolicis, & vacent in Curia. Super hoc puncto communiter recepta eſt diſtinctio inter Abbatias triennales, & perpetuas, nam triennales ſub reſervationibus non veniunt, & licet per obitum, ſeu per amotionem vacent, non tamen vacant in Curia, etiamſi excedant communem valorem florenorum bis centum auri, quod certum eſt, nec contro-
24 vertitur; Perpetuæ vero, quæ dari ſolent in titulum clericis, vel monacis ſubjacent *regulæ ſecundæ Cancellariæ*, & vacant apud ſedem, ſi tamen excedant valorem ut ſupra; nam Abbatiæ perpetuæ, ſeu Monaſteriorum regimina, quæ habent juriſdictionem in Monachos, Epiſcopatibus æquiparantur, præſertim ſi in libris Cameræ taxatæ ſint, & de his Sedes Apoſtolica clericos, vel monacos etiam per coadjutoriam pluries

providerit *ad text. express. in extravagan. ad regimen de præben.* in qua expresse Papa reservavit sibi monasteria, prioratus, dignitates, personatus, & officia etiam facta mentione qualitatis electivæ ibi = *etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi Rot. decis. 626. decis. 698. decis. 699. decis. 777. coram Molines*, ubi plene de hac materia, quæ tamen, præter casum à *Sacra Rota* decisum ut supra, valde pendet ab observantia, & praxi.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Abbas cum potestate conferendi beneficia potest reservare monaco certos fructus, ut moretur in tali loco.

2 An abbas hujusmodi reditus possit revocare, duplex opinio num. 4.

3 Legatum factum monacho, ne ab abbate molestetur, valet.

4 Parochus regularis approbatus ob ordinario potest ad placitum superioris amoveri.

6 Pensio reservata monacho extinguitur ob promotionem ad officium, & administrationem perpetuam, ubi de ratione.

Abbas, qui de jure habet potestatem conferendi prioratus, dignitates, præbendas, & beneficia *ex cap. finali de instit.*, potest etiam monacho reservare certos reditus, ut in tali loco moretur, & vivat, dummodo tamen id fiat ex causa *Innocen. in cap. insinuante n 2 qui cleric. vel voven. ibi = item dic, quod non est hæc conditio contra substantiam monachatus, quod in certo loco moretur, & de certis reditibus vivat, sed aliquando Abbas, vel quilibet superior potest id concedere ex causa.*

2 Quæritur, an Abbas hujusmodi reditus posset revocare? Negat *Innocentius in d. cap. insinuante*, ubi dicit, quod si Abbas, vel Superior vellent eum removere à loco, quem ei deputarunt, posset supplicare Superiori, & Superior eum audire debet ad similitudinem servi, qui quandoque ad supplicandum admittitur *ex l. 1. cod. de prec. Imperat. offeren., Rebuff. de nominat. quæst. 9. num. 27. vers. in contrarium*, quod videtur verum, quoniam sine causa etiam monachus jure suo privari non debet *cap. porrecta de confirmat. util. vel inutil. cap. Monachi de stat. Monach.*;

3 Deinde valet legatum annui reditus relictum Monacho, ne ab Abbate molestetur *Gloss. in l. Lucius §. tres heredes vers omni ff. ad trebell. ibi = quid ergo si Monacho reliqui, ut Abbas non faciat ei quæstionem, aliar relinquo extraneo, competit extraneo petitio, si Abbat eum molestet per hanc legem*, ita à pari idem videtur dicendum in certis reditibus Monacho reservatis sub ea conditione, ut in certo loco moretur.

4 Sed contrarium verius est, nam administrationes, & pensiones etiam perpetuæ ad nutum Abbatis sunt revocabiles *Goss. in cap. porrecta vers. confirmentur de confirmat. utili. vel inutil. ibi = unde removentur pro voluntate abbatis cap. cum ad Monasterium de stat. Monachi*; *Clement. unica de supplen. neglig. Prælat.*; Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium *in Leodien. Parochialis 2. Septembris 1712, & 3. Februa-*

5 *rii 1713.*, in qua *censuit Parochum regularem in ecclesia curata institutum posse ab Abbate removeri*; nec ab his discrepant Decreta Sacræ Congregationis Concilii, *ut in Nervien. Jurisdictionis 13. Julii 1669. ibi= Episcopus supplicat declarari, an parochus regularis à suo superiore nominatus ad exercendam curam animarum ecclesiæ regulari unitam & ab Episcopo approbatus, possit dein de amoveri ad nutum ejusdem superioris irrequisito Episcopo*, Sacra Congregatio respondit *affirmative*, idem *in Burgen. jurisdictionis 28. Augusti 1688. ad quartum, & in dubio amotionis Parochorum 12. Decembris 1689*; Porro si Parochus regularis potest ad placitum Superioris amoveri à parochia, & cura animarum, ita monachus privari poterit annuis reditibus.

6 Cæterum illud in hac re certum est pensionem Monacho ex causa reservatam extingui ob promotionem ad aliud officium, prioratum, & administrationem perpetuam, pensio enim est incompatibilis cum beneficio regulari *Paris. de resignat. lib. 2. quæst. 13. num. 11. Roderic. resol regular. 15. num. 61.*, *Probus in addit. ad Gloss pragmat. sanction. tit. de collat. vers. item quod universitates in verb. beneficiorum in 2. additione*, quod speciale est in Monacho *per text. in cap. cum singula de præb. in 6.*, nam de jure pensio non repugnat cum beneficio ecclesiastico, nec eo obtento tamquam incompatibilis extinguitur, & vacat *ex deduct. in cap. 6. in addit. lib. 1.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

DE Prioratibus, Officiis, Beneficiis, Dignitatibus, & Pensionibus Canonicorum Regularium Sancti Augustini vacantibus vel ipso jure, vel ob privationem *ad interpret. Constit.6. Benedicti XII., & Constit.7. Martini V.*

SUMMARIUM.

1 CAnonici regulares æqoiparantur monacis.
2 Canonici regulares beneficiis auctoritate Apostolica obtentis ex causa rationabili privari possunt.
3 Rescripta obtenta à canonicis regularibus pro retinendis beneficiis, & administrationibus ad vitam non valent.
4 Monaci non possunt obtinere Prioratus, & obedientias ad vitam, & obtentas Superior libere revocare potest.
5 Beneficia Canonicorum Regularium sunt manualia.
6 Canonici Regulares tenentur suscipere Sacros Ordines, quos requirit beneficium, intra terminum à superiore præfigendum sub pœna privationis eo ipso.
7 Canonici Regulares in Catalaunia retinent usum bonorum ad nutum Superioris.
8 Canonici Regulares moniti peculium non revelantes sunt inhabiles ad beneficia.
9 Canonici Regulares ob crimen conspirationis, & conjurationis privantur ipso jure beneficiis, & inhabiles efficiuntur.
10 Leges antiqoiores quamvis obrogatæ ad posteriores trahuntur, & inserviunt pro interpretatione aliorum casuum.
11 Officia Rectoris, & Præpositorum sunt triennalia in hac Religione, & post lapsum triennii vacant.
12 Rectores, & Præpositi post triennium ad idem officium eligi possunt.
13 CanoniciRegulares olim Romæ administrarunt ecclesiam Sancti Joannis in Laterano.
14 Ejecti deinde fueruot à Civibus Romanis.
15 Factom improbum, sed excusabile, & quare.
16 Ecclesia Sancti Joannis in Laterano ob privationem de facto olim vacavit Clero Romano.
17 Hodie Canonicatus, Præbendæ, & Dignitates vacant Clericis Romanis.
18 Beneficia Urbis Civibus Romanis sunt conferenda.

CAPUT XIX.

1 CAnonici regulares in multis æquiparantur Monacis præter id, quod illi laxiori inserviunt regulæ *Gloss. in cap. quod Dei timorem vers. laxiori de stat. Monac.* præterea sicuti *in capite antecedenti* de beneficiis Monachorum dictum fuit, ita videndum superest, an & quando beneficia, officia, administrationes, & dignitates canonicorum regularium vel ipso jure, vel ob privationem vacare censeantur pro omnibus juris effectibus inde resultantibus.

2 Primo itaque notandum est canonicos regulares ordinis Sancti Augustini beneficia obtinentes ita subesse suis superioribus, ut ex justa, & rationabili causa beneficiis privari, & ab illis amoveri possint, necquoad hoc suffragari rescripta Apostolica omnibus compertum est *ex Constitutione 6. §.32. Benedicti XII. ibi = Præcipimus, quod canonici religionis præfatæ qualiacumque in ipsa religione auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius beneficia obtinentes obediant superioribus suis religionis ejusdem ipsorumque subsint correctionibus, punitionibus, & statutis, ac beneficiis ejusmodi ex causis rationabilibus privari, & ab illis amoveri possint.*

3 Hujusmodi autem Constitutio nil differt à dispositione juris, nam rescripta Apostolica à canonicis regularibus obtenta super confirmatione eorum beneficiorum ad vitam sunt nulla, si religio expressa non sit, & falsa, si expressa sit, dum Sedes Apostolica rescripta retinendi beneficia ad vitam canonicis regularibus impartire non solet, & impartita irritat, & annullat *cap. ad nostram de confirmat. util. vel inutil. ibi = Quidam Canonici Nemosensis ecclesiæ à nobis literas confirmationis super administrationibus suis obtinere laborant, religionis suæ conditione suppressa; Cum igitur regularibus personis non consueverit Apostolica Sedes aliqua personaliter confirmare, mandamus quatenus confirmationes, quas ab ipsis canonicis, cum regulares existant, noveritis taliter impetratas, denuncietis irritas, & inanes cap. porrecta eodem tit*; Eo modo quo non possunt
4 Monaci ad vitam obtinere Prioratus, & obedientias, & obtentas superior potest libere revocare *cap. cum ad monasterium de stat. Monac. ibi = Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuo possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur.*

5 Verum hodie ut Monachorum, ita & Canonicorum Regularium Prioratus, Administrationes, Officia, Dignitates, & Beoeficia sunt manualia, & ad nutum amovibilia, *ut testatur Desnos. de Canonic. Regular. lib.3. cap.53. Rot. decis.778. part.1. diversor.*

diversor., *decis.329. num.1. circa fin. par.4. recen. tom.1.*

6 Notandum secundo canonicos regulares beneficia obtinentes teneri intra certum tempus à superiore præfigendum suscipere sacros ordines, quos Prioratus, administratio, aut dignitas prærequirit, alioquin cessante impedimento, eisdem beneficiis, & administrationibus ipso jure privantur, sic statuit Benedictus XII. *Constit.6.* §.39. *ibi = & qui prioratus, dignitates, personatus, officia, seu administrationes hujusmodi obtinuerint infra tempus collationis, seu commissionis eis facta de ipsis, & adeptæ possessionis eorum se faciunt ad sacerdotium promoveri, vel saltem ad ordinem, quem dignitates, personatus, officia, vel administrationes obtentæ requirent de jure, consuetudine, seu statuto; Hi quoque, qui juxta præmissa, cessante causa rationabili, ad ordines promoti non fuerint, sint prioratibus, dignitatibus, officiis, administrationibus, & beneficiis prædictis eo ipso privati, quæ ipsis pro ea vice nullatenus conferantur.*

7 Notandum tertio canonicis regularibus, qui in Hispania plures occupant ecclesias cathedrales, & præsertim in Catalaunia, ubi singuli singulas habent præbendas, permissum esse, ut possint retinere usumfructum, & usum bonorum absque tamen dominio ea lege, ut semper parati, & præsto sint resignare omnia in manibus, & ad nutum superioris *Barbos. de dignit. & capit. cap.1.*, quod tamen interdictum est tum de jure *ex cap. monachi de stat. monachor.* tum etiam *ex Tri-*

8 *dent. sess.25. cap.2. de regular.*, nihilominus iidem Canonici Regulares, si à Superiore moniti peculium, quod habent, non revelaverint, pœnam inhabilitatis Beneficiorum, Prioratuum, & Administrationum statim incurrunt *ex Constit.6. Benedicti XII.* §.60 *ibi = Peculium habere non possunt, & si intra mensem moniti non revelaverint, sint inhabiles ad Prioratus, Officium, Administrationes, & Beneficia qualibet in Religione hujusmodi obtinenda.*

9 Crescit pœna contra eosdem canonicos, nam ob crimen conspirationis, & conjurationis, ex quo scandala, & discordiæ inter ipsos oriuntur, qui habent, privantur eo ipso beneficiis, & qui non habent, ad eadem inhabilitantur *ex d. Constit. Benedicti XII.* §.61. *ibi = Conspiratores, & conjuratores eo ipso administrationibus, & beneficiis, quæ obtinuerint, sint privati, si vero beneficiati non fuerint, eo ipso reddantur inhabiles ad quævis beneficia, seu administrationes ecclesiasticas quomodolibet obtinendas.*

10 Et quamvis hæc omnia ferè sint immutata *ex Constit. Martini V.*, *de qua infra*, nihilominus leges antiquiores, quamvis abrogatæ sint, ad posteriores trahuntur, & supplent id, quod in similibus per posteriores provisum non est, immo allegari possunt pro interpretatione similium pœnarum, quæ contra Canonicos, & Monachos aliarum Religionum pro eorum beneficiis ab Apostolicis Constitutionibus, aliisque statutariis Ordinationibus ipso jure infliguntur, una enim lex ab altera declaratur *l. non est novum*, *l. sed & posteriores ff. de leg.*

11 Notandum quarto, quod alia officia Rectorum, Visitatoris, & aliorum Præpositorum localium in hac Religione sunt limitata ad certum tempus, videlicet ad annum, seu triennium, quo elapso statim vacant, & expirant, nisi generale Capitulum pro utilitate ejusdem Congregationis aliud duxerit ordinandum, ita statuit Martinus V. *Constit.7.* §.7. *ibi = Officium vero hujusmodi Rectoris, vel Conservatoris, aut Visitatoris principalis, cæterorumque Præpositorum, atque Rectorum locorum omnium d. Religionis, & Congregationis ipsius præsentium, & futurorum, ac Deputatorum sibi sociorum, seu Definitorum elapso anno ab eorum creatione ipso facto expiret secundum formam in eorum privilegiis contentam, ac dictis eorum Monasteriis, & locis ab Apostolica Sede concessis, aut eisdem non obstantibus privilegiis anno secundo expleto, sive tertio tantum successive finito ad plus, tunc eo ipso vacet, & expiret dictorum regimen & officium, purt in præmissis generale Capitulum pro d. Religionis, & Congregationis conservatione, commoditate, & utilitate secundum Deum sanius, & utilius decreverit exequendum;*

12 Possunt tamen Rectores, & Præpositi ad idem officium reeligi, prout in d. Constitutione Apostolica statuitur, quod importat vacationem officii ipso jure post annum, seu triennium ex prædictis.

13 Denique prætereundum non est, quod Canonici Regulares Sancti Augustini olim Romæ administrarunt ecclesiam Sancti Joannis in Laterano, ibique singuli singulas obtinuerunt præbendas, & canonicatus, sed

14 postea à Civibus Romanis fuerunt ejecti, & administratione hujus ecclesiæ privati, ut narrat Sixtus IV. *Constit.10.* §.5.; factum

15 quidem improbum, quia laici de rebus ecclesiæ nihil disponere possunt sive in temporalibus, sive in spiritualibus *Gloss. in cap. ecclesia vers. laicis de constit.*, sed tamen excusabile; repugnat enim, ut Canonici Regulares eam administrent ecclesiam, cujus Pastor est caput universalis ecclesiæ, & ordinis ecclesiastici, cui membra de jure debent correspondere *ex Constit.5. cap.3. Be-*

16 *nedicti XII.*; Idcirco sicut olim ecclesia Lateranensis ob privationem de facto vacavit Clero Romano, prout Callistus III. administrationem ejusdem tamquam vacantem

17 clericis secularibus concessit, ita hodie canonicatus, præbendæ, officia, & dignitates in eadem ecclesia existentes vacant de

18 jure Clericis, & Civibus Romanis, quibus conferenda sunt *juxta Constit.1. Leonis X.*, *& aliorum.*

ADDI-

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Canonicis Regularibus causa studiorum assignantur pensiones *ex Constitutione Benedicti XII.* & in qua quantitate ibidem.

2 Religiosis de Monte Carmelo ad studia generalia missis solitæ subventiones à provincia, & conventibus assignari debent *ex Constitutione Clementis XI.*

3 Pater tenetur ad omnes expensas causa studii à filio factas, item religio pro studentibus.

4 Pensiones, & subventiones assignatæ religiosis studentibus, finito studiorum cursu, expirant, ubi de ratione.

5 Pensio, seu beneficium etiam modicum quoad canonicos Regulares incompatibile est cum alia pensione, & beneficio.

6 Pensio causa studii assignata canonico Regulari per assecutionem beneficii cessat.

1 QUia existentes in litterarum studiis varia subire oportet onera expensarum, quibus scholares regulariter nihil habentes supplere non possunt, ideo Benedictus XII. literarum amator *in sua Constitutione* §.24. mandavit canonicis hujus Congregationis, qui ad studia generalia mittuntur, pro indumentis, aliisque necessariis assignari pensiones singulis annis per deputatos ministrandas, videlicet in Theologia Magistro sexaginta, Baccalario, & scholari quadraginta, Doctori juris canonici quinquaginta, Baccalario, & scholari pro quolibet triginta quinque libras turonensium parvorum, vel eorum valorem in alia moneta sub pœnia ibidem expressis.

2 Quod similiter pro studiis, & studentibus religionis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Clemens XI. ordinavit, declarans, quod in provinciis, in quibus conventualitas est abrogata propter observantiam vitæ communis, teneatur Provincia ex communi ærario solitam subventionem pro suis necessitatibus supplendis assignare omnibus regularibus ad studia generalia missis; Ubi vero non viget vita communis, sed conventualitas adhuc in usu est, solita subventio studentium fiat à conventibus *Constit.*47. §.*item ordinamus*.

3 Hæc confirmatione juris non indigent, nam sicuti Pater tenetur ad omnes expensas, quas facere coactus fuit filius causa studiorum *Gloss. Marginalis in l. quod si servus* §. *in rem circa med. ff. de in rem verso ibi = Quod si quis filiosamilias studenti mutuaverit pecuniam ob victum, vestitum, & librorum necessariorum emptionem, tenetur Pater*; Ita religio tenetur providere religiosis studentibus pensionem, beneficium, aut subventionem cum similibus, matris enim figuram gerit.

4 Hujusmodi autem pensiones, & subventiones, quæ juxta dictas Constitutiones Benedicti, & Clementis assignantur religiosis studentibus, expleto studiorum cursu expirant, *Clemens XI. loco citato ibi = & talis provisio assignetur cuique, quandiu actualiter studentes erunt*; Quod ratio suadet, nam sicuti, finito studiorum cursu, cessat causa concessionis, ita & concessio ipsa cessare debet *cap. cum cessante de appellat.*, *Tiraquell. in tract. caus. cessan. num.*50.

5 Insuper pensio, & beneficium quantumvis modicum quoad canonicos regulares est incompatibile cum alia pensione, seu beneficio, idcirco habens beneficium, vel pensionem non est capax obtinendi aliam pensionem, nisi beneficium, vel pensionem dimittat, immo pensio per assecutionem beneficii etiam modici statim cessat, *ita Benedictus XII. d. Constit.* §.25. *ibi = Ad hæc*
6 *prohibemus, ne alli canonico quodcumque beneficium quantumcumque modicum, vel aliam pensionem habenti, nisi illo, vel illa omnino dimisso, vel dimissa aliqua de dictis pensionibus studentium assignetur, quod si secus actum fuerit nullius penitus sit momenti; Si vero ipsi canonico hujusmodi pensionem studentium obtinenti beneficium aliquod quantumque modicum conferatur, volumus, quod adepta possessione ipsius cesset ipsa pensio ipso facto, eaque privatus existat*; Quod speciale est in Monacis, & Canonicis regularibus tum ex d. Constitutione, quæ ita præcipit, tum etiam de jure *cap. cum singula de præben. in 6. Clementina unic.* § *in quibus de supplen. negligent. Prælator. Card. in Clemens. gratiæ in quæst.* 8. *de rescript. cum relatis in capite antecedenti in Additione in fin.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

AN quando Regulares, qui extra claustra notoriè ita delinquunt, ut Populo scandalum sint, à Prælato Regulari, & quando ab Episcopo Officiis, & Pensionibus privari debeant *ad interpret. Trident. sess. 25. cap. 14.*, *Constit. Pii IV.*, & *Clementis VIII.*

SUMMARIUM.

1 COncilium *Tridentinum* contra regulares extra Claustra notoriè delinquentes refertur.
2 Divisio materiæ circa notorium, & scandalum.
3 Notorium intelligitur juxta dispositionem juris ex resolutione Sacræ Congregationis.
4 Notorium juris quid sit.
5 Notorium facti quid sit,
6 Notorium præsumptionis quale.
7 Scandalum quid sit.
8 Ubi agitur de delicto regularis notorio, vel per confessionem, vel facti evidentiam, aliasque conjecturas locus est Tridentini decreto.
9 Amplia, etiamsi delictum commissum sit in ecclesia.
10 Regularis delinquens captus à Ministris Curiæ Episcopalis ad superiorem remittendus est, qui debet conficere processum, & certiorare Episcopum de privatione, & executione sententiæ.
11 Regularis delinquens extra claustra cum scandalo à superiore semper est privandus officio, sive procedatur ad instantiam Episcopi, sive non, & quare.
12 Episcopus, si constet de fraude Prælati regularis, potest procedere ad privationem officii, aliasque pœnis contra Regularem, qui extra claustra notoriè deliquit.
13 Scandalum, ubi commissum est, ibi est auferendum.
14 Prælatus Regularis, qui alibi Regularem impunitum transmittit, amittit ipso jure dignitates, & officia, privatur ipso facto voce activa, & passiva, ubi de ratione.
15 Regularis, qui extra claustra degit de licentia superiorum, & graviter deliquit, potest ab episcopo in visitatione privari officio.
16 An Regularis graviter delinquens privari possit officio, & puniri ab Episcopo extra visitationem.
17 Regularis degens extra claustra de licentia superiorum non potest puniri pœna Apostasiæ.
18 Regularis in concernentibus curam animarum potest per Episcopum ab officio amoveri.

CAPUT XX.

1 
E regularium delicta, quæ extra claustra cum scandalo populi notorie perpatrantur, impunita in posterum remaneant, salubriter per Tridentinum sancitum est, *ut regularis Episcopo non subditus, qui intra claustra monasterii degit, & extra ita notorie deliquerit, ut populo scandalum sit, Episcopo instante à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severe puniatur, & de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minus à superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit*, ita habetur *in cap. 14. sess. 25. de regular.*

2 Dubia autem, quæ ex hac concillari sanctione Sacræ Congregationi Concilii declaranda interdum proponuntur, versantur circa intelligentiam notorii criminis, & scandali, quod inde ex eo in populo provenit; reliqua, quæ concernunt executionem Tridentini, Constitutionem Pii IV., & Clementia VIII., nullam admittunt dubitationem quoad privationem officiorum, aliasque pænas eiidem regularibus inflictas, prout infra.

3 Quoad primum punctum super intelligentia notorii, cum olim dubitatum fuisset, an Ordinarius ad præscriptum Tridentini *cap. 14. sess. 25. de regular.* possit punire regularem intra monasterium degentem, si extra illud deliquerit non adeo notorie, ut populo scandalum sit, potest tamen de delicto per testes constare, cum raro eveniat, ut delicta sint ita notoria, ut populo scandalum præbeant, *respondit, Sacra Congregatio dic. Decembris 1587. notorium intelligi juxta dispositionem juris communis.*

4 Itaque notorium juxta dispositionem juris communia tripliciter sumitur, aliud enim est notorium juris, quod per confessionem delinquentis, vel per sententiam certum est *Can. nos in quemquam 2. quæst. 1. cap. ecclesia in fin. de Constit.*, confessua enim habetur pro judicato *l. unic. Cod. de confess. l. proinde ff. ad legem aquiliam*, prout quoque acta perpetuam fidem faciunt *l. gesta Cod. de re judicat.*

5 Aliud est notorium facti, & dicitur publica, seu famosa insinuatio, vel proclamatio communis ex evidentia facti, seu rei proveniens, quæ nulla potest tergiversatione celari, vel quando aliquia est notorie deprehensus in crimine, vel ita est patens, & certum delictum, quod nullo modo potest celari, seu inficiari, ut quia quasi omnea, vel major pars hominum loci hoc scit *cap. vestra*, *cap. tua*, *cap. final. de cohabitat. cleric. & mulier. cap. cum olim de verbor. signif.*, *can. manifesta 2.*

ſta 2. ibique Gloſſ. quæſt.1., *l. qui ſententiam Cod.de pæn.*

6 Aliud denique eſt notorium præſumptionis, quod ita dicitur, quia non poteſt ad plenum probari, niſi ex conjecturis, præſumptionibus, & indiciis, *l. quia ſemper ff. de in jus vocando*, *l. Lucius ibique Gloſſ. ff. de condit. & demonſtrat. Innocentius in cap. Michael. de fil.præſbit.*

7 Quo vero attinet ad ſecundum punctum, ſcandalum definitur dictum, vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ ſpiritualis, *ita cum communi docet D.Thomas 2. 2. art.1. quæſt.43.*, & ſic, ſi regularis extra clauſtra delinquens dictis, vel factis minus rectis præbet occaſionem ruinæ alteri in ſpiritualibus, dicitur ſcandaloſus, ſeu dicitur cum
8 ſcandalo deliquiſſe; quoties ergo conſtat de delicto notorio, vel per confeſſionem, vel facti evidentiam, vel per conjecturas, præſumptiones, & indicia, & delictum ſit tale, quod ſcandalum populo præbeat, locum habet decretum conciliare, *Sacra Congregatio die 1.Decembris 1594 ibi= cenſuit poſſe Epiſcopum, ſi regularis extra monaſterium degat, eum punire ex capite 3. ſeſſ.6.; Si vero intra Monaſterium permaneat, & extra illud ita notorie deliquerit, ut populo ſcandalum ſit, teneri ſervare formam traditam à Concilio cap 14. ſeſſ.25. de regular.*, *nec à conſervatoribus ſuper præmiſſis impediri poſſe*, *Granaten. die 12. Junii 1608. ibi = Item cenſuit Archiepiſcopum adverſus regulares extra clauſtra delinquentes poſſe procedere ad formam, quæ præſcribitur decreto cap.14. ſeſſ.25. de regular.*, *Caſalen. 12. Septembris 1648 ibi = Reſpondit Epiſcopum procedere poſſe contra Juvenalem converſum Religionis Barnabitæ, qui notorie, & impudice cum ſcandalo verſatus fuit cum Moniali Congregationis Urſolinarum, ad præſcriptum tamen cap.14. ſeſſ.25. de regular.*

9 Nilque intereſt, an regularis extra, vel intra eccleſiam regularem, ſeu ſecularem, vel alibi delinquat, dummodo, ſpectante populo, deliquerit, nam delictum commiſſum intra eccleſiam, populo ſpectante, cenſetur commiſſum extra clauſtra, ut ita regularis ad formam Tridentini puniatur, & officio privetur, *Sacra Congregatio die 28. Februarii 1602. ibi = Item cenſuit delictum à regularibus exemptis commiſſum in eccleſia, ſpectante populo, cenſeri commiſſum extra clauſtra; Itaque in eo vindicare ſibi locum decretum Concilii cap. 14. ſeſſ. 25. de regular.*

10 Attamen regularis captus à Miniſtris Curiæ Epiſcopalis remittendus eſt ad ſuum ſuperiorem, ad quem ſpectat conficere proceſſum, utendo etiam opera Cancellarii regularis juxta conſtitutiones ordinum, & deinde tenetur mittere ſententiam, & omnia acta, ac certiorare Epiſcopum de pæna privationis officii, & ſententiæ executione, nec Epiſcopus in hac re poteſt aſſumere partes Judicis, an pæna ſit levis, vel non, quoniam ſufficit regularem delinquentem extra clauſtra cum Populi ſcandalo pænam ſubiſſe cum probationibus, quas Epiſcopus habuit, & aliis, quæ Prælatus regularis conficiendo proceſſum aliunde recollegit, *ita die Junii 1587. Sacra Congregatio cenſuit degentes etiam de licentia ſuorum ſuperiorum extra clauſtra, ſi deliquerint, puniendos eſſe ab Ordinario ex cap 3. ſeſſ.6.. ſi vero intra clauſtra degant, & notorie extra clauſtra delinquant, poſſe à Miniſtris Ordinarii in carcerem conjici, remittendos tamen ſtatim, abſque eo quod proceſſus conficiatur, ad ſuperiores ſuos regulares una cum probationibus, quaſcumque habuerit*, quod etiam habetur *die 25. Januarii 1603. ibi = Item cenſuit, ſi regularis intra clauſtra degens, & extra notorie deliquerit, ut ſcandalum ſit populo, à ſuo Superiore intra terminum ab Epiſcopo præfigendum ſevere puniri debere, illumque Epiſcopum cum probationibus, quas habet, debere ad ſuum Superiorem remittere, & non Epiſcopi judicis erit cognoſcere, an punitio à Superiore regulari inflicta ſit levis, nec ne*, Item *die 5. Februarii 1611. Sacra Congregatio reſpondit regularem exemptum intra clauſtra degentem & extra ea etiam ita notorie delinquentem, ut populo ſcandalum ſit, ſi à miniſtris Epiſcopi capiatur, debere ſtatim duci ad monaſterium à Superiore puniendum, quamvis Superior id non poſtulaverit, nec Epiſcopum hac de cauſa proceſſum conficere debere, ſed probationes, quas habet, ad ſuperiorem regularem remittere Naulen. 14. Martii 1648. ad ſecundum, & tertium ibi = reſpondit Superiorem regularem ad perficiendum proceſſum poſſe uti opera Cancellarii regularis juxta præſcriptum Conſtitutionis Ordinis abſque tamen fraude, ne delicta remaneant impunita ibi = ad tertium Superiorem regularem teneri ad Epiſcopum mittere nedum ſententiam, ſed etiam omnia acta, & certiorare in ſcriptis de punitione, ac ipſius ſententiæ executione, Hortana 14. Novembris 1648.*, *Sacra Congregatio cenſuit ſecundum ea, quæ proponuntur, Epiſcopum Hortanum conficere debere proceſſum contra Fratrem Joannem de Meriaca Priorem, & Fratrem Franciſcum Scanapicium Carmelitas, ſi notorie extra clauſtra delinquant, ita ut populo ſcandalum ſint, dictamque proceſſum ad Superiorem regularem tranſmittere, ut intra tempus ab eodem Epiſcopo præfigendum illos ſevere puniat, & de privatione eumdem Epiſcopum in ſcriptis per legitima documenta certiorem faciat.* Hæc ultima reſolutio videtur præcedentibus contraria, ſed tamen facile poteſt conciliari, ſi habeatur reſpectus ad ipſum modum reſpondendi, quoniam Sacra Congregatio ita cenſuit, quia forte Prælatus regularis non curavit conficere proceſſum, vel non potuit ibi = *ſecundum ea, quæ proponuntur*; Nec mirum, ſi Sacra Congregatio ob varias facti, & temporum circumſtantias varium in hac re dederit quoque reſponſum *cap. quoniam*

frequenter verf. si vero a iter, *ut lite non contestata ibi=Pensatis negotii circumstantiis*.

11 Notandum in hac re regularem ita notorie delinquentem, ut populo scandalum sit, semper à suo Superiore officio esse privandum, sive procedatur ad instantiam Episcopi, sive non, si enim clericus ob scandalum cogitur renunciare dignitati, in qua jus habet *Felin. in cap. ex literis* 1. *de homicid.*, multo magis regularis privandus erit officio, in quo jus non habet, vel si forte habet ad certum tempus ex Constitutionibus Ordinis, non est ita stabile, prout est illud, quod confertur clerico in beneficiis, & officiis ad vitam duraturis *cap. qualiter in fin. de accusat. cum relatis in capite antecedenti*.

12 Notandum insuper, quod si de fraude constet, forte quia Prælatus regularis subditum notorie delinquentem ad alia loca extra Diœcesim transmiserit, ac instante Episcopo revocare omittat, ut in eo loco, in quo regularis deliquit, juxta formam Tridentini puniatur, potest Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus regularem officio privare, in eumque aliis pœnis canonicis animadvertere *juxta Constitutionem* 39. *Clementis VIII. Nauleu.* 14. *Martii* 1648. *ad quartum ibi = Ad quartum posse per Episcopum procedi, si de fraude constet, ne hujusmodi delicta Regularium remaneant impunita contra dispositionem Sacri Concilii, & Constitutionem Clementis VIII.*; Quod ratio

13 suadet, quia ubi scandalum commissum est, ibi est auferendum *Gloss. in can. sed illud distinct.* 45. *can. si peccaverit* 2. *quæst.*1. *in fin. ibi = ut ubi contigerit malum, ibi moriatur, & publica noxa publico indiget remedio*, inquit D. Augustinus, quod etiam habetur *in can. quis aliquando* §. *hæc ergo distinct.*1 *de pœniten.*

14 Interim tamen Prælatus regularis, qui ad eludendam dispositionem Conciliarem alibi delinquentem impunitum transmittit, majores incurrit pœnas; etenim ipso jure amittit dignitates, & officia, & inhabilis efficitur ad alia similia, vel dissimilia in posterum obtinenda, privatur ipso facto voce activa, & passiva, ad quas à nemine, præterquam à Papa, potest restitui *juxta Constitutionem* 39. *Clementis VIII. ibi = Motu proprio &c. omnibus, & singulis cujuscumque ordinis, & instituti regularium in virtute sanctæ obedientiæ, ac privationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum eo ipso incurrendis pœnis &c.*; *Cæterum, si Superior in regularem delinquentem non animadverterit, quinimo si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra Episcopi Diœcesim transmiserit, volumus, & decernimus, ut superior instante Episcopo intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem privationis dignitatum, & officiorum obtentorum, nec non & sub inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac ulterius privationis activæ, & passivæ vocis, ad quas à nemine præterquam à nobis, & à Romano Pontifice restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum regularem delinquentem à loco, ad quem transmissus fuerit, revocare teneatur*; & merito, quia quacumque pœna privationis officii dignus est Prælatus regularis, qui Conciliaribus, & Apostolicis mandatis obviare conatur *l. sacrilegii Cod. de diverf. rescript.*

15 Denique, si regularis degens extra monasterium de licentia suorum superiorum, & extra graviter deliquerit, Episcopus ex Tridentino *sess.*6. *cap.*3. non solum in visitatione potest punire, & corrigere, verum etiam, si qualitas criminis ita expostulat, delinquentem ab officio amovere *juxta text. in can. de his* 31. *distinct.* 50. *ibi = ut hi, qui deprehensi, vel capti fuerint in perjurio, furto, ac fornicatione, & cæteris hujusmodi criminibus secundum Canonum Sacrorum instituta à proprio gradu decidant, quia scandalum est populo Dei tales personas suprapositas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat*.

16 At dubium est, an possit puniri, & officio privari etiam extra visitationem, casus accidit in Sacra Congregatione, in qua cum dubitatum fuisset de duobus, primo, an Episcopi *ex Constitutione Pii IV.*, quæ incipit *de salute Gregis* edita ante publicationem Concilii, habeant facultatem puniendi regulares degentes extra claustra, & extra monasterium; secundo, an d. Constitutio dans prædictam facultatem Episcopis fuerit abrogata per Concilium *cap.*3. *sess.*6., quod ex sententia Sacræ Congregationis non dat hujusmodi facultatem Episcopis, nisi in actu visitationis; *Sacra Congregatio die* 3. *Septembris* 1622. *ex libro memorialium ad primum ita censuit, ad secundum censuit non esse abrogatam*, & ratio apud me solida est, quia *Constitutio Pii IV.* dat facultatem Episcopis puniendi regulares extra visitationem, *Tridentinum* in visitatione, idcirco *Constitutio Pii IV.* Decreto *Tridentini* non est contraria, nec decretum *Tridentini* est incompatibile *cum d. Constitutione*, quia tam *d. Constitutio*, quam *Tridentini* decretum quoad privationem officii, & punitionem regularium diversa tempora respiciunt, ergo sicut quoad unum tempus subsistit *Constitutio Pii IV.*, ita quoad aliud stabile est *decretum* Tridentini *l. præcipimus in fin. Cod. de appellat.*

17 Sed tamen pœnis apostatarum puniri non potest regularis, qui degit extra claustra ex tacita licentia superiorum, quia apostata non est; Unde cum quæsitum fuisset, an Ordinarius possit regularibus degentibus absque licentia sedis apostolicæ in hospitiis non approbatis prætextu negotiorum, & litium præcipere, ut revertantur ad claustra, sub pœna apostasiæ, vel alia, *Sacra Congregatio respondit regulares degentes in hujusmodi hospitiis subjacere jurisdictioni Episcopi, non autem subjacere pœnæ apostasiæ Vercellen.* 21. *Martii* 1643.

18 Ca-

18 Cæterum regulares omnes existentes intra, vel extra monasterium, & circa ea, quæ ad curam animarum pertinent, graviter deliquerint, dubium non est, quin subsint jurisdictioni Episcopi, & privari possint officiis *cap.Romana in fin. de pæn.in 6. ibique Passerin. num.3. Patavina die 22. Januarii 1604. ibi = Congregatio censuit regularem exercentem curam animarum in parochiali unita monasterio regularium posse ab Episcopo visitari vigore cap.7. sess.7.*, *atque ab eodem in visitatione corrigi. & puniri, si deliquerit in his, quæ curam animarum, & sacramentorum administrationem concernunt*. Idemque habetur *die 20.Decembris 1614.ibi = Congregatio censuit posse quidem Episcopum procedere contra regulares exemptos extra claustra degentes, & parochialibus ecclesiis secularibus deservientes, etiamsi deliquerint in aliis, quam concernentibus curam animarum, & sacramentorum administrationem; Quod si regulares hujusmodi intra claustra degant, & in parochialibus secularibus sacramenta administrent, item si vi suorum superiorum degant in ædibus parochialis suo monasterio unitæ, atque ibi curam animarum exerceant, subesse Episcopo in his, quæ ad d. curam, & sacramentorum administrationem pertinent*. Quod satis probat *text. in cap. accepimus de ætat.& qualit.ibi=nisi reddiderint se indignos.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Regulares possident beneficia, & pensiones in titulum.
2 Pensiones ad vitam super beneficiis regularibus reservandæ sunt auctoritate superioris professis ejusdem ordinis.
3 An regularis degens extra claustra de licentia superioris ob notorium delictum, & scandalum privari possit *ex Tridentino* pensione sibi in titulum reservata.
4 Auctor *ex decreto Tridentini* non audet asserere, ubi de ratione.
5 Regularis notorie delinquens extra claustra pensione in titulum de jure est privandus, si delictum sit grave.
6 Delictum regularis notorie perpetratum extra claustra sit qualificatum ratione scandali.
7 Propter delictum qualificatum clericus privatur pensione.
8 Regulari non solum imputatur delictum, sed etiam scandalum, quod ex eo sequitur.
9 Scandali specialia quæ sint.
10 Regularis degens extra claustra sine licentia superioris uti desertor ab ordinario est puniendus *ex Tridentino*, & pensione de jure privandus.
11 Pœna desertoris de jure quæ sit.

1 Extant in ecclesia regulares, qui beneficia, & pensiones possident in titulum, ac de fructibus beneficiorum, & pensionum libere possunt disponere in vita, eo modo, quo clerici seculares, *ut notaut Navar. in can. ut non dicatis 12. quæst.1. num.42.*, *& in Apologia quæst.1. monit.80. num.4 5. Cardinalis in Clementina 2. §.sed & tales in 1. notab. de vit. & honest. cleric. & in clementina gratiæ column. penult. ad fin. vers. quod interogatus de rescript. cum relat. in cap.9. lib.1.*

2 Immo hujusmodi pensiones in titulum, seu ad vitam non possunt reservari super beneficiis regularibus, nisi professis ejusdem ordinis *Clementina 1. ibiq. Gloss. & DD. de supplen. negligen. Prælat.*, prout beneficia ipsamet regularia regularibus de jure sunt conferenda *cap.cum singula de præb.in 6.*

3 Itaque quæritur, an regularis, qui notorie deliquit cum scandalo populi, pensione sibi ad vitam super beneficio regulari auctoritate superioris reservata privari possit ex Tri-4 dentino *sess.25. cap 14.*; Punctum tactum non habeo, idque asserere non audeo ex decreto *Tridentini*, quia ibidem fit mentio dumtaxat de privatione officii, cujus appel-5 latione non venit pensio; At inspecta dispositione juris arbitror privari posse, & privandum esse, dummodo delictum sit grave, & depositione dignum, & ratio est, quia 6 delictum regularis notorie perpetratum qualificatum sit ratione scandali, idcirco sicuti 7 clericus ob delictum qualificatum pensione privatur *ex plene deduct. per addeu. ad Rotam decis.1. part.9. recen.*, ita à fortiori regularis; Quod apud me nullam habet dubi-8 tationem, quoniam regulari non solum imputatur delictum, quod ex malitia notorie commisit extra claustra, sed etiam omne id, quod ex eo sequitur, nempe scandalum causatum in populo, quod crimen gravissimum est *Gloss. in can. clericum vers. per quod distinct.50. ibi = Argumentum, quod ratione unius delicti imputantur omnia delicta, quæ sequuntur ex illo, Gloss. in can. studeat vers.* 9 *prodiit. distinct.50.*. Deinde regularis notorie delinquens extra claustra quacumque pæna dignus est propter scandalum, in quo illud speciale est, ut quis gravius puniatur, & semper cadat à gradu suo *Gloss. marginalis in l. ultima ff. ad l. cornel. de fiear. ibi = Nota, quod propter scandalum aliqua postponuntur, & fiunt, quæ aliter non fierent, can. de his 31. distinct.50. ibi = à proprio gradu decidant, quia scandalum est Populo Dei tales personas suprapositas habere, late Fellin in cap.2. de præscript.* ubi quæ sint specialia scandali, enumerat.

10 Fortius hæc procedunt, si regularis sine licentia, & sub prætextu accedendi ad suos superiores degat extra claustra, quoniam tunc, si notorie deliquerit, potest ab Ordinario puniri ut desertor *ex Trident. sess.25. cap.4. de regular.* ibi = *tamquam desertor sui instituti puniatur*, & in sequelam ob grave, & notorium delictum extra claustra commissum pensione etiam in titulum juridice 11 privatur, prout desertor privatur gradu, & militia, spoliatur stipendiis, & quandoque etiam pæna ordinaria spectitur *l. desertorem ff. de re militar.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione Dignitatis, seu Officii, ac Pensiónis Abbatissæ vel ipso jure, vel ob amotionem *ad interpret. Trident. sess. 25. cap. 7.*, *&* *Constit.* 80. *Gregorii XIII.*

SUMMARIUM.

1 Abatissa de jure habet dignitatem.
2 Abbatissa ex privilegio potest conferre officia, & beneficia, suspendere canonicas suas, & clericos sibi subjectos.
3 Non potest de jure visitare, secus si sit in possessione visitandi.
4 Abbatissa, prout habet administrationem monasterii tantum, dicitur habere officium, ubi de ratione.
5 Ætas Abbatissæ ex præcepto Apostolico debet esse sexaginta annorum.
6 Ætas Diaconissæ ex sententia Leonis I quadraginta annorum.
7 Ætas Diaconissæ juxta leges Imperiales quinquaginta annorum redacta ad annum quadragesimum.
8 Concilium *Calcedonense* ætatem Diaconissæ in quadragessimo anno definivit.
9 Concilium *Carthaginense III* quoad ætatem quadragintà annorum in sanctimonialibus declaratur.
10 Bonifacius VIII ætatem Abbatissæ, vel Priorissæ ad trigessimum annum restrinxit.
11 Concilium *Tridentinum* Abbatissam, & Priorissam quadraginta annorum eligi mandavit, in subsidium ætas triginta annorum sufficit.
12 Ætas Abbatissæ, & Priorissæ debet esse completa, ubi rationes, & decreta Sacræ Congregationis.
13 Officium Abbatissæ vacat ob lapsum triennii in Italia *ex constit. Gregorii XIII.*
14 Verbum *desinere* importat vacationem, & perpetuam desinentiam.
15 Verba *desinere*, *&* *vacare* de jure differunt, secus ubi post lapsum certi temporis officium extat.
16 Verbum *carere* intelligitur ipso jure.
17 Officium Abbatissæ vacat ob amotionem ex legitima causa.
18 Officium Abbatissæ vacat ex defectu ætatis, & aliorum requisitorum.
19 Episcopus ætati, & aliis Abbatissæ requisitis dispensare non potest, sed recurrendum est ad Congregationem Concilii.
20 Nominatio Priorissæ ex privilegio Apostolico debetur Patrono etiam mox religionem professuro, ubi casus, & resolutio Sacræ Congregationis num. 21.
22 Jus nominandi Abbatissam debetur fundatrici Monasterii.
23 An Patronus habens ex privilegio Apostolico jus nominandi Abbatissam teneatur nominare juxta requisita *Tridentini*, Cardinalium opiniones, & resolutio Papæ in hac re.
24 Patronus laicus nominans Priorissam, quæ ætate, aliisque requisitis non pollet; privatur pro ea vice facultate iterum nominandi.
25 Abbatissæ perpetuæ debent intra annum benediri, alioquin ipso jure privantur.

CAPUT XXI.

1 ABbatissa canonice electa à Monialibus de jure dicitur habere dignitatem *l generali C. de sacros. eccles. cap. indemnitatibus §. verum de elect. in 6.*, *Abbas in cap. cum in cunctis column. 4. vers. ulte-*
2 *rius quæro de elect.*, sed ex privilegio potest conferre officia, & beneficia, canonicas suas, & clericos suæ jurisdictioni subjectos ab officiis, & beneficiis suspendere, ad instar inferiorum Prælatorum, habet enim administrationem in spiritualibus, & temporalibus *cap. cum dilecta ibique Gloss.*, *& DD. de majorit. & obedien.*, *cap. ea noscitur de his, quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit.*; &
3 quamvis de jure nequeat visitare, benedicere, & absolvere *cap. nova de pæniten. & remiss. cap. de monialibus de senten. excommunicat. Tondut. quæst. benef. cap. 124. per tot.* nihilominus hujusmodi jus super ecclesiis monasterio unitis etiam competit, si tamen sit in possessione visitandi, exceptis iis, quæ tangunt curam animarum, cujus Abbatissa etiam cum potestate quasi Episcopali est penitus incapax *Rot. decis. 504. coram Dunoz-*
4 *zet. jun.*, *decis. 311. part. 9. recen.*, verum Abbatissa habet potius officium, si ad regimen Monasterii dumtaxat eligatur, Abbatissatus enim, prout Abbatia, solicitudinis nomen potius sonat, quam jurisdictionis *Gloss. in cap. tuam de ætat. & qualit. cap. hoc tantum 18. quæst. 2.*

5 Circa ejus ætatem varia fuit dispositio juris, olim enim ad hujusmodi dignitatem, seu officium non poterat eligi ex præcepto Apostolico, nisi quæ constituta esset in ætate sexaginta annorum *can. juvenculas 20. quæst. 1. ibi = juvenculas fieri Abbatissas vehementissime prohibemus, nullam igitur fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem, cujus vita, & mores hoc exegerint, velari*
6 *permittat.*, sed quia, ut ait *ibidem Gloss.*, id potest intelligi, ut Abbatissa sit sexagenaria non ætate, sed perfectione continentiæ, ideo Leo I. Papa præscripsit ætatem annorum quadraginta in consecratione Diaconissæ *can. nemo distinct 78. ibi = Nemo inter Diaconissas consecretur sacrosanctæ ecclesiæ, quæ*
7 *minor sit quadraginta annis*; Nec ab his differt Justinianus, qui ætatem Diaconissæ; quam prius ad quinquagesimum annum definiverat, ad quadragesimum reduxit *l. nemo authen.*

authen. Diaconissam C. de Episcop. & cler.
ibi = Diaconissam in sancta Dei ecclesia
non ordinari præcipimus, quæ minor sit an-
nis quadraginta, idemque habetur *in au-*
then. Præsbiterum de sanctissimis Episcop:
8 Concilium deinde Galcedonense agnoscens
præcepta ecclesiastica variatione temporum,
& circumstantiarum posse mutari, decrevit
in cap. 15. ætatem Diaconissarum in anno
9 quadragesimo completo. Idemque de sancti-
monialibus statuit Concilium Carthaginen-
se III. *in can. sanctimoniales* 20. *quæst.* 1. *ibi=*
sanctimoniales ante annum quadragesimum
non velentur; De consecrationis utique ve-
lo, non de religiosa professione Interpretan-
dus est hic Canon; Vocantur enim sancti-
moniales ante susceptum velum, de quo hic
agitur; Ætas quadraginta annorum desi-
gnata est tum in Conciliorum Canonibus,
tum in legibus Imperatorum ad Diaconissæ
consecrationem; de his ergo agere synodus
Carthaginensis existimanda est, non univer-
10 sim de Monialibus; Non item sub Bonifa-
cio VIII. res se habuit, statuit enim ad ob-
tinendam dignitatem Abbatissæ, vel Prio-
rissæ sufficere ætatem triginta annorum ibi=
Nec Abbatissam, nec Priorissam, ubi per
Priorissam Monasterium gubernatur, de cæ-
tero eligatur aliqua, nisi trigesimum annum
compleverit, cap. indemnitatibus de elect. in 6.
11 Denique Concilium Tridentinum ætatem
annorum quadraginta in Abbatissa, & Prio-
rissa convenienter antiquis Canonibus defi-
nivit, urgente tamen necessitate etiam æta-
tem triginta annorum sufficere decrevit cum
aliis requisitis, de quibus *in cap. 7. sess. 25.*
de regular. ibi = Abbatissa, & Priorissa, &
quocumque alio nomine præfecta, vel præpo-
sita appelletur, eligatur non minor annis
quadraginta, & quæ octo annis post expres-
sam professionem laudabiliter vixerit. quod si
his qualitatibus non reperiatur in eodem mo-
nasterio, ex iis, quæ in eodem monasterio
annum trigesimum excesserint, & quinque
saltem annis post professionem recte vixerint,
12 *eligatur*; Utrobique autem ætas Abbatissæ,
& Priorissæ annorum quadraginta, vel tri-
ginta debet esse completa, & quidem quoad
ætatem quadraginta annorum certum est,
mandat enim *ibidem Tridentinum*, ut non
eligatur minor annis quadraginta; esset
autem minor, nisi annum quadragesimum
explevisset, nam ille est major quadraginta
annis, qui quadragesimum annum comple-
vit, esse enim majorem tali anno dicit esse
supra eumdem, ipsumque excedere, & qui
non excedit major non est; Deinde quoad
ætatem triginta cessat penitus dubitatio ex
verbo *excesserint*, quo utitur *ibidem Tri-*
dentinum, ergo ætatem triginta, vel qua-
draginta annorum in Abbatissa, seu Prioris-
sa non sufficit cœptam, sed completam esse
oportet *Vigilien. 12. Martii 1633. ibi = Sacra*
Congregatio respondit ætatem quadraginta
annorum in Abbatissa requisitam ex cap. 7.
sess. 25. de regular. intelligi de quadraginta
annis completis Neapolitana 24. Septem-
bris 1678.
13 His positis vacat officium Abbatissæ ob re-
motionem, quæ fit, vel à lege, vel ab ho-
mine. Et quidem à lege, ubi Abbatissa est
triennalis dumtaxat, prout in Italia, tunc
enim finito triennio expirat officium, dum
Abbatissa statim desinit habere administra-
tionem *ex Constit. 80. Gregorii XIII. ibi = sed*
triennales tantum à conventu uniuscuiusque
monasterii, aut alias juxta decreta Tridenti-
ni, & regularia suorum ordinum instituta
eligantur, & præficiantur, quæ postmodum
elapso triennio præesse desinant, omnique
14 *prorsus careant auctoritate*; nec de vaca-
tione abbatissatus potest ambigi, nam ver-
bum *desinere* perpetuam de jure desinentiam
à loco importat *l. final. §. quod inquit ff. de*
adsignan. libert. ibi = quod inquit senatus, si
quis in civitate esse desiisset, eum significat,
qui in perpetuum in civitate esse desieris l. si is
§. quod dicitur ff. de jur. dot.
15 Nec obiicias *desinere*, & *vacare* Inter se
de jure differre, quia *desinere* proprie locum
habet In casu, quo morte, vel privatione
jus plene extinguitur, *vacare* autem, ubi be-
neficium extat, *ut explicat Innocentius in*
cap. dilecto num. 3. de præben. ibi = & ideo
licet in aliqua ecclesia, ubi est incertus nu-
merus canonicorum sint plures canonici, &
unus moriatur, non valent literæ, si impe-
trentur super canonicatu illius alicui confe-
rendo, quasi vacet, quia non vacat, imo de-
fiit, ut hic dicit, secus autem, ubi esset cer-
tus numerus canonicorum, quia tunc non de-
finit, sed vacat; Respondetur *Innocentii* do-
ctrinam non obstare, licet enim *desinere* di-
catur, ubi jus extinguitur, nihilominus, ubi
officium, vel dignitas extat, proprie datur
vacatio *juxta distinctionem Innocentii, de*
qua supra. Utrumque verificatur, quia
quoad Abbatissam jus post triennium extin-
guitur, sed officium Abbatissæ post trien-
nium extat, ergo post triennium jus desinit,
& Abbatissatus vacat.
16 Deinde verbum *carere* intelligitur ipso ju-
re *Corsett. singular.* 35., ergo post lapsum
triennii Abbatissatus ipso jure vacat, quod
patet ex eo, quia altera Monialis juxta di-
cta requisita ad hujusmodi officium, quod
post triennium extat, est subroganda, &
eligenda *ex Tridentino, Constit. 103. Pii IV.,*
& Gregorii XIII, Baren. 29 Maii 1649 ibi =
Sacra Congregatio censuit Sacrum Conci-
lium obstare innovatum in Constitutione Gre-
gorii XIII. eo in ordine, ut Abbatissa ul-
tra triennium in officio continuare possit, Bur-
gen. 10. Februarii 1594. ibi = Quod si mo-
niales curæ dictorum Fratrum Minorum
subiiciantur ex Constitutione Sixti V. caveri
Abbatissam ultra triennium continuare non
posse.
17 Vacat insuper officium Abbatissatus ab
homine, quando scilicet Abbatissa ob ma-
lam administrationem, vel ex alia justa, &
legitima causa ab officio amovetur, id tamen
non

non potest fieri à Monialibus, sed causa amotionis ab Ordinario cognosci, & approbari debet, *Parmen.* 20. *Junii* 1620. *ibi* = *Sacra Congregatio, Sanctissimo annuente, declaravit dd. Abbatissas, seu Priorissas ad triennium, vel aliud tempus canonice electas, durante hoc tempore, ab officio amoveri non posse, nisi absque legitima causa prius cognita, & approbata ab Episcopo Parmensi*; Præterea sicuti in Italia officium Abbatissatus vacat post triennium, ita alibi vacat morte, vel amotione, quoniam extra Italiam nulla lege prohibetur, quo minus electa in Abbatissam in officio continuare possit etiam ultra triennium, & ad vitam *Burgen.* 10. *Februarii* 1594. *ibi* = *Sacra Congregatio censuit Abbatissam, si Moniales non fuerint curæ, & regimini Fratrum Minorum Sancti Francisci de observantia subjectæ, posse ultra triennium durare, cum nulla lege, & Pontificia Constitutione id extra Italiam prohibeatur.*

18 Demum electio Abbatissæ, quæ caret ætate, aliisque Tridentini requisitis, est ipso jure nulla, eaque ab administratione removenda est, quia hujusmodi requisita sunt necessaria ad validitatem electionis, *SacraCongregatio in Forosempronien.* 23. *Septembris* 1596. *ibi* = *Item censuit oportere Monialem, quæ in Abbatissam eligenda sit, non solum annum probationis explevisse, sed etiam præditam esse qualitatibus requisitis à decreto Concilii sess.* 25. *cap.* 7. *de regular.*, & in sequelam ob amotionem ab administratione, & cassationem electionis Abbatissatus iterum vacat *cap. proposuit de concess. præben. ibi* = *Post cassationem electionis intelligebatur vacare*, quod per nos alibi sæpe dictum est.

19 Potestas Episcopi quoad defectum ætatis, & aliorum requisitorum non suffragatur, Episcopus enim contra jus dispensare non potest *Cardinalis cons* 130. *per tot.*, sed recurrendum est ad Sacram Congregationem Concilii, quæ ex causa necessitatis committere solet Episcopo facultatem dispensandi tam super ætate, quam super aliis requisitis *Interamnen.* 12. *Martii* 1695. *lib. dec.* 43. *fol.* 136., *Fundana* 7. *Julii* 1698. *lib. dec.* 48. *fol.* 276., *Patavina* 9. *Augusti* 1698. *lib. decret.* 48. *fol.* 393. *& alibi.*

20 Notandum tamen in hac re, quod Abbatissa, seu Priorissa debet esse perpetua, si nominatio spectat ad patronum ex privilegio Apostolico, quod debetur etiam cum indulto nominandi, Patrono mox religionem professuro, casus est *in Parisien.* 20. *Aprilis* 1697. *lib. decret.* 47. *fol.* 152., in qua Ludovicus Berrier perpetuus Prior Commendatarius Monasterii de Berrieriis Ordinis Sancti Benedicti exposuit se anno 1674. cum auctoritate Ordinarii fundasse, ac dotasse in oppido de Torrai Monasterium Monialium sub regula Sancti Benedicti, & sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis reservato in actu fundationis jure nominandi, ac præsentandi ab Archiepiscopo Parisiensi Priorissam ejusdem Monasterii ad sui favorem, & successive masculorum seniorum ejus familiæ.

Et licet ad effectum aquirendi jua præsentandi ad Prælaturam regularem, sive conventualem necessarium videretur speciale privilegium Sedis Apostolicę ad formam textus *in cap. nobis, ubi Fagnan. num* 12. *de jurepatron.*, *Corrad.*, qui testatur de stylo Curiæ *in prax benef. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 30., nihilominus secuta vacatione d. Priorissatus idem Lodovicus absque ulla contradictione bis admissus fuit juxta legem fundationis ad præsentationem Priorissæ.

Cum autem nuper idem Lodovicus orator perfectioris vitæ, ac regularis disciplinæ zelo ductus habitu inter religiosos Sancti Benedicti suscepto professionem in eo emittere intendat, ea autem emissa non sine ratione vereatur præsatum jus præsentandi, ipso vivente, transferri posse ex ejus persona in Monasterium, hinc prævio supplici libello per Sanctissimum huic Sacræ Congregationi remisso, supplicavit pro indulto, ut ipse, ejus vita durante, quamvis professus d. jure præsentandi ad tenorem fundationis libere frui possit, absque eo quod jus aliquod aquiratur Monasterio, aut superioribus religiosis, & salvo in reliquis jure aliorum Patronorum post ejus obitum nominatorum.

Super quibus auditus Officialis Archiepiscopi Parisiensis expositam veritatem confirmans ita subdit; *Insuper ex aliis actis certiores facti sumus d. fundationem executioni in commodum ejusdem Monasterii fuisse demandatam, ecclesiam d. Monasterii, & loca regularia, si non perfecta, saltem cito cura oratoris perficienda, sicuti ipsum Monasterium, eodem procurante, omnibus necessariis instruendum d. oratorem jus suum exercuisse, ac super ejus nominatione D. Jacobæ Gerberon, & post illam D. Ludovicæ de Albret de Luynes modernæ Priorissæ de d. Prioratu auctoritate ordinaria fuisse provisum; Cumque prædictus D. Ludovicus Berrier Orator sit vir doctrina, æque ac probitate, ac pietate insigni præditus, qui ob melioris vitæ frugem, beneficia, dignitates, honores, videlicet Abbatiam de Loulaii, Archidiaconatum, & Canonicatum Ecclesiæ Parisiensis duos Prioratus, unum de Vilanace, & alterum de Manpas, ac munus Consiliarii in parlamento Parisiensi cum aliis bonis paternis dimisit, & abjecit, ut totum se Deo voveat, & vitam regularem, & strictiorem observantiam amplectatur, seque in Prioratum suum de Berrieriis recepit, ut professionem emittat, arbitramur ipsum, qui apprimè novit regulam Sancti Benedicti, & quid ejus sectatores facere teneantur, majori cum studio, & majori cum cura utilitati d. Monasterii invigilaturum, quod jam in duabus nominationibus per eum factis visum est, in quibus carne, & sanguine non auditis, Moniales digniores selegit, posthabitis suis consanguineis, iisque*

proxi-

proximioribus in eodem Monasterio professis, quibus omnibus perpensis existimamus Sanctitatem Suam aliquid d. Monasterio in spiritualibus, & temporalibus perutile, ac Deo gratum facturam, si præfato oratori prædictam indultum concedat, ipsumque omnibus juribus in d. fundationis actu reservatis frui faciat; His itaque stantibus dubium est, an
petitum indultum sit oratori concedendum
21 in casu &c.; *Sacra Congregatio censuit
oratorem recurrere debere ad Sanctissimum
pro concessione reservationis juspatronatus, &
postea supplicare pro indulto*.
22 Optima quidem resolutio est, & innixa
exemplo D. Gregorii *lib. 2. epist. 59.*, in qua mandavit Episcopo Neapolitano, ut ecclesiam dedicaret Monialium Civitatis Neapolitanæ, ibidemque eligeret in Abbatissam, quam pia Matrona, & fundatrix nominaverat, ibi=*In quo Gratiosam Abbatissam præesse disposuit, simulque oratorium construxisse dignoscitur, cui & pro voto suo quatuor uncias totius substantiæ suæ dimisit*, & de simili nominatione alterius Abbatissæ facta à Sancta Redegunda in Monasterio Pictaviensi per eam fundato adest exemplum in Concilio Turonensi relato per *Tamburin. de jure Abbatissæ disput. 30. quæsit. 2. num. 4.*, *Thomassin. vetus; & nova ecclesiæ disciplina de benef. tom. 2. lib. 1. cap. 30. num. 15.*
23 Quæstio hinc est, an patronus laicus,
cui ex privilegio Apostolico competit jus nominandi, teneatur nominare Abbatissam juxta qualitates à jure, & decreto Tridentini requisitas; Fuit habita Congregatio Concilii, in qua interfuerunt DD. Cardinales *Paleottus, Lancellotus, Castruccius, de Montelparo, Justinianus, Crescentius, Paravicinus, Mathejus, Platta*, & fuit in ea discussum supradictum dubium, & Cardinales *Paleottus, Lancellottus, Castrucius, Crescentius, Paravicinus, Mathejus* fuere illius sententiæ, ut qualitates, quæ in d. decreto Concilii requiruntur in Abbatissa eligenda, requirantur etiam in præsentanda; reliqui vero tres Cardinales, nempe *Montelparo, Justinianus, & Platta* fuerunt alterius sententiæ; cumque retulissent Sanctissimo Domino Nostro vota Congregationis, visum ei fuit bene per majorem partem fuisse decisum, & adduxit textum *in cap. finali de elect. in 6.*, qui licet disponat in electione, procedit etiam in præsentatione *Burgen. 14. Junii 1594. lib. decr. 8. fol. 48.*, *& memorial. 131.*
24 *fol. 133.* Porro Patronus nominans Abbatis-
sam, quæ ætate triginta; vel quadraginta annorum, aliisque requisitis non pollet, privatur pro ea vice potestate iterum nominandi Abbatissam, nisi ex justa, & rationabili causa excusandus sit. §. *si quis authentica de sanctiss. Episcop. cap. cum vos ibique DD. de offic. ordinar. cap. indemnitatibus de elect. in 6.*, *Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 7. de regular. Rot. decis. 156. per tot. part 9. rec*; & Abbatissatus vacat ut prius ex dictis.
25 Denique Abbatissæ perpetuæ tenentur su-
scipere ab Episcopo munus benedictionis, si tamen in loco mos est Abbatissas benedici *Clement. 2. §. statuimus de stat. Monachor.*, ubi disponitur eas benedici debere intra annum suæ cofirmationis, *Abb; & Felin. in cap. meminimus 13. in princip. de accusat.*, *& Zabarell. d. §. statuimus in princip.*, *& quæst. 12. in fin.* eas ipso jure privari dicunt, nisi benedicantur intra annum.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 FOEmina exclusa ab omnibus officiis virilibus incapax etiam est beneficii, & pensionis ecclesiasticæ.

2 Abbatissa perpetua potest resignare suam dignitatem coram Papa cum pensione.

3 An pensio reservata Abbatissæ occasione resignationis per electionem ad eamdem, vel aliam Abbatissatus dignitatem extinguatur? ibidem num. 4. 5. 6. 7.

1 QUamvis fœmina exclusa sit ab omnibus
virilibus officiis *per text. in l. 2. ff. de reg. jur.*, & in sequelam etiam esse incapacem beneficii, & pensionis ecclesiasticæ pro certo supponitur *apud Rot. decis. 90. num. 5. decis. 117. num. 2. coram Molin.*, nihil-
2 ominus id non est semper verum, nam Ab-
batissa perpetua potest resignare suam dignitatem etiam ad favorem coram Sanctissimo, & pensionem super dignitate resignata sibi reservare, *ut notant Paris. de resignat. lib. 3. quæst. 12. num. 19.*, *Tamburin. de jur. Abbatis. disput. 31. quæsit. 2.*, & colligitur *ex Crescentio decis. 2. in princip. de renunciat.* Hoc posito.
3 Quæritur, an pensio occasione resignatio-
nis reservata Abbatissæ extinguatur per electionem ad eamdem, vel aliam Abbatissatus dignitatem in eodem, vel alio monasterio; Respondeo Abbatissam electam ad regimen monasterii dumtaxat non esse proprie prælatam, habet enim potius administrationem œconomicam, quam ecclesiasticam jurisdi-
4 ctionem, sed tamen beneficium, & digni-
tatem, si perpetua sit, possidet in ecclesia *cap. indemnitatibus §. verum de elect. in 6.*, *Rot. decis. 396. num. 9. part. 19. recen.*, Itaque
5 hoc casu per novam electionem ad Abbatis-
satum pensio extinguitur ob incompatibilitatem, quod quoque videtur speciale in monialibus possidentibus dignitates, & beneficia perpetua *cap. cum singula de præben. in 6. cum relatis in additione antecedenti*, nam quidquid dispositum est in Monacis, & Abbatibus, locum habet in Monialibus, & Abbatissia *cap. final. in fin. ibique Abbas de stat. Monach.*
6 Si vero Abbatissa electa confirmetur, vel
bene-

benedicatur à Papa, vel ab Episcopo, habeatque jurisdictionem conferendi beneficia, suspendendi clericos, visitandi monasteria cum similibus, tunc pensio occasione resignationis reservata extinguitur ob promotionem ad Prælaturam regularem, eo modo quo vacant beneficia, & pensiones Monaci ad Abbatiam promoti *cap. cum in cunctis* §. *cum vero de elect. Oldrad. cons.*14. *per tot.*, hoc
7 enim casu Abbatissa cum potestate quasi episcopali possidet dignitatem, & prælaturam *cap. indemnitatibus de elect. in* 6., *l. generali Cod. de sacrosanct. eccles. cap. cum dilecta, ibique Gloss.*, *& DD. de majorit.*, *& obedien.*

ARGUMENTUM.

DE Præbendis, ac Pensionibus Abbatissarum, Decanissarum, & Canonissarum Germaniæ vacantibus vel ipso jure, vel ob privationem *ad interpret. text. in cap. dilecta de majorit. & obedien.*, *cap. indemnitatibus de elect. in* 6., *Clement. attendentes de stat. Monachor.*

SUMMARIUM.

1 CAnonissæ *Germaniæ*, *&* *Belgii* possident præbendas, intersunt choro cum similibus.
2 Abbatissæ, & Decanissæ professionem regularem emittentes sunt personæ ecclesiasticæ.
3 Sedes Apostolica eorum electiones confirmat.
4 Hujusmodi præbendæ sunt tituli ecclesiastici resignabiles.
5 Vacant resignatione, si Abbatissa resignans per viginti dies supervixerit, ubi de ratione.
6 Vacant ob incompatibilitatem.
7 Abbatissa ex *Tridentino* duobus Monasteriis præesse non potest.
8 Præbendæ Canonissarum, quæ nullam professionem emittunt, non sunt beneficia ecclesiastica, sed potius præstimonia.
9 Vacant statim post admissam resignationem à Papa.
10 Pro assequendis hisce præbendis requiritur in Canonissa nobilitas equestris, vel militaris.
11 Literæ Apostolicæ obreptitiæ, & subreptitiæ non sunt, licet Papæ fuerit suppositum præbendam, quæ resignatur, esse beneficium ecclesiasticum, & quare.
12 Vacant per Matrimonium à Canonissa contractum.
13 Canonissæ *Iullenses* ultra duas, vel tres præbendas habere, & retinere non possunt.
14 Per assecutionem quartæ præbendæ de jure vacat prima, nisi detur optio.
15 Non vacant ob simoniam.
16 Abbatissa cum jurisdictione potest Canonissas præbendis privare.
17 Ob privationem vacant de facto.

CAPUT XXII.

1 Ltra dignitates, administrationes, beneficia, & officia, quæ vacant post certum, & limitatum tempus, seu etiam ob amotionem Abbatissarum, seu Priorissarum, quæ monasteriis præsunt *ex dictis in capite antecedenti*, extant *in Germania*, *Belgio*, *& alibi* mulieres, quæ canonicæ, seu domicellæ appellantur, possident canonicatus, & præbendas, divinis intersunt officiis, ad instar canonicorum secularium, licet propriis non renuncient, nec ullam emittant regularem professionem *Gloss. in cap. dilecta vers. canonicas de majorit. & obedien. cap. indemnitatibus* §. *penultimo de elect. in* 6., *Clementina attendentes vers. illas de stat. monachor.*, *Hallier de sacr. elect. fol.*512., *Thomassin vetus, & nova eccles. disciplin. de benef. part.*1. *lib.*3. *cap.*63., De hisce itaque præbendis, earumque vacatione vel ipso jure, vel ob privationem nonnulla breviter hic differenda sunt, quæ in Curia Romana etiam practice discutiuntur.
2 Et quidem illud certum est Abbatissas, & Decanissas professionem regularem emittentes, ac perpetuo addictas collegiis, quibus præsunt, esse personas ecclesiasticas *Tamburin. de jur. Abbatis. disput.*7. *quæsit.*4. *num.*1. *vers. Canonissæ*; deinde tenentur ad servitium chori, & ad horas canonicas, percipiunt fructus suarum præbendarum, participant de distributionibus, quæ cum aliis Canonissis ibidem inservientibus distribuuntur, habent dignitatem in ecclesia cum administratione *cap. dilecta de majorit. & obedien. Bart. in l.*1. *num.*43. *Cod. de dignit.*
3 *lib.*12., Earum denique electiones Sedes Apostolica confirmat, & quatenus opus sit, denuo eligit *cap. indemnitatibus de elect. in* 6.
4 Ergo hujusmodi præbendæ sunt vere tituli ecclesiastici, ac resignabiles etiam ad favorem coram Papa, prout practicatur in aliis beneficiis, & præbendis clericorum, & canonicorum secularium *Paris. de resignat. lib.*3.
5 *quæst.*12. *num.*4. 18. 19., & in sequelam ipso jure vacant renunciatione, si Abbatissa resignans per viginti dies supervixerit, alias si intra dictum tempus decesserit, vacant per obitum *ex regula de infirmis*, cui dictæ præbendæ, prout sunt beneficia ecclesiastica, subja-

subjacent *Surneu ad d. regulam quaest.6.*, *& ibi Mandoz. quaest.3. Paris. de resignat. d. quaest.12. num.22.*

6 Vacant insuper ob incompatibilitatem, nam pluralitas titulorum etiam in monialibus canonicatus, & praebendas possidentibus de jure repugnat, sive agatur de eadem, vel diversa ecclesia, sive in uno, sive in alio collegio ex eadem rationis identitate, quae militat in praebendis clericorum *cap. de multa*

7 *de praeben. extravag. execrabilis eodem tit.*, unde merito Sacrum Concilium Tridentinum statuit nullam Abbatissam posse duobus monasterlis praeesse *sess.25. cap.7. de regular.*

8 Quo vero ad Canonissas, & Domicellas, quae nullam in eisdem Collegiis professionem emittunt, idem asserendum videtur, possident enim canonicatus, & praebendas intuitu oneris spiritualis, donec in eodem loco perseverant sub obedientia Abbatissae, seu Decanissae, percipiunt fructus, & distributiones cum similibus, habent particulare institutum approbatum in Concilio Rhemensi, & Augustensi, *ut refert Marchauton. resolut. f.l.357. vers. quod si in sexu. & vers. nulli autem*, *Rot. decis.840. num. final coram Buratt.*, ergo hujusmodi praebendae inter ecclesiastica beneficia merito possunt annumerari; Sed tamen verius est non esse beneficia eo modo, quo clericis ea conferuntur in titulum, sed potius praestimonia, quorum ut laici, ita & mulieres sunt capaces *Hallier de Sacr. elect. fol.516.* ibi = *Porro canonicae istae, quae dicuntur seculares, canonicorum virorum statum, & dignitatem non attingunt, neque beneficiorum proprie dictorum sunt capaces, eo sensu, quo beneficium solis clericis tamquam stipendium contingit; praestimonia ergo potius dicenda sunt ecclesiastica ista bona, quibus vel ipsae, vel Moniales perfruuntur, quam beneficia, quamvis etiam eorum resignandorum facultas ipsis concessa sit.*

9 His praemissis ad rem nostram Infertur primo hujusmodi praebendas, admissa per Papam resignatione, statim vacare *cap.3. de renunciat. cap.2 eod. tit. in 6.*, *Clement. unic. eod. tit.*; Nilque refert, an Canonissa resignans longe supervixerit, vel statim obierit, nam *regula de infirmis*, quae loquitur de beneficiis ecclesiasticis, penitus cessat in hisce praebendis laicalibus; Unde propterea literis Apostolicis omnimoda debetur executio,

10 dummodo tamen ex parte resignatariae probetur nobilitas equestris, vel militaris, quae requiritur ad hos canonicatus, seu praebendas assequendas, *ut notat Nicol. Desnos de canonic. regular. & secular. in princip.*, *Gaspar. Brusch. de Monaster. German. fol 17. 18. Piringh. in Method. jur. Pontif. lib.3. tit.35. §.7. num.47.*

11 Nec de obreptione, aut subreptione literae Apostolicae possunt redargui ex eo, quod Papae fuerit suppositum praebendam, quae resignatur, esse beneficium ecclesiasticum, quo non verificato intrare arbitrium pro retardatione literarum Apostolicarum ex hoc capite dixit *Rota decis.74. per tot. coram Molin.*, nam eo ipso, quod in supplici libello exprimitur eam, quae resignat, feminam esse, Papa satis intelligit non esse beneficium ecclesiasticum, sed potius praebendam laicalem, cujus etiam feminae sunt capaces, idque sufficit, ut literae Apostolicae executioni mandentur, prout mutando sententiam cum recessu à decisis firmavit *Rota decis.90. decis.117. per tot. coram eodem Molin.*

12 Infertur secundo dictas praebendas dari his feminis propter servitium ecclesiae, propter residentiam in capitulis, & perseverantiam in loco sub obedientia Abbatissae, idcirco sicuti haec omnia ob matrimonium ab his feminis contractum haberi non possunt, ita in sequelam praebendas ipso jure vacare oportet, eo modo, quo praestimonia concessa intuitu studiorum, & militiae cessant, si provisus studiis non vacet, aut militiam deseruerit, quod satis probat auctoritas *Cardinalis de Vitriac.*, qui late differens de hisce Canonissis, earumque statu, & obligatione inserviendi, ac residendi ait quampiures nobiles Virgines *relictis praebendis, & ecclesiis nupsisse in historia occiden. cap 31.*

13 Infertur tertio, quod Canonissae existentes in Civitate, seu Diaecesi *Tullensi* non possunt habere, aut retinere ultra duas, vel tres praebendas, quod ibidem prudenter statutum fuit, ne res ob multiplicitatem praebendarum eat in infinitum, quod repugnat, deinde maximum irrogatur praejudicium aliis Matronis, puellis, & Virginibus, quae in eisdem Collegiis recipiuntur, vel receptae ibique sedulo inservientes commorantur *Rot. decis 840. in princip. coram Buratt.* ibi = *Quod unaquaeque D. Canonissa plures, quam duas, aut ad summum tres praebendas habere,*

14 *& retinere non possit*; Unde si quae Canonissa tribus provisa praebendis etiam quartam obtineat, vacat ipso jure prima *cap. cum singula de praebendis*, nisi ex eodem decreto detur optio dimittendi unam, quam maluerit, quod etiam est conforme dispositioni juris *cap. praeterea cap. cum non ignores de praeben.*

15 Infertur quarto hujusmodi Canonissatus, & praebendas esse mere praestationes temporales nil habentes spiritualitatis, & vendi posse absque labe simoniae *Barbos. in cap. dilecta num.4. de majorit.*, *& obedien.*, *Lotter de re benefic. lib.1. quaest.19. num.15.*, *Tondut. quaest. benef. part.2. cap.3. num.47.*, *Corrad. in prax. benefic. lib.1. cap.5. n.143. Rot. decis.827. num.9. coram Buratt.* Ergo si pretio, vel aliquo aequipollenti, quod in pactum deductum sit, ab hisce mulieribus obtineantur, vacare non possunt, ubi enim datur temporale pro alio temporali simonia non committitur *cap. super eo, ibique Gloss. de transact.*, *cap. ad quaestiones de rer. permutat.*

16 Denique Abbatissa habens jurisdictionem ex

gnitates, & alia ecclesiastica beneficia *d. cap.2. ubi scribentes communiter de præben. in 6.*

4 Ita quoque beneficium jurispatronatus ecclesiastici, quod competit ex privilegio, vacare per obitum in Curia certi juris est, tum quia præsentatio patroni ecclesiastici habet vim electionis, de qua loquitur *textus*, tum etiam quia omnia privilegia quoad vacationem per obitum in Curia, quæ specialis est, antiquantur *Gloss. in d. cap 2. vers. collatio ibique Ancharan. & alii de præben. in 6.*

5 Manualia autem, & ad nutum amovibilia non veniunt sub hac legis censura, nec per obitum vacant in Curia, quia proprie beneficia non sunt; nec aliter id potest intelligi, alioquin sequeretur absurdum, quod Ordinarius posset removere provisum apostolicum *Gonzal. ad reg.8. Cancellar. Gloss.5. §.6 num.10. cum seq., Simonett. de reservat. quæst.3 num.1., Paris. de resignat. lib.11. quæst.3 num.82. Calderin. cons.26. de præben. Rota decis.791. num 4. part.3. recen.*; Unde

6 merito per Sacram Rotam decisum fuit præceptorias manuales non cadere sub reservationibus apostolicis, *ut in decis 296. coram Coccin. dec.541. pet tot coram Molines tom.2.* licet verum sit, quod etiam in hisce manualibus beneficiis detur vacatio *Gloss. in cap. præsenti de præben. in 6. ibi = vacare etiam, dicuntur, si sint manualia*, & alibi sæpè.

7 Olim ad preces Ordinariorum, ac eorum, quibus jus conferendi beneficia de jure competebat, *Gregorius X.* in Concilio Lugdunensi moderando decretalem Clementis IV. statuit, ut si Papa intra mensem à die vacationis numerandum de beneficiis per obitum in Curia vacantibus non providerit, jus conferendi ad eos, ad quos spectat, devolveretur *cap statutum de præben. in 6.*

8 Hinc quæstio est, an dispositio *Gregorii X.* hodie sit antiquata, ita ut continuent in Curia vacare beneficia, quæ semel per obitum ibidem vacarunt; Prima opinio negat, quia Bonifacius VIII. voluit, ut statutum *Gregorii X. in libro sexto decretalium* insereretur, quod utique insertum non fuisset, si vere fuisset antiquatum, *ut opinatur Andreas de Falconibus de reservat. quæst.4. principali effectu 6. num.2.*, sed hæc ratio non subsistit, quia plures *textus* tum juris civilis, tum etiam canonici etiam abrogati inseruntur in corpore juris, nec talis insertio penitus supervacua est, & inutilis, id enim fit, ut non tam eorum habeamus notitiam, quam ut ex iis interpretemur jus commune, prout aliquando Papa ex lege abrogata argumentatur *Gloss. in can. fuerunt vers. necessaria distinct.7. cap auctoritate ibique Gloss. vers. contingit de concess. præben.*

9 Quamobrem contraria opinio verior est *per textum in extravag. ex debito de elect.*, ubi Joannes XXII. indistincte sibi reservat beneficia, quæ vacant per obitum in Curia, quod etiam clarius habetur *in extravaganti piæ de præben. inter commun.*, ubi Bonifacius VIII. beneficia, quæ nunc vacant, & quæ per mensem vacaverint per obitum in Curia, auctoritati sedis apostolicæ pariter reservat; Porro si ea beneficia, quæ vacant, & in futurum vacaverint per obitum in Curia, simpliciter reservata sunt, constat evidenter hujusmodi beneficia post mensem à die vacationis ad eos, ad quos spectat, devolvi non posse, nam Papa legem condendo posteriorem priorem censetur revocare *cap.1. de Constit. in 6.*, quod apud me nullam habet dubitationem ex contraria voluntate conditoris canonis, *& ita tenent Lapus allegat.96. Simonett. de reservat. quæst.30., Gomez. in reg. de triennali quæst.31. num 5. Rot. dec.12. de præben. in novis cum aliis relatis per Gonzal. in proœm. §.5. num.148., Garz. de benef. part.5. cap.1. num.100.*, & hoc jure utimur.

10 Insuper Benedictus XII. non solum confirmavit, ut ecclesiæ cathedrales, patriarchales, monasteria, prioratus, dignitates, & administrationes vacarent in Curia, verum etiam definivit vacare in Curia ea etiam beneficia, cum, qui ea obtinebant, Romæ exauctorabantur, & privabantur beneficiis; Item cum rescindebantur electiones, & postulationes rejiciebantur, *ut habetur in extravag. ad regimen de præben.*

11 Inter primarias ecclesiæ dignitates Cardinalatus annumeratur, dignitas sine dubio major Patriarchatu *Gloss. in extravaganti unica vers. alia superiori ne Sede vacante*;

12 Deinde sola Ecclesia Romana habet jus creandi Cardinales *Compostellan. in cap cum*

13 *accessissent de constit.* Ergo Cardinalatus, quocumque loco vacet, semper vacat in Curia juxta praxim.

14 Item Episcopatus vacat in Curia cum hac differentia, quod is, qui spectat ad electionem, aut nominationem, vacat in Curia quoad confirmationem à Papa obtinendam *cap. cupientes de elect. in 6.*; Qui vero electionis, aut nominationis non est, indistincte vacat in Curia quoad liberam promotionem Papæ *extravagans ad regimen. de præben.*

15 Similiter ab Episcopatu non differt Abbatia Concistorialis, quoniam eadem Tridentini forma, quæ servatur in Episcopis promovendis, habet etiam locum in Abbatibus cum potestate quasi Episcopali *ex Constit.6. §.12. Gregorii XIV.*, idcirco etiam Abbatia cum hisce prærogativis vacat in Curia *juxta Constitutionem Benedicti XII.*

16 E' contra Abbatiæ Conventuales, seu Monasteria, & dignitates electivæ excedentes valorem biscentum florenorum communi extimatione vacant similiter in Curia quoad obtinendam confirmationem, & expediendas literas Apostolicas, qua non obtenta, seu iis non expeditis iterum vacant in Curia ob privationem *ex Constitutione 86. Pii IV.*, quod etiam habetur *in regula 2. Cancella-*

17 *riæ*; Reliquæ vero Abbatiæ, quæ hoc titulo quidem condecorantur, sed d. valorem non excedunt, si sunt beneficia secularia, vacant

vacant in Curia, vel extra juxta alternati-
vam, & regulam mensium, si vero sunt re-
gulares, & perpetuæ, quandoque vacant in
Curia, quandoque non, quod pendet ab
observantia, & privilegiis Apostolicis *ex*
plene deduct. in cap. 18. *in fin.*
18 Cæterum prima dignitas in Cathedralibus
ecclesiis indistincte vacat apud sedem *ex*
*reg.*4. *Cancellar.*, quod ratio juris expostu-
lare videtur pro honore dignitatis Pontificiæ,
19 ut scilicet ibi vacet, quippe quia omnes
dignitates ecclesiasticas ecclesia Romana in-
stituit *can. omnes distinct.*22.; non item prima
20 dignitas in ecclesiis collegiatis, in qua re-
quiritur, quod ejus valor decem florenos
communi extimatione excedat, ut vacet in
21 Curis *ex reg.*4. *Cancellar.* & ratio discrimi-
nis est, quia illa caput est ecclesiæ cathedra-
lis, quæ repræsentat totam Diæcesim; Hæc
caput illius ecclesiæ dumtaxat, & conse-
quenter illa vacat in Curis, quia simpliciter
dignitas est; Hæc dignitas secundum quid,
idest cum addito certi valoris, qui *ex re-*
gula Cancellariæ requiritur, ut vacet in
Curia.
22 Ulterius vacant in Curia beneficia per
obitum familiarium Cardinalium, tametsi
per obitum eorumdem Cardinalium fami-
liares esse desierint, vel alias recesserint *ex*
reg 4. *Cancellar.*; Unde si vacant ob pri-
vationem alibi secutam, non vacant in Curia
23 *Garz. de benef. part.*5 *cap.*1. *num* 280.,
aliud enim est vacare per obitum, aliud ob
privationem, vel alio modo *cap. susceptum*
de rescript. in 6., *l. Papinianus ff. de*
minor.
24 His accedunt beneficia collectorum, vel
subcollectorum, dummodo sint unici vel in
Provinciis, vel in Civitate cum omni jurisdi-
ctione juxta praxim, nec requiritur usua ju-
risdictionis, quia deputatio Papæ facit col-
lectorem, ergo uti reservata semper vacant
in Curia *ex reg* 5. *Cancellar.*, *Spada cons* 51.
*lib.*2. *Rot. decis.*385. *par.*5. *dec.*155. *par.*11.,
*decis.*329. *in princip. par.*15. *recen.*
25 Accedunt insuper beneficia Prothonota-
riorum, scriptorum, aliorumque officia-
lium Sedis Apostolicæ, quæ, quocumque lo-
co hi decedant, semper vacare in Curia
indubitati juris est *ex Constitutione Alexan-*
dri VII. edita 16. *Aprilis* 1666. *ibi* = *Bene-*
ficia Prothonotariorum, *scriptorum*, *& alio-*
rum officialium enumeratorum in d. extrava-
ganti ad regimen esse reservata, *ubicumque*
decedant etiam extra Romanam Curiam, *&*
*ultra duas dietas Spad. cons.*52. 53. *per tot.*
lib 2., *Rot. decis.*178. *par.*11., *decis.*680.
26 *part.*19. *recen.*; Requiritur tamen vera,
vel præsumpta acceptatio officii, ut Protho-
notariorum beneficia vacent in Curia, *Spad.*
*d. cons.*52. 53. *cum aliis decisionibus ibidem*
relatis.
27 Dubium est, an vacent in Curia, si non
constet de acceptatione officii Prothonotaria-
tus? Respondetur cum distinctione, aut
deputatio facta est *ad preces supplicantis*,
vel alterius, hoc casu beneficia Prothonota-
riorum numquam vacant in Curis, quia
Prothonotarius non est, qui officium sibi col-
latum non acceptavit, secus si deputatio
facta sit *motu proprio Papæ*, quia similis
deputatio constituit Prothonotarium etiam
absque assensu, & acceptatione, sicuti in
translatione Episcopi facta motu proprio
Papæ non requiritur aliquis consensus Epis-
copi translati *late Rot. decis.*706. *par.*3., *de-*
*cis.*174. *num.*31. *par.*12. *recen.*
28 Illud tamen de officialibus Sedis Apostoli-
cæ notandum est, quod eorum beneficia va-
cant in Curia per obitum, non ob privatio-
nem, vel alio modo ex regula de non exten-
dendis reservationibus de uno casu ad alium,
& ita loquitur *extravagans ad regimen ibi* =
Nunc per obitum hujusmodi vacantia, *& in*
posterum vacatura; Hodie autem *ex regula*
29 *Cancellariæ* etiam ob privationem, imo
quomodocumque vacent, semper vacant
in Curia *Garz. de benefic. part.*5. *cap.*1.
*num.*195.
30 Differunt ab officialibus Sedis Apostolicæ
clerici, qui accedunt ad Romanam Curiam,
& ab ea recedunt, eorum namque beneficia
non ob privationem, sed per obitum dum-
taxat vacant in Curis, si intra duas dietas
à Civitate, in qua degit Curia, moriantur,
hi enim, qui sic decedunt, habentur, ac si
in Curia decessissent, sive Curiales sint, sive
non *cap. præsenti ibique Gloss. vers. alii de*
31 *præben. in* 6., multoq. magis si sint Curia-
les, & accedunt, vel recedunt pro negotiis
Curiæ, nam textus *in cap. præsenti* venit li-
mitative *ad text. in cap.*2. *de præben. in* 6.;
Idcirco sicuti beneficia Curialium vacant in
Curia, si ibidem decedunt, ita si decedunt
intra duas dietas; nam beneficia, quæ va-
cant in loco Curiæ, dicuntur vacare apud
sedem *Gloss in cap. statutum versic. curia de*
præben. in 6, *extravagans ad regimen eodem,*
tit., *Amayden. de stylo Datariæ cap.*34. *n.*4
*lib.*1. *Lotter de re benefic. lib.*3. *quæst.*11.
*num.*133. *Rota decis*,0. *num.*5. 7. *decis.*31.
num 5. 10. *post Novar. in summa Bullarii*,
& latius *apud Rotam decis.*28., *decis.*150.
*per tot. par.*6. *recen. dec.*599. *num.*16 *par.*18.
recen.
32 Et quamvis, ubi est solus Papa sine Can-
cellaria, & audientia, proprie Curia non
sit, ita ut beneficia eorum, qui accedunt ad
Papam, vel ab eo recedunt, non vacent in
Curia, quæ ibi non est, sicuti è contra Curia
dici non potest, in qua non est Papa, nihil-
ominus ubi Papa est, ibi vacant beneficia,
& vacant quoque, ubi Curia est sine Papa,
uterque enim locus habetur pro Curis pro
effectu reservationis, & vacationis beneficio-
rum, *ut declaravit Clemens VIII. constit.*54.
33 nam fictione juris fieri potest, ut ubi est Cu-
ria, ibi Papa adesse reputetur, sicuti è con-
tra certum est, quod ubi est summus Episco-
pus, qualis est Papa, ibi est ecclesia Roma-
na, ibi Sedes Apostolica, ibi Romana Curia
Gloss. in extravaganti unica versic. vel sedis

ne

diversor., *decis.329. num.1. circa fin. par.4. recen. tom.1.*

6 Notandum secundo canonicos regulares beneficia obtinentes teneri intra certum tempus à superiore præfigendum suscipere sacros ordines, quos Prioratus, administratio, aut dignitas prærequirit, alioquin cessante impedimento, eisdem beneficiis, & administrationibus ipso jure privantur, sic statuit Benedictus XII. *Constit.6.* §.39. *ibi* = *& qui prioratus, dignitates, personatus, officia, seu administrationes hujusmodi obtinuerint infra tempus collationis, seu commissionis eis factæ de ipsis, & adeptæ possessionis eorum se faciant ad sacerdotium promoveri, vel saltem ad ordinem, quem dignitates, personatus, officia, vel administrationes obtentæ requirent de jure, consuetudine, seu statuto; Hi quoque, qui juxta præmissa, cessante causa rationabili, ad ordines promoti non fuerint, sint prioratibus, dignitatibus, officiis, administrationibus, & beneficiis prædictis eo ipso privati, quæ ipsis pro ea vice nullatenus conferantur.*

7 Notandum tertio canonicis regularibus, qui in Hispania plures occupant ecclesias cathedrales, & præsertim in Catalaunia, ubi singuli singulas habent præbendas, permissum esse, ut possint retinere usumfructum, & usum bonorum absque tamen dominio ea lege, ut semper parati, & præsto sint resignare omnia in manibus, & ad nutum superioris *Barbos. de dignit. & capit. cap.1.*, quod tamen interdictum est tum de jure *ex cap. monachi de stat. monachor.* tum etiam *ex Tri-*

8 *dent. sess.25. cap.2. de regular.*, nihilominus iidem Canonici Regulares, si à Superiore moniti peculium, quod habent, non revelaverint, pœnam inhabilitatis Beneficiorum, Prioratuum, & Administrationum statim incurrunt *ex Constit.6. Benedicti XII.* §.60 *ibi* = *Peculium habere non possunt, & si intra mensem moniti non revelaverint, sint inhabiles ad Prioratus, Officium, Administrationes, & Beneficia qualibet in Religione hujusmodi obtinenda.*

9 Crescit pœna contra eosdem canonicos, nam ob crimen conspirationis, & conjurationis, ex quo scandala, & discordiæ inter ipsos oriuntur, qui habent, privantur eo ipso beneficiis, & qui non habent, ad eadem inhabilitantur *ex d. Constit. Benedicti XII.* §.61. *ibi* = *Conspiratores, & conjuratores eo ipso administrationibus, & beneficiis, quæ obtinuerint, sint privati, si vero beneficiati non fuerint, eo ipso reddantur inhabiles ad quævis beneficia, seu administrationes ecclesiasticas quomodolibet obtinendas.*

10 Et quamvis hæc omnia ferè sint immutata *ex Constit. Martini V.*, *de qua infra*, nihilominus leges antiquiores, quamvis abrogatæ sint, ad posteriores trahuntur, & supplent id, quod in similibus per posteriores provisum non est, immo allegari possunt pro interpretatione similium pœnarum, quæ contra Canonicos, & Monachos aliarum Religionum pro eorum beneficiis ab Apostolicis Constitutionibus, aliisque statutariis Ordinationibus ipso jure infliguntur, una enim lex ab altera declaratur *l. non est novum*, *l. sed & posteriores ff. de leg.*

11 Notandum quarto, quod alia officia Rectorum, Visitatoris, & aliorum Præpositorum localium in hac Religione sunt limitata ad certum tempus, videlicet ad annum, seu triennium, quo elapso statim vacant, & expirant, nisi generale Capitulum pro utilitate ejusdem Congregationis aliud duxerit ordinandum, ita statuit Martinus V. *Constit.7* §.7. *ibi* = *Officium vero hujusmodi Rectoris, vel Conservatoris, aut Visitatoris principalis, cæterorumque Præpositorum, atque Rectorum locorum omnium d. Religionis, & Congregationis ipsius præsentium, & futurorum, ac Deputatorum sibi sociorum, seu Definitorum elapso anno ab eorum creatione ipso facto expiret secundum formam in eorum privilegiis contentam, ac dictis eorum Monasteriis & locis ab Apostolica Sede concessis, aut eisdem non obstantibus privilegiis anno secundo expleto, sive tertio tantum successive finito ad plus, tunc eo ipso vacet, & expiret dictorum regimen & officium, prout in præmissis generale Capitulum pro d. Religionis, & Congregationis conservatione, commoditate, & utilitate secundum Deum sanius, & utilius decreverit exequendum*;

12 Possunt tamen Rectores, & Præpositi ad idem officium reeligi, prout in d. Constitutione Apostolica statuitur, quod importat vacationem officii ipso jure post annum, seu triennium ex prædictis.

13 Denique prætereundum non est, quod Canonici Regulares Sancti Augustini olim Romæ administrarunt ecclesiam Sancti Joannis in Laterano, ibique singuli singulas obtinuerunt præbendas, & canonicatus, sed

14 postea à Civibus Romanis fuerunt ejecti, & administratione huius ecclesiæ privati, ut narrat Sixtus IV. *Constit.10.* §.5.; factum

15 quidem improbum, quia laici de rebus ecclesiæ nihil disponere possunt sive in temporalibus, sive in spiritualibus *Gloss. in cap. ecclesia vers. laicis de constit.*, sed tamen excusabile; repugnat enim, ut Canonici Regulares eam administrent ecclesiam, cujus Pastor est caput universalis ecclesiæ, & ordinis ecclesiastici, cui membra de jure debent correspondere *ex Constit.5. cap.3. Be-*

16 *nedicti XII.*; Idcirco sicut olim ecclesia Lateranensis ob privationem de facto vacavit Clero Romano, prout Callistus III. administrationem ejusdem tamquam vacantem

17 clericis secularibus concessit, ita hodie canonicatus, præbendæ, officia, & dignitates in eadem ecclesia existentes vacant de

18 jure Clericis, & Civibus Romanis, quibus conferenda sunt *juxta Constit.1. Leonis X.*, *& aliorum.*

ADDI-

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Canonicis Regularibus causa studiorum assignantur pensiones *ex Constitutione Benedicti XII.* & in qua quantitate ibidem.

2 Religiosis de Monte Carmelo ad studia generalia missis solitæ subventiones à provincia, & conventibus assignari debent *ex Constitutione Clementis XI.*

3 Pater tenetur ad omnes expensas causa studii à filio factas, item religio pro studentibus.

4 Pensiones, & subventiones assignatæ religiosis studentibus, finito studiorum cursu, expirant, ubi de ratione.

5 Pensio, seu beneficium etiam modicum quoad canonicos Regulares incompatibile est cum alia pensione, & beneficio.

6 Pensio causa studii assignata canonico Regulari per assecutionem beneficii cesset.

1 Quia existentes in literarum studiis varia subire oportet onera expensarum, quibus scholares regulariter nihil habentes supplere non possunt, ideo Benedictus XII. literarum amator *in sua Constitutione* §.24. mandavit canonicis hujus Congregationis, qui ad studia generalia mittuntur, pro indumentis, aliisque necessariis assignari pensiones singulis annis per deputatos ministrandas, videlicet in Theologia Magistro sexaginta, Baccalario, & scholari quadraginta, Doctori juris canonici quinquaginta, Baccalario, & scholari pro quolibet triginta quinque libras turonensium parvorum, vel eorum valorem in alia moneta sub pœnis ibidem expressis.

2 Quod similiter pro studiis, & studentibus religionis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Clemens XI. ordinavit, declarans, quod in provinciis, in quibus conventualitas est abrogata propter observantiam vitæ communis, teneatur Provincia ex communi ærario solitam subventionem pro suis necessitatibus supplendis assignare omnibus regularibus ad studia generalia missis; Ubi vero non viget vita communis, sed conventualitas adhuc in usu est, solita subventio studentium fiat à conventibus *Constit.*47. §.*item ordinamus*.

3 Hæc confirmatione juris non indigent, nam sicuti Pater tenetur ad omnes expensas, quas facere coactus fuit filius causa studiorum *Gloss. Marginalis in l. quod si servus* §. *in rem circa med. ff. de in rem verso ibi = Quod si quis filiofamilias studenti mutuaverit pecuniam ob victum, vestitum, & librorum necessariorum emptionem, tenetur Pater*; Ita religio tenetur providere religiosis studentibus pensionem, beneficium, aut subventionem cum similibus, matris enim figuram gerit.

4 Hujusmodi autem pensiones, & subventiones, quæ juxta dictas Constitutiones Benedicti, & Clementis assignantur religiosis studentibus, expleto studiorum cursu expirant, *Clemens XI. loco citato ibi = & talis provisio assignetur cuique, quandiu actualiter studentes erunt*; Quod ratio suadet, nam sicuti, finito studiorum cursu, cessat causa concessionis, ita & concessio ipsa cessare debet *cap. cum cessante de appellat.*, *Tiraquell. in tract. caus. cessan. num.*50.

5 Insuper pensio, & beneficium quantumvis modicum quoad canonicos regulares est incompatibile cum alia pensione, seu beneficio, idcirco habens beneficium, vel pensionem non est capax obtinendi aliam pensionem, nisi beneficium, vel pensionem di-
6 mittat, immo pensio per assecutionem beneficii etiam modici statim cessat, *ita Benedictus XII. d. Constit.* §.25. *ibi = Ad hæc prohibemus, ne ulli canonico quodcumque beneficium quantumcumque modicum, vel aliam pensionem habenti, nisi illo, vel illa omnino dimisso, vel dimissa aliqua de dictis pensionibus studentium assignetur, quod si secus actum fuerit nullius penitus sit momenti; Si vero ipsi canonico hujusmodi pensionem studentium obtinenti beneficium aliquod quantumque modicum conferatur, volumus, quod adepta possessione ipsius cesset ipsa pensio ipso facto, eaque privatus existat*; Quod speciale est in Monacis, & Canonicis regularibus tum ex d. Constitutione, quæ ita præcipit, tum etiam de jure *cap. cum singula de præben. in 6. Clementina unic.* § *in quibus de supplen. negligent. Prælator. Card. in Clemens. gratiæ in quæst.* 8. *de rescript. cum relatis in capite antecedenti in Additione in fin.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

AN quando Regulares, qui extra claustra notoriè ita delinquunt, ut Populo scandalum sint, à Prælato Regulari, & quando ab Episcopo Officiis, & Pensionibus privari debeant *ad interpret. Trident. sess.25. cap.14.*, *Constit. Pii IV.*, *& Clementis VIII.*

SUMMARIUM.

1 COncilium *Tridentinum* contra regulares extra Claustra notoriè delinquentes refertur.
2 Divisio materiæ circa notorium, & scandalum.
3 Notorium intelligitur juxta dispositionem juris ex resolutione Sacræ Congregationis.
4 Notorium juris quid sit.
5 Notorium facti quid sit,
6 Notorium præsumptionis quale.
7 Scandalum quid sit.
8 Ubi agitur de delicto regulari notorio, vel per confessionem, vel facti evidentiam, aliasque conjecturas locus est Tridentini decreto.
9 Amplia, etiamsi delictum commissum sit in ecclesia.
10 Regularis delinquens captus à Ministris Curiæ Episcopalis ad superiorem remittendus est, qui debet conficere processum, & certiorare Episcopum de privatione, & executione sententiæ.
11 Regularis delinquens extra claustra cum scandalo à superiore semper est privandus officio, sive procedatur ad instantiam Episcopi, sive non, & quare.
12 Episcopus, si constet de fraude Prælati regularis, potest procedere ad privationem officii, aliasque pœnas contra Regularem, qui extra claustra notoriè deliquit.
13 Scandalum, ubi commissum est, ibi est auferendum.
14 Prælatus Regularis, qui alibi Regularem impunitum transmittit, amittit ipso jure dignitates, & officia, privatur ipso facto voce activa, & passiva, ubi de ratione.
15 Regularis, qui extra claustra degit de licentia superiorum, & graviter deliquit, potest ab episcopo in visitatione privari officio.
16 An Regularis graviter delinquens privari possit officio, & puniri ab Episcopo extra visitationem.
17 Regularis degens extra claustra de licentia superiorum non potest puniri pœna Apostasiæ.
18 Regularis in concernentibus curam animarum potest per Episcopum ab officio amoveri.

CAPUT XX.

1 
E regularium delicta, quæ extra claustra cum scandalo populi notorie perpatrantur, impunita in posterum remaneant, salubriter per Tridentinum sancitum est, *ut regularis Episcopo non subditus, qui intra claustra monasterii degit, & extra ita notorie deliquerit, ut populo scandalum sit, Episcopo instante à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severe puniatur, & de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minus à superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit*, ita habetur *in cap.14. sess.25. de regular.*

2 Dubia autem, quæ ex hac conciliari sanctione Sacræ Congregationi Concilii declaranda interdum proponuntur, versantur circa intelligentiam notorii criminis, & scandali, quod inde ex eo in populo provenit; reliqua, quæ concernunt executionem Tridentini, Constitutionem Pii IV., & Clementis VIII., nullam admittunt dubitationem quoad privationem officiorum, aliasque pænas eiidem regularibus inflictas, prout infra.

3 Quoad primum punctum super intelligentia notorii, cum olim dubitatum fuisset, an Ordinarius ad præscriptum Tridentini *cap.14. sess.25. de regular.* possit punire regularem intra monasterium degentem, si extra illud deliquerit non adeo notorie, ut populo scandalum sit, potest tamen de delicto per testes constare, cum raro eveniat, ut delicta sint ita notoria, ut populo scandalum præbeant, *respondit Sacra Congregatio die Decembris 1587. notorium intelligi juxta dispositionem juris communis.*

4 Itaque notorium juxta dispositionem juris communis tripliciter sumitur, aliud enim est notorium juris, quod per confessionem delinquentis, vel per sententiam certum est *Can. nos in quemquam 2. quæst. 1. cap. ecclesia in fin. de Constit.*, confessus enim habetur pro judicato *l. unic. Cod. de confess. l. proinde ff. ad legem aquiliam*, prout quoque acta perpetuam fidem faciunt *l. gesta Cod. de re judicat.*

5 Aliud est notorium facti, & dicitur publica, seu famosa insinuatio, vel proclamatio communis ex evidentia facti, seu rei proveniens, quæ nulla potest tergiversatione celari, vel quando aliquis est notorie deprehensus in crimine, vel ita est patens, & certum delictum, quod nullo modo potest celari, seu inficiari, ut quia quasi omnes, vel major pars hominum loci hoc scit *cap. vestra, cap. tua, cap. final. de cohabitat. cleric. & mulier. cap. cum olim de verbor. signif.*, *con. manifesta 2.*

sta 2. ibique Gloss. quæst.1., *l. qui sententiam Cod.de pæn.*

6 Aliud denique est notorium præsumptionis, quod ita dicitur, quia non potest ad plenum probari, nisi ex conjecturis, præsumptionibus, & indiciis, *l. quia semper ff. de in jus vocando*, *l. Lucius ibique Gloss. ff. de condit. & demonstrat. Innocentius in cap. Michael. de fil.præsbit.*

7 Quo vero attinet ad secundum punctum, scandalum definitur dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ spiritualis, *ita cum communi docet D. Thomas 2. 2. art.1. quæst.43.*, & sic, si regularis extra claustra delinquens dictis, vel factis minus rectis præbet occasionem ruinæ alteri in spiritualibus, dicitur scandalosus, seu dicitur cum

8 scandalo deliquisse; quoties ergo constat de delicto notorio, vel per confessionem, vel facti evidentiam, vel per conjecturas, præsumptiones, & indicia, & delictum sit tale, quod scandalum populo præbeat, locum habet decretum conciliare, *Sacra Congregatio die 1.Decembris 1594 ibi=censuit posse Episcopum, si regularis extra monasterium degat, eum punire ex capite 3. sess.6.*; *Si vero intra Monasterium permaneat, & extra illud ita notorie deliquerit, ut populo scandalum sit, teneri servare formam traditam à Concilio cap 14. sess.25. de regular.*, *nec à conservatoribus super præmissis impediri posse*, *Granaten. die 12. Juni 1608. ibi = Item censuit Archiepiscopum adversus regulares extra claustra delinquentes posse procedere ad formam, quæ præscribitur decreto cap.14. sess.25. de regular.*, *Casalen. 12. Septembris 1648 ibi = Respondit Episcopum procedere posse contra Juvenalem conversum Religionis Barnabitæ, qui notorie, & impudice cum scandalo versatus fuit cum Moniali Congregationis Ursolinarum, ad præscriptum tamen cap.14. sess.25. de regular.*

9 Nilque interest, an regularis extra, vel intra ecclesiam regularem, seu secularem, vel alibi delinquat, dummodo, spectante populo, deliquerit, nam delictum commissum intra ecclesiam, populo spectante, censetur commissum extra claustra, ut ita regularis ad formam Tridentini puniatur, & officio privetur, *Sacra Congregatio die 28. Februarii 1602. ibi = Item censuit delictum à regularibus exemptis commissum in ecclesia, spectante populo, censeri commissum extra claustra; Itaque in ea vindicare sibi locum decretum Concilii cap. 14. sess. 25. de regular.*

10 Attamen regularis captus à Ministris Curiæ Episcopalis remittendus est ad suum superiorem, ad quem spectat conficere processum, utendo etiam opera Cancellarii regularis juxta constitutiones ordinum, & deinde tenetur mittere sententiam, & omnia acta, ac certiorare Episcopum de pæna privationis officii, & sententiæ executione, nec Episcopus in hac re potest assumere partes Judicis, an pæna sit levis, vel non, quoniam sufficit regularem delinquentem extra claustra cum Populi scandalo pænam subisse cum probationibus, quas Episcopus habuit, & aliis, quæ Prælatus regularis conficiendo processum aliunde recollegit, *ita die Junii 1587. Sacra Congregatio censuit degentes etiam de licentia suorum superiorum extra claustra, si deliquerint, puniendos esse ab Ordinario ex cap 3. sess.6.*, *si vero intra claustra degant, & notorie extra claustra delinquant, posse à Ministris Ordinarii in carcerem conjici, remittendos tamen statim, absque eo quod processus conficiatur, ad superiores suos regulares una cum probationibus, quascumque habuerit*, quod etiam habetur *die 25. Januarii 1603. ibi = Item censuit, si regularis intra claustra degens, & extra notorie deliquerit, ut scandalum sit populo, à suo Superiore intra terminum ab Episcopo præfigendum severe puniri debere, illumque Episcopum cum probationibus, quas habet, debere ad suum Superiorem remittere, & non Episcopi judicis erit cognoscere, an punitio à Superiore regulari inflicta sit levis, nec ne*, Item *die 5. Februarii 1611. Sacra Congregatio respondit regularem exemptum intra claustra degentem & extra ea etiam ita notorie delinquentem, ut populo scandalum sit, si à ministris Episcopi capiatur, debere statim duci ad monasterium à Superiore puniendum, quamvis Superior id non postulaverit, nec Episcopum hac de causa processum conficere debere, sed probationes, quas habet, ad superiorem regularem remittere Nullen. 14. Martii 1648. ad secundum, & tertium ibi = respondit Superiorem regularem ad perficiendum processum posse uti opera Cancellarii regularis juxta præscriptum Constitutionis Ordinis absque tamen fraude, ne delicta remaneant impunita ibi = ad tertium Superiorem regularem teneri ad Episcopum mittere nedum sententiam, sed etiam omnia acta, & certiorare in scriptis de punitione, ac ipsius sententiæ executione, Hortana 14. Novembris 1648.*, *Sacra Congregatio censuit secundum ea, quæ proponuntur, Episcopum Hortanum conficere debere processum contra Fratrem Joannem de Meriaca Priorem, & Fratrem Franciscum Sanapicium Carmelitas, si notorie extra claustra delinquant, ita ut populo scandalum sint, dictumque processum ad Superiorem regularem transmittere, ut intra tempus ab eodem Episcopo præfigendum illos severe puniat, & de privatione eumdem Episcopum in scriptis per legitima documenta certiorem faciat.* Hæc ultima resolutio videtur præcedentibus contraria, sed tamen facile potest conciliari, si habeatur respectus ad ipsum modum respondendi, quoniam Sacra Congregatio ita censuit, quia forte Prælatus regularis non curavit conficere processum, vel non potuit ibi = *secundum ea, quæ proponuntur*; Nec mirum, si Sacra Congregatio ob varias facti, & temporum circumstantias varium in hac re dederit quoque responsum *cap. quoniam*

R r s *fre-*

frequenter vers. si vero a iter, ut lite non contestata ibi = Pensatis negotii circumstantiis.

11 Notandum in hac re regularem ita notorie delinquentem, ut populo scandalum fit, semper à suo Superiore officio esse privandum, sive procedatur ad instantiam Episcopi, sive non, si enim clericus ob scandalum cogitur renunciare dignitati, in qua jus habet *Felin. in cap. ex literis* 1. *de homicid.*, multo magis regularis privandus erit officio, in quo jus non habet, vel si forte habet ad certum tempus ex Constitutionibus Ordinis, non est ita stabile, prout est illud, quod confertur clerico in beneficiis, & officiis ad vitam duraturis *cap. qualiter in fin. de accusat. cum relatis in capite antecedenti.*

12 Notandum insuper, quod si de fraude constet, forte quia Prælatus regularis subditum notorie delinquentem ad alia loca extra Diœcesim transmiserit, ac instante Episcopo revocare omittat, ut in eo loco, in quo regularis deliquit, juxta formam Tridentini puniatur, potest Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus regularem officio privare, in eumque aliis pœnis canonicis animadvertere *juxta Constitutionem* 39. *Clementis VIII. Naulen.* 14. *Martii* 1648. *ad quartum ibi = Ad quartum posse per Episcopum procedi, si de fraude constet, ne hujusmodi delicta Regularium remaneant impunita contra dispositionem Sacri Concilii, & Constitutionem Clementis VIII.*; Quod ratio

13 suadet, quia ubi scandalum commissum est, ibi est auferendum *Gloss. in can. sed illud distinct.* 45. *can. si peccaverit* 2. *quæst.* 1. *in fin. ibi = ut ubi contigerit malum, ibi moriatur, & publica noxa publico indiget remedio*, inquit D. Augustinus, quod etiam habetur *in can. quis aliquando* §. *hæc ergo distinct.* 1 *de pœniten.*

14 Interim tamen Prælatus regularis, qui ad eludendam dispositionem Conciliarem alibi delinquentem impunitum transmittit, majores incurrit pœnas; etenim ipso jure amittit dignitates, & officia, & inhabilis efficitur ad alia similia, vel dissimilia in posterum obtinenda, privatur ipso facto voce activa, & passiva, ad quas à nemine, præterquam à Papa, potest restitui *juxta Constitutionem* 39. *Clementis VIII. ibi = Motu proprio &c. omnibus, & singulis cujuscumque ordinis, & instituti regularium in virtute sanctæ obedientiæ, ac privationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum eo ipso incurrendis pœnis &c.; Cæterum, si Superior in regularem delinquentem non animadverterit, quinimo si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra Episcopi Diœcesim transmiserit, volumus, & decernimus, ut superior instante Episcopo intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem privationis dignitatum, & officiorum obtentorum, nec non & sub inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac ulterius privationis activæ, & passivæ vocis, ad quas à nemine præterquam à nobis, & à Romano Pontifice restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum regularem delinquentem à loco, ad quem transmissus fuerit, revocare teneatur*; & merito, quia quacumque pœna privationis officii dignus est Prælatus regularis, qui Conciliaribus, & Apostolicis mandatis obviare conatur *l. sacrilegii Cod. de divers. rescript.*

15 Denique, si regularis degens extra monasterium de licentia suorum superiorum, & extra graviter deliquerit, Episcopus ex Tridentino *sess.* 6. *cap.* 3. non solum in visitatione potest punire, & corrigere, verum etiam, si qualitas criminis ita expostulat, delinquentem ab officio amovere *juxta text. in can. de his* 31. *distinct.* 50. *ibi = ut hi, qui deprehensi, vel capti fuerint in perjurio, furto, ac fornicatione, & cæteris hujusmodi criminibus secundum Canonum Sacrorum instituta à proprio gradu decidant, quia scandalum est populo Dei tales personas suprapositas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat.*

16 At dubium est, an possit puniri, & officio privari etiam extra visitationem, casus accidit in Sacra Congregatione, in qua cum dubitatum fuisset de duobus, primo, an Episcopi ex *Constitutione Pii IV.*, quæ incipit *de salute Gregis* edita ante publicationem Concilii, habeant facultatem puniendi regulares degentes extra claustra, & extra monasterium; secundo, an d. Constitutio dans prædictam facultatem Episcopis fuerit abrogata per Concilium *cap.* 3. *sess.* 6., quod ex sententia Sacræ Congregationis non dat hujusmodi facultatem Episcopis, nisi in actu visitationis; *Sacra Congregatio die* 3. *Septembris* 1622. *ex libro memorialium ad primum ita censuit, ad secundum censuit non esse abrogatam*, & ratio apud me solida est, quia *Constitutio Pii IV.* dat facultatem Episcopis puniendi regulares extra visitationem, *Tridentinum* in visitatione, idcirco *Constitutio Pii IV.* Decreto *Tridentini* non est contraria, nec decretum *Tridentini* est incompatibile *cum d. Constitutione*, quia tam *d. Constitutio*, quam *Tridentini* decretum quoad privationem officii, & punitionem regularium diversa tempora respiciunt, ergo sicut quoad unum tempus subsistit *Constitutio Pii IV.*, ita quoad aliud stabile est *decretum* Tridentini *l. præcipimus in fin. Cod. de appellat.*

17 Sed tamen pœnis apostatarum puniri non potest regularis, qui degit extra claustra ex tacita licentia superiorum, quia apostata non est; Unde cum quæsitum fuisset, an Ordinarius possit regularibus degentibus absque licentia sedis apostolicæ in hospitiis non approbatis prætextu negotiorum, & litium præcipere, ut revertantur ad claustra sub pœna apostasiæ, vel alia, *Sacra Congregatio respondit regulares degentes in hujusmodi hospitiis subjacere jurisdictioni Episcopi, non autem subjacere pœnæ apostasiæ Vercellen.* 21. *Martii* 1643.

18 Cæ-

18 Cæterum regulares omnes existentes intra, vel extra monasterium, & circa ea, quæ ad curam animarum pertinent, graviter deliquerint, dubium non est, quin subsint jurisdictioni Episcopi, & privari possint officiis *cap. Romana in fin. de pæn in 6. ibique Passerin. num. 3. Patavina die 22. Januarii 1604. ibi = Congregatio censuit regularem exercentem curam animarum in parochiali unita monasterio regularium posse ab Episcopo visitari vigore cap. 7. sess. 7.*, *atque ab eodem in visitatione corrigi. & puniri, si deliquerit in his, quæ curam animarum, & sacramentorum administrationem concernunt*. Idemque habetur *die 20. Decembris 1614. ibi = Congregatio censuit posse quidem Episcopum procedere contra regulares exemptos extra claustra degentes, & parochialibus ecclesiis secularibus deservientes, etiamsi deliquerint in aliis, quam concernentibus curam animarum, & sacramentorum administrationem; Quod si regulares hujusmodi intra claustra degant, & in parochialibus secularibus sacramenta administrent, item si vi suorum superiorum degant in ædibus parochialis suo monasterio unitæ, atque ibi curam animarum exerceant, subesse Episcopo in his, quæ ad d. curam, & sacramentorum administrationem pertinent*. Quod satis probat *text. in cap. accepimus de ætat. & qualit. ibi=nisi reddiderint se indignos*.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Regulares possident beneficia, & pensiones in titulum.

2 Pensiones ad vitam super beneficiis regularibus reservandæ sunt auctoritate superioris professis ejusdem ordinis.

3 An regularis degens extra claustra de licentia superioris ob notorium delictum, & scandalum privari possit *ex Tridentino* pensione sibi in titulum reservata.

4 Auctor *ex decreto Tridentini* non audet asserere, ubi de ratione.

5 Regularis notorie delinquens extra claustra pensione in titulum de jure est privandus, si delictum sit grave.

6 Delictum regularis notorie perpetratum extra claustra fit qualificatum ratione scandali.

7 Propter delictum qualificatum clericus privatur pensione.

8 Regulari non solum imputatur delictum, sed etiam scandalum, quod ex eo sequitur.

9 Scandali specialia quæ sint.

10 Regularis degens extra claustra sine licentia superioris uti desertor ab ordinario est puniendus *ex Tridentino*, & pensione de jure privandus.

11 Pæna desertoris de jure quæ sit.

1 Extant in ecclesia regulares, qui beneficia, & pensiones possident in titulum, ac de fructibus beneficiorum, & pensionum libere possunt disponere in vita, eo modo, quo clerici seculares, *ut notant Navar. in can. ut non dicatis 12. quæst. 1. num. 42.*, *& in Apologia quæst. 1. monit. 80. num. 4. 5. Cardinalis in Clementina 2. §. sed & tales in 1. notab. de vit. & honest. cleric. & in clementina gratiæ columm. penult. ad fin. vers. quod interogatus de rescript. cum relat. in cap. 9. lib. 1.*

2 Immo hujusmodi pensiones in titulum, seu ad vitam non possunt reservari super beneficiis regularibus, nisi professis ejusdem ordinis *Clementina 1. ibiq. Gloss. & DD. de supplen. negligen. Prælat.*, prout beneficia ipsamet regularia regularibus de jure sunt conferenda *cap. cum singula de preb. in 6.*

3 Itaque quæritur, an regularis, qui notorie deliquit cum scandalo populi, pensione sibi ad vitam super beneficio regulari auctoritate superioris reservata privari possit ex Tri-
4 dentino *sess. 25. cap 14.*; Punctum tactum non habeo, idque asserere non audeo ex decreto *Tridentini*, quia ibidem fit mentio dumtaxat de privatione officii, cujus appel-
5 latione non venit pensio; At inspecta dispositione juris arbitror privari posse, & privandum esse, dummodo delictum sit grave, & depositione dignum, & ratio est, quia
6 delictum regularis notorie perpetratum qualificatum fit ratione scandali, idcirco sicuti
7 clericus ob delictum qualificatum pensione privatur *ex plene deduct. per addent. ad Rotam decis. 1. part. 9. recen.*, ita à fortiori regularis; Quod apud me nullam habet dubi-
8 tationem, quoniam regulari non solum imputatur delictum, quod ex malitia notorie commisit extra claustra, sed etiam omne id, quod ex eo sequitur, nempe scandalum causatum in populo, quod crimen gravissimum est *Gloss. in can. clericum vers. per quod distinct. 50. ibi = Argumentum, quod ratione unius delicti imputantur omnia delicta, quæ sequuntur ex illo*, *Gloss. in can. studeat vers.*
9 *prodiit. distinct. 50.*. Deinde regularis notorie delinquens extra claustra quacumque pæna dignus est propter scandalum, in quo illud speciale est, ut quis gravius puniatur, & semper cadat à gradu suo *Gloss. marginalit in l. ultima ff. ad l. cornel. de sicar. ibi = Nota, quod propter scandalum aliqua postponuntur, & fiunt, quæ aliter non fierent, can. de his 31. distinct. 50. ibi = à proprio gradu decidant, quia scandalum est Popolo Dei tales personas suprapositas habere*, *late Felin in cap. 2. de præscript.* ubi quæ sint specialia scandali, enumerat.

10 Fortius hæc procedunt, si regularis sine licentia, & sub prætextu accedendi ad suos superiores degat extra claustra, quoniam tunc, si notorie deliquerit, potest ab Ordinario puniri ut desertor *ex Trident. sess. 25. cap. 4. de regular. ibi = tamquam desertor sui instituti puniatur*, & in sequelam ob grave, & notorium delictum extra claustra commissum pensione etiam in titulum juridice
11 privatur, prout desertor privatur gradu, & militia, spoliatur stipendiis, & quandoque etiam pæna ordinaria spectitur *l. desertorem ff. de re militar.*

ARGUMENTUM.

DE vacatione Dignitatis, seu Officii, ac Pensiônis Abbatissæ vel ipso jure, vel ob amotionem *ad interpret. Trident. sess. 25. cap. 7.*, & *Constit.* 80. *Gregorii XIII.*

SUMMARIUM.

1 A Abatissa de jore habet dignitatem.
2 Abbatissa ex privilegio potest conferre officia, & beneficia, suspendere canonicas suas, & clericos sibi subjectos.
3 Non potest de jure visitare, secus si sit in possessiode visitandi.
4 Abbatissa, prout habet administrationem monasterii tantum, dicitur habere officium, ubi de ratione.
5 Ætas Abbatissæ ex præcepto Apostolico debet esse sexaginta annorum.
6 Ætas Diaconissæ ex seoteotia Leonis I quadraginta annorum.
7 Ætas Diaconissæ joxta leges Imperiales quinquaginta annorum redacta ad annum quadragesimom.
8 Concilium *Calcedonense* ætatem Diaconissæ in quadragessimo anno definivit.
9 Concilium *Carthaginense III* quoad ætatem quadragintà annorum in sanctimonialibus declaratur.
10 Bonifacius VIII ætatem Abbatissæ, vel Priorissæ ad trigessimum annum restrinxit.
11 Coocilium *Tridentinum* Abbatissam, & Priorissam qoadraginta annorum eligi mandavit, in subsidium ætas triginta annorum sufficit.
12 Ætas Abbatissæ, & Priorissæ debet essa completa, ubi rationes, & decreta Sacræ Congregationis.
13 Officium Abbatissæ vacat ob lapsum triconii in Italia *ex constit. Gregorii XIII.*
14 Verbum *desinere* importat vacationem, & perpetuam desinentiam.
15 Verba *desinere*, & *vacare* de jure differunt, secus ubi post lapsum certi temporis officium extat.
16 Verbum *carere* intelligitur ipso jure.
17 Officium Abbatissæ vacat ob amotionem ex legitima causa.
18 Officium Abbatissæ vacat ex defectu ætatis, & aliorum requisitorum.
19 Episcopus ætati, & aliis Abbatissæ requisitis dispensare non potest, sed recurrendum est ad Congregationem Concilii.
20 Nominatio Priorissæ ex privilegio Apostolico debetur Patrono etiam mox religionem professuto, ubi casus, & resolutio Sacræ Congregationis num. 21.
22 Jus nominandi Abbatissam debetur fundatrici Monasterii.
23 An Patronus habens ex privilegio Apostolico jus nominandi Abbatissam teneator nominare juxta requisita *Tridentini*, Cardinalium opiniones, & resolutio Papæ in hac re.
24 Patronus laicus nominans Priorissam, quæ ætate, aliisque requisitis non pollet; privatur pro ea vice facultate iterum nominandi.
25 Abbatissæ perpetuæ debent intra annum benedici, alioquin ipso jure privantur.

CAPUT XXI.

1 Bbatissa canonice electa à
Monialibus de jure dicitur habere dignitatem
l generali C. de sacros. eccles. cap. indemnitatibus
§. verum de elect. in 6.,
Abbas in cap. cum in cunctis column. 4. vers. alte-
2 *rius quæro de elect.*, sed ex privilegio potest
conferre officia, & beneficia, canonicas suas,
& clericos suæ jurisdictioni subjectos ab offi-
ciis, & beneficiis suspendere, ad instar infe-
riorum Prælatorum, habet enim administra-
tionem in spiritualibus, & temporalibus
cap. cum dilecta ibique Glosf., & *DD. de*
majorit. & obedien., *cap. ea noscitur de his,*
quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit.; &
3 quamvis de jure nequeat visitare, benedicere,
& absolvere *cap. nova de pæniten. & re-*
miss. cap. de monialibus de senten. excommuni-
cat. Tondut. quæst. benef. cap. 124. per tot.
nihilominus hujusmodi jus super ecclesiis
monasterio unitis etiam competit, si tamen
sit in possessione visitandi, exceptis iis, quæ
tangunt curam animarum, cujus Abbatissa
etiam cum potestate quasi Episcopali est pe-
nitus incapax *Rot. decis. 504. coram Dunoz-*
4 *zet. jun.*, *decis. 311. part. 9. recen.*, verum
Abbatissa habet potius officium, si ad regi-
men Monasterii dumtaxat eligatur; Abba-
tissatus enim, prout Abbatia, solicitudinis
nomen potius sonat, quam jurisdictionis
Glosf. in cap. tuam de ætat. & qualit. can. hoc
tantum 18. *quæst.* 2.
5 Circa ejus ætatem varia fuit dispositio ju-
ris, olim enim ad hujusmodi dignitatem,
seu officium non poterat eligi ex præcepto
Apostolico, nisi quæ constituta esset in æta-
te sexaginta annorum *can. juvenculas 20.*
quæst. 1. ibi = juvenculas fieri Abbatissas ve-
hementissime prohibemus, nullam igitur fra-
ternitas tua, nisi sexagenariam virginem,
cujus vita, & mores hoc exegerint, velari
6 *permittat.*, sed quia, ut ait *ibidem Glosf.*, id
potest intelligi, ut Abbatissa sit sexagenaria
non ætate, sed perfectione continentiæ;
ideo Leo I. Papa præscripsit ætatem annorum
quadraginta in consecratione Diaconissæ
can. nemo distinct. 78. *ibi = Nemo inter Dia-*
conissas consecretur sacrosanctæ ecclesiæ, quæ
7 *minor sit quadraginta annis*; Nec ab his dif-
fert Justinianus, qui ætatem Diaconissæ;
quam prius ad quinquagesimum annum de-
finiverat, ad quadragesimum reduxit *l. nemo*
authen.

authen. Diaconissam C. de Episcop. & cler. ibi = Diaconissam in sancta Dei ecclesia non ordinari præcipimus, quæ minor sit annis quadraginta, idemque habetur *in authen. Præsbiterum de sanctissimis Episcop.*
8 Concilium deinde Calcedonense agnoscens præcepta ecclesiastica variatione temporum, & circumstantiarum posse mutari, decrevit *in cap. 15.* ætatem Diaconissarum in anno
9 quadragesimo completo. Idemque de sanctimonialibus statuit Concilium Carthaginense III. *in can. sanctimoniales 20. quæst. 1. ibi= sanctimoniales ante annum quadragesimum non velentur*; De consecrationis utique velo, non de religiosa professione interpretandus est hic Canon; Vocantur enim sanctimoniales ante susceptum velum, de quo hic agitur; Ætas quadraginta annorum designata est tum in Conciliorum Canonibus, tum in legibus Imperatorum ad Diaconissæ consecrationem; de his ergo agere synodus Carthaginensis existimanda est, non univer-
10 sim de Monialibus; Non item sub Bonifacio VIII. res se habuit, statuit enim ad obtinendam dignitatem Abbatissæ, vel Priorissæ sufficere ætatem triginta annorum ibi= *Nec Abbatissam, nec Priorissam, ubi per Priorissam Monasterium gubernatur, de cætero eligatur aliqua, nisi trigesimum annum compleverit. cap. indemnitatibus de elect. in 6.*
11 Denique Concilium Tridentinum ætatem annorum quadraginta in Abbatissa, & Priorissa convenienter antiquis Canonibus definivit, urgente tamen necessitate etiam ætatem triginta annorum sufficere decrevit cum aliis requisitis, de quibus *in cap. 7. sess. 25. de regular. ibi = Abbatissa, & Priorissa, & quocumque alio nomine præfecta, vel præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. quod si bis qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex iis, quæ in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem recte vixerint,*
12 *eligatur*; Utrobique autem ætas Abbatissæ, & Priorissæ annorum quadraginta, vel triginta debet esse completa, & quidem quoad ætatem quadraginta annorum certum est, mandat enim *ibidem Tridentinum*, ut non eligatur minor annis quadraginta; esset autem minor, nisi annum quadragesimum explevisset, nam ille est major quadraginta annis, qui quadragesimum annum complevit, esse enim majorem tali anno dicit esse supra eumdem, ipsumque excedere, & qui non excedit major non est; Deinde quoad ætatem triginta cessat penitus dubitatio ex verbo *excesserint*, quo utitur *ibidem Tridentinum*, ergo ætatem triginta, vel quadraginta annorum in Abbatissa, seu Priorissa non sufficit cæptam, sed completam esse oportet *Vigilien. 12. Martii 1633. ibi = Sacra Congregatio respondit ætatem quadraginta annorum in Abbatissa requisitam ex cap. 7. sess. 25. de regular. intelligi de quadraginta annis completis Neapolitana 24. Septembris 1678.*
13 His positis vacat officium Abbatissæ ob remotionem, quæ fit, vel à lege, vel ab homine. Et quidem à lege, ubi Abbatissa est triennalis dumtaxat, prout in Italia, tunc enim finito triennio expirat officium, dum Abbatissa statim desinit habere administrationem *ex Constit. 80. Gregorii XIII. ibi = sed triennales tantum à conventu uniuscuiusque monasterii, aut alias juxta decreta Tridentini, & regularia suorum ordinum instituta eligantur, & præficiantur, quæ postmodum elapso triennio præesse desinant, omnique*
14 *prorsus careant auctoritate*; nec de vacatione abbatissatus potest ambigi, nam verbum *desinere* perpetuam de jure desinentiam à loco importat *l. final. §. quod inquit ff. de adsignan. libert. ibi = quod inquit senatus, si quis in civitate esse desiisset, eum significat, qui in perpetuum in civitate esse desieris l. si is §. quod dicitur ff de jur. dot.*
15 Nec obiicias *desinere*, & *vacare* inter se de jure differre, quia *desinere* proprie locum habet in casu, quo morte, vel privatione jus plene extinguitur, *vacare* autem, ubi beneficium extat, *ut explicat Innocentius in cap. dilecto num. 3. de præben. ibi = & ideo licet in aliqua ecclesia, ubi est incertus numerus canonicorum sint plures canonici, & unus moriatur, non valent literæ, si impetrentur super canonicatu illius alicui conferendo, quasi vacet, quia non vacat, imo desiit, ut hic dicit, secus autem, ubi esset certus numerus canonicorum, quia tunc non desinit, sed vacat*; Respondetur *Innocentii* doctrinam non obstare, licet enim *desinere* dicatur, ubi jus extinguitur, nihilominus, ubi officium, vel dignitas extat, proprie datur vacatio *juxta distinctionem Innocentii, de qua supra*. Utrumque verificatur, quia quoad Abbatissam jus post triennium extinguitur, sed officium Abbatissæ post triennium extat, ergo post triennium jus definit, & Abbatissatus vacat.
16 Deinde verbum *carere* intelligitur ipso jure *Corsett. singular. 35.*, ergo post lapsum triennii Abbatissatus ipso jure vacat, quod patet ex eo, quia altera Monialis juxta dicta requisita ad hujusmodi officium, quod post triennium extat, est subroganda, & eligenda *ex Tridentino, Constit. 103. Pii IV., & Gregorii XIII, Baren. 29 Maii 1649 ibi = Sacra Congregatio censuit Sacrum Concilium obstare innovatum in Constitutione Gregorii XIII. eo in ordine, ut Abbatissa ultra triennium in officio continuare possit, Bargen. 10. Februarii 1594. ibi = Quod si moniales curæ dictorum Fratrum Minorum subiiciantur ex Constitutione Sixti V. caveri Abbatissam ultra triennium continuare non posse.*
17 Vacat insuper officium Abbatissatus ab homine, quando scilicet Abbatissa ob malam administrationem, vel ex alia justa, & legitima causa ab officio amovetur, id tamen non

non potest fieri à Monialibus, sed causa amotionis ab Ordinario cognosci, & approbari debet, *Parmen.* 20. *Junii* 1620. *ibi = Sacra Congregatio, Sanctissimo annuente, declaravit dd. Abbatissas, seu Priorissas ad triennium, vel aliud tempus canonice electas, durante hoc tempore, ab officio amoveri non posse, nisi absque legitima causa prius cognita, & approbata ab Episcopo Parmensi;* Præterea sicuti in Italia officium Abbatissatus vacat post triennium, ita alibi vacat morte, vel amotione, quoniam extra Italiam nulla lege prohibetur, quo minus electa in Abbatissam in officio continuare possit etiam ultra triennium, & ad vitam *Burgen.* 10. *Februarii* 1594. *ibi = Sacra Congregatio censuit Abbatissam, si Moniales non fuerint curæ, & regimini Fratrum Minorum Sancti Francisci de observantia subjectæ, posse ultra triennium durare, cum nulla lege, & Pontificia Constitutione id extra Italiam prohibeatur.*

18 Demum electio Abbatissæ, quæ caret ætate, aliisque Tridentini requisitis, est ipso jure nulla, eaque ab administratione removenda est, quia hujusmodi requisita sunt necessaria ad validitatem electionis, *Sacra Congregatio in Forosempronien.* 23. *Septembris* 1596. *ibi = Item censuit oportere Monialem, quæ in Abbatissam eligenda sit, non solum annum probationis explevisse, sed etiam præditam esse qualitatibus requisitis à decreto Concilii sess. 25. cap. 7. de regular.*, & in sequelam ob amotionem ab administratione, & cassationem electionis Abbatissatus iterum vacat *cap. proposuit de concess. præben. ibi = Post cassationem electionis intelligebatur vacare*, quod per nos alibi sæpe dictum est.

19 Potestas Episcopi quoad defectum ætatis, & aliorum requisitorum non suffragatur, Episcopus enim contra jus dispensare non potest *Cardinalis conf* 130. *per tot.*, sed recurrendum est ad Sacram Congregationem Concilii, quæ ex causa necessitatis committere solet Episcopo facultatem dispensandi tam super ætate, quam super aliis requisitis *Interamnen.* 12. *Martii* 1695. *lib. dec.* 43. *fol.* 136. , *Fundana* 7. *Julii* 1698. *lib. dec.* 48. *fol.* 276. , *Patavina* 9. *Augusti* 1698. *lib. decret.* 48. *fol.* 393. *& alibi.*

20 Notandum tamen in hac re, quod Abbatissa, seu Priorissa debet esse perpetua, si nominatio spectat ad patronum ex privilegio Apostolico, quod debetur etiam cum indulto nominandi, Patrono mox religionem professuro, casus est *in Parisien.* 20. *Aprilis* 1697. *lib. decret.* 47. *fol.* 152. , in qua Ludovicus Berrier perpetuus Prior Commendatarius Monasterii de Berrieriis Ordinis Sancti Benedicti exposuit se anno 1674. cum auctoritate Ordinarii fundasse, ac dotasse in oppido de Torrai Monasterium Monialium sub regula Sancti Benedicti, & sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis reservato in actu fundationis jure nominandi, ac præsentandi ab Archiepiscopo Parisiensi Priorissam ejusdem Monasterii ad sui favorem, & successive masculorum seniorum ejus familiæ.

Et licet ad effectum aquirendi jus præsentandi ad Prælaturam regularem, sive conventualem necessarium videretur speciale privilegium Sedis Apostolicæ ad formam textus *in cap. nobis*, *ubi Fagnan. num* 12. *de jurepatron.*, *Corrad.*, qui testatur de stylo Curiæ *in prax benef. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 30. , nihilominus secuta vacatione d. Priorissatus idem Lodovicus absque ulla contradictione bis admissus fuit juxta legem fundationis ad præsentationem Priorissæ.

Cum autem nuper idem Lodovicus orator perfectioris vitæ, ac regularis disciplinæ zelo ductus habitu inter religiosos Sancti Benedicti suscepto professionem in eo emittere intendat, ea autem emissa non sine ratione vereatur præfatum jus præsentandi, ipso vivente, transferri posse ex ejus persona in Monasterium, hinc prævio supplici libello per Sanctissimum huic Sacræ Congregationi remisso, supplicavit pro indulto, ut ipse, ejus vita durante, quamvis professus d. jure præsentandi ad tenorem fundationis libere frui possit, absque eo quod jus aliquod aquiratur Monasterio, aut superioribus religiosis, & salvo in reliquis jure aliorum Patronorum post ejus obitum nominatorum.

Super quibus auditus Officialis Archiepiscopi Parisiensis expositam veritatem confirmans ita subdit; *Insuper ex aliis testes certiores facti sumus d. fundationem executioni in commodum ejusdem Monasterii fuisse demandatam, ecclesiam d. Monasterii, & loca regularia, si non perfecta, saltem cito cura oratoris perficienda, sicuti ipsum Monasterium, eodem procurante, omnibus necessariis instruendum d. oratorem jus suum exercuisse, ac super ejus nominatione D. Jacobæ Gerberon, & post illam D. Ludovicæ de Albret de Luynes modernæ Priorissæ de d. Prioratu auctoritate ordinaria fuisse provisum; Cumque præditus D. Ludovicus Berrier Orator sit vir doctrina, æque ac probitate, ac pietate insigni præditus, qui ob melioris vitæ frugem, beneficia, dignitates, honores, videlicet Abbatiam de Lonlaii, Archidiaconatum, & Canonicatum Ecclesiæ Parisiensis duos Prioratus, unum de Vilanace, & alterum de Maupas, ac munus Consiliarii in parlamento Parisiensi cum aliis bonis paternis dimisit, & abjecit, ut totum se Deo voveat, & vitam regularem, & strictiorem observantiam amplectatur, seque in Prioratum suum de Berrieriis recepit, ut professionem emittat, arbitramur ipsum, qui apprimè novit regulam Sancti Benedicti, & quid ejus sectatores facere teneantur, majori cum studio, & majori cum cura utilitati d. Monasterii invigilaturum, quod jam in duabus nominationibus per eum factis visum est, in quibus carne, & sanguine non auditis, Moniales digniores selegit, posthabitis suis consanguineis, iisque proxi-*

proximioribus in eodem Monasterio professis, quibus omnibus perpensis existimamus Sanctitatem Suam aliquid d. Monasterio in spiritualibus, & temporalibus perutile, ac Deo gratum facturam, si præfato oratori prædictum indultum concedat, ipsumque omnibus juribus in d. fundationis actu reservatis frui faciat; His itaque stantibus dubium est, an petitum indultum sit oratori concedendum

21 in casu &c.; Sacra Congregatio censuit oratorem recurrere debere ad Sanctissimum pro concessione reservationis juspatronatus, & postea supplicare pro indulto.

22 Optima quidem resolutio est, & innixa exemplo D. Gregorii lib. 2. epist. 59., in qua mandavit Episcopo Neapolitano, ut ecclesiam dedicaret Monialium Civitatis Neapolitanæ, ibidemque eligeret in Abbatissam, quam pia Matrona, & fundatrix nominaverat, ibi=In quo Gratiosam Abbatissam præesse disposuit, simulque oratorium construxisse dignoscitur, cui & pro voto suo quatuor uncias totius substantiæ suæ dimisit, & de simili nominatione alterius Abbatissæ facta à Sancta Redegunda in Monasterio Pictaviensi per eam fundato adest exemplum in Concilio Turonensi relato per Tamburin. de jure Abbatissæ disput. 30. quæsit. 2. num. 4., Thomassin. vetus; & nova ecclesiæ disciplina de benef. tom. 2. lib. 1. cap. 30. num. 15.

23 Quæstio hinc est, an patronus laicus, cui ex privilegio Apostolico competit jus nominandi, teneatur nominare Abbatissam juxta qualitates à jure, & decreto Tridentini requisitas; Fuit habita Congregatio Concilii, in qua interfuerunt DD. Cardinales Paleottus, Lancellotus, Castruccius, de Montelparo, Justinianus, Crescentius, Paravicinus, Mathejus, Platta, & fuit in ea discussum supradictum dubium, & Cardinales Paleottus, Lancellottus, Castrucius, Crescentius, Paravicinus, Mathejus fuere illius sententiæ, ut qualitates, quæ in d. decreto Concilii requiruntur in Abbatissa eligenda, requirantur etiam in præsentanda; reliqui vero tres Cardinales, nempe Montelparo, Justinianus, & Platta fuerunt alterius sententiæ; cumque retulissent Sanctissimo Domino Nostro vota Congregationis, visum ei fuit bene per majorem partem fuisse decisum, & adduxit textum in cap. finali de elect. in 6., qui licet disponat in electione, procedit etiam in præsentatione Burgen. 14. Junii 1594. lib. decr. 8. fol. 48., & memorial. 131.

24 fol. 133. Porro Patronus nominans Abbatissam, quæ ætate triginta, vel quadraginta annorum, aliisque requisitis non pollet, privatur pro ea vice potestate iterum nominandi Abbatissam, nisi ex justa, & rationabili causa excusandus sit. §. si quis authentica de sanctiss. Episcop. cap. cum vos ibique DD. de offic. ordinar. cap. indemnitatibus de elect. in 6., Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 7. de regular. Rot. decis. 156. per tot. part 9. rec; & Abbatissatus vacat ut prius ex dictis.

25 Denique Abbatissæ perpetuæ tenentur suscipere ab Episcopo munus benedictionis, si tamen in loco mos est Abbatissas benedici Clement. 2. § statuimus de stat. Monachor., ubi disponitur eas benedici debere intra annum suæ cofirmationis, Abb; & Felin. in cap. meminimus 13. in princip. de accusat., & Zabarell. d. §. statuimus in princip., & quæst. 12. in fin. eas ipso jure privari dicunt, nisi benedicantur intra annum.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Fœmina exclusa ab omnibus officiis virilibus incapax etiam est beneficii, & pensionis ecclesiasticæ.

2 Abbatissa perpetua potest resignare suam dignitatem coram Papa cum pensione.

3 An pensio reservata Abbatissæ occasione resignationis per electionem ad eamdem, vel aliam Abbatissatus dignitatem extinguatur? ibidem num. 4. 5. 6. 7.

1 Quamvis fœmina exclusa sit ab omnibus virilibus officiis per text. in l. 2. ff. de reg. jur., & in sequelam etiam esse incapacem beneficii, & pensionis ecclesiasticæ pro certo supponitur apud Rot. decis. 90. num. 5. decis. 117. num. 2. coram Molin., nihil-

2 ominus id non est semper verum, nam Abbatissa perpetua potest resignare suam dignitatem etiam ad favorem coram Sanctissimo, & pensionem super dignitate resignata sibi reservare, ut notant Paris. de resignat. lib. 3. quæst. 12. num. 19., Tamburin. de jur. Abbatis. disput. 31. quæsit. 2., & colligitur ex Crescentio decis. 2. in princip. de renunciat. Hoc posito.

3 Quæritur, an pensio occasione resignationis reservata Abbatissæ extinguatur per electionem ad eamdem, vel aliam Abbatissatus dignitatem in eodem, vel alio monasterio; Respondeo Abbatissam electam ad regimen monasterii dumtaxat non esse proprie prælatam, habet enim potius administrationem œconomicam, quam ecclesiasticam jurisdi-

4 ctionem, sed tamen beneficium, & dignitatem, si perpetua sit, possidet in ecclesia cap. indemnitatibus §. verum de elect. in 6., Rot. decis. 396. num. 9. part. 19. recen., itaque

5 hoc casu per novam electionem ad Abbatissatum pensio extinguitur ob incompatibilitatem, quod quoque videtur speciale in monialibus possidentibus dignitates, & beneficia perpetua cap. cum singula de præben. in 6. cum relatis in additione antecedenti., nam quidquid dispositum est in Monacis, & Abbatibus, locum habet in Monialibus, & Abbatissis cap. final. in fin. ibique Abbas de stat. Monach.

6 Si vero Abbatissa electa confirmetur, vel bene-

benedicatur à Papa, vel ab Episcopo, habeatque jurisdictionem conferendi beneficia, suspendendi clericos, visitandi monasteria cum similibus, tunc pensio occasione resignationis reservata extinguitur ob promotionem ad Prælaturam regularem, eo modo quo vacant beneficia, & pensiones Monaci ad Abbatiam promoti *cap. cum in cunctis §. cum vero de elect. Oldrad. cons.* 14. *per tot.*, hoc
7 enim casu Abbatissa cum potestate quasi episcopali possidet dignitatem, & prælaturam *cap. indemnitatibus de elect. in* 6., *l. generali Cod. de sacrosanct. eccles. cap. cum dilecta, ibique Gloss.*, *& DD. de majorit.*, *& obedien.*

ARGUMENTUM.

DE Præbendis, ac Pensionibus Abbatissarum, Decanissarum, & Canonissarum Germaniæ vacantibus vel ipso jure, vel ob privationem *ad interpret. text. in cap. dilecta de majorit. & obedien.*, *cap. indemnitatibus de elect. in* 6., *Clement. attendentes de stat. Monachor.*

SUMMARIUM.

1 CAnonissæ *Germaniæ*, *&* *Belgii* possident præbendas, intersunt choro cum similibus.
2 Abbatissæ, & Decanissæ professionem regularem emittentes sunt personæ ecclesiasticæ.
3 Sedes Apostolica eorum electiones confirmat.
4 Hujusmodi præbendæ sunt tituli ecclesiastici resignabiles.
5 Vacant resignatione, si Abbatissa resignans per viginti dies supervixerit, ubi de ratione,
6 Vacant ob incompatibilitatem.
7 Abbatissa ex *Tridentino* duobus Monasteriis præesse non potest.
8 Præbendæ Canonissarum, quæ nullam professionem emittunt, non sunt beneficia ecclesiastica, sed potius præstimonia.
9 Vacant statim post admissam resignationem à Papa.
10 Pro assequendis hisce præbendis requiritur in Canonissis nobilitas equestris, vel militaris.
11 Literæ Apostolicæ obreptitiæ, & subreptitiæ non sunt, licet Papæ fuerit suppositum præbendam, quæ resignatur, esse beneficium ecclesiasticum, & quare.
12 Vacant per Matrimonium à Canonissa contractum.
13 Canonissæ *Iullenses* ultra duas, vel tres præbendas habere, & retinere non possunt.
14 Per assecutionem quartæ præbendæ de Jure vacat prima, nisi detur optio.
15 Non vacant ob simoniam.
16 Abbatissa cum jurisdictione potest Canonissas præbendis privare.
17 Ob privationem vacant de facto.

CAPUT XXII.



1 Ltra dignitates, administrationes, beneficia, & officia, quæ vacant post certum, & limitatum tempus, seu etiam ob amotionem Abbatissarum, seu Priorissarum, quæ monasteriis præsunt *ex dictis in capite antecedenti*, extant *in Germania*, *Belgio*, *& alibi* mulieres, quæ canonicæ, seu domicellæ appellantur, possident canonicatus, & præbendas, divinis intersunt officiis, ad instar canonicorum secularium, licet propriis non renuncient, nec ullam emittant regularem professionem *Gloss. in cap. dilecta vers. canonicas de majorit. & obedien. cap. indemnitatibus §. penultimo de elect. in* 6., *Clementina attendentes vers. illas de stat. monachor.*, *Hallier de sacr. elect. fol.* 512., *Thomassin vetus, & nova eccles. disciplin. de benef. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 63., De hisce itaque præbendis, earumque vacatione vel ipso jure, vel ob privationem nonnulla breviter hic differenda sunt, quæ in Curia Romana etiam practice discutiuntur.

2 Et quidem illud certum est Abbatissas, & Decanissas professionem regularem emittentes, ac perpetuo addictas collegiis, quibus præsunt, esse personas ecclesiasticas *Tamburin. de jur. Abbatis. disput.* 7. *quæsit.* 4. *num.* 1. *vers. Canonissæ*; deinde tenentur ad servitium chori, & ad horas canonicas, percipiunt fructus suarum præbendarum, participant de distributionibus, quæ cum aliis Canonissis ibidem inservientibus distribuuntur, habent dignitatem in ecclesia cum administratione *cap. dilecta de majorit. & obedien. Bart. in l.* 1. *num.* 43. *Cod. de dignit.*
3 *lib.* 12., Earum denique electiones Sedes Apostolica confirmat, & quatenus opus fit, denuo eligit *cap indemnitatibus de elect in* 6.
4 Ergo hujusmodi præbendæ sunt vere tituli ecclesiastici, ac resignabiles etiam ad favorem eorum Papa, prout practicatur in aliis beneficiis, & præbendis clericorum, & canonicorum secularium *Paris. de resignat. lib* 3.
5 *quæst.* 12. *num.* 4. 18. 19., & in sequelam ipso jure vacant renunciatione, si Abbatissa resignans per viginti dies supervixerit, alias si intra dictum tempus decesserit, vacant per obitum *ex regula de infirmis*, cui dictæ præbendæ, prout sunt beneficia ecclesiastica, subja-

subjacent *Surnen ad d. regulam quaest.6.*, *& ibi Mandoz. quaest.3. Parif. de resignat. d. quaest.12. num.22.*

6 Vacant insuper ob incompatibilitatem, nam pluralitas titulorum etiam in monialibus canonicatus, & praebendas possidentibus de jure repugnat, sive agatur de eadem, vel diversa ecclesia, sive in uno, sive in alio collegio ex eadem rationis identitate, quae militat in praebendis clericorum *cap. de multa*
7 *de praeben. extravag. execrabilis eodem tit.*, unde merito Sacrum Concilium Tridentinum statuit nullam Abbatissam posse duobus monasteriis praeesse *sess.25. cap.7. de regular.*

8 Quo vero ad Canonissas, & Domicellas, quae nullam in eisdem Collegiis professionem emittunt, idem asserendum videtur, possident enim canonicatus, & praebendas intuitu oneris spiritualis, donec in eodem loco perseverant sub obedientia Abbatissae, seu Decanissae, percipiunt fructus, & distributiones cum similibus, habent particulare institutum approbatum in Concilio Rhemensi, & Augustensi, *ut refert Marchanton. resolut. f.l.357. vers. quod si in sexu & vers. nulli autem*, *Rot. decis.840. num. final coram Buratt.*, ergo hujusmodi praebendae inter ecclesiastica beneficia merito possunt annumerari; Sed tamen verius est non esse beneficia eo modo, quo clericis ea conferuntur in titulum, sed potius praestimonia, quorum ut laici, ita & mulieres sunt capaces *Hallier de Sacr. elect. fol.516.* ibi = *Porro canonicae istae, quae dicuntur seculares, canonicorum virorum statum, & dignitatem non attingunt, neque beneficiorum proprie dictorum sunt capaces, eo sensu, quo beneficium solis clericis tamquam stipendium contingit; praestimonia ergo potius dicenda sunt ecclesiastica ista bona, quibus vel ipsae, vel Moniales perfruuntur, quam beneficia, quamvis etiam eorum resignandorum facultas ipsis concessa sit.*

9 His praemissis ad rem nostram infertur primo hujusmodi praebendas, admissa per Papam resignatione, statim vacare *cap.3. de renunciat. cap.2. eod. tit. in 6.*, *Clement. unic. eod. tit.*; Nilque refert, an Canonissa resignans longe supervixerit, vel statim objerit, nam *regula de infirmis*, quae loquitur de beneficiis ecclesiasticis, penitus cessat in hisce praebendis laicalibus; Unde propterea literis Apostolicis omnimoda debetur executio,
10 dummodo tamen ex parte resignatariae probetur nobilitas equestris, vel militaris, quae requiritur ad hos canonicatus, seu praebendas assequendas, *ut notat Nicol. Desnos de canonic. regular. & secular. in princip.*, *Gaspar. Brusch. de Monaster. German. fol 17. 18. Piringh. in Method. jur. Pontif. lib.3. tit.35. §.7. num.47.*

11 Nec de obreptione, aut subreptione literae Apostolicae possunt redargui ex eo, quod Papae fuerit suppositum praebendam, quae resignatur, esse beneficium ecclesiasticum, quo non verificato intrare arbitrium pro retardatione literarum Apostolicarum ex hoc capite dixit *Rota decis.74. per tot. coram Molin.*, nam eo ipso, quod in supplici libello exprimitur eam, quae resignat, feminam esse, Papa satis intelligit non esse beneficium ecclesiasticum, sed potius praebendam laicalem, cujus etiam feminae sunt capaces, idque sufficit, ut literae Apostolicae executioni mandentur, prout mutando sententiam cum recessu à decisis firmavit *Rota decis.90. decis.117. per tot. coram eodem Molin.*

12 Infertur secundo dictas praebendas dari his feminis propter servitium ecclesiae, propter residentiam in capitulis, & perseverantiam in loco sub obedientia Abbatissae, idcirco sicuti haec omnia ob matrimonium ab his feminis contractum haberi non possunt, ita in sequelam praebendas ipso jure vacare oportet, eo modo, quo praestimonia concessa intuitu studiorum, & militiae cessant, si provisus studiis non vacet, aut militiam deseruerit, quod satis probat auctoritas *Cardinalis de Vitriac.*, qui late differens de hisce Canonissis, earumque statu, & obligatione inserviendi, ac residendi ait quamplures nobiles Virgines *relictis praebendis, & ecclesiis nupsisse in historia occiden. cap 31.*

13 Infertur tertio, quod Canonissae existentes in Civitate, seu Dioecesi *Tullensi* non possunt habere, aut retinere ultra duas, vel tres praebendas, quod ibidem prudenter statutum fuit, ne res ob multiplicitatem praebendarum eat in infinitum, quod repugnat, deinde maximum irrogatur praejudicium aliis Matronis, puellis, & Virginibus, quae in eisdem Collegiis recipiuntur, vel receptae ibique sedulo inservientes commorantur *Rot. decis 840. in princip. coram Buratt.* ibi = *Quod unaquaeque D. Canonissa plures, quam duas, aut ad summum tres praebendas habere,*
14 *& retinere non possit*; Unde si quae Canonissa tribus provisa praebendis etiam quartam obtineat, vacat ipso jure prima *cap. cum singula de praebendis*, nisi ex eodem decreto detur optio dimittendi unam, quam maluerit, quod etiam est conforme dispositioni juris *cap. praeterea cap. cum non ignores de praeben.*

15 Infertur quarto hujusmodi Canonissatus, & praebendas esse mere praestationes temporales nil habentes spiritualitatis, & vendi posse absque labe simoniae *Barbos. in cap. dilecta num.4. de majorit.*, *& obedien.*, *Lotter de re benefic. lib.1. quaest.19. num.15.*, *Tondut. quaest. benef. part.2. cap.3. num.47.*, *Corrad. in prax. benefic. lib.1. cap.5. n.143. Rot. decis.827. num.9. coram Buratt.* Ergo si pretio, vel aliquo aequipollenti, quod in pactum deductum sit, ab hisce mulieribus obtineantur, vacare non possunt, ubi enim datur temporale pro alio temporali simonia non committitur *cap. super eo*, *ibique Gloss. de transact.*, *cap. ad quaestiones de rer. permutat.*

16 Denique Abbatissa habens jurisdictionem

ex præscriptione, consuetudine, aut privilegio potest ex causa inobedientiæ cum similibus Canonicas suas præbendis privare, *Abbas in cap. dilecta num. 5. ibi = Licet Abbatissa possit præbendas subtrahere*, *Hostien. ibidem*, *& communiter interpret. de majorit.*
17 *& obedien.*; sed tamen ob privationem hæ
præbendæ vacant de facto, dummodo sententia executionem habuerit *cap. gravem de excess. Prælator.*, temporalia enim officia sunt, non beneficia ecclesiastica ex prædictis.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Canonissatus, & præbendæ etiam in favorem resignari possunt sub annua pensione.
2 Pensio potest reservari Domicellæ infanti.
3 Filii militum nati in bello recipiunt stipendium.
4 Pensio ecclesiastica requirit ætatem septem annorum, & primam Tonsuram.
5 Pensio clericalis non reservatur, nisi ob vitæ, & morum probitatem.
6 Pensio laicalis reservatur Domicellæ, seu Canonissæ infanti ob nobilitatem.
7 An pensio reservata Domicellæ, seu Canonissæ ad vitam extinguatur per discessum è Collegio, vel per matrimonium; affirmative resolvitur num. 8. 9.
10 Pensio reservata intuitu Domicellæ non per discessum è Collegio, aut per matrimonium, sed morte finitur.

1 Canonissatus, & Præbendæ in hisce mulierum Collegiis etiam in favorem coram Papa sub reservatione annuæ pensionis vel in pecunia, vel in fructibus solvendæ resignari possunt, prout de Abbatissatibus perpetnis dictum est *in capite antecedenti in ad-*
2 *ditione in principio*, nilque refert, an persona, cui pensio reservatur, in minorili, seu infantili ætate constituta sit, sicuti enim Domicella, quæ vix attigit ætatem quatuor, vel quinque annorum, à Canonissis juxta localem consuetudinem ad præbendas vacantes eligitur, ita multo magis capax est pensionis, quæ super dictis præbendis occasione resignationis à Papa reservatur *Authentica multo magis Cod. de sacros. eccles.*

Hæc autem consuetudo eligendi ad præbendas Domicellas infantes videtur quodammodo introducta ad similitudinem privilegiorum, quibus potiuntur milites, nam
3 sicuti filii militum nati in bello stipendium
accipiunt juxta militarem disciplinam, ita à pari; Quod ratio suadet, quia ibi labor patris in re militari opitulatur filio quoad stipendium, hic nobilitas equestris, aut militaris, sive paterna, Avita, seu Proavita sit, habilitat Domicellas infantes tum ad præbendas, tum etiam pensiones in hisce Collegiis assequendas.

4 Et quamvis de jure pensio ecclesiastica habeat certum, & limitatum tempus, ut quis eam valide obtinere possit, videlicet septennii ætatem, ac primam tonsuram *Gloss. in Can. de bit vers. infantiæ distinct. 28. cum re-*
5 *lat. per Barbos. ad Concil. sess. 23. cap. 6. n. 9.*,
nec non prærequirat vitæ, ac morum probitatem, aliaque laudabilia, quæ dari non possunt in fœmina infante, & quidem sub nullitate reservationis pensionis *Rot. dec. 53.*
6 *num. 4. coram Burat.*, nihilominus id non habet
locum in pensione laicali, pro qua valide obtinenda non est à jure ætas ulla præscripta, idcirco pensio reservata Domicellæ minori etiam septennio valet, non enim reservatur intuitu probitatis morum, ac ob vitæ laudabilia, sed ob generosam nobilitatem, quæ in hisce Canonissis, & Domicellis supponitur.

7 Quæres ad nostrum propositum, an pensio reservata Domicellæ, seu Canonissæ extinguatur per discessum è collegio, ac per matrimonium; Respondeo pensionem in quocumque dubio censeri à Papa reservatam intuitu residentiæ in collegio, servitii ecclesiæ, & perseverantiæ in loco sub obedientia Abbatissæ, aut Decanissæ, præsertim si in literis apostolicis fiat mentio Domicellæ insimul, & Canonissæ *Gloss. in l. annua §. Attia vers. nominatorum ff. de annuis legat. ibi = & sic per ipsos præbentes ministerium ipsi templo potius relictum, quam eorum personis legatum videatur, non enim sui causa ipsis, sed potius templi, cui ipsi deserviebant, legatum fore est verisimile, quod eo maxime apparet, quoniam legando mentionem templi fecit te-*
8 *stator*; Idcirco sicuti per discessum ad secu-
lum cessat finis, quo Papa motus fuit ad reservandam Domicellæ, seu Canonissæ pensionem, ita eo cessante pensio statim expirat *Tiraquell. in tract. cessan. caus. in princip.*
9 *num. 11. 13.*. Deinde talis pensio videtur
quodammodo regularis, quia Domicellæ viventes cælibes etiam in seculo non sunt capaces pensionum, quæ in dictis præbendis reservantur, ergo per discessum, ac matrimonium pensio ut supra reservata extinguitur, prout vacat ipso jure præbenda *Cardinalis à Vitriaco Histor. occiden. cap. 31.*

10 Limita, si aliud constet de mente Papæ, forte quia intuitu personæ ipsius Domicellæ ob ejus merita, nobilitatem, & his similia pensionem reservavit, tunc enim talis pensio, prout laicalis est, non per discessum è Collegio, aut ob matrimonium, sed morte ipsius Domicellæ finitur, prout ususfructus §. *finitur instit. de usufruct. Lantiquitas Cod. eodem tit. & in aliis.*

ARGU-

ARGUMENTUM.

De Beneficiis, & Dignitatibus, quæ vacant in Curia *ex cap. 2., cap. præsenti de præben. in 6., extravagant. ad Regimen eodem tit., & regulis Cancellariæ*, & quid in Pensionibus *ad interpret. extravag. ex debito de elect.*

SUMMARIUM.

1 Peculiaria privilegia Papæ in conferendis beneficiis, quæ vacant in Curia.
2 *Clemens IV.* sibi reservavit beneficia, quæ vacant per obitum in Curia.
3 An Abbatia vacet per obitum in Curia.
4 Juspatronatus ecclesiasticum vacat per obitum in Curia.
5 Beneficia manualia non vacant per obitum in Curia.
6 Præceptoriæ manuales non cedunt sub reservationibus Apostolicis.
7 *Gregorius X.* statuit, ut beneficia, quæ vacant per obitum in Curia, conferri possint ab iis, ad quos spectat, si intra mensem à die vacationis Papa non providerit.
8 An dispositio *Gregorii X.* hodie sit antiquata, duplex opinionum. 9.
10 *Benedictus XII.* quid statuit *in extravaganti ad regimen de præben.*
11 Cardinalatus est dignitas major Patriarchatu.
12 Ecclesia Romana sola habet jus creandi Cardinales.
13 Cardinalatus vacat in Curia.
14 Episcopatus vacat in curia, ubi declaratur.
15 Abbatia Concistorialis vacat in Curia.
16 Abbatiæ Conventuales, & Monasteria excedentia valorem bis centum florenorum vacant in Curia.
17 Quid de aliis Abbatiis, quæ dictum valorem non excedunt.
18 Prima dignitas in Cathedralibus vacat in Curia.
19 Ecclesia Romana dignitates instituit.
20 Quid requiratur, ut prima dignitas in Collegiatis vacet in Curia.
21 Differentia inter unam, & aliam dignitatem.
22 Beneficia, quæ vacant per obitum familiarium Cardinalium, vacant in Curia, secus si vacent ob privationem.
23 Aliud est vacare per obitum, aliud ob privationem.
24 Beneficia Collectorum vacant in Curia.
25 Beneficia Prothonotariorum vacant in Curia.
26 Requiritur officii acceptatio vera, vel præsumpta, ut vacent in Curia.
27 An vacent in Curia, si non constet de acceptatione officii, distinguitur.
28 Beneficia officialium Sedis Apostolicæ vacant per obitum in Curia.
29 Vacant etiam in Curia ob privationem.
30 Beneficia clericorum accedentium ad Romanam Curiam, & recedentium ab eadem vacant in Curia, si intra duas diætas moriantur.
31 Beneficia Curialium, si decedant intra duas dietas, indistinctè vacant in Curia, ubi de ratione.
32 Beneficia vacant in Curia, ubi est Papa sine Cancelleria, & audientia, & è contra, ubi est Curia sine Papa ex Constitutione Clementis VIII.
33 Ubi est Papa, ibi est Sedes Apostolica, ibi Ecclesia Romana, ibi Curia.
34 Quid si dubitetur, an beneficia vacent in Curia, vel extra.
35 Beneficia generaliter, vel specialiter reservata ex decreto Papæ vacent in Curia.
36 Reservationes generales, & speciales beneficiorum, quæ vacant in Curia, quo jure sint introductæ.
37 Declaratur *extravagans ad Romani de præben.* 38.
39 Beneficium concessum à Papa in commendam vacat in Curia, quod declaratur ibidem.
40 Distinguitur inter Commendam concessam à Papa *motu proprio, & ad partis supplicationem.*

CAPUT XXIII.



1 Ultra ea, quæ dicta sunt supra de beneficiis tum secularibus, tum etiam regularibus, quorum collatio interdum ad Papam, interdum ad Episcopos, interdum ad alios inferiores Collatores pertinet, extant in ecclesia plura alia beneficia, dignitates, & monasteria, de quibus solus Papa disponit, quoniam sicuti ipse solus omnes Præsules dignitate antecellit, ita ob auctoritatis prærogativam majoribus, ac peculiaribus potitur privilegiis in conferendis beneficiis, quæ vacant in Curia, prout infra.

2 Et quidem Clemens IV. dispositioni Sedis Apostolicæ reservavit ecclesias, personatus, & dignitates, quæ apud ipsam per obitum vacarent, sublatis omnibus, & quibuscumque privilegiis de conferendis beneficiis in Curia vacantibus, nisi specialis, & expressa auctoritas ab ipsomet Romano Pontifice attributa sit *cap. 2. de præben. in 6.*

3 Et quamvis pro ratione dubitandi appellatione dignitatis non veniat Abbatia, quæ est quid medium inter dignitatem Episcopalem, & alias inferiores *Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 26. num. 19.*, multo minus Prioratus, per quos reguntur Monasteria, prout dubitat *Glossa ibidem in prima additione*, nihilominus, quia vacatio per obitum in Curia introducta est ex antiqua consuetudine *juxta Gloss. in cap. finali vers. vacantibus de consuetud. in 6.*, multoque magis quia eadem militat juris ratio in Abbatia, & Prioratibus, prout dignitates sunt, sub hac legis censura absque dubio continentur *ex auctoritate Joannis Monaci in cap. Inquisitores de hæret. in 6.*, & consequenter vacant per obitum in Curia, prout personatus, di-

 gnita-

gnitates, & alia ecclesiastica beneficia *d. cap.2. ubi scribentes communiter de præben in 6.*

4 Ita quoque beneficium jurispatronatus ecclesiastici, quod competit ex privilegio, vacare per obitum in Curia certi juris est, tum quia præsentatio patroni ecclesiastici habet vim electionis, de qua loquitur *textus*, tum etiam quia omnia privilegia quoad vacationem per obitum in Curia, quæ specialis est, antiquantur *Gloss. in d. cap 2. vers. collatio ibique Ancharan. & alii de præben. in 6.*

5 Manualia autem, & ad nutum amovibilia non veniunt sub hac legis censura, nec per obitum vacant in Curia, quia proprie beneficia non sunt; nec aliter id potest intelligi, alioquin sequeretur absurdum, quod Ordinarius posset removere provisum apostolicum *Gonzal. ad reg.8. Cancellar. Gloss.5. §.6.num.10. cum seq., Simonett. de reservat. quæst.3 num.1., Paris. de resignat. lib.11. quæst.3 num.82. Calderin. cons.26. de præben. Rota decis.791. num 4. part.3. recen.*; Unde
6 merito per Sacram Rotam decisum fuit præceptorias manuales non cadere sub reservationibus apostolicis, *ut in decis 296. coram Coccin. dec.541. pet tot coram Molines tom.2.* licet verum sit, quod etiam in hisce manualibus beneficiis detur vacatio *Gloss. in cap. præsenti de præben. in 6. ibi = vacare etiam, dicuntur, si sint manualia*, & alibi sæpè.

7 Olim ad preces Ordinariorum, ac eorum, quibus jus conferendi beneficia de jure competebat, *Gregorius X.* in Concilio Lugdunensi moderando decretalem Clementis IV. statuit, ut si Papa intra mensem à die vacationis numerandum de beneficiis per obitum in Curia vacantibus non providerit, jus conferendi ad eos, ad quos spectat, devolveretur *cap statutum de præben. in 6.*

8 Hinc quæstio est, an dispositio *Gregorii X.* hodie sit antiquata, ita ut continuent in Curia vacare beneficia, quæ semel per obitum ibidem vacarunt; Prima opinio negat, quia Bonifacius VIII. voluit, ut statutum *Gregorii X. in libro sexto decretalium* insereretur, quod utique insertum non fuisset, si vere fuisset antiquatum, *ut opinatur Andreas de Falconibus de reservat. quæst.4. principali effectu 6.num.2.*, sed hæc ratio non subsistit, quia plures *textus* tum juris civilis, tum etiam canonici etiam abrogati inseruntur in corpore juris, nec talis insertio penitus supervacua est, & inutilis, id enim fit, ut non tam eorum habeamus notitiam, quam ut ex iis interpretemur jus commune, prout aliquando Papa ex lege abrogata argumentatur *Gloss. in can. fuerunt vers. necessaria distinct.7. cap auctoritate ibique Gloss. vers. contingit de concess. præben.*

9 Quamobrem contraria opinio verior est *per textum in extravag. ex debiris de elect.*, ubi Joannes XXII. indistincte sibi reservat beneficia, quæ vacant per obitum in Curia, quod etiam clarius habetur *in extravaganti piæ de præben. inter commun.*, ubi Bonifacius VIII. beneficia, quæ nunc vacant, & quæ per mensem vacaverint per obitum in Curia, auctoritati sedis apostolicæ pariter reservat; Porro si ea beneficia, quæ vacant, & in futurum vacaverint per obitum in Curia, simpliciter reservata sunt, constat evidenter hujusmodi beneficia post mensem à die vacationis ad eos, ad quos spectat, devolvi non posse, nam Papa legem condendo posteriorem priorem censetur revocare *cap.1. de Constit. in 6.*, quod apud me nullam habet dubitationem ex contraria voluntate conditoris canonis, *& ita tenent Lapus allegat.96. Simonett. de reservat. quæst.30., Gomez. in reg. de triennali quæst.31. num 5. Rot. dec.12. de præben. in novis cum aliis relatis per Gonzal. in proœm. §.5. num.148., Garz. de benef. part.5. cap.1. num.100.*, & hoc jure utimur.

10 Insuper Benedictus XII. non solum confirmavit, ut ecclesiæ cathedrales, patriarchales, monasteria, prioratus, dignitates, & administrationes vacarent in Curia, verum etiam definivit vacare in Curia ea etiam beneficia, cum, qui ea obtinebant, Romæ exauctorabantur, & privabantur beneficiis; Item cum rescindebantur electiones, & postulationes rejiciebantur, *ut habetur in extravag. ad regimen de præben.*

11 Inter primarias ecclesiæ dignitates Cardinalatus annumeratur, dignitas sine dubio major Patriarchatu *Gloss. in extravaganti unica vers. alia superiori ne Sede vacante*;
12 Deinde sola Ecclesia Romana habet jus
creandi Cardinales *Compostellan. in cap cum*
13 *accessissent de constit.* Ergo Cardinalatus,
quocumque loco vacet, semper vacat in Curia juxta praxim.

14 Item Episcopatus vacat in Curia cum hac differentia, quod is, qui spectat ad electionem, aut nominationem, vacat in Curia quoad confirmationem à Papa obtinendam *cap. cupientes de elect. in 6.*; Qui vero electionis, aut nominationis non est, indistincte vacat in Curia quoad liberam promotionem Papæ *extravagans ad regimen. de præben.*

15 Similiter ab Episcopatu non differt Abbatia Concistorialis, quoniam eadem Tridentini forma, quæ servatur in Episcopis promovendis, habet etiam locum in Abbatibus cum potestate quasi Episcopali *ex Constit.6. §.12. Gregorii XIV.*, idcirco etiam Abbatia cum hisce prærogativis vacat in Curia *juxta Constitutionem Benedicti XII.*

16 E' contra Abbatiæ Conventuales, seu Monasteria, & dignitates electivæ excedentes valorem biscentum florenorum communi extimatione vacant similiter in Curia quoad obtinendam confirmationem, & expediendas literas Apostolicas, qua non obtenta, seu iis non expeditis iterum vacant in Curia ob privationem *ex Constitutione 86. Pii IV.*, quod etiam habetur *in regula 2. Cancella-*
17 *riæ*; Reliquæ vero Abbatiæ, quæ hoc titulo quidem condecorantur, sed d. valorem non excedunt, si sunt beneficia secularia, vacant

vacant in Curia, vel extra juxta alternativam, & regulam menſium, ſi vero ſunt regulares, & perpetuæ, quandoque vacant in Curia, quandoque non, quod pendet ab obſervantia, & privilegiis Apoſtolicis *ex plene deduct in cap.18. in fin.*

18 Cæterum prima dignitas in Cathedralibus
eccleſiis indiſtincte vacat apud ſedem *ex reg.4. Cancellar.*, quod ratio juris expoſtulare videtur pro honore dignitatis Pontificiæ,
19 ut ſcilicet ibi vacet, quippe quia omnes
dignitates eccleſiaſticas eccleſia Romana inſtituit *can. omnes diſtinct.*22.; non item prima
20 dignitas in eccleſiis collegiatis, in qua requiritur, quod ejus valor decem florenos communi extimatione excedat, ut vacet in
21 Curia *ex reg.4. Cancellar.* & ratio diſcriminis eſt, quia illa caput eſt eccleſiæ cathedralis, quæ repræſentat totam Diæceſim; Hæc caput illius eccleſiæ dumtaxat, & conſequenter illa vacat in Curia, quia ſimpliciter dignitas eſt; Hæc dignitas ſecundum quid, ideſt cum addito certi valoris, qui *ex regula Cancellariæ* requiritur, ut vacet in Curia.

22 Ulterius vacant in Curia beneficia per
obitum familiarium Cardinalium, tametſi per obitum eorumdem Cardinalium familiares eſſe deſierint, vel alias receſſerint *ex reg 4. Cancellar.*; Unde ſi vacant ob privationem alibi ſecutam, non vacant in Curia
23 *Garz. de benef. part.5 cap.1. num* 280.,
aliud enim eſt vacare per obitum, aliud ob privationem, vel alio modo *cap. ſuſceptum de reſcript. in 6.*, *l. Papinianus ff. de minor.*

24 His accedunt beneficia collectorum, vel
ſubcollectorum, dummodo ſint unici vel in Provincia, vel in Civitate cum omni juriſdictione juxta praxim, nec requiritur uſus juriſdictionis, quia deputatio Papæ facit collectorem, ergo uti reſervata ſemper vacant in Curia *ex reg 5. Cancellar.*, *Spada conſ* 51. *lib.2. Rot. deciſ.*385. *par.5. dec.*155. *par.*11., *deciſ.*329. *in princip. par.*15. *recen.*

25 Accedunt inſuper beneficia Prothonota-
riorum, ſcriptorum, aliorumque officialium Sedis Apoſtolicæ, quæ, quocumque loco hi decedant, ſemper vacare in Curia indubitati juris eſt *ex Conſtitutione Alexandri VII. edita 16. Aprilis 1666. ibi = Beneficia Prothonotariorum, ſcriptorum, & aliorum officialium enumeratorum in d. extravaganti ad regimen eſſe reſervata, ubicumque decedant etiam extra Romanam Curiam, & ultra duas dietas Spad. conſ.*52. 53. *per tot. lib* 2., *Rot. deciſ.*178. *par.*11., *deciſ.*680.
26 *part.*19. *recen.*; Requiritur tamen vera,
vel præſumpta acceptatio officii, ut Prothonotariorum beneficia vacent in Curia, *Spad. d. conſ.*52. 53. *cum aliis deciſionibus ibidem relatis.*

27 Dubium eſt, an vacent in Curia, ſi non
conſtet de acceptatione officii Prothonotariatus? Reſpondetur cum diſtinctione, aut deputatio facta eſt *ad preces ſupplicantis, vel alterius*, hoc caſu beneficia Prothonotariorum numquam vacant in Curia, quia Prothonotarius non eſt, qui officium ſibi collatum non acceptavit, ſecus ſi deputatio facta ſit *motu proprio Papæ*, quia ſimilis deputatio conſtituit Prothonotarium etiam abſque aſſenſu, & acceptatione, ſicuti in translatione Epiſcopi facta motu proprio Papæ non requiritur aliquis conſenſus Epiſcopi translati *late Rot. deciſ.*706. *par.*3., *deciſ.*174. *num.*31. *par.*12. *recen.*

28 Illud tamen de officialibus Sedis Apoſtoli-
cæ notandum eſt, quod eorum beneficia vacant in Curia per obitum, non ob privationem, vel alio modo ex regula de non extendendis reſervationibus de uno caſu ad alium, & ita loquitur *extravagans ad regimen ibi = Nunc per obitum hujuſmodi vacantia, & in poſterum vacatura*; Hodie autem *ex regula*
29 *Cancellariæ* etiam ob privationem, imo
quomodocumque vacent, ſemper vacant in Curia *Garz. de benefic. part.5. cap.1. num.*195.

30 Differunt ab officialibus Sedis Apoſtolicæ
clerici, qui accedunt ad Romanam Curiam, & ab ea recedunt, eorum namque beneficia non ob privationem, ſed per obitum dumtaxat vacant in Curia, ſi intra duas dietas à Civitate, in qua degit Curia, moriantur, hi enim, qui ſic decedunt, habentur, ac ſi in Curia deceſſiſſent, ſive Curiales ſint, ſive non *cap. præſenti ibique Gloſſ. verſ. alii de*
31 *præben. in 6.*, multoq. magis ſi ſint Curia-
les, & accedunt, vel recedunt pro negotiis Curiæ, nam textus *in cap. præſenti* venit limitative *ad text. in cap.2. de præben. in 6.*; Idcirco ſicuti beneficia Curialium vacant in Curia, ſi ibidem decedunt, ita ſi decedunt intra duas dietas; nam beneficia, quæ vacant in loco Curiæ, dicuntur vacare apud ſedem *Gloſſ in cap. ſtatutum verſic. curia de præben. in 6*, *extravagans ad regimen eodem, tit.*, *Amayden. de ſtylo Datariæ cap.*34. *n.*4 *lib.*1. *Lotter de re benefic. lib.*3. *quæſt.*11. *num.*133. *Rota deciſ.*50. *num.*5. 7. *deciſ.*31. *num* 5. 10. *poſt Novar. in ſumma Bullarii*, & latius *apud Rotam deciſ.*28., *deciſ.*150. *per tot. par.6. recen. dec.*599. *num.*16 *par.*18. *recen.*

32 Et quamvis, ubi eſt ſolus Papa ſine Can-
cellaria, & audientia, proprie Curia non ſit, ita ut beneficia eorum, qui accedunt ad Papam, vel ab eo recedunt, non vacent in Curia, quæ ibi non eſt, ſicuti è contra Curia dici non poteſt, in qua non eſt Papa, nihilominus ubi Papa eſt, ibi vacant beneficia, & vacant quoque, ubi Curia eſt ſine Papa, uterque enim locus habetur pro Curia pro effectu reſervationis, & vacationis beneficiorum, *ut declaravit Clemens VIII. conſtit.*54.
33 nam fictione juris fieri poteſt, ut ubi eſt Cu-
ria, ibi Papa adeſſe reputetur, ſicuti è contra certum eſt, quod ubi eſt ſummus Epiſcopus, qualis eſt Papa, ibi eſt eccleſia Romana, ibi Sedes Apoſtolica, ibi Romana Curia *Gloſſ. in extravaganti unica verſic. vel ſedis*

ne

ne sede vacan. Gloss. in extravag. execrabilis vers. Romanæ de præben.

34 Quid ergo si dubitetur, an beneficia vacent in Curia, vel extra? Respondeo vacare in Curia ob conferentia ampliorem prærogativam, & provisum à Papa esse præferendum *cap. si à sede de præben. in 6.*

35 Denique omnia beneficia generaliter, vel specialiter ex decreto Papæ affecta, seu reservata semper vacant in Curia, seu apud Sedem, nec ullus inferior Collator potest se ingerere *cap. 2. de præben. in 6.*, *extravagans ad Romani eod. tit.*, *Rot. decis. 204. par. 8. recen. per tot.*, hujusmodi enim reser-

36 vationes tam speciales, quam generales à Summis Pontificibus inventæ sunt, ut dignissimi ecclesiis, quæ Romæ vacarent, providerentur, *ita Bonifacius VIII. in extravaganti Piæ de præben. inter commun. ibi: Piæ sollicitudinis studio ducimur, ut dignitates, quæ apud Sedem Apostolicam vacare noscuntur, personis conferantur idoneis.*

37 Verum pro faciliori *extravagantis ad Romani* intelligentia illud in hac re prætereundum non est, non valere illationem; Papa super beneficio manus apposuit, ergo illud remanet reservatum, & vacat in Curia, prout ibidem disponitur. Sane ex appositione manus non inducitur affectio, si Papa contulit beneficium uti reservatum, quod non erat, idque ex defectu voluntatis, quia si hoc scivisset, beneficium non contulisset, nec provisio per prius facta à Papa quidquam prodest, nisi constet, quod voluerit Ordinarium prævenire *Rot decis. 187. num. 5. & per tot. part 2. rec.* Deinde appositio manus, ut clericus de beneficio provideretur, reservationem non inducit, si provisio habuit effectum *Rota decis. 508. num 5. part. 19. rec.*, immo, effectuata provisione, reservatio expirat *decis 190. in fin. part. 2. rec.* Quod fortius locum habet, si Papa dispensando mandavit, ut beneficium ab executore de consensu tamen titularis daretur in commendam ei, qui illud in titulum obtinere non poterat, quod exemplificari potest in regulari, cui beneficium seculare juxta praxim Datariæ non datur, nisi in commendam; Si enim in actu collationis beneficii in commendam noluit Papa præjudicare juribus titularis, multo minus in posterum, si beneficium, aut commenda in ejus mense vacaverit; alioquin Papa præservaret jus titularis, ubi commenda incipit, non præservaret, ubi commenda desinit, quod implicat.

38 Demum nil operatur manus appositio, si beneficium reservatum non sit, nec appositum decretum, nec alias suam voluntatem Papa declaravit, & ratio clara est, quia appositio manus operatur tantum pro ea vice, ut scilicet provisio habeat effectum, non in futurum, quod satis constat *ex dicta extravaganti ad Romani, ibi = per reservationem, manusque appositionem, ibi = in provisionibus, in quibus decretum & reservatio hujusmodi apponuntur, ibi = de beneficiis taliter reservatis.* Hæc nullam in his, aliisque similibus casibus dubitationem admittunt, nam *extravagans ad Romani* loquitur, ubi reservatio beneficii concurrit, ergo hac cessante appositio manus remanet inutilis, & inefficax pro effectibus juris, & in sequelam beneficium, quod reservatum non est, licet Papa apposuerit manus, resque habuerit effectum, non semper vacat in Curia, sed quandoque extra juxta regulas Cancellariæ, indulta, & prout de jure.

39 Et quamvis beneficium concessum à Papa in commendam ob appositionem manus sit reservatum, & vacet in Curia *Barbos. vot. decis. 110. num. 14. & 47. Idem de potest. Episcop. part. 3. allegat. 57. num. 33. in fin. Lotter. de re benific. lib. 2. cap. 26. num. 30*, nihilominus id verum est, si Papa apposuit manus illud ex causa concedendo in commendam, iterum causa cessante provisurus in titulum, prout olim talis erat usus in ecclesia commendandi beneficia, ut explicat *Thomassin. vetus & nova eccles. disciplin. lib. 3. part. 2. cap. 10.*, ubi more suo refert exempla Gregorii Magni; Idque etiam admittitur in beneficiis, quæ solent commendari, & ita loquitur Tridentinum *sess. 25. cap. 21.*, ubi Patres remittunt prudentiæ Romani Pontificis, ut scilicet ea beneficia, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ in posterum vacabunt, non nisi regularibus spectatæ virtutis conferantur, & satis constat ex dictis; nec aliter intelligendi sunt *Barbos.*, *& Lotter. loc. cit.*

40 Cæterum in hac re non displicet distinctio inter commendam concessam à Papa motu proprio, & ad partis supplicationem, primo casu locum habet *extravagans ad Romani de præben.*, non item in secundo casu; Probatur distinctio ex sententia *Bartoli in l. universi Cod. de legation. lib. 11.* quam refert *Felin. in cap. causam num. 5. in fin. de test.* ubi dicit, quod dignitas concessa motu proprio habet, quod privilegium concessum tali dignitati durat etiam finita administratione, secus si ad instantiam partis, ita à pari, & paritas concludit, nam reservatio inducta ex clausula *motu proprio* Papæ in concessione Commendæ semper durat, tametsi Commenda per obitum cesset, prout durat privilegium *motu proprio* concessum dignitati etiam finita administratione, & in sequelam reservationis beneficium semper vacat in Curia, prout disponitur *in extravaganti ad Romani de præbend.*; E' contra autem, ubi Commenda concessa est à Papa *ad supplicationem partis*, qualitas Commendæ ab initio inducta ob appositionem manus non est efficax pro effectu vacationis in Curia, immo Commenda per obitum cessat, prout cessat privilegium dignitati concessum *ad partis supplicationem*, & in sequelam cessante Commenda, beneficium vacat prout de jure, nam Papa apposuit manus ad effectum providendi pro ea vice dumtaxat, ut declarant *Garzias de benefic. part. 5.*

part.5. cap.1. num.150. cum seqq. Pax Jordan. tom.2. lib.10. tit.2. num.33. Murga de benefic. quæst.3. num.355. Rosa de execut. liter. apost. cap.6. in addit. num 214. Barbos. vot. decis.110. num.32.; Hæc mihi videtur veritas in hac re, nam Commenda concessa à Papa *motu proprio* valde differt ab ea, quæ *ad partis supplicationem* obtinetur, idque propter varios juris effectus, quos notant DD. *in cap. si motu proprio sup. si pluribus de præbend. in 6. Clement. si Romanus eod. tit.*, & in specie *Felin. in cap. ad aures num.9. de rescript. cap. causam num.5. cum seqq. de test.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Pensio sub reservatione beneficiorum, quæ vacant in Curia, non comprehenditur, & de ratione num.2.
3 An pensio reservari possit à Papa cum decreto, ut vacet in Curia.
4 Valet decretum, ne pensio censeatur extincta per matrimonium.
5 Valet reservatio pensionis cum decreto transferendi in totum, vel in parte.
6 Legatum, ut ususfructus duret in hærede, de jure sustinetur.
7 Sustinetur stipulatio, ut ususfructus transeat in hæredem, idem in servitutibus.
8 Pensio vi decreti vacat in Curia.

1 Sub reservatione beneficiorum, quæ vacant in Curia, pensio assignata clerico, vel à Papa, vel ab Episcopo, vel ab alio inferiori Prælato non comprehenditur *ita Joannes XXII in extravaganti ex debito de elect. inter commun. ibi = pensiones insuper annuas ab Episcopis, & eorum superioribus, aliisque Prælatis inferioribus, nec non quibuscumque cappellanis, conventibus, collegiis, vel singularibus personis factas, & faciendas personaliter aliquibus ex eisdem Cardinalibus, seu quibusvis aliis ex prænominatis personis, & pensiones præterea, seu assignationes quantitatum quarumlibet super certis provinciis, diœcesibus, ecclesiis, monasteriis, vel aliis ecclesiasticis locis, aut ordinibus etiam à quibusvis prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus factas præmissis personis, sive alicui earumdem sub edicto prædicto nolumus aliquatenus comprehendi*; & ratio est,
2 quia pensio proprie per obitum non vacat, sed extinguitur ad instar ususfructus, qui morte finitur *§. finitur instit. de usufruct. l. antiquitas Cod. eodem*.
3 Quæres in hac re, an reservari possit pensio à Papa cum decreto, ut vacet in Curia? Respondeo posse reservari, nam pensio non continetur sub reservatione beneficiorum vacantium in Curia, quia Papa non vult *ex relato textu*, ergo si Papa velit, sustinetur reservatio cum decreto, ut vacet in Curia, ita arguendo à contrario sensu, quod in legibus communiter receptum est *ex l.1.§. hujus rei ff. de offic. ejus, Glossa in l. qui testamento versic. argumento ff. qui testam. facer. poss. ibi = & nota contrarium sensum legit pro lege accipi, Glossa in can. quicumque in princip. distinct.9 Gloss. in can. ex eo 15 quæst.3. ibi = & lex dicit, quod fortissimum est argumentum à contrario sensu*, & hoc etiam argumento utitur Scevola *in l. pignori ff. qui & à quib. manumiss., Mantic. de tacit. lib.2.*
4 *tit.14. in princip.* Deinde valet decretum Papæ, ne per matrimonium pensio censeatur extincta, ejusque vis, & efficacia refertur *per Gigant. de pens. quæst.54. num.12.* Item
5 valet reservatio pensionis cum facultate eam transferendi in totum, vel in parte, nec nova dicitur pensio in translatario, sed an-
6 tiqua; item licet ususfructus finiatur morte usufructuarii, tamen de jure sustinetur legatum, ut duret in hærede, ac per hujus obitum ususfructus finitur *l. antiquitas Cod. de usufruct. ibi = sancimus & hujusmodi legatum firmum esse, & talem usumfructum una cum hærede finiri, & illo moriente, vel aliis legitimis modis eum amittente, expirare*.
7 Hæc nullam habent juris repugnantiam, nam in eo, quod sui natura non est transmissibile, sustinetur stipulatio, ut transeat ad hæredem, & sic duo sunt ususfructus, alter in persona stipulantis, alter in persona hæredis; idem de duobus servitutibus, si ita conventum est *l. stipulatio ista §. si quis ita ff. de verbor. obligat. ibi = sed si quis uti frui licere sibi, hæredique suo stipulatus sit, videamus, an hæres ex stipulatu agere possit, & putem posse, licet diversi sint fructus, nam & si ire, agere stipuletur sibi, hæredique suo licere, idem probaverimus, Castrensis, & Cumanus ibidem*, qui dicunt hunc textum esse singularem.
8 Ità à pari pensio reservata cum decreto vacat in Curia, & sufficit, quod Princeps id decreverit, ut actus sustineatur *l. quidam consulebant ff. de re judicat. ibi = Princeps decrevit, extravagans ad Romani de præben.* hoc enim casu pensio cum decreto reservata assumit naturam beneficii, à quo de jure parum differt, ut vacet, sicut vacat in Curia beneficium vi specialis reservationis.

ARGU-

ARGUMENTUM.

QUando Ecclesiæ Parochiales vacantes per obitum in Curia, vel in mense Apostolico, vel alio modo conferri possint, vel non ab Ordinario, seu ab iis, ad quos spectat Sede Apostolica vacante, & quid in Pensionibus super Ecclesiis Parochialibus reservatis *ad interpret. text. in cap. si Apostolica de præben. in 6., cap. si cui eod. tit. Trident. cap.13. sess.24.*

SUMMARIUM.

1 BEneficia, quæ vacant in Curia, regulariter à Papa conferuntur.

2 Ordinarius confert ecclesias parochiales, quæ vacant per obitum in Curia Sede Apostolica vacante.

3 An ecclesia parochialis, quæ vacat in mense Apostolico, ab Ordinario possit conferri Sede Apostolica vacante, prima opinio negat, secunda affirmat, quæ verior est num.4.

5 Quid in beneficio simplici, quod habet onus coadjuvandi parochum in cura animarum.

6 Ordinarius beneficium curatum, quod extat in ecclesia parochiali, Sede Apostolica vacante, potest libere conferre.

7 An ecclesia parochialis, quæ vacat ob assecutionem alterius beneficii, & cum decreto, possit ab Ordinario conferri Sede Apostolica vacante, prima opinio negat, secunda affirmat, quæ verior est n.8.

9 Ecclesia parochialis, quæ vacat ob non publicationem, Sede Apostolica vacante ab Ordinario libere confertur.

10 Et valet collatio ecclesiæ uti vacantis per obitum, quamvis vacaverit ob non publicationem.

11 Ecclesia parochialis jurispatronatus ecclesiastici, seu laici non reservata, si reservetur per decretum Papæ, semper vacat in Curia etiam Sede Apostolica vacante, & quare.

12 Ecclesia parochialis jurispatronatus ecclesiastici comprehenditur *sub cap. si Apostolica de præben. in 6.*

13 Jus præsentandi, & eligendi magis idoneum in concursu ecclesiæ parochialis, quæ vacavit in mense apostolico, re integra devolvitur ad patronum ecclesiasticum Sede Apostolica vacante, secus re non integra n.14.

15 Jus, quod prælectus in concursu obtinuit in ecclesia parochiali, morte Papæ expirat, sed contra ibidem.

16 An ecclesia parochialis collegiata devolvatur ad Ordinarium Sede Apostolica vacante. distinguitur.

17 Quid in ecclesia parochiali ob non indictum concursum ad Sedem Apostolicam devoluta?

CAPUT XXIV.

1 DIctum est *in capite antecedenti* de beneficiis ex speciali reservatione clausa in corpore juris, nunc ratio dictat, ut videamus, quando ecclesiæ parochiales, & alia beneficia curata, quæ vacant in Curia, conferri possint ab Ordinario, seu ab iis, ad quos spectat Sede Apostolica interim vacante, vel potius ibi vacatio continuet, ubi incepit, quod regulariter est verum, nam beneficia, quæ vacant in Curia, conferuntur à Papa juxta praxim, sed non semper ex infra referendis.

2 Siquidem textualis est conclusio ecclesias parochiales, quæ vacant per obitum in Curia vivente Papa, vel eo defuncto, posse conferri ab Ordinario, seu ab iis, ad quos pertinet, si interim supervenerit Sedis Apostolicæ vacatio non facta harum ecclesiarum provisione; Quod singulariter statutum fuit in ecclesiis parochialibus, ne earum diutina vacatio curæ animarum præjudicium afferre possit *cap. si Apostolica de præben. in 6. ibi = si Apostolica sede vacante aliquas parochiales ecclesias vacare de cætero contigerit apud ipsam, statuimus, ut de eis (ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre) per eos, ad quos pertinet, possit libere ordinari, constitutione felicis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri de beneficiis apud sedem ipsam vacantibus per alium, quam per Romanum Pontificem minime conferendis, vel alia quavis contraria super hoc edita non obstante; Idem volumus, & de illis, quæ ibidem ipso Romano Pontifice vivento vacabunt, si de ipsis per eum ante ipsius obitum non fuerit ordinatum.*

3 Quæstio oritur *ex textu relato*, an ecclesia parochialis, quæ vacat in mense Apostolico, sed extra Curiam, possit conferri ab Ordinario Sede Apostolica vacante; Dubitarunt in hac quæstione *Garzias de benef. par.5. cap.1. num.103., de Luca de benef. discur.24. num.5.*, & ratio dubitandi est, quia Bonifacius VIII. conditor *d. Decretalis* loquitur dumtaxat de vacatione per obitum in Curia, quod patet ex eo, quia ibidem d. Pontifex quoad ecclesias parochiales derogavit id, quod alias statuerat Clemens IV. ejus prædecessor, qui omnia beneficia vacantia per obitum in Curia sibi specialiter reservaverat *ex cap.2. de præben. in 6.*; Unde tam ex mente Papæ, quam etiam ex litera *d. de-*
creta-

cretalis Bonifacii VIII. id, quod dispositum est de vacatione locali per obitum in Curia, extendi nequit ad alias reservationes generales, & vacationes extra Curiam vel ratione mensis, vel alterius cujuscumque modi, & hanc opinionem tenet *Lapus in cap. cum statutum in princip. de probat. in 6. cum aliis relatis per Rot. decis.549. n.11. par.19. recen.*

4 At contraria opinio verior est in puncto juris, nam si Papa *per d. decretalem* derogavit reservationi per obitum in Curia, quæ specialis est, multo magis idem voluisse censetur, ubi ecclesia parochialis vacat in mense Apostolico, cujus reservatio dumtaxat est generalis, ita arguendo à majori ad minus, quod in affirmativis facit regulam, & præsertim in hac re, in qua eadem militat juris ratio, videlicet periculum animarum, sive ecclesia parochialis vacet per obitum in Curia, vel in mense Apostolico, vel alio quovis modo *in puncto Rot. decis.549., decis.566., decis.592. per tot. par.19. recen., Rot. dec.250. n.3. tom.1. coram Molin., ubi referuntur aliæ decisiones concordantes.*

5 Et quamvis idem videatur dicendum in beneficio simplici, quod habet onus coadjuvandi Rectorem in cura, cujus ratio semper præponderat quoad hoc, ut Sede Apostolica vacante collatio spectet ad Ordinarium, nihilominus textus *in d. cap. si Apostolica de præben. in 6.*, qui loquitur simpliciter de ecclesiis parochialibus, extendi non potest ad aliud, quod parochiale non est, licet curam animarum habeat, & ratio clara est, quia tale onus non facit, ut beneficium simplex habeatur vere pro parochiali, & curato *in punct. Rot. decis.230. per tot. tom.1. coram Molin.*

6 Verum si beneficium, quod extat in ecclesia parochiali, conferri soleat per concursum, quod non repugnat *ex dictis in capite 48. num.16. lib.1.*, non recederem à dispositione juris, ut scilicet extra Curiam vacet *per d. text. in cap. si Apostolica*, nam tunc beneficium censetur curatum, tametsi alio nomine nuncupetur, & in sequelam Ordinarius Sede Apostolica vacante potest indicere concursum, magis idoneum præeligere, & vacantem ecclesiam conferre, non enim nomen beneficii, sed effectus ipsius debent attendi *cap. si Apostolica de præben. in 6.*

7 Quæstio etiam gravis est, an ecclesia parochialis, quæ vacat ob assecutionem alterius beneficii cum decreto, *ut nemo alius præter Romanum Pontificem disponere possit*, si interim Papa obierit, nec de ea providerit, valeat ab Ordinario conferri; Prima opinio negat, quia *Decretum* Papæ inhibet inferiori, ne conferre possit, quod speciale est propter appositionem manus Papæ, cujus summa est virtus *extravag. ad Romani de præben.*; Huic opinioni etiam accedit *Pitton. discept.133. num.13. tom.4.*, ubi ait per hujusmodi Decretum censeri derogatum dispositioni textus *in cap. si Apostolica de præben. in 6.*; Si hoc est verum, ecclesia parochialis semper vacat in Curia etiam Sede Apostolica vacante, donec successor de ea providerit, & in hoc habet locum regula, quod ecclesia parochialis semel affecta semper remanet talis *extravag. ad Romani de præben., Massobr. prax. habend. concur. requisit.7. dub.43. in fin.*

8 Secunda opinio affirmat Ordinarium posse conferre, quia hujusmodi decretum, quod juxta praxim Datariæ adjicitur in executionem juris antiqui, nihil aliud facit, quam declarare, quod beneficium vacat in Curia, prout disponitur *in extravag. ad Romani de præben. Rot. decis.200. num.3. decis.247. num.1. par.16. recen.*, sed *extravagans ad Romani* non derogat dispositioni textus *in cap. si Apostolica*, ita nec Decretum Papæ, quod est eidem *extravaganti* conforme *late Rot. in Comen. parochialis die 11. Maii 1731. §. quandoquidem coram Reverendissimo Rezzonico*, quæ decisio reputatur in hac re valde magistralis.

9 Probatur à simili, nam ecclesia parochialis, quæ vacat ob non publicationem, specialiter reservata est auctoritati Papæ cum inhibitione, & decreto, ne Ordinarius pro ea vice se ingerere præsumat, attamen, si superveniat vacatio sedis apostolicæ, Ordinarius valide confert, ac si d. reservatio non adesset, nec ecclesia in Curia vacaret *Rot. decis.1030., decis.1046. coram Emerix Junior.*, quod verum est, etiamsi conferat eam uti vacantem per obitum, non obstante, quod per prius vacaverit ob non publi-
10 cationem, & ratio est, quia collatio beneficiorum vacantium Ordinario competit jure universali, idcirco quocumque modo concepta sit, sustinetur *Rot. decis.250. num.4. tom.1. coram Molin.*, ita à pari.

11 Probatur insuper ex eo, quod Papa ecclesiam parochialem jurispatronatus ecclesiastici, vel laicalis vacantem extra Curiam, cujus tamen pertinentia disceptatur in Curia inter patronos, potest sibi reservare adiiciendo decretum, *ut nemo alius præter Romanum Pontificem disponere possit*, forte quia prævio concursu in Curia, vel extra faciendo, vult quam cito eam providere de idoneo pastore, tunc ecclesia parochialis semper vacat in Curia, tametsi Papa morte præventus non providerit, quoniam hujusmodi decretum novam inducit reservationem, ac vacationem in Curia, quæ prius non aderat *extravag. ad regimen, & ad Romani de præben.*, ita à contrario, ubi decretum novam non inducit vacationem, collatio ecclesiæ parochialis sede apostolica vacante semper spectat ad Ordinarium, vel ad alios inferiores collatores, prout de jure *cap. si apostolica de præben. in 6.*

12 Notandum in hac re, quod juspatronatus comprehenditur sub dispositione textus *in cap. si apostolica de præben. in 6.*, ut notat *ibidem Ancharan.*, idcirco ecclesia paro-

chialis jurispatronatus ecclesiastici, quæ vacat in mense apostolico, remanet reservata
13 ex regula mensis, deinde si superveniat obitus Summi Pontificis, qui hanc ecclesiam providere non potuit, tunc jus eligendi, & respectivè præsentandi magis idoneum inter approbatos in concursu, si ad Episcopum spectat collatio, competit patrono ecclesiastico, ac si parochialis ecclesia in mense apostolico non vacasset *cap.si apostolica de præben. in 6. ibi = per eos, ad quos pertinet, possit libere ordinari*, & notant *ibidem Franc. Geminian. & communiter interpretes*.

14 Quod tamen verum puto, si res adhuc integra sit, alioquin re non integra, idest si ab Episcopo facta sit in concursu magis idonei electio, quæ deinde effectum sortiri non potuit in Curia ob mortem Summi Pontificis, jus libere conferendi pertinet ad Episcopum, nec patronus ecclesiasticus potest inter approbatos in concursu eligere, & præsentare alium ab Episcopo instituendum, quoniam electio per primum actum jam consumpta est *l.boves §.hoc sermone ff.de verbor. signif.*, deinde electus in concursu habet jus ad beneficium, ac illud uti sibi debitum petere potest *ex Trident.cap.18.sess.24.*, ideoque, si nova admittatur electio, & præsentatio patroni ecclesiastici, fit injuria Episcopo, ac si magis idoneum non elegisset, & fit præjudicium electo, qui ex electione in concursu obtinuit jus ad beneficium, ultra quod id repugnat Tridentino prohibenti electionum pluralitatem in concursu, ac etiam dispositioni juris, omnis enim electio dignioris semper de jure est confirmanda *cap.2.de elect.*

15 At inquies jus, quod electus in concursu obtinuit, mortuo Papa expiravisse ex ratione, quia d. jus pendebat ab ea conditione, si Papa electionem admiserit, quæ conditio non est purificata, sed defecta ob ejus mortem. Respondeo jus electi numquam expirare, sed devolvi ad Episcopum, qui eo ipso, quod semel elegit, non potest amplius variare *l.servi electione ff.de legat.1. l. apud aufidium ff. de opt. legat.*, ergo nova electio patroni ecclesiastici non est admittenda, quia privaret jure suo jam electum, quod repugnat *ex dictis*; Hæc mihi videtur veritas, & ita judicarem, si casus practice disputandus occurreret.

16 Quæstio denique est, an ecclesia parochialis, & collegiata insimul spectet ad Ordinarium sede apostolica vacante. Respondetur quæstionem hanc distinctione dirimendam esse, si enim Præpositus collegiatæ ecclesiæ sit in dignitate constitutus, ac potiatur eo privilegio, ut non teneatur intra annum ad ordines promoveri *ex cap. statutum de elect. in 6.*, tunc Episcopus conferre non potest etiam Sede Apostolica vacante, sed semper vacat in Curia uti reservata *ex regula 4. Cancellariæ, late Clericat. de benef. discord.36. per tot. ubi casus*; Aut vero ecclesia parochialis, quæ extat in ecclesia collegiata, dignitas non est, forte quia semper ab Ordinario consuevit conferri per concursum juxta formam Tridentini, tunc ecclesia nihil differt à simplici parochia, cujus Pastor sicuti pœnis de non promotis intra annum subjacet *cap. licet canon.*, *cap. commissa de elect. in 6.*, ita ea, Sede Apostolica vacante, conferri potest ab Ordinario, sive vacaverit per obitum in Curia, vel in mense Apostolico, aut alio modo *cap. si Apostolica de præben. in 6.*

17 Quid ergo si ecclesia parochialis ob non indictum concursum devoluta sit ad Sedem Apostolicam? Respondeo semper vacare in Curia, etiamsi plures Sedes Apostolica vacet, idque in pœnam Episcopi, qui neglexit indicere concursum, & ratio clara est, quia nemo debet lucrum reportare ex propria culpa *in punct. Rot. decis.231. per tot. coram Cels. cum relat. in capite 48. lib.1. per totum*.

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 PArochiales non excedentes valorem 100. ducatorum pensionibus gravari non possunt.

2 Provisiones parochialium vacantium per obitum, seu per resignationem non expediuntur in Dataria, nisi cum clausula, dummodo remaneant 100. pro Rectore.

3 Pensio reservata à Papa super parochiali nullo habito respectu ad valorem, sed cum clausula dummodo, extinguitur in parte.

4 Pensio reservata sub expressione veri valoris, qui deinde fuit diminutus, extinguitur in parte.

5 Pensio reservata occasione resignationis habito respectu ad valorem in certa quantitate expressum extinguitur in totum, si valor expressus verus non sit.

6 Multo magis extinguitur, si Papa habuit respectum ad valorem, & congruam.

7 An gratia super reservationa pensionis executori commissa morte Papæ re integra expiret, distinguitur.

8 Gratia signata non à Papa, sed ab ejus Ministris per illius obitum expirat, ubi de ratione.

1 PRæcipit Tridentinum, ne ecclesiæ parochiales, quæ summam ducatorum 100. secundum verum annuum valorem non excedunt, ullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur; quod juridice à Patribus ejusdem Concilii sancitum fuit, quia summa ducatorum 100. inservire debet pro Parochorum congrua, quæ omne gravamen de jure rejicit, *ita habetur in sess.24.*
2 *cap.13.* Quamobrem hodie pensiones, seu fructuum reservationes super provisionibus ecclesiarum parochialium vacantium per obitum, aut resignationem non expediuntur in Dataria, nisi cum dicta clausula, qua non

non verificata pensiones, & fructuum reservationes vel in parte, vel in totum extinguuntur, ut infra.

3 Et quidem in provisione ecclesiæ parochialis per obitum vacantis quandoque Papa reservat pensionem nullo habito respectu ad ejus valorem, sed tamen adjicit clausulam, dummodo remaneant 100. pro Rectore, aut dummodo pensio duas, vel tres partes narrati valoris non excedat, tunc pensio sustinetur in ea parte, quæ remanet deducta congrua, & oneribus ecclesiæ; & ratio est, quia si Papa voluit, ut valeret in totum, multo magis in parte, & sic pensio reducitur, seu, quod idem est, in parte extinguitur *ad text. in l. stichum* 6. *ff. de legat.*1. *ibi* = *sed talis conditio accipi debet, quatenus mens erit, ut si totum alienaverit, legatum extinguatur, si partem, pro ea parte debeatur, quæ testatoris mortis tempore fuerit* Garz. *de Benef. part.*1. *cap.*5. *num.*417., *Mantic. decis.*153. *num.*2. *Rot. decis.*76. *num.*8., *decis.*163. *num.*1. *coram Ottobon., & alibi*.

4 Similiter ubi fructuum valor ab initio expressus fuit verus, sed deinde diminutus, tali casu sicuti gratia reservationis pensionis ab initio erat valida, ita diminutis fructibus pensio in parte extinguitur, quia prius deducenda est congrua juxta mentem Papæ reservantis *Garz. de benef. d. cap.*5. *num.*399. & 400. *Bich. decis.*255. *num.*11.12. *Rot. decis.*120. *num.*26. *par.*17. *rec.*

5 E' contra autem si Papa habuerit respectum ad certum valorem in supplicatione expressum, quod regulariter loquendo accidit occasione resignationis ecclesiæ ad favorem, pensio extinguitur in totum ex defectu voluntatis Papæ, qui alias non reservasset, si valor beneficii aliter se haberet *Garz. loc. cit. num.*416. *Rot. decis.*722. *num.*8. *coram Merlin.*

6 Et eo fortius pensio in totum extinguitur, si Papa reservans non tam ad valorem expressum in certa quantitate, quam ad congruam ducatorum 100. respectum habuerit, subreptio enim est individua, & vitiat totam gratiam, quando non est capitulum separatum *Felin. in cap. ad audientiam* 11. *de rescript. Gigas de pens. quæst.*35. *num.*2. *cum seqq. Crescent. decis.*17. *de rescript. Rot. decis.*187. *num.*9. *part.*11. *decis.*6. *num.*19. *decis.*41. *num.*4. *decis.*120. *num.*1. *part.*17. *recen.*

7 Quæres in hoc proposito, an gratia super reservatione pensionis alteri commissa morte Papæ re integra expiret. Respondeo cum distinctione; aut Papa mandat executori, ut certam pensionem super beneficio vacante, vel vacaturo clerico assignet hoc casu gratia pensionis est perfecta, quia cadit super certa quantitate, idcirco morte Papæ non expirat *cap. si super gratia de offic. jud. delegat. in* 6. *cap. si cui nulla de præben. in* 6., *Rot. decis.*121. *num.*6.7. *part.*12. *recen.*, ubi dicitur gratiam concessam super retentione pensionis ecclesiasticæ etiam post professionem religionis morte Papæ non expirare, *decis.*512. *num.*14. *part.*13. *recen.*, ubi quod gratia, cujus effectus differtur post mortem alterius, si præventivè Papa moriatur, non expirat; Si vero Papa mandat executori, ut pensionem assignet, nec quantitatem, in qua hæc reservari debeat, designat, conveniunt omnes gratiam Papæ non esse factam, sed faciendam per executorem, & re integra morte mandantis expirare, *cap. si cui nulla verb. secut de præbend. in* 6. *Gigas de pens. quæst.*91. *per tot.*

8 Cæterum gratia, qua pensio clerico reservatur, si signata fit non à Principe, sed ab ejus ministris, per obitum ejusdem Principis expirat *Molin. de justit. & jur disput.*599. *num.*6., quoniam omnis gratia Ministri, tametsi habeat auctoritatem signandi supplicationes beneficiorum, ac pensionum, pendet à subscriptione Principis, à qua perfectionem, efficaciam, ac vim obtinet *l. sancimus Cod. de diver. rescript. ibi* = *& nostra etiam manu subscripta*, quæ canonizata est *in Canone dicenti* 25. *quæst.*2.

ARGUMENTUM.

AN, & quando per obitum Papæ expirent indulta conferendi beneficia ratione mensis ad effectum cognoscendi, an beneficia vacent in Curia, vel Indultariis, vel Episcopis Sede Apostolica vacante *ad interpret. Gloss. in cap. is cui de elect. in 6.*, & an Pensio per simplex rescriptum ab Indultario reservata per ejus obitum extinguatur *ad interpret. Glossæ in l. penult. Cod. ad Sillanianum*.

SUMMARIUM.

1 RESponsum ad tramites juris quale.
2 Indulta conferendi beneficia in mensibus Apostolicis per obitum Papæ expirant.
3 Stulta consultatio quæ sit.
4 Indulta Apostolica per obitum Papæ non semper expirant.
5 Beneficia reservata à Papa etiam Sede Apostolica vacante vacant in Curia per obitum indultarii, ubi casus.
6 Indulta concessa Cardinalibus, vel Prælatis mortuo Papa expirant, ubi quod beneficia vacant auctoritati Episcopi.
7 Indultum Cardinalis reservatarii per obitum Papæ non expirat, ubi quod beneficia, quæ vacant Sede Apostolica vacante, ad ipsum spectant.
8 An indultum per obitum Papæ expiret, si inter indultarium resignantem, & Episcopum resignatarium cum approbatione Papæ conventum sit, ut ambo indulto alternatim utereotur, ratio dubitandi, & dicendi n.9. ubi de ratione.
10 Pactum expirat, prout cessat indultum per obitum Papæ, sed contra ibidem.
11 Beneficium dotatum à Patrono ea lege, ut ejus collatio spectet ad inferiorem Prælatum, vacat auctoritate Ordinarii non obstante lege fundationis, & approbatione Episcopi, vel ejus Vicarii, vel Prædecessorum, ubi casus, & resolutio num. 12.

CAPUT XXV.

1 SIcuti varia sunt Sedis Apostolicæ Indulta de conferendis beneficiis ratione mensis juxta varias Romanorum Pontificum voluntates, & stylum Datariæ, ita varia quoque erit nostra sententia, sed tamen ad tramites juris, & cum distinctione casuum juxta meum ratiocinandi modum, ut & totam vim quæstionis intelligas, & congruens habeas in hac re responsum *ad text. in l. finali cod. de precib. Imperat. offeren.*, *l. ut responsum cod. de transact.*

2 Et quamvis certum sit, quod hujusmodi indulta per obitum Papæ expirent *ex reg. 8. & 9. Cancellariæ*, non tamen inanis est hæc Inspectio, prout talem definivit Jubentius,
3 Celsus jurisconsultus de scriptore testamenti ibi = *aut non intelligo id, de quo me consulis, aut valde est stulta consultatio tua, plus enim quam ridiculum est dubitare, an aliquis jure testis adhibitus sit, quoniam idem & tabulas testamenti scripserit l. Domitius ff. qui testamen. facer. poss.*; Nec immerito, si enim testis in testamento potest esse, qui scriptor non est, multo magis scriptor, & qui erat rogatus, ut testamentum scriberet, erat quoque rogatus, ut se subscriberet *Bart. in d. l. Domitius*, & sic stulta erat consultatio apud Celsum jurisconsultum, quia ibi non erat dubium aliquod; Non
4 item in præsenti casu, nam indulta Apostolica per obitum Papæ non semper expirant pro effectu vacationis beneficiorum juxta casus infra referendos.

5 Primus itaque casus est, ubi Papa supprimit monasteria, & beneficia regularia, & deinde erigit ecclesias Collegiatas sæculares, reservando sibi omnia beneficia in eisdem ecclesiis erecta, prout in Catalaunia plura Clemens VIII. suppressit Monasteria, erigendo ibidem plures ecclesias Collegiatas cum canonicatibus, & præbendis, ac prima dignitate, cui liberaliter impartivit indultum conferendi beneficia in quatuor mensibus cum reservatione, ut supra, tunc mortuo indultario expirat quidem indultum, quia mors omnia solvit, sed de beneficiis, canonicatibus, & præbendis in dd. ecclesiis collegiatis vacantibus nullus potest disponere etiam Sede Apostolica vacante; non Capitulum, quia mortuo Prælato ecclesiæ collegiatæ ad ipsum non transit potestas conferendi beneficia *cap. unico §. 1. ne Sede vacan. in 6.*, multo minus Ordinarius, quia Papa nihil de suo detraxit, ergo hujusmodi beneficia, præbendæ, & canonicatus vi specialis reservationis vacant in Curia etiam Sede

Sede Apostolica vacante *cap.*2. *de praeben. in* 6., *extravagans ad regimen*, *extravagans ad Romani eodem tit.*, *plene Rot. decis.*204. *part.*8. *rec.*

6 Secundus casus est, quod ubi Papa impartitur indulta Praelatis inferioribus conferendi beneficia in mensibus Apostolicis, prout talia sunt indulta Cardinalium, tunc apud omnes communiter receptum est hujusmodi indulta per obitum Papae expirare, si indultarii resignaverint plene Episcopatum reservato sibi dumtaxat indulto conferendi beneficia in mensibus, nam resoluto jure datoris resolvitur quoque jus acceptoris, ne alias plus juris sit in Indultario, quam in Papa, qui indultum concessit, quod repugnat, textus est *in l lex vectigalis ff. de pignoribus*; Idcirco beneficia, quae interim vacant Sede Apostolica vacante, sive curam animarum habeant, sive non, vacant extra Curiam, & libere spectant ad Episcopum *Gonzal. ad reg.*8. *Cancellar.* §.5. *in proaem. num.* 48., *Germon. de indult.* §. *per quae sublatis num.*99., *Garz. de benef. part.*5. *cap.* 1. *num.* 647., *Caputaquem. decis.* 214. *num.*2.

7 Tertius casus est, ubi Cardinalis possidet Episcopatum cum indulto, & occasione resignationis episcopatus sibi reservavit omnia beneficia, quae in posterum vacabunt durante ejus vita etiam cum perceptione omnium fructuum, relicta dumtaxat congrua Episcopo resignatario, hoc casu per obitum Papae indultum non expirat, quia Cardinalis indultarius nil differt ab Ordinario collatore, cui per indultum nihil de novo datum fuit circa jus conferendi beneficia, sed tantum sublata fuerunt reservationum obstacula *Rot. decis.*523.*num.*12. *part.*19. *recen tom.*2, unde prout ante, ita & nunc beneficia, quae vacant etiam sede apostolica vacante, ad liberam ipsius dispositionem pertinent *Gloss. in cap. is cui vers. confirmatus de elect.in* 6., ubi dicitur liberam administrationem ecclesiae cathedralis vacantis commissam alicui à Sede Apostolica in spiritualibus, & temporalibus per obitum Papae non expirare ibi = *Dubitari solet, an istius administratoris officium expiret mortuo Papa, & dixit Compostellanus, quod non expirat, habet enim ordinariam potestatem Franc. ibidem, & in cap. ecclesiae de supplen. negligen. Praelat. in* 6., *late Clericat. de benef. discord* 96., qui respondet contrariis, & in hoc etiam bene dixit *Card. de Luc. de benef. discur.*31., licet à nonnullis argueretur ex eo, quod ipse in isto casu non adduceret auctoritatem, quae hunc punctum percuteret, sed perperam, quia id ratio importat, & relata *Glossae* auctoritas *per Card. de Luc.*, non citata videtur in hac re singularis, ne indultum expiret, & beneficia Sede Apostolica vacante vacent indultario.

8 Quaestio est, an indultum expiret per obitum Papae, si Cardinalis indultarius Episcopatum alii plene resignaverit, sed quoad indultum praevio assensu Apostolico inter ipsum, & resignatarium convenerit, ut ambo indulto alternatim uterentur pro conferendis beneficiis vacantibus in mense Apostolico; Quaestio gravis est, & in utramque partem disputabilis, & primo videtur dicendum indultum expirare *ex regula* 8. 9., ubi quod per obitum Papae cessant regulae Cancellariae, reservationes, & indulta.

9 Sed contra concludendum est, nam Papa in resignatione Episcopatus approbavit pactum, ut ambo uterentur indulto; Deinde juxta mentem contrahentium hujusmodi pactum reciprocum est respiciens interesse utriusque, ut scilicet resignatarius Sede Apostolica plena participaret de Indulto, & resignans nil perderet Sede vacante, ergo indultum vi pacti etiam mortuo Papa non cessat, & in sequelam beneficia modo vacant auctoritati Cardinalis indultarii, & respective resignantis, modo auctoritati Episcopi resignatarii ex regula, quod pacta derogant legibus Constitutionibus, & regulis Cancellariae *l. pacta Cod.de pact.Gloss. in l.emptor vers.posse ff eodem tit.*

10 At inquies Papam approbasse pactum juxta regulas Cancellariae, sed juxta dictas regulas indultum per obitum Papae expirat, ergo etiam pactum; Respondetur, quod potius Papa approbavit pactum prout de jure, sed prout de jure pactum debet aliquid operari *l.si quando ff.de legat.*1. ergo indultum morte Papae non expirat, ne praedictum pactum superfluum sit, & inane, quod mihi verius videtur.

11 Denique notandum in hac re beneficium, à patrono dotatum ea lege, ut ad inferiorem spectaret collatio, per obitum, seu assecutionem alterius beneficii vacare auctoritati Episcopi non obstante lege fundationis, & approbatione ejusdem, vel ejus Vicarii, vel Praedecessorum Episcoporum, quia hodie post Tridentinum *sess* 14. *cap.*12. lex fundationis non sustinetur, ut praeter Episcopum institutio beneficii spectet ad Praelatum inferiorem; Casus in Sacra Congregatione disputatus fuit, & resolutus ut infra; Quatuor ab hinc annis citra nobilis civis laicus Patavinus propriis bonis competenter dotavit ruralem ecclesiam tunc indotatam, nullamque denominationem habentem, & prope eam contraxit domum pro habitatione Rectoris, obtinuitque Patronatum sibi, & suis haeredibus per Vicarium generalem Episcopi Patavini reservari.

In hujusmodi reservatione inter alia cautum fuit, ut sacerdos praesentandus pro tempore à Patronis institui deberet à Capitulo Cathedralis, & nullum alium beneficium ecclesiasticum obtinere posset, quodq. nullo modo hujusmodi beneficium juripatronatus impetrari posset, & si impetratum fuisset in Romana Curia, vel ab Episcopo Patavino, aut à quocumque alio jus conferendi habeatur, erectio & dotatio esset nulla; In ultima ejus voluntate idem fundator nomi-

nominavit suos hæredes, per quos deberet fieri præsentatio, ut ex his verbis; *Etsi electio impedita fuerit ab Episcopo Patavino, vel ab alio, tunc dotatio, & juspatronatus resolvatur, & dos ad hæredem revertatur.*

Ea prima vice Patronus præsentavit presbiterum, qui ab eodem Capitulo institutus fuit, nunc autem d. Patrono vita functo, & vacante ecclesia per assecutionem alterius beneficii, quæritur, an institutio pertineat ad Capitulum, an vero ad Episcopum, quæ prætenditur ex decreto Tridentini *sess.*14. *cap.*12.

De jure communi & si Patronus non posset in fundatione statuere, ut institutio ecclesiæ ad alium, quam Episcopum pertineret *Abbas in cap. praeterea* 1. *num.*1. *in* 1. *notab. de jurepatron.*, tamen, si Episcopi accesserat assensus, valida erat reservatio facta inferiori *Abbas in cap. nobis num.*2. *eodem tit.*, *Felin. in cap. Bertoldus num.*4. *vers. & adverte de re judicat. Imola, & alii citati per Lambertinum de jurepatr. lib.*1. 9. *quæst. principal. art.*1. *num.*69., nam Patronus de consensu Ordinarii poterat in fundationis limine apponere conditionem, & pacta contra jus commune, *late Lambertin. loc. citat. num.*49.

Verum inspecto Concilio videtur respondendum non potuisse reservari inferiori propter expressam prohibitionem, quæ habetur *in cap.*12. *sess.*14. *Concilii Tridentini*, actus enim factus contra legem prohibentem non valet, etiamsi non contineat decretum irritans *l. non dubium, ubi DD cod. de leg.*, nec potest applicari, quod dicitur de jure veteri consensum Ordinarii facere, ut valida esset reservatio facta inferiori à Patrono contra jus, quia id procedebat ex eo, quod de jure veteri, tametsi Institutio spectaret ad Episcopum, in cujus præjudicium non poterat Patronus quidquam statuere *cap requisisti de testam.*, tamen nulla suberat legis prohibitio, quæ vetuerat reservari institutionem inferiori, quoties Episcopus consensisset, sed tamen extabat dispositio affirmativa, quod dispositio ecclesiarum pertineret ad Episcopum *can omnes Basilicæ* 16. *quæst.*7. *cap. cum venerabilis de except. ubi Felin. in princip. column.*11., in cujus præjudicium, & si Patronus non posset quidquam statuere *d. cap. requisisti de testam.*, tamen præjudicium tollebatur per ejus assensum *Lambertin. loc. citat.*. At in casu nostro Concilium loquitur non solum affirmative, ut Episcopo institutio reservetur, sed etiam prohibitive quoad alios inferiores, ideoque Episcopus obstante lege prohibitiva non potest consentire, cum Concilium resistat consensui Episcopi, per quem induceretur reservatio prohibita à Concilio, nam legi prohibitive loquenti non potest renunciari *DD. in l. de his ff. de transact.*

Non obstat pactum resolutivum appositum in fundatione, quia invalidum est pactum resolutivum appositum in fundatione, ut si conditio aliqua non observaretur, dos ad dotantem, vel ejus hæredes revertatur *Aucharan. consl.*197. *num.*7., *Lambertin. de jurepatron. d. art.*1. *num.*45., *& seqq.*, ubi post *Rotam* scribit non valere adjectionem nullitatis, & resolutionis dotis ecclesiæ factam per Patronum, quia cum sit apposita respectu conditionis, vel pacti, jus repugnat.

12 *Die* 9. *Martii* 1597. *Congregatio Concilii*, cui interfuerunt *Montelpar*, *Justinianus*, *Cusanus*, *de Monte*, *Paravicinus*, *Mathejus*, *Aquaviva*, *Blanchettus*, *Mantica*, *Sanctorum quatuor*, *re diligenter discussa censuit pertinere ad Episcopum, non autem ad Capitulum*; *Mathejus* sensit juxta notata, *Justinianus* quoque putavit institutionem non pertinere ad capitulum, quia erat reservata inferiori de consensu Vicarii, non autem Episcopi; Vicarius enim non potest præstare consensum reservationi, nisi Episcopus sit absens *Lambertin. loc. citat. n.*97., alioquin, si consensus esset præstitus ab Episcopo, dubitaret, quod talis reservatio facta Capitulo valeret non obstante Concilii prohibitione, quæ, ut recipit interpretationem passivam à jure communi, esset intelligenda, ut non reservetur absque consensu Episcopi, *Cusanus* quoque dixit de jure communi institutionem reservari inferiori Episcopi in limine fundationis de Episcopi consensu *Rot. in nuper impress. decis.*635. *coram Sanctissimo*, sed dubium est post Concilium, quod videtur esse intelligendum juxta jus commune, sed tamen verius esse, ut Concilium indistincte intelligatur prohibuisse reservari institutionem inferiori etiam de consensu Ordinarii, quia alias Concilium nihil operaretur.

Idem dixerunt *de Monte*, *& Paravicinus*, *Blanchettus* putavit reservationem prædictam non valere ex decreto Concilii, immo etiam ex jure communi, quia controversa est quæstio, an in fundatione ecclesiæ de consensu Ordinarii possit patronus reservare institutionem inferiori, & qui putant posse, moventur ea ratione, quia Episcopus potest præjudicare ecclesiæ in quærendis, sed in casu, quo nos agimus, jam erat quæsita jurisdictio Ordinario in hac ecclesia libera jam fundata, ideoque non valet ejus consensus, ut reservetur institutio inferiori ad petitionem dotantis, quia præjudicaret ecclesiæ in jure quæsito, non autem in quærendo; Itaque non valere hanc reservationem ex jure communi, minusque ex Concilio, quod reservationi resistit; idem sensere *Mantica*, *& Montelpar*; ita habetur *in Patavina die* 9. *Martii* 1597. *ex libro memorialium* 114. *fol.*43.. Optima resolutio pro effectu, de quo agitur, nam beneficium, quod videbatur vacare Capitulo ex lege fundationis, vacat Episcopo ex lege conciliari.

ADDI-

A D D I T I O.

SUMMARIUM.

1 Solus Papa super beneficiis pensiones perpetuas reservat.

2 Spectat ad Papam concedere indulta reservandi pensiones super beneficiis.

3 An pensio per simplex rescriptum ab indultario reservata per ejus obitum extinguatur, antequam conficiatur instrumentum reservationis, ratio dubitandi, & decidendi num. 4.

5 Differentia inter gratiam Papæ, & indultarii super extinctione pensionis per simplex rescriptum reservata.

6 Gratia super reservatione pensionis facta ab indultario quodammodo dicitur Papæ, ubi de ratione num. 7. 8; sed contra ibid in fin.

1 Sicuti pensiones perpetuas super beneficiis ecclesiasticis ex suprema auctoritate, quam habet in universali ecclesia, solus Papa reservat *Gigas de pens. quæst.87. num.2.*, *Lotter de re benef lib.1. quæst.35. num.20.*, *Thomassin. vetus, & nova eccles disciplin. de*
2 *benef. part.3. lib.2. cap.31.*, ita ad ipsum dumtaxat spectat concedere indulta reservandi pensiones super beneficiis, vel prout de jure, vel usque ad certam quantitatem fructuum percipiendorum *ad text. in l. sacrilegii Cod. de divers. rescript.*, ubi quod species sacrilegii est de hoc ambigere *l. quidam consulebant ff. de re judic.*
3 Quæro ad propositum, an pensio per simplex rescriptum ab indultario reservata per ejus obitum extinguatur, antequam conficiatur instrumentum reservationis juxta stylum Ordinariorum; ratio dubitandi est, quia indultarius in reservatione pensionis fungitur auctoritate apostolica *cap.1. de concess. præb. in 6. ibi = quia cum illi non amplior detur potestas, quam ipse Romanus Pontifex habeat in hac parte l.1. §. qui mandatam ff. de offic. ejus ibi = qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed & ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur*; idcirco sicuti pensio per simplex rescriptum Papæ reservata per ejus obitum non extinguitur, ita nec pensio indultarii, decet enim utrobique gratiam Principis esse mansuram *cap. super gratia de offic. judic. delegat. in 6. cap. decet de reg. jur. in 6.*
4 Sed contrarium verius est, quia hujusmodi pensio habetur, ac si reservata non fuisset, donec conficiatur instrumentum reservationis, quod juxta stylum Ordinariorum stat loco literarum apostolicarum, certa enim in hoc conclusio est nihil actum censeri, si aliquid faciendum superest *Gloss. in l. finali ff. in jus vocat. ut eant l. penult. ibiq. Gloss. Bart. Bald. & Castren. Cod. ad Sillanianum*, idcirco pensio per simplex rescriptum reservata per obitum indultarii extinguitur *cap. si cui nulla §. secus de præb. in 6. l. sacri affatus Cod. de diver. rescript.*, ubi quod gratia Principis nil valet sine probataria rescripti *cap. præsenti de offic. legat. in 6.*, *Frideric. de Senis conf.297. per tot.*
5 Et quidem gratia indultarii differt in hoc à gratia Papæ, quia hæc quoties perfecta est, per ejus obitum non expirat, sed expeditur in forma rationi congruit *juxta regulam Cancellariæ*; E contra gratia Indultarii huic regulæ non subjacet, sed regulanda est juxta dispositionem juris; Idcirco, quoties perfecta non est in totum cum expeditione instrumenti, dicitur informis, & inutilis quoad hoc, ut per obitum indultarii expiret, quod mihi verius videtur *ex juribus jam dictis*;
6 De gratia Papæ, quando scilicet per ejus obitum expiret, jam dictum est *in cap. antecedenti in additione*. Unde in præsentiarum aliquid tibi innuimus de potestate indultarii, cujus gratia quodammodo dicitur Papæ;
7 actus enim non attribuitur indultario, qui pensionem reservavit, sed Papæ, qui indultum concessit *l. item eorum §. si decuriones ff. quod cujusque jur. universit. cap. cum aliquibus de rescript. in 6.*, *Surd. decis.297.*
8 *num.1.*; quod verissimum est, nam omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impartimur, *inquit Imperator in l.2. Cod. de veter. jur. enucleand.*, *Menoch. conf.118. num.20.*; Sed veritas juris est hujusmodi reservationem pensionis vere esse gratiam Indultarii, qui vi indulti habet arbitrium reservandi pensionem potius uni clerico, quam alteri, ergo pensio reservata ut supra per obitum indultarii extinguitur *ex juribus mox relatis*.

ARGU-

ARGUMENTUM.

AN, & quando nominatus ad Beneficia vacatura privetur jure, quod ex primis precibus, ac literis expectativis competit in præbenda vacante, & quid in Pensionibus *ad interpret. text. in cap.1. de conceß. præben. in 6.*, *Clement.1. eodem tit.*

SUMMARIUM.

1 NOminatur ad beneficia vacatura vigore primarum precum jus considerabile non acquirit, sed tantum jus in spe, seu ad rem, si præbendam primo, secondo, vel tertio vacaturam acceptaverit num.2, ubi de ratione num.3.

4 Olim frequens erat in ecclesia usus literarum expectativarum, & quare.

5 Literæ expectativæ, seu mandata de providendo ex decreto *Tridentini* sublata sunt, ubi de ratione.

6 Decretum *Tridentini* habet locum in canonicis supernumerariis erectis ab Ordinario cum expectativa, ubi casus, & resolutio.

7 Decretum *Tridentini* quoad mandata de providendo non comprehendit Imperatorem, & quare.

8 An jus primarum precum competat Imperatori ex consuetudine, vel ex privilegio, duplex opinio.

9 Nominatus ad beneficium vacaturum habet mensem ad illud acceptandum.

10 Non acceptans intra mensem jus præbendæ vacantis de rigore amittit.

11 Tamen de æquitate præbendam, quæ adhuc post mensem vacat, potest acceptare, ubi de ratione.

12 Clericus monitus ab Episcopo ad exhibendum intra certum terminum titulum beneficii potest exhibere post terminum, ne beneficio privetur.

13 Nominatus non potest præbendam post mensem alii collatam acceptare, sed tenetur expectare aliam vacaturam.

14 Nominatus coarctatur ad acceptandam præbendam vacantem intra mensem, si potestas executoris præbendæ vacaturæ adjuncta sit, ubi quod post mensem præbendam vacantem amittit, & secundam acceptare non potest num.15.

16 Fines mandati in primis precibus, & literis expectativis diligenter sunt custodiendi.

17 Nominatus ad præbendam vacaturam, quam ipse duxerit acceptandam, potest primam, secundam, vel tertiam ad ejus placitum acceptare.

18 An si acceptavit primam præbendam, possit variare acceptando aliam, duplex opinio num.19.

20 Nominatus per literas monitorias, præceptorias, & executorias non aquirit jus in beneficio.

21 Quid si Papa cum clausula *ex nunc prout ex tunc* providet de præbenda vacatura?

22 Clericus negligens acceptare intra certum terminum primam præbendam, quæ vacat, juxta mandatum apostolicum non potest eo elapso aliam acceptare, & prima privatur.

23 Miles, qui ad diem commeatus non venit, stipendia perdit.

24 Gratia post lapsum temporis extinguitur.

25 Nominatus per matrimonium jus primarum precum amittit.

26 Quid si matrimonium sit nullum ex defectu solemnitatum, vel ob impedimentum? duplex opinio.

27 Nominatus amittit jus primarum precum, si fiat miles.

28 Nominatus cadit à jure primarum precum, si fiat Monacus.

29 Nominatus amittit jus, si Princeps ex causa revocat primas preces.

30 An per obitum Imperatoris primæ preces re integra expirent, duplex opinio num.31.

32 Literæ expectativæ concessæ *in forma pauperum* per assecutionem beneficii expirant.

33 An primæ preces concessæ ab Imperatore *in forma provisionis* per assecutionem præbendæ expirent, ratio dubitandi, & decidendi num.34.

35 Beneficia jam obtenta non obstant, quo minus quis primas preces possit obtinere.

36 Non vacant beneficia obtenta, si quis provideatur de præbenda vacatura vigore primarum precum.

37 Nominatus amittit jus primarum precum, si fiat cæcus, aut perpetuo inhabilis.

38 Nominatus potest primis precibus expresse renunciare.

39 Non censetur renunciasse, si se submittit voluntati collatoris.

40 In casibus, in quibus nominatus jus primarum precum amittit, seu eo privatur, potestas iterum nominandi redit ad Imperatorem, ubi de ratione.

41 Princeps imperfectum non statuit.

CAPUT XXVI.

1 Quamvis nominatus vigore primarum precum ad beneficia vacatura considerabile jus non acquirat, dum ei aliud non competit, nisi implorare officium Judicis, ut præbenda, quæ vacat, sibi conferatur *cap. final.* § *sane in iis de conceß. præben. in 6.*, *Franc. in cap. detestanda n.2. vers. quarto quæro eodem tit. in 6.*, *Ferett. cons.16. num.17. vers. præterea*, & latius apud *Rot. decis.634. num.6. coram Cerr. de-*
2 *cis.256. par.13. recen.*, nihilominus negari haud potest, quo minus aliquod jus saltem in spe competat ex primis precibus *cap. literis de rescript.*, *cap venient de renunciat.*; Imo jus ad rem, si ita nominatus primis precibus exhibitis præbendam primo, secundo, vel tertio vacaturam acceptaverit *cap.1. §. è contra*, *cap. si capitulo*, *cap. si soli de conceß. præben. in 6.*, *Bisig. decis.6. de consue-*
3 *tud. Federic. de senis quæst.290. num.4.*, quo si privetur, censetur etiam privatus ipso beneficio, dum is, qui habet jus, seu actionem ad beneficium assequendum, beneficium ipsum habere videtur *l. is qui actionem ff. de reg.*

reg. jur.. Præterea congruit rei, de qua agitur, ut post quam dictum est de privatione beneficiorum vacantium, nonnulla breviter etiam adjiciamus de jure primarum precum, ac literarum expectativarum, quod nominatus, seu expectans amittit quoad beneficia vacatura.

4 Olim frequens erat in ecclesia usus concedendi literas expectativas, seu mandata de providendo, quæ Romani Pontificea dirigebant vel ad Ordinarios locorum, vel ad capitula ecclesiarum cathedralium, ut clericos habentes literas expectativas de præbenda vacatura juxta mandatum Apostolicum providerent *textus sunt expressi in cap. literis de rescript. cap. sane, cap. veniens de renunciat., cap. dilectus 27. de præben., cap. si pro clericis, cap. si clericus, cap. hi qui, cap. postquam, cap. is cui, cap. si Apostolicæ, cap. si pluribus, cap. cum in ecclesia, cap. si pauper, cap. quamvis 38., cap. si is cui de præben. in 6. cap. 1., cap. si capitulo, cap. si soli de concess. præb. in 6., Clement. 1. eod. tit.*

Idque non sine ratione usu in ecclesia introductum est, ut membra capiti, & caput membris, & invicem inter se correspondeřent, quod necessarium omnino est ad conservandam unitatem, unde hodie, ut ecclesiæ inferiores recognoscant Romanam Ecclesiam uti caput, ac magistram, loco expectativarum subrogata est regula mensium, 5 & alternativa; Et quidem merito, quia placuit Patribus Tridentini *sess. 24. cap. 19.* literas expectativas, & mandata de providendo penitus abolere, vel quia odium pariunt, vel quia inducunt votum captandæ mortis alienæ *ad text. in cap. detestanda, cap. ne captandæ de concess. præben. in 6., Gloss. marginalis in l. ult. cod. de pact.*, quod quidem decretum conciliare afficit nedum Collegia, Universitates, Senatus, aliasque singulares personas, etiam Sanctæ Roma-
6 næ Ecclesiæ Cardinales, quinimmo locum habet in Canonicis supernumerariis erectis ab Ordinario, non quia Ordinarius id non possit cum consensu totius capituli, sed quia non potest erigere canonicos cum expectativa, & ita casus accidit, nam Archiepiscopus Messanensis *anno* 1602. præter octodecim canonicos ejusdem ecclesiæ erexit sex canonicos supernumerarios de capituli consensu, sed Decano dissentiente, atque appellante, & pro eorum præbendis, ac distributionibus univit nonnulla beneficia simplicia vacatura salvis juribus possidentium.

Agitur nunc, an erectio hujusmodi, atque unio nondum effectum sortita valida sit, nec ne; *Sacra Congregatio censuit posse Episcopum erigere canonicos supranumerarios, sed non cum expectatione futuræ præbendæ*; Unde ex hoc capite manifesta est nullitas erectionis, quia sublata expectativa præbendæ vacaturæ canonicatus erecti sunt sine dote *contra ea, quæ tradunt Felin. in cap. cum accessissent n. 16. de constit., Rot. decis. unica in antiq. de eccles. ædifican.*

Alia adducitur nullitas, quod cum hæc erectio fuerit actus voluntarius *secundum Burg. in d. cap. cum accessissent num. 131.*, requirebatur consensus totius capituli, & sola Decani contradictio potuit erectionem infringere *Bart. Brixien. quæst. Dominic. 75. Capic. decis. 4. num. 6., & decis. 708.*, & ita *die* 16. *Martii* 1619. *Congregatio Concilii Tridentini citatis Canonicis supranumerariis censuit erectionem, ut proponitur, factam esse nullam, atque irritam*, ita habetur *in Messanen. ex lib. memorial. 109. fol. 1.*

7 Verum sub *Tridentini* decreto Imperatorem non comprehendi respondit Sacra Congregatio *in Cameracen.*, de qua *Fagnan. in cap. nulla num. 9. de concess. præben.*, nam speciali nota dignus est supremus Princeps, sicuti de Cardinalibus dicimus, qui eorum ordine sunt constituti, qui sub decreto non continentur, nisi de eis expressa mentio fiat *Cephal. cons. 1. num. 42. 43. lib. 1., Jason. cons. 117. sub num. 2. lib. 4.*. Confirmata est responsio Congregationis *à Gregorio XIII.*, qui optime se meminisse dixit in ea sessione Concilii Tridentini, in qua quæstio ista concertata fuit, nihil actum fuisse etiam ab iis, qui hoc jus Imperatoris infringendum esse, & privilegium abolendum putavere, cum longe pluribus suffragiis causa Imperatoris muniretur.

8 Quærea obiter in hac re, an hoc jus primarum precum ex consuetudine, vel potius ex privilegio competat Imperatori; Affirmat quoad primam partem *Auctor additionum ad Uspergensem Abbatem*, qui etiam formulam ipsam literarum, seu precum, quas ea de causa mittebat, publicavit ibi = *cum ex antiqua, & approbata, ac à divis Imperatoribus, & Regibus ad nos producta consuetudine quælibet ecclesia in nostro romano imperio constituta, ad quam beneficiorum ecclesiasticorum pertinet collatio, super unius collatione beneficii precum nostrarum primarias admittere teneatur; devotionem tuam rogamus, quatenus huic clerico de ecclesiastica beneficio studeas liberaliter providere Goldast. Const. Imp. tom. 3. fol. 446.*

At quia juridice loquendo non sufficit consuetudinem allegare, nisi probetur, ideo tutius censeo hoc jus imperatorium privilegio apostolico potius inniti, prout primarias precea Imperatoribus pro tempore concessere *Pius IV.*, *Gregorius XIII.*, *Paulus V.*, *& Clemens XI.*, vel saltem id partim privilegio, partim consuetudini tribuendum esse *Goldast. Const. Imp. tom. 1. fol. 343. 375. ibi = tam de jure, quam ab antiqua consuetudine*, quippe quia, vel tolerantia, vel consuetudo diutina in jus evasit, paremque habet cum lege auctoritatem *l. 1. 2. 3. Cod. quæ sit long. consuetud.*. Unde hodie Imperator dat clericis nobilibus primas preces super præbenda in unaquaque ecclesia germanici imperii vacatura tam juxta d. consuetudinem, quam privilegium apostolicum, sicut etiam certum est quandoque ex

ex causa literaa expectativas concedi à Summo Pontifice, tum in beneficiis, tum etiam in pensionibua ecclesiasticis, prout infra.

9 Primo itaque notandum est, quod nominatus vigore primarum precum ad beneficium vacaturum habet mensem ad illud acceptandum, qui mensis non à die vacationis, sed à die habitæ notitiæ computatur *Cocbier. ad primar. prec. sess.4. vers. intra mensem Piringh.in jus Canon. tom.3 tit.5. num.377. Rot. decis.614. num.4. 5. 6. coram Cavalcr.*,

10 Unde si intra mensem preces non exhibeat, & præbendam vacantem non acceptet, jus, quod habet quoad eam præbendam, de rigore privatur, si ab iis, ad quos spectat, ea collata sit, quod juridice statutum fuit, ne ob negligentiam petentia ecclesiæ, seu beneficia diu vacarent, imputet enim sibi, si intra præfixum terminum non acceptavit præbendam vacantem, quam acceptare poterat *Clementin.1. ubi DD. de concess. præben.*

11 Verum de æquitate etiam post mensem præbendam, si adhuc vacat, potest acceptare *Gloss. in Clement.1. vers. intra mensem de concess. præben. ibi = sed quæritur, an talis expectans possit acceptare post mensem beneficium adhuc vacans, videtur, quod sic*; & ratio est, quia hujusmodi clausula inducta est in favorem nominati, idcirco in ejua odium retorqueri non debet *cap. quod ob gratiam de reg.jur. in 6.l.quod favore Cod.de*
12 *leg.*, ad instar clerici, qui monitus ab Episcopo ad exhibendum intra certum terminum titulum sui beneficii, juridice exhibet etiam post terminum, ne beneficio privetur *Gloss. in cap. si tibi absenti vers. terminum de præben. in 6.*

13 E' contra nominatus præbendam alii post mensem collatam non potest acceptare, quia Ordinarius ob ejus negligentiam potuit illam conferre, sed tenetur expectare aliam vacaturam, nam primarum precum, seu expectativæ jua quoad illam præbendam perdidit, non quoad aliam, non enim coarctatur acceptare illam, sed quam vult, modo hanc, modo illam, quæ vacat ad cjua placitum *Gloss. in Clement.1. vers.intra mensem in fin. de concess. præben.*

14 Coarctatur tamen illam acceptare, si potestas executoria præbendæ primo vacaturæ, quam ipse intra mensem duxerit acceptandam, adjuncta sit, tunc enim sicuti expirat post mansem potestas executoria quoad illam præbendam, ita & jus nominati, qui
15 acceptare negligit; unde primam amittit, & secundam, in qua nullum jus habet, post mensem acceptare non potest *Gloss. in cap. si clericus vers. extincta de præben. in 6. ibi = & merito est extincta potestas, cum enim forma sibi tradita fuerit per rescriptum super uno beneficio tantum, scilicet super vacaturo sibi debito, illo omisso nil superest rescripto, alias sequeretur, quod haberet jus in pluribus præbendis, quod est absurdum; Nec dicitur habere jus in duabus præbendis, quia desinit*
16 *jus habere in prima*, fines enim mandati in primia precibus, & expectativis diligenter sunt custodiendi, ita quod mandatum de prima præbenda vacatura non comprehendit secundam, nec mandatum de integra extenditur ad dimidiam, & è contra, etiamsi nominatua velit *cap. cui de non Sacerdotali de præben. in 6.*

17 Notandum secundò, quod nominatus ad præbendam proximò vacaturam, quam ipse duxerit acceptandam, potest omissa prima, secunda, & aliis interim vacantibus acceptare aliam vacaturam, nec sibi præjudicat, si primam, vel secundam non acceptet, habet enim facultatem acceptandi, quam vult *cap.1.*, *cap. ne captandæ de concess. præben. in 6.*, *Gloss. in cap. mandato vers. nota quod beneficium in fin. ibique Barbos. n.6. de præben. in 6.*, *Clement. 1. de concess. præben.*

18 Quæstio est, an nominatua, qui semel unam præbendam acceptavit, possit variare, aliam, quæ vacat, acceptando; Negat *Cobier, ad primar. prec. sect.4. §.ad quintum per text. in cap. 1. §. e contra de concess. præben. in 6.*, *Gloss. in cap. gratia in fin. de rescript. in 6.*, deinde quia in acceptatione beneficii non est locua variationi *Tiraquel. in l. boves §. hoc sermone limit.1. n.31. ff. de verbor signif.*, & hanc opinionem tuetur *Glossa in l. unum ex familia vers. mutetur ff. de legat. 2. ibi = videtur non posse variare*; Variatio enim, seu mutatio est signum inconstantiæ, quæ in acceptatione beneficiorum ecclesiasticorum reprobatur, præsertim si acceptatio facta sit in judiciis *per text. in l. si mulier § finali ff. quod met. caus ibi = ut quam viam ego elegerim, hæc mihi pateat*, & generaliter habetur *in l. servi electione*, *l. hujusmodi §. stichum ff. de legat. 1.*, *l. apud aufidium, ubi Bart. & alii ff. de opt. legat.*

19 Affirmat *Sacra Rota*, quoniam primæ preces dantur *in forma literarum expectativarum, seu mandati de providendo*, quæ non recipiunt perfectionem, nec dicuntur consumptæ, nisi executor Apostolicus ad collationem devenerit *Rot. decis.634. num.5. & seqq. coram Cerr. decis.3. num.4. 5.*, *decis. 5. num.3. cum seqq. cor. Emerix senior.*

20 Eo modo, quo clericua per literas monitorias, præceptorias, & executoriaa nullum jus acquirit in beneficio ante receptionem *Gloss. in cap. literis de rescript.*, *Gloss. in cap. veniens vers. renunciasse de renunciat.*

21 Quid ergo si Papa providet cum clausula *ex nunc prout ex tunc* de præbenda vacatura, quam duxerit acceptandam? Respondeo expectativam per acceptationem præbendæ censeri consumptam, quia acceptans acquirit jus in re, unde amplius variare non potest *Geminian. cons.103. num. 3. cum seqq.*, *Oldrad. cons.229. n.1. in fin. vers. 3. respondetur Staphil. tit. quib.mod. exped. lit. ad benef. quæst.7. num.1.*, *Rot. decis. 634. coram Cerr. decis.256. part.13. recen.*

22 Simi-

22 Similiter clericus habens literas expectativas ad primam præbendam vacaturam privatur, si intra certum tempus à Judice præfixum illam non acceptaverit, aut pro ejus assecutione fuerit notabiliter negligens; & ratio est, quia in prima præbenda vacatura, si modo vacet, habet jus in re, *Gloss. in cap. si clericus vers. non subsistat de præben. in 6. ibi = nisi etiam negligens esset in illa petenda, quia & tunc perderet jus in illa*;
23 sicuti stipendiis privatur miles, si ad diem commeatus non venit *Gloss. in l. 3. vers. ad diem ff. de re milit. ibi = salaria perdit, si*
24 *negligat redire*; & ratio est, quia post lapsum termini, aut post notabilem negligentiam ad acceptandam primam præbendam vacaturam mandatum de providendo expirat *cap. si clericus de præben. in 6. ibi = cum facta ei gratia per ipsius negligentiam sit extincta, cap. tibi qui de rescript. in 6.*, *Abbas, & Felin. in cap. cæterum, cap. ad audientiam, & cap. capitulum de rescript.*, *Staphil. de lit. grat. tit. de sexta forma.*
25 Notandum tertio, quod nominatus per matrimonium jus primarum precum amittit, si enim per matrimonium quis amittit jus in re, multo magis jus ad rem *Gloss. & DD. in cap. unico de cleric. conjugat. in 6.*
26 Quæstio est, an per matrimonium nullum ex defectu solemnitatum, vel ob aliquod impedimentum jus primarum precum expiret. Negat *Cochier. ad primarias preces sect. 2. §. decimoquinto quæritur, per text. in cap. non præstat de reg. jur. in 6.*; Item subdit, quod qui impetravit primam vacaturam, & deinde uxorem ducat, poterit nihilominus, si tempore præbendæ vacantis uxor sit mortua, primam vacaturam obtinere *ex auctoritate Angeli in §. primo num. 1. instit. quib. mod. jus patr. potest. solvat.*

At opinio *Cochier.* jure non probatur, nec ejus ratio satisfacit, nam de jure contrahens matrimonium contra leges magis punitur, quam qui secundum ipsas contrahit, seu saltem paribus pœnis puniendus est, ne alias sit melioris conditionis, qui secundum canones, quam qui contra canones contrahit *cap. eum qui de præben. in 6.*, ergo ipso jure privatur primis precibus, qui valide contrahit, sicut qui nulliter; Deinde ipso jure amittit beneficium clericus in sacris constitutus, licet ejus matrimonium non teneat *juxta opinionem Bartoli Brixiensis de qua testatur Capell. Tholosan. quæst 240. in addit. in fin.*, idcirco quandoque præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum *Gloss. in d. cap. non præstat de reg. jur. in 6.*, ubi plures alios notat casus contra regulam juris; Demum non est verum, quod *Angelus* teneat clericum posse uti expectativa post mortem uxoris, sed potius contrarium afferit, verba enim *Angeli* referuntur *per Glossam instit. vers. in potestate quib. mod. jus patr. potest. solvat. ibi = quod facit, ut post impetrationem vacaturæ nubens non obtineat, etiamsi uxor moriatur*; idemque probat *ibidem Glossa marginalis* contra graduatos, qui non differunt ab iis, qui habent literas expectativas, seu primas preces ad beneficia vacatura, ibi = *facit contra graduatum nominatum, quod uxore postea ducta, & ea demum mortua prioribus nominationibus uti nequeat*; Quapropter opinionem *Cochier* merito reiicimus tum ob auctoritatem *Angeli*, qui contrarium tenet, tum etiam *Glossæ marginalis*, quæ cum ipso *Angelo* concordat.
27 Notandum quarto, quod nominatus amittit jus primarum precum, si fiat miles, qui enim militiam exercet privatur uti desertor omni jure, quod habet ad beneficia ecclesiastica *Faber in Codice lib. 1. titul. 3. defin. 25.*
28 Notandum quinto, quod pariter cadit à jure primarum precum nominatus, si fiat monacus *Probus in tract. jur. regal. quæst. 65*; si enim professus amittit beneficium, multo magis jus primarum precum, quæ dant jus dumtaxat ad illud assequendum *cap. beneficium de regular. in 6.*
29 Notandum sexto, quod nominatus amittit omne jus, si Princeps primas preces revocat, dummodo tamen id fiat ex causa, nam primæ preces se habent ad instar privilegii, quod princeps ex causa revocare potest *Felin. in cap. quæ in ecclesiarum num. 55. vers. secundo confirmatur de Constit.*
30 Hinc quæres, an primæ preces per obitum Imperatoris re integra expirent? Prima opinio affirmat, agitur enim de gratia facienda, quæ per obitum Imperatoris expirat, sicuti re integra per obitum Papæ cessant literæ expectativæ, & mandata de providendo *cap. si cui §. fecus de præben. in 6.*, deinde reservationes beneficiorum, ac mandata de providendo concessa à legato per ejus obitum re integra pariter expirant *cap. præsenti de offic. legat. in 6.*, ita à pari, nam primæ preces regulantur ad instar mandati de providendo ad beneficium vacaturum, *ut supra notatum est ex auctoritate Sac Rotæ.*
31 Sed contra concludendum est, quia gratia nominati quoad primas preces regulatur ad instar privilegii, quod perpetuò durat *Bursat. cons. 29. num. 5.*, deinde nominatio ad præbendam vacaturam quoad Principem nominantem beneficium est, quod per ejus obitum non cessat *cap. super gratia de offic. judic. delegat. in 6. cap. si cui de præben. in 6.*, immo in hac re, ne nominatus amittat jus precum, sufficit aliquid cœptum esse *l. 1. §. Cæpisse ff. de pollicit.*, *Felin. in cap. licet undique num. 1. de offic. judic. delegat. Bursat. d. cons. 29. num. 8.*, *quæ opinio verior est*, nec obstant jura jam dicta, quia gratia Papæ, seu legati verè est mandatum de providendo, quod morte mandantis re integra finitur; E contra primæ preces dantur ab Imperatore vigore privilegii apostolici, nil ergo mirum, si hæ etiam post obitum Principis durent *cap. decet de reg. jur. in 6.*

 32 No-

32 Notandum septimo , literas expectativas etiam posse dari pro clericis pauperibus , ut scilicet habeant , unde vivere possint ex reditibus ecclesiasticis , verum, si clericus pauper de beneficio ecclesiastico provideatur expirant literæ expectativæ , quia cessat causa , pro qua illæ concessæ fuerunt à Papa *cap.si pauper clericus de præben.in 6.*

33 Et quamvis videatur dicendum primas preces concessas ab Imperatore in forma provisionis non censeri expiravisse per assecutionem præbendæ alibi , vel ab alio obtentæ , quia non dantur intuitu paupertatis, sed potius contemplatione nobilitatis , & benemerentiæ, argumento à contrario sensu *per d. text. in cap. si pauper clericus de præ-*
34 *ben. in 6.* , nihilominus hac ratione non obstante per assecutionem beneficii primæ preces expirant ; non enim vis stat , an preces una , vel alia clausula conceptæ sint, sed quia jus in re facit cessare jus ad rem , & multo magis jus in spe , ergo clericus quacumque clausula nominatus ad præbendam vacaturam , si de ecclesiastico beneficio ab alio provideatur , jus primarum precum amittit , tametsi præbendam , quam aliunde obtinuit , renunciaverit *Clement. gratiæ de rescript.ibi = gratiæ , ut de dignitate ,vel beneficio curato tibi provideatur , renunciare videris , si ante adeptam ejusdem aliud beneficium pacifice assequaris , quod simul de jure cum dignitate , vel beneficio virtute d. gratiæ tibi debito retinere non posses , licet illud resignaveris , aut sit resignare paratus Paris de resignat.lib.1.quæst.1.num.19.Garz. de benef.par.11.cap.19. num.69.* , *Rebuff. de nominat.quæst.ult.num.9.*

35 E' converso autem duo , vel tria obtenta beneficia non obstant , quo minus quis primas preces obtinere possit , quippe quia in indulto apostolico adest clausula *etiamsi duo , vel tria vel plura quarumcumque qualitatum , & cujuscumque valoris beneficia obtinentibus* , ut notat *Cocbier ad primarias preces sect 4. §.ad quintum* ; ex quo patet , quod pluralitas beneficiorum non repugnat in eo , qui primas preces ab Imperatore obtinuit , idcirco non cessant , etiamsi , qui eas obtinuit, plura possideat beneficia , quod satis innuit *Gloss. in Clement. gratiæ vers. non posses de rescript.ibi = si ergo esset tale , quod cum illo teneri posset , non perit gratia , Joannes de*
36 *Deo lib.1. quæst.23.* , multo minus per assecutionem præbendæ vigore primarum precum vacant beneficia obtenta , nam ita nominatus censetur dispensatus super pluralitate beneficiorum , quod in Germania , in qua vigent primæ preces , novum non est juxta praxim.

37 Notandum octavo , nominatum jus primarum precum amittere , si fiat cæcus, aut alias perpetuo inhabilis ad beneficium assequendum *l.1.ff. de postuland.* , præsertim si beneficium habeat adnexum ordinem, cæcus enim , qui repellitur ab ordine,repellitur quoquc à beneficio *Majola de irregul. cap.10.cum relat in cap.15.per tot.*

38 Notandum denique nominatum posse primis precibus expresse renunciare , ac per renunciationem jure , quod ex eis obtinuit, privari *l.si quis in conscribendo Cod.de pa&.* ,
39 *cap si diligenti de for.competen.* , non tamen censetur nominatus renunciasse , si se submittat voluntati conferentis , indecens est, ut unde misericordiam deberet impetrare, indè dispendium sustinere cogatur *cap. sane, cap.veniens utrobique Gloss.de renunciat.*,ubi illud notandum habetur , quod si quis quoad præbendam vacaturam se submittat voluntati adversarii non renunciando differte literis impetratis , non censetur propter hoc juri , quod sibi ex literis competebat , renunciasse , ultra quod submissio, quæ fit voluntati conferentis, intelligitur arbitrio boni viri *Dec.consf.497.num.19.*, quod renunciationem non importat *ex dictis*.

40 Itaque in omnibus his casibus , in quibus primæ preces effectum sortiri non potuerint, jus iterum nominandi revertitur ad Imperatorem , qui alium potest nominare , preces enim non censentur consumptæ , si morte, renunciatione , aut alio quovis modo effectum non habuerint *ad text. express in cap.*
41 *si electio de elect. in 6.* , quod indistincte verum est in hac re , quia supremus Princeps imperfectum non statuit *l.penul. , & ibi Gloss. Cod.ad Sillanianum.*

A D D I T I O.

S U M M A R I U M.

1 USus primarum precum *Regum Angliæ* etiam in pensionibus ecclesiasticis , ubi exempla num. 2. 3.
4 Abusus *Regum Angliæ* quoad pensiones per preces reservatas .
5 Pensiones reservatæ ad preces *Regum Angliæ* erant temporales,
6 Dictio *quousque* conditionem importat .
7 Pensiones clericis reservatæ ad preces *Regum Angliæ* adepto beneficio extinguebantur .
8 Indultum primarum precum concessum ad beneficia vacatura non extenditur ad pensiones .
9 Papa duplici onere non intendit gravare beneficia .
10 Pensio reservata à Papa sub expectativa collationis alterius non est conditionalis , sed pura .

1 EX prædictis non solum in beneficiis , sed etiam in pensionibus ecclesiasticis preces admittebantur , extat enim de hoc epistola Eduardi I. Regis Angliæ scripta ad Abbatem , qua jubebatur , ut pensio clerico super reditibus ecclesiasticis assignaretur , quo usque is de beneficio ecclesiastico competenti esset provisus ibi = *Cum vos ratione novæ creationis vestræ præfatæ Abbas teneamini uni de clericis nostris , quem vobis duxerimus*

mus nominandum, in quadam pensione de domo vestra singulis annis percipienda, quousque eidem per vos provisum fuerit, & de beneficio ecclesiastico competenti, ita habetur *in nova compilatione constitutionum Angliæ Regum Henrici III., & Eduardi I. fol.*1010.

2 Similes preces ab eodem Rege pro Edemundo clerico, & familiari transmissæ fuerunt ad Episcopum Lincolniensem ibi = *Edemundo aliquam decentem, & honestam pensionem percipiendam singulis annis de camera vestra, quousque sibi de præbenda pro ipso competenti in ecclesia vestra juxta nostrum rogatum duxeritis providendum, per vestras patentes literas concedendo*, *ibidem fol* 1107. Idem etiam habetur *in Monastic. Anglic. lib.*1. *fol.*305., ubi quidam aulicus clericus sub falsis precibus extorserat regium Breve pro obtinenda annua pensione super fructibus Conventrensis monasterii, donec ecclesiasticum assequeretur beneficium ibi = *in Placito inter Regem, & Priorem Ecclesiæ de Conventre de annua pensione uni clericorum Regis ratione novæ creationis ejusdem Prioris, donec, &c.*

3 Nec ab his differunt preces aliæ, quas dabat & Angliæ Regina, ut patet ex literis ab Abbate, & Monasterio Sancti Cornelii ad Regem scriptis, postquam pensionem solverant, & contulerant beneficium ibi = *Regina Angliæ consors vestra nobis literas suas nuper direxit pro quodam clerico, ut provideremus eidem in ecclesiastico beneficio, vel pensione competenti, qui de nobis recepit quadraginta solidos annuæ pensionis, quousque eidem provisum extitit in congrua beneficio*;

4 Abutebantur Reges Angliæ his precibus, quia pluribus pensionibus beneficia ecclesiastica quandoque onerabantur; Unde Abbatia Athelingensis quodammodo expostulans eidem Eduardo I. Regi per literas significavit, quod ab eo jam tribus pensionibus gravata fuisset, quarum una erat quadraginta solidorum *Ibidem fol.*1045. 1046. 1050. Ita quoque dictus Prior Conventrensis monasterii vim, & injuriam defendens opposuit suam ecclesiam non esse cathedralem, nec ipsum Priorem aliquid per Baroniam à Rege tenere, prout ab ipsomet Rege in narratione præsupponebatur; Addidit insuper se tenere Prioratum ex donatione Leofricii *quondam* Comitis Cestriæ, qui illum fundavit, prout dicitur *in Monastic. Anglic. loc. cit.*, & in sequelam ipsum non teneri sub falsis precibus preces Regias admittere pro d. annua pensione.

5 Verum gravamina hujusmodi aliquantisper temperabantur ex eo, quod pensiones hujusmodi clericis reservatæ non erant perpetuæ, sed temporariæ, quod satis ostendunt preces relatæ, & probat dictio *quousque*, quæ conditionem de jure importat *Bart. in l. centesimis §. finali num.*5. *ff. de verbor. obligat. l. finali ff. ad Tertyll.*, qua

6 purificata, idest adepto beneficio competenti extinguebantur *cap. si pauper clericus ibique Gloss. de præben. in* 6., *Clement. gratiæ ibique Vitalin.*, *& alii de rescript.*

7 Hodie tamen primis precibus ad pensiones Reges, & Principes uti non solent, nec ex indultis nominandi clericos ad vacantia, vel vacatura beneficia id inferri potest, nisi expresse caveatur, nam indultum primarum precum ad beneficia vacatura non extenditur ad pensiones *cap. quamvis* 4. *de præben. in* 6.

8 Ita etiam cautus est in hac re Romanus Pontifex, qui non intendens pluribus oneribus gravare beneficia ecclesiastica *cap. mandatum de rescript.*, pensionem favore clerici reservare solet cum clausula *ex nunc prout ex tunc*, *& postquam* prima pensio, qua beneficium erat gravatum, cessaverit juxta

9 praxim; Unde hujusmodi pensio sic reservata non est conditionalis, sed pura, dum illius effectus differtur ad illud tempus, quo

10 prima pensio fuerit extincta *Card. de Luc. de pens. discur.*1. *num.*22. *discur.*2. *num.*2., *Salamantina pensionis* 16. *Februarii* 1582. *coram Bubalo, decis.*206. *num.*15. *coram Penia*.

ARGUMENTUM.

DE vacatione, seu privatione Commendarum, Prioratuum, ac Pensionum contra Equites Melitenses ob dilapidationem bonorum, ob non residentiam, inobedientiam, negotiationem, & alia gravia crimina *ad interpretationem statutorum hujus Religionis in cap.*13. *cap.*30. *cap.*38. *cap.*50. *cap.*59. *cap.*60. *de pæn. cum similibus*.

SUMMARIUM.

1 EQuites melitenses sunt vere religiosi, & tenentur custodire, & meliorare bona commendarum sub pæna privationis.

2 Equites subjacent uti religiosi legibus ecclesiasticis.

3 Equites ob dilapidationem fructuum commendis non privantur, secus ob dilapidationem bonorum, ibidem.

4 Ma-

4 Magnus Magiſter cum conſilio, ſicuti cæteri Prælati inferiores contra dilapidantes bona eccleſiarum, & commendarum poſſunt pœnas ſuperaddere.

5 Statutum, ut Equites dilapidatores priventur commendis conforme eſt diſpoſitioni juris.

6 Equites ob venditionem, ſeu diſtractionem bonorum, & jurium commendarum habitu privantur; Item priventur commendis, & prioratibus. 7.

8 Abſentia Equitum Melitenſium à proprio conventu delictum ſapit, ubi quod eques abſens ſine licentia habitum, & commendam amittit, prout clericus beneficio ſpoliatur, ibidem.

9 Eques commendatarius non tenetur reſidere, niſi tantum moraliter, ubi quod abſentia eſt quædam ſpecies apoſtaſiæ.

10 Eques Melitenſis commenda privandus eſt, ſi ſit inobediens, aut rebellis ordinibus Magni Magiſtri, ſicut clericus, & monachus ibidem.

11 Inobediens rebellium catalogo adſcribitur.

12 Eques pro delicto concubinatus privatur ipſo jure prioratu, & commenda, ubi declaratur.

13 Clericus ob hujuſmodi crimen privatur beneficiis, & monachus amovetur ab officiis.

14 Negotiatio clericis, & monacis graviſſimum crimen eſt, ubi quod clerici poſt trinam monitionem perdunt privilegium clericale, & poſt contumaciam excommunicari, & privilegiis privari debent.

15 Eques Melitenſis ob negotiationem commendas, & prioratus amittit.

16 Milites mercimoniis de jure deputandi non ſunt.

17 Duellum Equitibus Melitenſibus ſub pœna privationis habitus prohibitum eſt, ubi quod Eques provocans, ſeu ſponte acceptans duellum ipſo jura amittit commendas, & prioratus.

18 An Eques privatus habitu, & cruce cenſeatur etiam privatus commenda.

19 Eques privatus habitu non cenſetur privatus commenda ab ipſo erecta.

20 Eques *ex cap.* 32. 32. 37. privatus habitu, an ſit etiam privatus, vel privandus commende, diſtinguitur.

21 Aliud eſt aliquem *ſimpliciter* removere, aliud *perpetuo*,

22 Contra delinquentem non differunt ſimpliciter, vel perpetuo removere, ſecus contra contumacem.

23 Eques debitor communis Ærarii eſt incapax commendæ.

24 Debitor publicæ adminiſtrationis ad honores Principatus invitari non poteſt.

25 Eques debitor, ut ſupra, commenda jam obtenta non privatur, quid requiratur, ut privari poſſit, ibidem.

26 Eques Melitenſis capax eſt cujuſcumque dignitatis, & prioratus, ſi factis computis, declaretur eum non eſſe amplius debitorem.

27 Sententia declaratoria retrotrahitur ad diem debiti conſtituti.

28 Ampliatur, ſi debitum Equitis litigioſum ſit.

29 Eques admiſſus ad commendas proximè vacaturas nequit impediri pro ſinutitione commendæ vacantis ob defectum incapacitatis de præterito ante admiſſionem, ſecus, ubi nova contrahitur inhabilitas.

30 Eques pro crimine damnatus non poteſt ſinutire commendas, exemplo clerici pendente inquiſitione, ibidem.

31 Reſidentia à ſtatutis hujus religionis exigitur, ut commendatarius valeat tueri, & meliorare bona.

32 Reſidentia majoris partis anni ſufficit, ut commendatarius commendas interim vacantes ſinutire valeat.

33 Eques privatur jure ſinutitionis, ſi non conſtet de reſidentia quinquennali cum melioramentis, ubi quod hæc inhabilitas reſtringitur dumtaxat ad quinquennium ibidem.

34 Commendæ Equitibus debentur in præmium laboris, & antianitatis.

35 Per aſſecutionem unius commendæ non inducitur vacatio alterius, ſed contra, ibidem.

36 Electio ad ſupremum magiſterium ipſo jure inducit vacationem commendarum, prioratuum, & adminiſtrationum.

37 Magnus Magiſter gerit figuram Principis.

38 Repugnat Epiſcopo retentio canonicatus, aut alterius dignitatis.

39 Commenda vacat, ſi Eques ad Epiſcopatum promoveatur.

CAPUT XXVII.

1 NOn differunt à Religioſis, &
Monacis Equites Meliten-
ſes, cum profeſſionem ſo-
lemnem emittant, prout
practicatur in quacumque
religione per Sedem Apoſto-
licam approbata *Abb. in
cap.2. num.3. in fin. de ſtat. Monachor. Rot.
deciſ.382. num.1. cor. Put. lib.1. deciſ.87. n.1.
par 2. rec.*. Idcirco Equites hujus, & qui-
dem inclyti ordinis tenentur bona commen-
darum fideliter cuſtodire, tueri, ac melio-
rare ſub pœna privationis commendarum, &
incapacitatis ſinutitionis dignitatum vacan
2 tium, prout infra, immo, cum vere reli-
gioſi ſint, ſubjacent legibus eccleſiaſticis,
aliiſque conſtitutionibus apoſtolicis, prout
cæteri regulares, cum hac differentia, quod
regulares dilapidatores fructuum monaſterii
ab officiis removentur, *ut in cap.17. per tot.*;
Equites vero melitenſes non propter fru-
ctuum, de quibus, prout clerici poſſunt ſal-
tem inter vivos libere diſponere, ſed pro-
3 pter bonorum, jurium, ac cenſuum dilapida-
tionem privati ſunt, vel privantur commen-
dis, & prioratibus *ex cap.60. de pæn.*

Nec de validitate hujus ſtatuti poteſt ullo
modo dubitari, tum quia magno Magiſtro
cum conſilio generali, ſicuti cæteris Præla-
tis ſive ſecularibus, ſive regularibus contra
4 dilapidantes bona eccleſiarum pœnas cumu-
lare, & ſuperaddere jure communi permiſ-
ſum eſt *ex relatis in cap.61. num.4. de vacat.
ſi in conſtitut. particular. cautum ſit lib.1.*;
5 Tum etiam quia hujuſmodi ſtatutum contra
equites dilapidatores conforme eſt diſpoſitio-
ni juris, quæ regulares ob dilapidationem ab
officiis penitus removet *cap. Monaci cap.
cum ad Monaſterium de ſtat. Monachor. cap.
licet Heli de Simon can. quia ea 3. quæſt.2.* &
conſtat ex dictis *in cap.17. per tot.*
6 Dilapidationi ſimilis eſt alienatio, venditio,
& diſtractio bonorum, cenſuum, & jurium,
quæ commendis aſſignata ſunt. Alias Equi-
tes, reſciſſa alienatione, habitu ſpoliaban-
7 tur *cap.5. de contract.*, hodie privatio com-
mendarum, & prioratuum ſuperaddita eſt
ex cap.8. de contract.. Hæc ſane videntur
extracta à jure canonico, quoniam de jure
antiquo alienatio bonorum eccleſiarum erat
interdicta tum clericis, tum etiam regula-
ribus, ſed contra indebite alienantes pœna
privationis beneficiorum non erat impoſita,
*ut in titulo de rebus eccleſ. non alienandis in
antiquis, in lib.6. Decretal., & Clementin.*
Deinde propter frequentes alienationes, quæ
in

in præjudicium ecclesiarum fieri consueverant, visum fuit expediens etiam contra beneficiatos ex hoc capite indicere privationem beneficiorum ipso jure, *ut in extravag. ambitiosæ de reb. eccles. non alienan. de qua late in cap.24. de vacat. ob indebitam bonor. eccles. alienat. lib.1.*

8 Absentia quoque Equitum Melitensium à proprio conventu delictum sapit, ideoque Eques sine licentia absens habitum amittit, & commendam *ex cap.13. de pæn.* sicuti clericus secularis spoliatur beneficiis *cap. ex parte cap. inter quatuor cap. ex tuæ cap. final. de cleric. non residentib.* Et quamvis Eques
9 commendatarius non teneatur residere, nisi tantum moraliter, videlicet pro suendis, ac meliorandis bonis, abesse tamen à conventu sine licentia superioris gravissimum crimen est, immo absentia à conventu in regulari de jure est quædam species apostasiæ; nil igitur mirum si Eques absens à conventu incidat in pænam, de qua supra.

Rursus Eques Melitensis commenda pri-
10 ovatus est, vel privandus, si inobediens, aut rebellis sit ordinibus magni Magistri, aut Consilii generalis, & per tres, aut quatuor vices monitus pertinaciter contumax fuerit, *ita habetur in cap.59. de pæn.* Sane inobedientia punitur in clericis privatione ecclesiæ, in Monacis amotione ab officiis, & pæna abjectionis ab ecclesia *Can. absit 11. quæst.3. cap. si quis, ibique Felin. num.7. de*
11 *majoritat. & obedient.*, deinde inobediens in rebellium catalogo de jure adscribitur *l. sacrilegio C. de divers. rescript. cap. sane il 2. de offic judic. delegat. Fagnan. in cap. cum ex injuncto num.43. de novi oper. nunciat. Clementin. pastoralis, ibique Anchoran. in princip. de sent. & re judic. Decian. cons.14. num.1. cum seqq. lib.3. Natt. cons.580. num.13. 18. cum seqq.* Porrò pæna amissionis prioratus, & commendæ contra Equitem inobedientem æqua est, & dispositioni juris conformis.

12 His accedit, quod Eques pro delicto concubinatus ipso jure privatur prioratu, & commenda, si post monitionem quadraginta dierum ab hujusmodi illicita, & scandalosa conversatione non se abstinuerit, quod indistinctè procedit, sive de hoc crimine appareat, vel per confessionem, vel per evidentiam facti, vel ex testibus, aliisque publicis documentis, *ita literaliter sancitur in cap.50. de pæn.* Hujusmodi autem pæna con-
13 digna est pro tanto facinore, clericus enim post tertiam monitionem privatur beneficiis, & pensionibus ecclesiasticis *ex Tridentin. sess.25. cap.14.*, & Monacus amovetur ab officiis aliisque plectitur pænis juxta regulas religionis *cap. qualiter, & quando, ubi omnes de accusat.*

14 Accedit quoque negotiatio, quæ in clericis, & monacis gravissimum sonat crimen, ac sub gravibus pænis de jure, & apostolicis Constitutionibus interdicta est; clerici enim post trinam monitionem perdunt privilegium clericale *cap. final. de vit. & honest. clericor.*, ac post contumaciam excommunicari, & beneficiis privari debent *cap. cum bona de ætat., & qualitat. cap. pastoralis*
15 *§. verum de appellat.*, ita Eques ob negotiationem commendas, & prioratus amittit *ex cap.4. de contract.*, quoniam Eques Melitensis militiam exercet, & uti miles catholicam religionem ab hostibus defendere tenetur, quod nequaquam fieri potest per negotiationem, quæ absolute homines timi-
16 dos, & pusillanimes efficit; ultra quod milites mercimoniis de jure deputandi non sunt *l. nemo miles ff. de re militar. l. milites C. de re militar. lib.12.*

17 Duellum insuper, quod inter hos Equites facilius contingere potest, sub pæna privationis habitus prohibitum est *ex cap.38. de pæn.*, sed quia d. statutum ibidem se refert ad decretum *Tridentini*, & Constitutionem *Gregorii XIII.*, ideo Eques provocans, seu spontè acceptans duellum etiam effectu non secuto commendas, prioratus, & alia officia ipso jure amittit *ex Tridentin. sess.25. cap.19.*, aliisque Constitutionibus apostolicis, nempe *Pii IV. Gregorii XIII.*, & *Clementis VIII.* de quibus *in cap.43. de vacat. ob duellum lib.1.*

18 Hinc dubium, & quidem grave oritur, an Eques vi statuti privatus habitu, & Cruce censeatur etiam privatus commenda, & videtur quod non, statutum enim stricti juris est, nec potest extendi de casu ad alium, *ita in cap.30. de pæn.*, ubi Eques ob gravia crimina privatus est habitu, & cruce, sed nulla ibidem fit mentio de commenda, & clarius habetur *in Firmana commendæ 17. Aprilis 1711. §. Nec plus eum seqq. cor. Priol.*, ubi Eques privatus habitu, & cruce ob indecentes mores commendam retinuit. Si igitur in statutis pænalibus fieri non potest extensio, Eques privatus habitu, & Cruce, non censentur privatus commenda *l. in pænis l. sanctio legum ff. de pæn. l. cum quidam ff. de liber., & Posthum.* Sed contra concludendum est, quoniam, qui non est in numero Equitum, non est amplius capax commendæ, sicuti clericus ob scandala, & delicta privatus habitu clericali censetur etiam privatus beneficio, si sententia justa sit, & in auctoritatem rei judicatæ transierit, *ut in cap.1. num.27. de vacat. ob privat.*. Hæc sane non est extensio pænarum, sed potius comprehensio, dum una pæna venit in sequelam alterius quod patet *ex d. cap.30. de pæn.*, ubi Eques ob hæresim, Assassinium, & Sodomiam perpetuo privatur habitu, & Cruce, ergo etiam censetur privatus commenda, vel saltem est privandus, quoniam ob hæresim, Assassinium, Sodomiam ipso jure vacant beneficia ecclesiastica ex *cap.25. de vacat. ob hæresim cap.36. de vacat. ob assassin. cap 40. de vacat. ob crimen nefandum lib.1.*, alioquin Eques hæreticus posset retinere commendam, quod repugnat.

19 Nec

19 Nec obstat *Rot. in d. Firmana Commendæ*,
quia ibi agebatur de fundatore, qui commenda
ab ipso erecta de æquitate spolianda
non est, nisi in sententia exprimatur, *ut in
d. decisione*; Hic est casus singularis non extendendus
ad alias commendas religionis,
eo modo, quo clericus degradatus non
amittit bona patrimonialia, nisi agatur
de crimine, in quo intrat confiscatio bonorum.

20 Similiter *ex cap.* 31 32. 37. *de pæn.* Eques
ob delictum privatur habitu, sed an etiam
commenda privandus sit, potest dubitari,
& ratio dubitandi est, quia pæna non est
imponenda, ubi statuto non cavetur *Gloss.
singularis in cap. final. in fin. de jurepatron.*.
Verum ex eisdem statutis Eques interdum
ob crimen privatur simpliciter habitu, interdum
perpetuo; Unde ex hoc infero hanc distinctionem,
quod, ubi Eques perpetuo
privatur habitu, etiam commenda privatus
intelligitur, vel saltem est privandus, secus
21 si simpliciter, & ratio disparitatis est, quia
de jure aliud est aliquem simpliciter removere,
aliud perpetuo *Innoc. in cap. ex litevir
num.*1. *de constit.*. Et quamvis de jure
22 paria sint aliquem perpetuo, vel simpliciter
removere, nihilominus id intelligitur
quoties pæna imponitur ob delictum, secus
si propter contumaciam dumtaxat, tunc
enim privatio simpliciter facta intelligitur
temporalis, donec scilicet delinquens satisfaciat
*Innoc. ibidem num.*2.. Ita à pari privatio
habitus, vel simpliciter, vel perpetuo
imposita Equitibus ob varia crimina evidenter
ostendit statuentium mentem talem esse,
*& ita habetur in cap.*15. *delle significazioni
delle parole num* 27., ubi quod perpetuo
privatus habitu intelligitur etiam privatus
omnibus commendis, beneficiis, & antianitatibus,
quamvis id non esset expressum;
quæ distinctio juridica est, & conformis statutis
hujus religionis; Aliud enim est privare
simpliciter ob delictum, aliud ob contumaciam
l. Papinianus ff. de minor.

Hæc vera sunt quoad vacationem, & privationem
Habitus, Prioratuum, & Commendarum,
sed quoad inhabilitatem nonnulla
etiam contra hos Equites notanda sunt, quæ
sæpius discutienda in praxi occurrunt. Et
23 quidem primo Eques debitor communis
Ærarii incapax est commendæ, non enim decet,
quod commendas obtineat, qui pecunias
ad religionem spectantes indebite retinet;
quod jure optimo sancitum est, ut ita
Eques ad evitandam inhabilitatem pro commendis
interim vacantibus facilius solvat,
quod in publicum Ærarium, ac religionis utilitatem
erogandum est, *ut pluries firmavit
Rot. decis.*371. *par.*4. *tom.*2. *decis.*725. *decis.*726.
*num.*1. *par.*4. *tom.*3. *decis.*149. *par.*5.
*decis.*26. *num.*4. *par.*7. *recen. decis.*212. *per
tot. cor. Bich.*, quod satis constat *ex cap.*24.
26. *de commun. Ærar.*, *& cap.*43. *de commend.*.
Quæ sane statuta, seu ordinationes nil dif-
24 ferunt à dispositione juris, debitor enim
publicæ administrationis ad honores Principatus
invitari non potest *l. rescripto* §. *debitores
ff. de muner. & honor ibi = debitores rerum
publicarum ad honores invitari non posse certum
est, nisi prius in id, quod debetur Reipublicæ,
satisfecerint = Bart. ibid.*, & habetur
*in l.*1. *C. de debitoribus Civitatum
lib* 11.

25 Privari tamen potest commenda jam obtenta,
si renuat malitiose solvere debitum,
& ratio est, quia Eques, qui intra competentem
terminum solvere detrectat, fit contumax
& rebellis, & in sequelam hac pæna dignus
ex cap. 20 *alibi* 77. *de debitorib. communis
Ærarii, Rot. decis.*212. *n.*17. *decis.*238. *n.*21.
22. *coram Bich.*

26 Verum Eques melitensis capax est cujuscumque
dignitatis, prioratus, & commendæ
vacantis, qui debitor communis Ærarii
remansit, si deinde factis computis ab iis,
qui habent facultatem, non esse amplius
debitorem per sententiam declaratum sit;
27 quoniam sententia declaratoria retrotrahitur
ad diem debiti constituti, & facit, quod
Eques nunc pro tunc debitor communis Ærarii
non fuerit, & sic debitum, quod apparenter
aderat, realiter amplius non est;
Paria enim sunt de jure non esse debitorem,
& esse, sed jam solvisse, quod non obstat
smutitioni commendæ vacantis, *ut in Melevitana
Commendæ della Romagna* 28. *Januarii*
1732. *coram Eminentissimo Aldovrando*.

28 Ampliatur, si Equitis debitum litigiosum
sit ex regula, quod debitum litigiosum non
est debitum *in puncto Rot. decis.*26. *num.*5.6.
*par.*7. *recen.*, *decis* 238. *num.*33. *coram Bich.*;
Ultra quod in hac smutitionis materia quælibet
rationabilis credulitas, quod Eques
negligens non fuerit, aut debitor, excusat
à pæna *Rot. decis.*562 *num.*18 *par.*5. *dec.* 26.
*num.*8. *par.*7. *recen.*. Et eo fortius, si adhuc
terminus pendeat ad reddendas rationes, &
solvenda debita hoc tempore illiquida, quo
casu pæna incapacitatis nunquam incurritur,
deest enim extremum, idest debitum ad
eam inducendam *Rot. decis.*238. *num.*36. *cor.
Bich.*

29 Secundo Eques jam admissus ad commendas
proximè vacaturas nequit impediri pro
smutitione commendæ vacantis ob defectum
incapacitatis de præterito ante admissionem,
quoniam ita admissus censetur dispensatus
ad omnes dignitates, seu commendas
in posterum vacaturas, si sint ejusdem speciei
*Melevitana Prioratuum super re judicata
quoad liquidationem* 3. *Julii* 1713. §. *tantoque*,
& 12. *Martii* 1714. *coram Lancetta*, secus
ubi nova inhabilitas contrahitur; tunc
enim Eques ex novis emergentibus incapax
smutitionis fit, ac indiget nova admissione,
quæ non datur in commendis vacantibus
propter præjudicium aliorum, qui ratione
antianitatis ad commendas vacantes interim
30 concurrunt, ita Eques accusatus, seu inquisitus
de crimine nequit post condemnatio-

nis

nis sententiam smutire commendas, & dignitates interim vacantes *cap.27. de pæn*, quod sane statutum vix discrepat à dispositione juris, clericus enim accusatus, seu inquisitus pendente inquisitione beneficia, præbendas, & dignitates assequi non potest *Can. tantis Daniel. distinct.81. cap. omnipotens de accusat. l. reus delatus ff. de muner. & honorib. l. unic. Cod. de reis postulatis lib.10.*

Tertio Eques Melitensis non tenetur in commendis præcise residere, sed tantum moraliter, ut dixi, residentia enim à statutis hujus religionis exigitur, ut commendata-
31 rius valeat tueri, ac meliorare bona commendarum, & prioratuum. Itaque satis est residentia majoris partis anni, ut com-
32 mendatarius ratione antianitatis commendas interim vacantes smutire valeat *Melevitana, seu Portugallien. commendarum 19. Junii 1722. §. tantum §. neque coram Cerro.*; quod si de hac residentia quinquennali non
33 constet una cum melioramentis, privatur Eques jure smutitionis, seu, quod idem est, jure assequendi commendas, prioratus, & dignitates vacantes *Rot. decis.7. num.3. decis.173. num.1. par.17. recen.* Non tamen hujusmodi privatio, seu inhabilitas est generalis, & indefinita, sed restringitur tantum ad illud quinquennium, ut commendatarius in eo, in quo deliquit, puniatur, & non ultra, ne alias pænæ contra mentem statuentium, & rationem juris extendantur, & prorogentur de uno ad aliud quinquennium, & inhabilitas, quæ est dumtaxat temporalis, fiat perpetua. *Rot. decis.130. num.1. coram Molin. tom.1.*

34 Quarto demum Equitibus huius ordinis commendæ debentur, tum de jure, tum ex statutis in præmium laboris, & antianitatis *Gloss. in cap. final. versic. antiquiores de consuetud. in 6. cap.1. cap. statuimus de majoritat. & obedient. l.1. ff. de alb. scriben. l.1. & 2. C. de offic. Præfect. Prætor l.1. & 2. C. de offic. magistr. offic. Lotter. de re benef. lib.2. cap.15. num.47. Rot. decis. 166. num. 7. & per tot. cor. Dunozzet. sen. decis.69. n.1. cor. Priol. decis.475. num.2. cor. Crisp.*

35 Nec assecutio, seu smutitio unius commendæ inducit vacationem alterius jam obtentæ, quoniam in statutis hujus religionis fit mentio de smutitione plurium Commendarum, ideirco pluralitas non censetur prohibita; quod tamen verum non est, quoniam his equitibus prohibetur retentio commendarum, quando ad alias legitime promoventur, *ita habetur in cap. 4. delle commende, e amministrazioni Rot. decis.136. num.2.10. decis.161. num.3.5. coram Ottobon.* Unde vacat commenda per assecutionem alterius *Gloss. marginal. in cap. nemo deinceps in prima additione de elect. in 6. cap. de multa de præben.*

36 Idque similiter procedit in Magno Magistro *ex cap.5. tit.9.*, ubi electio ad supremum magisterium inducit ipso jure vacationem commendarum, prioratuum, & administrationum; Quod sane statutum ratione non caret, nam Magnus Magister gerit figuram Principis, & assumptus est ad regi-
37 men totius religionis, ideoque non decet eum in hoc supremo gradu plures commen-
38 das, & prioratus possidere, adinstar Episcopi, cui repugnat retentio canonicatus, aut alterius dignitatis ecclesiasticæ
39 *cap. cum in cunctis §. cum vero de elect.*, immo sicuti commenda vacat, si Eques ad Episcopatum promoveatur *Rot. decis.221. decis.566. decis.532. per tot. cor. Lancett.*; *quæ sunt in hac materia magistrales*, ita Equiti assumpto ad supremum magisterium repugnant commendæ, & prioratus, repugnant dignitates hujus religionis *ex d. cap.5. tit.9.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 EQues Melitensis est incapax pensionis ecclesiasticæ sine dispensatione Apostolica.

2 An pensio reservata Equiti à Papa per assumptionem ad magnum magisterium extinguatur? defenditur opinio affirmativa 3. sed contra. 4. ubi rationes.

5 Ampliatur in pensione reservata super commendis, & prioratibus.

6 Eques Melitensis est incapax pensionum, si tempore reservationis sit debitor communis ærarii, etiamsi Magnus Magister dederit dilationem ad solvendum.

7 Magnus Magister nequit statutis religionis derogare.

8 Pensio, quæ non incepit, vacat, & extinguitur, declaratur, ibid.

9 Pensiones reservatæ Equiti, qui non erat debitor Ærarii, de jure sustinentur, ubi quod ex delicto potest privari, exemplificatur, & assignatur ratio, ibidem.

10 Commendæ, prioratus, & pensiones Equitum Melitensium sunt ad nutum amovibiles.

1 NOtandum est Equitem Melitensem esse incapacem pensionis ecclesiasticæ, nisi obtineatur super hoc dispensatio apostolica *Corrad. de dispensat. lib.6. cap.1. num.39. Gig. de pension. quæst.15. per tot. Rot. decis.656. num.7. in fin. part.2. recen.* Hoc posito.

2 Quæro, an pensio reservata Equiti super benencio seculari auctoritate apostolica per assumptionem ad magnum magisterium extinguatur; & videtur quod sic, quoniam Magnus Magister æquiparatur Abbati, seu Prælato regulari cum jurisdictione, & præeminentia, ideoque talis pensio extinguitur, sicuti vacat per promotionem ad abbatiam *Paris. de resignat. lib.3. quæst.1. num.99.*, deinde vacat pensio per prioratum, si ex natura beneficii ita provisus dicatur Prælatus, & locum Abbatis obtineat in ecclesia regulari *Selva de benef. quæst.2. num.53.*

par. 1. *Parif. de refignat. lib*. 3. *quæft*. 14. *num*. 10; ita à pari, nam Magnus Magifter eft verus Prælatus ordinis regularis.

3 His accedunt ftylus Curiæ, & Conftitutiones Apoftolicæ, quibus inducitur vacatio penfionis in promotis ad ecclefias regulares *ex dictis in cap*. 14. *de vacat. ob promot. ad Abbat. in addit. lib*. 1.; Hìs profectò fubjacet Magnus Magifter uti regularis, & caput regularium, ergo penfio ecclefiaftica ob hujufmodi promotionem extinguitur. Demum vacant commendæ, & prioratus per affumptionem ad magnum magifterium, *ita habetur in cap*. 5. *tit*. 9., Ergo idem dicendum eft de penfione Equiti refervata, ut fupra.

4 Sed contra concludendum eft, ideo enim vacat penfio per abbatiam, & prælaturam regularem cum poteftate quafi epifcopali, quia Abbas dicitur fponfus ecclefiæ, prout Prælatus regularis talis denominatur; & in hoc cafu procedit ftylus Curiæ, loquuntur doctores, & Conftitutiones Apoftolicæ; At Magnus Magifter non eft fponfus ecclefiæ, gerit enim figuram Principis fecularis cum poteftate gladii, dicitur etiam caput ordinis, & Generalis militum, fed per electionem ad Generalatum penfio non extinguitur *d. cap*. 14. *de vacat. ob promot. ad Abbat. in addit. lib*. 1., ergo multo minus per affumptionem ad magnum magifterium, hoc enim de jure cautum non eft. Nec obftat ftatutum hujus religionis *in cap*. 5. *tit*. 9, quia loquitur de commendis, & prioratibus, aliifque dignitatibus huius ordinis, nec hujufmodi ftatutum tanquam ftricti juris poteft extendi ad penfionem, de qua ibidem nulla fit mentio *cap. quamvis de præben. in* 6., ergo per affumptionem ad magnum magifterium nullo modo penfio ecclefiaftica extinguitur.

5 Ampliatur conclufio in penfione Equiti refervata fuper commendis, & prioratibus *ex cap*. 49. *lib*. 14., & ratio eft, quia quoad vacationem ex capite affumptionis ad magnum magifterium in ftatutis nihil cavetur, nifi aliud habeatur ex ftylo huius religionis, quod non credo.

6 Ulterius notandum eft, quod Eques incapax eft penfionum fuper commendis, fi tempore refervationis debitor fit communis Ærarii, immo penfiones ita refervatas nullas, & invalidas effe conftat *ex cap*. 24. & 25. *de Ærario Rot. decif*. 123. *decif*. 326. *par*. 18. *rec*. *tom*. 1., quod & verum eft, etiamfi Magnus Magifter dediffet Equiti dilationem ad fol-

7 vendum ex ea fatis folida ratione, quia Magnus Magifter nequit ftatutis religionis derogare *cap. cum inferior. de major. & obed*. & conftat *ex relatis decifionibus*, & in fe-

8 quelam penfiones fic refervatæ vacant, licet non inceperint *ad Text. in l*. 3. *ff. ufufructuarius quemadmod. caveat. Gloff. in cau. quia verfic. Sacerdotio* 5. *quæft*. 6., ubi quis dicitur perdere, quod numquam habuit *l. fin. ff. de evict*.. Quod tamen dictum ad improprietatem referendum eft, nam jus, quod non incepit, vacare, perimi, & extingui non poteft *l. Titio ufusfructus ff. de condit. & demonftrat. ibi = defiiffe enim non videtur, quod nec incipit l. non poteft ff. de reg. jur. ibi = non poteft videri defiiffe habere, qui numquam habuit. l. non videtur ff. eod. l*. 1. *ibiq. Gloff. verfic. non amitti ff. quib. mod. ufusfruct. amitt. ibi = quod enim non eft, amitti non poteft*, nifi etiam dicas, quod incepit, de facto, forte quia de facto penfio exigitur, vacat, extinguitur, ac effe definit; E' contra, quod non incepit, nec potuit incipere nec de facto, nec de jure, non poteft vacare, extingui, ac effe definere *juxta diftinctionem Gloffæ in d. l. Titio ufusfructus ff. de condit. & demonftrat. ibi = non incepit de facto, hic non potuit incipere, nec de jure, nec de facto Bart. ibidem*, & ita conciliantur jura, quæ fibi invicem contrariantur.

9 E' contra penfiones refervatæ Equiti, qui tempore refervationis non erat debitor, de jure fuftinentur, fed tamen Eques de licto privari poteft *cap*. 20., *alibi* 77. *de debitorib. commun. Ærar*., ubi Eques renuens folvere commenda privatur, ergo multo magis penfionibus fuper commendis refervatis *authent. multo magis C. de facrofanct. Ecclef*.; Contumacia enim crimen præfefert, & hac pœna mulctandum *cap*. 2. *cap. veritatis, ibique Gloff. in verfic. per contumaciam de dol. & contum. Noft. conf*. 580. *num*. 13. 18. *cum feqq*., ubi contumax tanquam rebellis fpoliatur bonis, *Bellamer. decif*. 244., po-

10 tiffimum contra Equites Melitenfes, quorum officia, commendæ, prioratus, & penfiones funt manuales *Tondut. de penf. cap*. 69. *num*. 27 *cum feqq. Rot decif*. 10. *cor. Mohedan. de caufa proprietat. & poffef. decif*. 250. *n*. 1. *cor. Mantic. decif*. 386. *num*. 2. *par*. 5. *rec*.

ARGU-

ARGUMENTUM

DE vacatione Præceptoriarum, Beneficiorum, ac Pensionum Ordinis Sancti Spiritus in Saxia ob inobedientiam, & usurpationem jurium, ob privationem, & revocationem cum causa, vel sine causa factam à generali Præceptore *ad ornat. constit.12., & constit. etsi ex debito Sixti IV.*

SUMMARIUM.

1 DOmui Sancti Spiritus conceditur eadem facultas, quam habet domus Sancti Joannis Melitensis.
2 Tractatus recollectis beneficiorum etiam regularium vacationibus perficitur.
3 Perfectum dicitur, in quo adsunt, quæ adesse debent.
4 Perfectum proprie dicitur, quod ex omnibus suis partibus constat.
5 In humanis adinventionibus nihil perfectum invenitur.
6 Beneficiorum vacationes in unum congeruntur, & quare.
7 Religiosi Sancti Spiritus olim duplici crimine notati fuerunt, inobedientia scilicet, & jurium usurpatione, quod explicatur num. 8.
9 Religiosi hujus Ordinis, si moniti non resipuerint, ob hujusmodi crimina ipso jure amittunt præceptorias, & beneficia.
10 Præceptoriæ, & beneficia sunt ad nutum generalis Præceptoris amovibilia.
11 Ob amotionem etiam sine causa vacant.
12 Differentia inter præceptorias, ac beneficia hujus Ordinis, & officia aliarum religionum.
13 Præceptoriæ, & beneficia ob privationem secutam in curia non vacant apud sedem, ubi de ratione.
14 Hospitalia, & præceptoriæ non possunt conferri, nisi expresse professis.

CAPUT XXVIII.

1 QUia domui Sancti Spiritus in Saxia datur eadem facultas, quam habet domus hospitalis Sancti Joannis Melitensis, quæ sine dubio ad hoc extenditur, *ut testatur Lezana quæst. regular. tom. 2. verb. beneficium, & beneficiati num. 32.*, ideo rationi admodum consentaneum videtur, ut nonnulla breviter disseramus de modis, quibus præceptoriæ, beneficia, ac pensiones huius ordinis regularis vacent, vel extinguantur, prout de commendis, & dignitatibus vacantibus in ordine melitensi dictum est *in capite ante-*
2 *cedenti*, ita enim recollectis omnibus beneficiorum etiam regularium vacationibus tractatus integre completur, quod decet
3 pro veritate scribentem, nam perfectum dicitur, in quo adsunt, quæ adesse debent *l.1. ibique Gloss. Cod. de arbitr., Gloss. in l. ratas ibiq. Gloss. Cod. de rescindend. vendit. l. etsi non sunt §. Quid ergo ff. de aur., & argent. legat.*
4 Et quamvis proprie perfectum dicatur, quod ex omnibus suis partibus constat *ex l.1. ibique Gloss. ff. de orig. jur.*, qua de re
5 nec ego tanti arbitror hoc opus, nihilominus in humanis adinventionibus nihil perfectum invenitur *inquit Speculat. in proœm.*
6 *part.1. §. cæterum*; sufficit ergo, quod omnes vacationes in unum congerantur, ne quid in hac re maneat indiscussum *ad text. in l.1. §. prius nobis C. de veter. jur. enucleand.*

7 His positis duplici crimine olim notati fuerunt religiosi huius ordinis, alterum inobedientiæ est, alterum usurpationis; sane inobedientia parum differt à crimine rebellionis, & pœnis, quibus rebelles subiiciuntur, punitur, nec ulla dignior pœna contra inobedientiam potest infligi, quam privatio beneficiorum, sicuti contra contumaciam clerici, aut militis hac pœna animadvertitur *Gloss. in l.3. vers. ab executione ff. de re milit.*, immo species sacrilegii est superioris mandatis resistere *l. sacrilegii Cod. de divers. rescript. l.2. ff. de crimin. sacrileg.*; Quapropter merito inobediens, quicumque ille sit, efficitur infamis, & ab ecclesia eiicitur *can. si autem, can. absit 11. quæst. 3. cap. 2. ubi omnes de majorit. & obedien.*
8 Nec impar crimen est usurpatio, sicuti enim religiosus non potest sibi appropriare, quod est religionis, ita nec usurpare fructus, proventus, eleemosinas, & oblationes, quæ in usum, & subventionem pauperum, peregrinorum, infirmorum, & expositorum impendi debent; multo minus occupare terras, & loca ad hospitale pertinentia
9 *authen. multo magis Cod. de sacrosan. eccles.*. Præterea religiosi huius ordinis, qui moniti non resipuerint, ex utroque criminis capite præceptorias, prioratus, & beneficia ipso jure amittunt, ita quod generalis Præceptor absque ulla alia monitione ea tanquam vacantia personis idoneis libere conferre potest, *ita habetur in Constit.12. Sixti IV.*, *ibi = Alioquin si in præmissis, vel eorum aliquo se reddiderint rebelles, aut aliquid* in

in contrarium temere attentare præsumpserint, & moniti non resipuerint, ut tenentur, suis præceptoriis, & beneficiis, quæ obtinuerant, privati exsistant, possitque Præceptor, constito sibi de præmissis per eos taliter perpetratis, absque monitione alia in ipsos, & eorum delinquentes pœnas prædictas declarare, & ipsorum beneficia tamquam vacantia personis idoneis conferre.

Pro aliis vero criminibus vel gravibus, vel levibus apud me non constat, an fratres hujus ordinis præceptoriis, & beneficiis ipso jure privati sint, vel privandi, nam in statutis nihil cautum habetur, sed tamen id,
10 ni fallor, non erat necessarium, quoniam hujusmodi præceptoriæ, prioratus, & beneficia sunt ad nutum generalis Præceptoris amovibilia *ex alia constitutione Sixti IV.* quæ incipit *& si ex debito ibi = Decernentes omnia, & singula hospitalia, domos, præceptorias, oratoria, prioratus, ecclesias, capellas, membra, seu beneficia dicti hospitalis, & alia ab eo dependentia manualia esse, & illa pro tempore obtinentes pro solo nutu Moderni, & pro tempore existentis ipsius nostri hospitalis Præceptoris, etiamsi ipsis per eamdem sedem, & illius legatos concessum fuerit, quod à beneficiis, præceptoriis absque rationabili causa quoquo modo amoveri nequeant, posse libere, & licite amoveri.*

11 Itaque ex hac Apostolica Constitutione dubitandum haud est, quo minus ob amotionem, & privationem cum causa, vel sine causa hujusmodi præceptoriæ, & beneficia ipso jure vacent pro effectu eadem libere conferendi, prout ob amotionem vacant officia, & prioratus aliarum religionum *Clement. final. ibique Gloss. vers. revocari de supplen. negligen Prælat. Saunier. trattat. del sacr. ordine di San Spirito in Sassia di Roma cap. 16. in fin. Lezana quæst. regular. verbo beneficium & beneficiati num. 26. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 13. cap. 4. versic. 1. quæritur in fin. Navar. consl. 70. de regular.*

12 Hoc tamen discrimen est, quod ut quis prioratibus, & officiis alterius religionis legitime privetur, de jure requiritur saltem levis culpa *cap. per tuas ibique Gloss. vers. levioribus de simon. cap. qualiter, & quando*
13 *de accusat. cap. cum ad monasterium de stat. Monach.*; E' contra præceptoriæ, & beneficia hujus ordinis ob amotionem etiam sine causa vacant, non tamen de jure, sed de facto, nec vacant in Curia, etiamsi amotio secuta sit in Curia, quia *ex Constitutione 12. Sixti IV* antiquatæ sunt omnes reservationes etiam per obitum in Curia, ut ibi.

14 Denique notandum est, quod hujusmodi præceptoriæ, hospitalia, prioratus, & beneficia conferri non possunt, nisi iis fratribus, qui ordinem ipsum expresse professi sunt *ex d. Constitutione 12. Sixti IV. ibi = quod ejusdem ordinis hospitalia, præceptoriæ nulli cujuscumque dignitatis, præterquam ipsius nostri hospitalis fratribus, & ordinem ipsum expresse professis in titulum, vel commendam conferri valeant, sive possint*; Porro ii, qui tacite tantum hunc ordinem professi sunt, fiunt incapaces hospitalium, præceptoriarum, & beneficiorum sive in titulum, sive in commendam, ubi enim requiritur expressa professio, tacita non sufficit pro hujusmodi effectu *ex Constitutione Sixti IV*, multoque magis inhabiles sunt, qui nulla professione emissa ibidem in communi vivunt, & commorantur *cap. cum in magistrum de elect.*; Utrobique ergo vacant hospitalia, præceptoriæ, prioratus, commendæ, & beneficia, sed vacant, ut prius, ac si collata non fuissent tum ex dispositione juris, tum etiam ex utraque Constitutione Sixti IV.

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 Generalis præceptor Sancti Spiritus potest super commendis dupliciter reservare pensiones, quod explicatur ibidem.

2 Præceptor Sancti Spiritus potest ad libitum pensiones revocare.

3 Pensiones ob revocationem etiam sine causa perimuntur.

4 Pensiones reservatæ pro indigentiis cessant cessante indigentia.

5 Pensiones in hoc Ordine fuit imperfectæ, & impropriæ, ubi quod vacant ob inobedientiam, & usurpationem jurium num. 6.

1 Generalis præceptor Sancti Spiritus in Saxia, uti Collator ordinarius, ac Prælatus regularis super commendis, ac beneficiis sui ordinis potest etiam reservare pensiones; & quidem dupliciter, primo pro indumentis religiosi, aliisque necessariis, quibus alias esset gravanda religio; idque potest, etiamsi is, cui commenda, seu beneficium collatum fuit, contradiceret *in punct. Rot. decis. 302. part. 2. recent.*, secundo pro ipsamet religione, in casibus tamen universalis indigentiæ, *ut testantur Saunier in trattat. del sacro ordine di San Spirito in Sassia di Roma cap. 16. vers. terza resoluzione, & Lezana quæst. regular. tom. 2. verbo beneficium, & beneficiati num. 35. cum pluribus seqq.*, Idque respectu huius secundæ partis nullam admittit dubitationem, nam si Præceptor generalis id potest facere favore religiosi, qui minus est privilegiatus, multo magis pro ipsamet religione, cuius ratio semper, & ubique præcipua est, & summa *l. sunt personæ in fin ff. de religios. & sumpt. funer.*

2 Et quamvis generalis Præceptor huius ordinis pensiones super commendis cum causa debeat imponere, seu reservare, nihilominus etiam sine causa eas potest ad placitum revo-

revocare, prout religiosos à præceptoriis,
3 & commendis ad nutum amovet, & consequenter pensiones ob revocationem sine causa, multo magis cum causa ipso facto pereuntur *cap. ex literis, cap. gravem de excess.*
4 *Prælat.*, DD. *in Clement. final. de supplen. neglig. Prælat.*, immo pensiones, quæ pro indigentiis fratrum, vel religionis reservantur, statim cessant cessante causa indigentiæ *cap. cum cessante de appellat. Clement. gratiæ de rescript.*, Sacra Congregatio Concilii *in Ferrarien.* 18. *Septembris* 1683., *ubi quod pensio reservata seminario pauperi cessat, si illud remanet abunde provisum.*
5 Rursus pensiones huius ordinis sunt ad nutum amovibiles, & imperfectæ, id enim de jure perfectum non dicitur, quod revocari potest *l. non videtur ff. de donat. caus. mort. Signor. consf.* 8., *Cravett. consf.* 202. *num.* 33. *volum.* 2., deinde sunt impropriæ, prout præceptoriæ, hospitalia, & prioratus proprie beneficia non sunt, & ratio est, quia in hisce pensionibus datur tantum perceptio fructuum, non jus percipiendi, quod penes generalem Præceptorem, seu ipsum
6 ordinem perpetuo remanet; ergo pensiones hujusmodi ob inobedientiam, & usurpationem jurium d. hospitalis, monitione tamen præmissa, extingui oportet, vel saltem possunt libere revocari *juxta Constitutiones Sixti IV.*, *de quibus supra*.

ARGUMENTUM.

DE vacatione, & privatione Præstimoniorum, Cappellaniarum, & Titulorum ecclesiasticorum, nec non Pensionum *ad ornatum Text. in cap. final. de concess. præben. in* 6., *& Gloss. in Clementin. cupientes versic. suspensi in fin. de pæn.*

SUMMARIUM.

1 PRæstimonia, seu præstimoniales portiones sunt beneficia ecclesiastica, ubi quod per privationem vacant. 2.
3 Præstimonia quo fine institutu.
4 Præstimonia vacant, prout officia militaria.
5 Præstimonia dari possunt ad certum tempus, si ita se habeat loci consuetudo, ubi quod post lapsum temporis vacant saltem de facto.
6 Post lapsum temporis limitati vacant loca collegialia, seu monacalia, quæ præstimoniis æquiparantur.
7 Præstimonium clerico concessum intuitu paupertatis, cessante paupertate, cessat, & revocari potest.
8 Limita, si contumplatione paupertatis ad certum tempus concessum sit.
9 Legatum relictum sub certo tempore alterius vitæ non extinguitur, esto quod iste antu tempus obierit.
10 Præstimonium concessum ad quinquennium pro assequenda laurea doctorali non cessat, si provisus intra biennium lauream doctoralem obtinett.
11 Indoltum concessum, ut quis ad triennium possit abesse ab ecclesia pro obtinenda laurea doctorali, non cessat, qoamvis indultarius lauream intra annum assequatur.
12 Scientia, & studium faciunt doctorem, non laurea doctoralis.
13 Cappellaniarum multiplex genus, ubi quod Cappellania auctoritate Episcopi erecta nil differt à beneficio.
14 Cappellania hoc modo sumpta vacat de jure, & de facto per obitum, renunciationem, privationem.
15 Cappellania laicalis, & perpetua quæ sit, ubi quod vacet de facto per privationem. 16.
17 Cappellania laicalis perpetua vacat etiam de jure, si habeat certum fundum cum onere solvendi quid annuum Episcopo.
18 Cappellania auctoritate Episcopi erecta potest considerari, ut officium, & beneficium.
19 Cappellanus, qui non tenetur ad residentiam, privari nequit jure Cappellaniæ ex capite absentiæ, ubi quod potest per alium missas celebrare, secus si per seipsum tenetur ecclesiæ inservire.
20 Cappellanus ob non implementum de præterito privandus non est, sed condemnari debet ad satisfaciendum oneribus, limita, si privationis pæna adjecta sit in limine fundutionis, ibid. in fin.
21 Cappellania dicitur residentialis, si testator mandaverit, ut Cappellanus Domum testatoris inhabitet, ac coadjuvet Parochum loci; Item dicitur talis, si Cappellanus habeat onus celebrandi missas in cappella à Testatore fundata. 22.
23 Præsertim si fructus cappellaniæ dividi debeant, & adjecta sit pæna privationis, ubi quod Cappellanus monitus, si non pareat, cappellania privari potest.
24 Cappellania cum onere inhabitandi domum testatoris repugnat cum alio beneficio residentiali, ubi quod vacat ipso jure ob incompatibilitatem.
25 Cappellania cum onere celebrandi missas in eadem cappella, & pænæ adjectione vacat ob assecutionem cannonicatus.
26 Cappellania ecclesiastica vacat de facto, si nullus ex nominatis sit in possessione, ubi quod vacat pro fabrica ecclesiæ, cui ex speciali indulto fructus reservantur.
27 Cappellania manualis, cessante dolo, & malitia, ad nutum patroni revocari potest, ubi quod toties vacat, quoties Patronus alium nominat, & eligit, ubi de tatione.
28 Cappellania amovibilis non potest fieri perpetua in præjudicium successorum, secus in præjudicium nominantis.
29 Patronus nominans cappellanum perpetuum, cum posset amovibilem eligere, amovibilitati renunciat.
30 Patronus habens facultatem nominandi cappellanum perpetuum, vel amovibilem, si perpetuum nominet, talis nominatio intelligitur perpetua, etiam in præjudicium successorum, ubi quod talis cappellania non vacat, nisi per cessum, aut decessum, ibidem.
31 Amplia quamvis Patronus reservaverit sibi facultatem removendi cappellanum, ubi requiritur, ut cappellania vacet de facto, quod Patronus hac facultate utatur.
32 Actus semper dicitur purus, licet per conditionem possit resolvi.

33 Cappellania annalis est beneficium ecclesiasticum, & post annum non vacat, nisi nova fiat electio.
34 Cappellanus annalis potest privari à Capitulo per electionem alterius, secus per decretum, ubi ratio disparitatis.
35 Cappellania annalis, quæ vacat per obitum, seu renunciationem, nequit impetrari, nec cadit sub regula mensis, quamvis per resignationem quandoque Papa providerit.
36 Provisiones Apostolicæ non mutant naturam annalis cappellaniæ.
37 Cappellania, prout beneficium est, repugnat in eadem ecclesia cum retentione alterius, ubi quod ipso jure vacat per alterius assecutionem.
38 Alii tenent, quod cappellania vacat non per assecutionem, sed per optionem.
39 Declaratur hæc opinio, ut intelligatur de cappellaniis annalibus.
40 Clericus ex voluntate testatoris duas cappellanias retinere potest.
41 In provisione cappellaniæ, quæ fit in Romanâ Curia, non est necesse exprimere qualitatem Sacerdotii.
42 Limita, si qualitas Sacerdotii requiratur tempore collationis, ubi quod potest impetrari.
43 Multo minus exprimenda sunt onera missarum, & obligatio residentiæ. 44.
45 Cappellani etiam dicuntur, qui habent officium ecclesiasticum commune etiam laicis, ut officia cantus *in Basilica S. Petri de Urbe*.
46 Hujusmodi officia vacant in Curia per matrimonium.
47 Officia cantus alibi non vacant per matrimonium, nisi caveatur.
48 Officia cantus vacant per privationem ex causa delicti, & per amotionem, ubi exemplificatur.
49 Titulus ecclesiasticus quot modis sumatur.
50 Titulus ecclesiasticus indistinctè vacat per matrimonium.
51 Titulus Prothonotariatus honoris de jure vacat per matrimonium.
52 Limita ex contrario usu, & consuetudine.
53 Titulus ecclesiasticus semper vacat per privationem ex causa criminis irrogantis infamiam.

CAPUT XXIX.

1 PRæstimonia, seu præstimoniales portiones, tam de jure antiquo, quam novo Tridentini decreto inter beneficia ecclesiastica connumerantur, nec ab his differunt, nisi in solo nomine, ideoque sicuti appellatione beneficiorum veniunt canonicatus, præbendæ, dignitates, & ecclesiæ parochiales, ita quoque veniunt præstimonia, seu præstimoniales portiones *cap. final. post princip. de concess. præben. in 6. Tridentin. sess. 14. cap. 9., & sess. 23. cap. 18. Gonzal. ad regul. 8. cancell. Gloss. 5. §. 2. per*
2 *tot. Abbas cons. 41. lib. 2. Oldrad. cons. 113.*, quod incipit *in ecclesia calaguritana*; Præterea ex his causis, quibus vacant beneficia, etiam per privationem vacant præstimonia, seu præstimoniales portiones *can. inventum 16. quæst. 7. Gloss. magistral. in Clementin. cupientes versic. suspensi in fin. de pæn., & in Corduben. præstimonii 21. Januarii 1724. coram Corio*, ubi quod præstimonium vacat per resignationem, per obitum, cum similibus.

3 Verum hujusmodi præstimonia ab initio instituta fuerunt pro studentibus, ac pro subsidio contra infideles, quod in Regnis Hispaniarum usu, & consuetudine vim obtinuit, ideoque, si hoc titulo assignentur clericis, aut laicis, beneficia ecclesiastica non sunt, sed quid mere prophanum, seu temporarium, quod enim datur pro studio philosophico, aut theologico, seu pro subsidio contra infideles, stipendium est, non
4 dissimile ab eo, quod datur militibus, & consequenter hujusmodi præstimonia vacant, prout officia militaria, & clericus, aut laicus ob grave crimen præstimonio privandus est, prout spoliatur miles officiis, & gradibus militaribus *l. desertorem l. omne delictum, l. milites §. 1. versic. ignominiosa ff. de re militar.*

5 Itidem hujusmodi præstimonia dari possunt ad certum tempus, si ita se habeat consuetudo, quo elapso vacant, saltem de facto,
6 sicuti post lapsum temporis limitati vacant loca collegialia, seu monacalia, quæ præstimoniis æquiparantur *Petr. Tholosan. de instit. benefic. cap. 11. Tondut. quæst. benefic. cap. 106. per tot. & §. 8. in fin.*

7 Rursus præstimonium clerico simpliciter concessum intuitu paupertatis cessat, & revocari potest, cessante paupertate *cap. cum cessante de appellat. cap. si pauper clericus, ibique Gloss. versic. cessat de præben. in 6. Gloss.*
8 *in l. generaliter C. de Episcop., & cleric.* E contra, si concessum sit ad certum tempus etiam contemplatione paupertatis, non cessat, nec eo clericus privari potest, licet ante tempus cesset paupertas; & ratio clara est, quia paupertas est causa concessionis, tempus causa peremptionis actus; deinde paupertas est causa impulsiva, tempus est, causa finalis, quæ sine dubio prævalet *ad*
9 *text. in l. ambiguitatem C. de usufruct.*, ubi deciditur, quod annuum legatum uxori relictum, sive alteri sub certo tempore alterius vitæ non extinguitur; esto quod iste ante tempus obierit, & ad eam ætatem non pervenerit, sed expectandum est tempus, quo ad talem ætatem pervenire potuisset.

10 Sic quoque præstimonium concessum ad quinquennium pro assequenda laurea doctorali non cessat, si ita provisus intra biennium lauream doctoralem obtineat, quoniam mens concedentis non fuit laurea doctoralis tantum, sed cursus theologicus *Geminian. in*
11 *cap. cum ex eo de elect. in 6.*, ubi indultum concessum, ut quis ad triennium possit abesse ab ecclesia causa studiorum, ac pro obtinenda laurea doctorali non cessat, quamvis clericus indultarius lauream doctoralem intra annum assequatur; Deinde scientia, &
12 continuum studium faciunt doctorem, non laurea doctoralis, quippe quia & insipientes aliquando hac decorantur, vere tamen Doctores non sunt, nec humanarum, aut divi-

divinarum legum notitiam habent, immo
scientia justi, aut injusti, quæ jurisconsulto
proprie competit, penitus carent. Præte-
rea præstimonium ita concessum non post
adeptam lauream doctoralem, sed post la-
psum quinquennii vacat, saltem de facto
*l. in agris ff. de acquir. rer. domin. l. cancel-
laverat. ff. quæ in testam. delen. l. age Gemi-
niane C. de transact. Rot. decis.25. n.5. par.2.
recent.*
13 Transeamus ad cappellanias, quarum
multiplex genus est, alia enim dicitur cap-
pellania, quæ auctoritate Episcopi erecta
est, hæc nihil differt à beneficio *Gonzal. ad
regul.8. Cancell. Gloss.5. num.68. 69. Garz.
de benef. par.1. cap.2. num.95. cum seqq. Sar-
nen. in regul. de annal. quæst.20. Mandoz.
super ead. regul. quæst.17. Perez. de Lar. de
Cappellan. cap.1. num.16. lib.1.*. Ultra quod
de jure cappellania sonat simplex beneficium,
quod ad residentiam non obligat *Lambertin.
de Jurepatr. par.2. lib.2. quæst.7. art.30.*
14 *num.17. Rot. decis.75. num.4. cor. Lancett.*.
Cappellania hoc modo sumpta vacat de ju-
re, & de facto per obitum, renunciationem,
professionem, ac matrimonium *Gonzal. ad
regul.8. Cancell. Gloss.5. num.66. 67.*, va-
cat insuper per privationem ex causa gravis
criminis *cap. ex literis cap. gravem de excess.
Prælator.*, *Clementin. cupientes*, *ibique
Gloss. versic. suspensi in fin. de pœn.*
15 Alia est cappellania laicalis, & perpetua
habens annuos, ac distinctos reditus; in
hac cappellanus acquirit jus ad vitam ex le-
ge fundationis, sed beneficium ecclesiasti-
cum non est, quia Patronus absque institu-
tione, & assensu Ordinarii cappellanum no-
16 minat, & eligit, ideoque hujusmodi cap-
pellania per amotionem, seu privationem
sive juris, sive hominis vacat de facto dum-
17 taxat, sed interdum vacat etiam de jure
ob privationem, & matrimonium, si ha-
beat certum fundum cum onere solvendi quid
annuum Episcopo, ac ejus auctoritas ac-
cesserit, nilque refert, quod testator laica-
lem denominaverit, non enim in hac mate-
ria dumtaxat attenditur voluntas fundato-
ris in abstracto considerata, sed quid volue-
rit per confirmationem Ordinarii cum obli-
gatione solvendi ei quid annuum. Cum igi-
tur confirmatio Episcopi, & onera injuncta,
ut supra, aliud arguant, quam simplicem
cappellaniam, sequitur, ut beneficium po-
tius denominari debeat, *Firmana beneficii
27. Aprilis* 1714., & 11. *Januarii* 1715.
§. *sed quamvis coram Ansald.*
18 Rursus cappellania auctoritate Episcopi
erecta, ut officium, ac beneficium insimul
potest considerari; officium, quia cappella-
nus non tenetur ad præcisam residentiam;
beneficium, quia auctoritate Ordinarii ere-
cta est, *ita in Gerunden. eleemosinæ super
jure nominandi*, & in eadem *super residen-
tia 3. Julii* 1711. *cor. Priolo*.
19 Hæc maturè ab Ordinariis pensanda sunt,
si enim cappellanus non tenetur ad residen-
tiam, privari nequit jure cappellaniæ ex eo,
quod absens sit, nec in ejus locum potest al-
ter subrogari; cappellanus enim cum onere
Missarum potest per alium divina celebrare
*juxta allegat. Lap.35. & allegat.117. num.2.
versic. quod autem*, quas refert, & sequi-
tur *Rot. decis.92 num.2. coram Buratt.*; E
contra cappellanus, qui tenetur per seipsum
Missas celebrare, & ecclesiæ inservire, si
absens sit, citandus est, ut redeat ad eccle-
siam pro implendis ibidem per seipsum one-
ribus sub pœna privationis *cap.1.*, *cap. inter
quatuor*, *cap. fin. & tot. tit. de cleric. non
residen.*
20. Notandum tamen est, quod cappellanus
ob non adimplementum de præterito cappel-
lania privandus non est, cum aliunde possit
condemnari ad satisfaciendum oneribus,
quæ à Fundatore ipsi injuncta sunt; quod
satis æquum, ac rationabile est, nisi hujus-
modi privationis pœna adjecta sit in limine
fundationis, *ita Sac. Congregatio Concilii
in Imolen. residentiæ 17. Novembris* 1691.
21 Similiter cappellania dicitur residentialis,
si testator mandaverit, ut cappellanus do-
mum ejus inhabitet, ac coadjuvet parochum
loci in cura animarum, *Sac. Congregatio Con-
cilii in Aquilana Cappellaniæ die 18. Ju-
22 lii* 1733. Item dicitur talis, si cappellanus
habeat onus celebrandi Missas in Cappella
23 à testatore fundata, præsertim si fructus
cappellaniæ dividi soleant inter cappellanos,
ad instar quotidianarum distributionum, &
adjecta sit privationis pœna in casu inobser-
vantiæ *Rot. decis.140. num.3. 5. par.4. recen.
tom.1.*, & ratio est, quia hæc per absentem
expleri non possunt, ideoque si cappellanus
legitime monitus, ut redeat ad ecclesiam,
non paruerit, cappellania privari potest,
cap. ex parte, *cap. finali de cleric. non re-
24 siden.* Item cappellania cum onere inhabi-
tandi domum testatoris ut supra, repugnat
cum alio beneficio residentiali, præsertim si
sit in diversa Diœcesi; quo casu cappellania
vacat ipso jure ob incompatibilitatem, ex
resolutione Sacræ Congregationis Concilii
*in Aquilana cappellaniæ, de qua supra, Rot.
25. d. decis.140. par.4. rec. tom.1.*, ubi cap-
pellania ecclesiastica cum onere celebrandi
Missas in eadem Cappella, & pœna adje-
ctione vacat ob assecutionem canonicatus
alibi existentis.
26. Denique cappellania ecclesiastica vacat de
facto, si nullus ex pluribus nominatis sit in
possessione *Rot. decis.504. num.3. coram Mer-
lin.*, sed juxta casum *dictæ decisionis* vacat
pro fabrica ecclesiæ, cui ex speciali consti-
tutione reservati fuerunt fructus beneficio-
rum vacantium.
27 His additur cappellania manualis, quæ
dicitur talis, quia potest, cessante dolo, &
malitia, ad nutum patroni revocari, nec
amotio expressionem causæ exigit, quod
enim pendet à libera voluntate ad tramites
juris regulari non potest, idcirco hujusmodi
cappellania toties vacat, quoties Patronus
alium

alium cappellanum nominat, & eligit, quoniam administratio laicalis est, non beneficium ecclesiasticum *Gonzal. ad regul 8. Cancell. Gloss. 5. num. 20 cum plurib. seqq. & fere per tot. Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 5. num 59. Senogallien. Cappellaniae 1. Julii 1686. §. potissimum coram Hervaunlt*, nam cappellanus nullum jus obtinet in cappellania manuali, ad instar Vicariae temporalis, quae nullum tribuit jus in re *Gloss. in cap. constitutus versic. perpetuus de fil. Praesbyteror. Gloss. in Clementin. unic. versic perpetuis de offic. Vicar. Pampilonen. Vicariae 28. Martii 1659. cor. Albergato impressa post Murgam. ad Constitut. Apostol. decis. 9. num. 3.*

28 Additur insuper, quod Cappellania, quae suapte natura est amovibilis, non potest fieri perpetua ex facto nominantia in praejudicium successorum, quoniam nominatio facta pro eo tempore, quo quis Patronus non est, de jure communi non tenet, *ita habetur in Romana Officii 26. Martii 1695. §. neque coram Caprar.*, licet in praejudicium ipsius nominantis de jure sustineatur, dum Pa-
29 tronus nominando cappellanum perpetuum, quem amovibilem poterat eligere, amovibilitatis legibus renunciare censetur, quod fieri potest *ex l. si Judex 41. ff. de minor. l. si quis C. de Episcop., & cleric. l. si quis in conscribendo C. de pact. Lap. allegat. 9. num. 6. Rot. decis. 339. num 8 cum seqq. par. 9. rec. tom 2.*

30 E' converso Patronus habens facultatem nominandi cappellanum perpetuum, vel amovibilem, si aliquem nominet in cappellanum perpetuum, talis nominatio intelligitur perpetua, & ratio est, quia cappellania perpetua non vacat, nisi per cessum, aut decessum *cap. susceptum de rescript. in 6.*
31 *Rot. decis. 422. num. 1. cor. Molin.*, quod verum est, etiamsi Patronus nominans reservaverit sibi facultatem removendi cappellanum, quoniam, ut cappellania iterum vacet, saltem de facto, requiritur, quod Patronus hac facultate utatur, alioquin nominatio semper remanet perpetua, *ut in proximis terminis Rot. decis. 955. num. 6. cor.*
32 *Coccin.*, & ratio est, quia actus semper dicitur purus, licet per conditionem possit resolvi *dicta decis. 422. num. 6. cor. Molin. tom. 2.*

33 Additur demum, quod viget in ecclesia usus annalis cappellaniae, quae vere beneficium ecclesiasticum est, licet cappellanus ad annum eligatur; At post annum non vacat, quia electio facta non est ad limitatum tempus, quo elapso regulariter vacare censetur, sed facta est ad annum sub implicita conditione, donec scilicet per capitulum alterius cappellani electio fiat, qua non facta, cappellanus continuat sub obligatione explendi onera sibi injuncta juxta dispositionem juris, & praxim ecclesiae.

34 Ex his itaque infertur, quod cappellanus annalis potest privari à capitulo per electionem alterius, sed per decretum fieri non potest, etiamsi causa, quae irrogat infamiam, concurrat; Et ratio disparitatis est, quia capitulum per electionem utitur jure suo, sed per decretum aggravat famam alterius. Porro Cappellanus post annum privatus ex decreto capituli reintegrandus est ad primaevum jus, & possessionem, ut interim possit suam famam purgare *Rot. decis. 320. num. 4. & per tot. coram Pamphil.*, quod nota, & tene menti, quia est casus singularis.

35 Infertur quoque, quod cappellania annalis, quae vacat per obitum, & renunciationem, post annum nequit impetrari, quia non cadit super regula mensis, & consequenter jus eligendi novum cappellanum spectat ad capitulum, quamvis alias per resignationem
36 Papa providerit, & ratio clara est, quia provisiones Apostolicae, non refragante in contrarium Papae voluntate, naturam annalis cappellaniae non mutant *in puncto Lap. alleg. 9. per tot.* & generaliter *apud Rot. decis. 2210. decis. 2219. per. tot. cor. Coccin. & alibi saepe.*

Redeundo iterum ad cappellanias perpe-
37 tuas, notandum est primo, quod cappellania, prout beneficium est, repugnat in eadem ecclesia cum retentione alterius, quia sunt beneficia conformia, unde assecutio unius cappellaniae inducit eo ipso vacationem alterius *cap. de multa, ibique Henricus Bojoch. num. 6. versic. item non credo verum de*
38 *praeben. Mantic. decis. 50. num. 8.*, licet non per assecutionem, sed per optionem cappellaniam vacare sentiant *Joannes Andreas in cap. 1. Gloss. penult de consuetud. in 6. Abb. in cap. referente num 3. de praeben.*, quorum
39 tamen opinionem verius puto intelligendam esse de cappellaniis annalibus, in quibus non est talis repugnantia, qualis est in cappellaniis perpetuis, quae auctoritate Episcopi erectae verè, & propriè sunt beneficia ecclesiastica. Haec autem procedunt,
40 nisi aliud in fundatione cautum sit, tunc enim sicuti per assecutionem cappellaniae non vacat praebenda, nec officium magistri, ita multo minus vacat cappellania per assecutionem alterius *juxta sententiam Frideric. de sen. consil. 120 per tot.*

41 Notandum secundo, quod in hisce cappellaniis, quae clericis in Romana Curia conferuntur, non est necesse exprimere qualitatem sacerdotii, onus missarum, obligationem residentiae; Sane qualitas sacerdotii, potest consulto omitti, quoniam de jure satis est, quod cappellanus capax sit actu, vel habitu pro suscipiendis sacris ordinibus *cap. si pro clericis cap. ei cui de praeben. in 6.*

42 Temperatur conclusio, si qualitas sacerdotii requiratur de tempore praesentationis, seu collationis, & obtinens beneficium ea destitutus esset, tunc enim necessario est exprimenda qualitas requisita, & defectus illius, ad hoc ut praevia dispensatione possit illud valide obtineri, non obstante tali defectu, alias tanquam subreptitiè obtentum bene-

beneficium potest impetrari, seu privari, *plenè Rot.decis.*464. *num.*5. *decis.*550. *num.*7. *decis.*607.*num.*13.*par.*18. *decis.*215.*num.*8.*decis.*400.*part.*19.*rec.*

43 Multo minus exprimenda sunt onera missarum, quoniam cappellania, prout beneficium est, conferri solet propter officium, de quo Papa in collatione potuit cogitare *cap. cum secundum de præben.cap.final.de rescrip. in* 6., *Rot. decis.*86. *num.*3. *in fin. part.*2. *recen.*

44 Demum absque mentione residentiæ valet provisio apostolica, quia qualitas residentialis, quæ de jure inest, veluti omnibus nota non est exprimenda *Rot.decis.*65.*num.*2. *in fin.par.*3. *rec.*

45 Interim illud non prætereundum adjicitur, quod cappellani etiam dicuntur, qui habent officium ecclesiasticum, licet commune sit etiam laicis, ut in Basilica S. Petri de Urbe, in qua dantur officia cantus musicis non uti laicis, sed uti clericis, & Cappellanis Pa-
46 pæ. Præterea hujusmodi officia vacant per matrimonium, quod est incompatibile cum qualitate clerici, & cappellani *cap.*1. *cap. quod à te de cleric. conjugat*, quod speciale est in his cappellanis ex Constitutionibus Apostolicis, quibus cavetur, ut musici tanquam cappellani Papæ cælibatum servare teneantur sub pæna privationis officiorum juxta praxim.

47 At alibi officia musicorum tanquam laicalia per matrimonium non vacant, nisi ca-
48 veatur, vacant tamen per privationem ex causa delicti *cap. ex literis cap. gravem de excess. Prælator. Cevall. commun. opin. quæst.*425. *num.*18., seu per amotionem etiam sine causa, prout in nonnullis ecclesiis viget, ut hujusmodi officia musicorum amovibilia sint ad nutum *ex plene deductis in Mayoricen. juris amovendi musicos* 14. *Januarii* 1729. *cor. Millin.*

49 Denique de titulis ecclesiasticis, quibus satis abundat Romana Curia, hæc adjicienda sunt, quod nempe titulus aliquando sumitur pro dignitate *auth. de ecclesiast. tit. in rubr. l.*1. *& tot. tit. C. de can. largitionalium titulor. lib.*10., aliquando pro ecclesia *Gloss. in cap. final. versic. titulos de offic. Archipræsbyter.*, interdum pro solo nomine sine re, seu dignitate *Gloss. in l fin. versic. tantum titulum C. de custodia reor.*

50 Siquidem titulus ecclesiasticus, prout est dignitas, seu ecclesia, per matrimonium vacat, & per privationem *ex juribus mox re-*
51 *latis*; Item titulus Prothonotariatus honoris, qui consistit in solo nomine etiam per matrimonium vacat, quia datur in Curia actu clericis, vel intuitu clericatus *cap.*1. *&* 2. *de cleric. conjugat*, nisi aliter se habeat usus, seu consuetudo *Rot. decis.*1790. *n.*41.
52 *cor. Coccin.*, ubi quod Prothonotariatus honoris exemplo aliorum per matrimonium non vacat, & ita dic de aliis titulis ecclesiasticis mere honorificis, quibus Palatini, alique Clerici vel in Curia, vel extra singulari privilegio à Papa condecorantur, quoniam de jure vacant ob matrimonium, nisi aliud obstet, ut supra, sed per privationem ex
53 causa criminis infamiam irrogantis semper vacant *cap. ex literis cap. gravem de excess. Prælator. Gloss. in Clementin. cupientes versic. suspensi in fin. de pæn. Gloss. marginal. in l. semel. in fin. C. de re militar. lib.*12., ibi = *Infamis factus dignitates perdit.* =, quod & alibi juridicis rationibus in aliis casibus contra beneficiatos, qui ob crimina infamiam incurrunt, sæpe repetitum est, *ut in cap.*1. *de vacat. ob privat.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 PAtronus ex lege fundationis potest super cappellania laicali pensionem reservare, ubi declaratur.
2 Pensio laicalis non vacat per matrimonium, nec per professionem religiosam.
3 Pensio laicalis non extinguitur ob crimen, sed transit in fiscum ecclesiasticum, seu laicum, ubi locum habet bonorum confiscatio.
4 Limita, si pensio laicalis intuitu Ordinis clericalis reservata sit, ubi quod per matrimonium, & professionem extinguitur.
5 Limita, si in reservatione cautum sit, ut ob delictum vacet, & extinguatur, ubi de ratione. 6.
7 Pensio reservata clerico super cappellania ecclesiastica per matrimonium, & privationem extinguitur.
8 Pensio reservata ex lege fundationis patrono pro tempore ob matrimonium non extinguitur, secus ob privationem ex causa gravis criminis. 9.

1 COmmuniter receptum est patronum ecclesiæ, si ita in fundatione cautum sit, posse super cappellania laicali reservare annuam pensionem sibi, vel alii solvendam *cap. præterea* 2.*de jurepatr. cap. quanto utrobique Gloss.& interpret. de cens.*, dummodo tamen stipendio, quod cappellano debetur, nullum irrogetur præjudicium *juxta decretum Urbani VIII.relatum per Piton. controv. patronor. cap.*67. *lib.*2.

2 Hujusmodi autem pensio tanquam laicalis non vacat per matrimonium *Rot.decis.*1079. *part.*3.*diversor.*, non vacat per professionem emissam in religione capaci bonorum in communi, dum similis est usufructui, qui per professionem religiosam non extinguitur *Bart.in auth.ingressi num.*42., *ibique Castren.*
3 *num.*26. *C. de sacrosan. eccles.* Non vacat demum ob delictum, in quo locum non habet confiscatio bonorum, aliter transit in fiscum ecclesiasticum, seu laicum, prout ususfructus rei fideicommissariæ *Gambar. de offic. legat. lib.*6. *quæst.*7. *num.*723.

4 Limitatur primo, si talis pensio intuitu ordinis clericalis à patrono reservata sit, tunc per matrimonium extinguitur, quia per ma-

Aa2 tri-

trimonium cessat clericatus exercitium *Rot. decis.*249. *num.*2. *lib.*2. *cor. Put.*, item vacat per solemnem professionem; quoniam clericus effectus religiosus desinit esse talis, & clericatum, cuius contemplatione reservata est pensio, exercere amplius non potest *cap. beneficium ubi Gloss. de regular. in* 6. *l. generaliter C. de Episcop. & cleric. can. generaliter* 16. *quæst.*1. *Archidiac. in cap.*1. *versic. sed numquid de bigam. in* 6.

5 Limitatur secundo, si in casu delicti adjecta sit pœna privationis ipso jure, voluntas enim patroni habentis potestatem reservandi
6 pensionem, tanquam altera lex servari debet *text. sunt expressi in cap. præterea* 2. *de jurepatronat. cap quanto de cens.*, & generaliter habetur in *l. in his l. in conditionibus ff. de condit.*, *& demonstrat. auth. disponat de nuptiis*.

7 Limitatur tertio, si pensio ex lege fundationis reservata sit super cappellania ecclesiastica, tunc enim sicuti cappellania est quid spirituale, ita etiam pensio dicitur quid spirituali annexum, cuius incapax est laicus, & conjugatus *cap.*1. *&* 2. *de cleric. conjugat. Gloss. in cap. unic. versic. & hoc est verum eod. tit. in* 6. *cum relatis in cap.*3. *de vacat. ob matrim. in addit. lib.*1., item talis pensio perimitur ex causa criminis, pro quo locum habet privatio, ut in delicto qualificato cum similibus.

8 Quid ergo, si super cappellania ecclesiastica à fundatore reservata sit pensio favore patroni pro tempore? Respondeo hujusmodi pensionem censeri reservatam per modum oneris fixi, stabilis, & perpetui, seu per quandam speciem census, & tributi, quod debetur patrono *Gloss. in cap. præterea* 2. *versic. institutos de jurepatron. Gloss. in cap. quanto versic. voluntate de cens.*, deinde præsumitur reservata in quocumque statu patronus reperiatur, imo talis pensio non est clericalis, sed potius laicalis, nisi aliud ex mente fundatoris appareat; unde nullo modo per matrimonium extinguitur *Gloss. in cap. Joannes in fin. de cleric. conjugat. d. cap.*3.
9 *de vacat. ob matrim. in addit. lib.*1., sed ob grave delictum, præsertim contra ecclesiam à patrono commissum, dubium non est, quin talis pensio cesset; quoniam sicuti patronus ingratus perdit juspatronatus, ita & pensionem, cum sit ejus sequela *juxta casus relatos in cap.*37. *in addit. num.*8. *de vacat. ob homicid. perpetrat. à patron. contra pactorem eccles. patronal.*, *& in cap.*33. *in addit. num.*1. 2. *cum seqq. de privation. jur. patron. & vacat. beneficior. ob indebitam honor. & jur. ecclesiæ usurpationem lib.*1.

ARGUMENTUM.

DE vacatione, seu privatione Officiorum Romanæ Curiæ, videlicet Auditoratus Rotæ, Clericatus Cameræ, & his similium, nec non Pensionum *ad ornatum Constit.*6. *Innoc. VIII. Constitut.*150. *Urbani VIII. Constit.* 50. *Innoc. X. Constitut.*24. *Innocen. XII.*, *& Sacr. Rotæ in decis.*1111. *cor. Coccin.*

SUMMARIUM.

1 IN Curia Romana omnia vacant.
2 Officia vacabilia vacant per obitum, & resignationem. ob crimen hæresis, falsificationis literarum Apostolicarum, ob depositionem, & privationem.
3 Argumentum de beneficiis ad officia vacabilia valet, & tenet.
4 Mors civilis æquiparatur in hac re morti naturali.
5 Officia vacabilia non vacant per matrimonium, militiam, & professionem religiosam.
6 Officia Romanæ Curiæ non comprehenduntur sub *regula de infirmis contra Garz. Salgad.*; ubi de ratione 7.
8 Beneficia ecclesiastica canonica institutione sunt conferenda.
9 Officia vacant morte, non renunciatione ob decessum resignantis intra quadraginta dies, si ita se habeat loci consuetudo.
10 Infirmus officia Romanæ Curiæ resignare non potest.
11 Officiales Datariæ expedientes transumpta literarum, seu supplicationum apostolicarum pro prima vice privantur fructibus, deinde si iterum delinquerint, ipso jure spoliantur officiis.
12 Pro parvo delicto in officio commisso quandoque magna pœna imponitur.
13 Geminatio criminis, pœnam multiplicat.
14 Qui falso negat adesse in officio societates, privationem officii statim incurrit, ubi ratio assignatur.
15 Officia Romanæ Curiæ vacant per privationem, si ita in literis patentibus cautum sit.
16 Sententia contumacialis probat privationem officii.
17 Auditoratus Rotæ, Clericatus Cameræ & Officia administrationis vacant per matrimonium, & professionem religiosam.
18 Cannonicatus, & beneficia residentialia olim erant compatibilia cum Auditoratu Rotæ, hodie vacant ob electionem ad Auditoratum *ex Constitut. Clementis XII*; ubi de ratione.
19 Auditoratus Rotæ vacat ob promotionem ad Episcopatum.
20 Ob promotionem ad Episcopatum vacant officium à secretis, Clericatus Cameræ, Thesaurariatus, & officia administrationis.
21 Per promotionem ad Cardinalatum vacant Auditoratus Rotæ, & Clericatus Cameræ.
22 Limita in officiis, quæ sunt in publico commercio, & & assignatur ratio ibidem.

CAPUT XXX.


Fficia vacabilia Romanæ Curiæ in pluribus æquiparantur beneficiis ecclesiasticis, & in pluribus differunt; Unde rationi admodum consentaneum est de hisce officiis, & potissimum de iis, quæ habent administrationem in hoc ecclesiæ Principatu,
1 nonnulla differere, ut tractatus perficiatur in Curia, in qua omnia vacant.

Et quidem primo hæc officia æquiparantur
2 beneficiis, quia vacant per obitum, vacant per resignationem per Papam admissam *Castracan. de societat. officior. cap.2. num.2.*, *Rot. decis.206. num.2.3.4.*, *& 11.par.11.rec.*, secundo vacant, prout beneficia, ob crimen hæresis, & falsificationis literarum apostolicarum, tertio demum ob privationem, & depositionem ex causa delicti capitalis, pro quo à Fisco, vel de jure, vel ex legibus municipalibus bona, & jura omnia solent
3 confiscari; & ratio est, quia valet argumentum de beneficiis ad officia *Castracan. de societat. officior. cap.40. num.40. Novar. de-*
4 *cis.70. num.2.*, deinde in hac re mors civilis parit omnes effectus mortis naturalis *Gloss. in cap. si propter tua debita versic. vacabit de rescript. in 6. Gloss. in cap. si Episcopus versic. mortem de supplenda negligentia Prælator. in 6.*

5 Differunt tamen à beneficiis ecclesiasticis, quia non vacant per matrimonium, & militiam, multo minus per professionem religiosam; quamvis enim religionem professus habeatur pro mortuo, nihilominus hæc dicitur mors civilis, quæ non facit monachum haberi pro vere mortuo, nisi in casibus à jure expressis *juxta Gloss. in can. placuit 2. versic. mortuus 16. quæst.1. Rot. decis.543. par.2 rec.*, *quæ in hac materia magistralis reputatur*.

6 Differunt insuper, quia hujusmodi officia sunt in publico commercio, & acquiruntur titulo oneroso, immo sunt communia clericis, & laicis, prout quotidie videmus, prævio tamen Papæ assensu, de uno in alium transferri, cedi, & transmutari *Rot. dicta decis.543. num.3. part.2. recen.*, *decis.865. per tot. cor. Coccin. decis.395. num.10. par.12. recen.*, ideoque non comprehenduntur *sub regula de infirmis resignantibus*, quidquid in contrarium sentiant *Garz. Salgad. Labyrint. creditor. par.1. cap.35. num.25.*, quorum
7 opinio communiter reprobatur, quia non sufficit ratio extensionis, nisi etiam concurrat littera legis, & mens legislatoris pro comprehendendis hujusmodi officiis sub hac regula *Gratian. discept. forens. cap.167.*
8 *num.12. lib.1.*; E' contra autem beneficia ecclesiastica sunt extra commercium, & ad evitandum vitiosum ingressum canonica institutione sunt conferenda *cap. unico de eo, qui mittitur in possess. causa rei servandæ in 6. cap.1. de regul. jur. in 6. cap. ex frequentibus de institut. l. Herennius ibique Gloss. ff. de decurion.* En tibi disparitas inter beneficia ecclesiastica, & officia Romanæ Curiæ.

Limitatur conclusio, si aliud habeatur de consuetudine, ut scilicet resignans officium per quadraginta dies supervivere debeat, prout talis consuetudo viget in Regno Galliarum, quo casu si resignans ante lapsum quadraginta dierum decedat, non obstante, quod gratia signata sit à Rege, officium va-
9 cat morte, non renunciatione, quoniam conditio, sub qua officium fuit resignatum, morte præveniente, purificari non potuit *Rebuff. de infirm. resignantib. Gloss.5. Gratian. discept. forens. cap 167. num.13. lib.1. Marcus decis.295. num.3.*, & in hoc non differunt officia vacabilia à beneficiis ecclesiasticis, utrobique enim superviventia viginti, vel quadraginta dierum, & quidem completæ requiritur, ut officium renunciatione vacare dicatur; Idque usu introductum est, ut obviaretur fraudibus, quæ in officiorum resignationibus sæpissime à gallis committebantur, prout *ex regula de infirmis* cautum est ad eas evitandas, quæ non raro fiebant à clericis in resignationibus beneficiorum *ex plene deductis in cap.46. de vacat. si resignans, aut compermutans intra viginti dies obierit lib.1.*

Hodie tamen in supplicationibus, quæ dantur pro resignandis officiis vacabilibus Romanæ Curiæ, de stylo inseri solet clausula *dummodo infirmus non sit*; & ratio clara est,
10 quia infirmus nequit officium resignare propter præjudicium, quod infertur Papæ, cui hujusmodi officia per obitum vacant *Rebuff. de infirm. resignan. Gloss.5. Castracan. de societat. officior. cap.40 num.43.*

11 Deinde vacant hæc officia ob delictum in officio perpetratum *ex Constit.50. Innoc. X.*, ubi Officiales Datariæ expedientes transumpta literarum, seu supplicationum apostolicarum privantur pro prima vice fructibus officiorum, & si iterum deliquerint, omnibus officiis vacabilibus ipso jure spoliantur. Sa-
12 ne hæc pæna non est exorbitans, quia contra eum, qui in officio etiam levi culpa deliquit, pæna quandoque graviori animadvertitur *Gloss. in l.1. versic. levia infin. C. de Primicer. lib.12.*, *ibi = & nota*, *quod pro parvo delicto magna pæna imponitur =*, multo magis in hoc casu, in quo Officialis Datariæ pro prima vice veluti extra ordinem punitur, deinde, iterato delicto, pæna ordinaria plectitur, quod est juri communi conforme, in quo habetur, quod pro iterato crimine pæna augetur *Gloss. marginal. in l.2. C. de*
13 *Primicer. lib.12. ibi = geminatio criminis pœnam multiplicat =*

14 Item quoque, qui falso negat adesse societates super officio vacabili, privationem officii statim incurrit *ex Constit.12. Pii IV.*, gravis enim est falsitas in omnibus contractibus, gravissima in societate rerum indifferentium, summa in officio vacabili, quod est de regalibus Papæ, dum ita delinquens non tam ementem decipit, quam Papam, qui vendit, & assensum præstat, mendacem facere videtur.

15 Ulterius hujusmodi officia vacant per privationem, si in literis patentibus ita cautum sit, sive privatio sequatur per definitivam, seu per contumacialem sententiam. Sane de definitiva non est dubium, quoniam sententia definitiva, & delictum, & privationem vere probat *Gloss.in cap gravem versic. abscindatis de excessib. Prælator.*, *l. final.*, *ibique Gloss.ff.de pæn. Innocen. in cap. ex li-*
16 *teris num.2. de Constitut.* Sed etiam sufficit sententia contumacialis, quæ licet non probet delictum, probat tamen officii privationem *in puncto Rot. decis.1111. coram Coccin.*

Similiter in Curia dantur alia officia vacabilia, ut sunt Auditoratus Rotæ, Clericatus Cameræ, & alia Officia administrationem habentia; hæc dicuntur de majoribus Status ecclesiastici, & dari non solent,
17 nisi actu clericis; idcirco vacant ipso jure per matrimonium, & assumptionem status laicalis tum de jure. *cap.1. cap. quod à te de cleric. conjugat.*, tum etiam ex Constitutionibus Apostolicis, & docet praxis; vacant etiam per professionem religiosam *cap. beneficium de regular.in 6.*

18 Et quamvis olim canonicatus, & beneficia residentialia benè compaterentur cum Rotæ Auditoratu, prout olim quis erat Auditor, & Canonicus S.Petri insimul, quod in præmium laboris singulari privilegio introductum fuit, & videtur conforme dispositioni legum civilium pro ministris supremi Principis *ad text. in l.jubemus C. de proxim. sacror. scrin. lib.12. ibi = quod autem omnibus constat deferri adjectu alterius dignitatis perire non patimur=l.major.C.de dignitat. l.fin., ibique Gloss.C. de præposit. agen.in reb. utrobique lib.12.*, & constat ex Constitutionibus Apostolicis. Hodie tamen ex speciali Constitutione *Clementis XII.* vacant beneficia, canonicatus ob electionem ad Rotæ Auditoratum; quod de novo à d.Pontifice cautum fuit, ut ita singula singulis officia commutantur *cap.de multa de præben. cap. cum singula de præben. in 6.l. Libertus §.præscriptio ff. ad municip. l. final.C. de assessorib. l. in sacris, ibique Gloss. vers. meruit in fin.C.de proxim. sacror. scrin. l.his quidem §.in posterum, ibique Gloss. marginal. in princip. & fin.C. qui militare possint utrobique lib.12.*

19 Hæc à fortiori militant in promoto ad Episcopatum, quoniam insimul stare non possunt, quod quis sit Auditor Rotæ, & Episcopus, dependens, & superintendens; sane Auditor Rotæ in Constitutionibus Apostolicis Cappellanus Papæ denominatur, sed hoc repugnat Episcopo, qui ad culmen omnium dignitatum evectus est, ergo Auditoratus Rotæ statim vacat ob promotionem ad Episcopatum, *ita expressè habetur in Constitut.6. Innocentii VIII.*

20 Pari ratione vacant officium à secretis Sacræ Congregationis Concilii, Episcoporum, & Regularium, Clericatus Cameræ, Thesaurariatus, & alia Officia administrationis ob promotionem ad Episcopatum cum onere residendi, repugnat enim, quod quis sit supremus judex, & minister, seu judex subalternus, prout sunt omnes, qui officio à secretis, seu judicis in Romana Curia perfunguntur *cap. cum in cunctis §. cum vero de elect.*

21 Sicuti hujusmodi officia vacant per promotionem ad Cardinalatum *ex Constit.150. Urbani VIII.*, repugnat enim Cardinalatus cum Auditoratu Rotæ, Clericatu Cameræ, Officio à secretis Congregationis Concilii Tridentini, & Episcoporum, & Regularium cum similibus, Cardinalis enim uti consiliarius Papæ in universali ecclesia gaudet omnibus privilegiis, quæ supremo Principi de jure competunt *cap. fælicis de pæn. in 6. l. quisquis C.ad leg.jul. majest.*

22 Cætera vero officia vacabilia, quæ sunt in publico commercio, & quorum capaces sunt clerici, & laici, cives, & forenses ob promotionem ad Cardinalatum non vacant, non enim obviat, quod quis sit Senator Reipublicæ, Consiliarius supremi Principis, immo quod quis sit Episcopus, vel Papa, & habeat reditus ex officiis, quæ in commercio sunt ex legibus Principatus, *ita habetur in Constit.24. Innocentii XII.*

ADDITIO.

SUMMARIUM.

1 PEnsio reservata cum clausula, ut ob delictum vacet, si delictum probetur, extinguitur, sed requiritur sententia definitiva.

2 Sententia contumacialis sufficit, si cautum sit in literis, ut pensio vacet ob privationem.

3 Pensio reservata cum hac clausula extinguitur ob privationem ex causa homicidii, perjurii judicialis, & his similium.

4 Sententia contumacialis post annum probat delictum, ubi quod post annum contumaciæ pensio vacat, & extinguitur.

5 Pensio clericalis est compatibilis cum officio Romanæ Curiæ.

6 Limita vi decreti, ubi quod adepto alio officio extinguitur.

7 Ampliatur, sive officium sit venale, vel non, ubi de ratione num.8.

9 Pensio laicalis potest reservari super officio Romanæ Curiæ.

10 Pen-

10 Pensio laicalis reservata super officio extinguitur vi decreti ob assecutionem alterius.
11 Amplia, sive officium sit perpetuum, vel temporarium, quod exemplificatur ibidem.
12 Pensio reservata alicui uti cappellano cessat cessante qualitate, quod exemplificatur num.13.
14 Ampliatur in omnibus clericis Romanæ Curiæ, quibus sub qualitate officii reservantur pensiones, & quare num.15.
16 Pensio reservata Cardinali, *donec provideatur*, cessat adepta provisione, ubi declaratur.
17 Tractatus non ingratus, ac consumatus, & quare.

1 PEnsio reservata clerico cum clausula, ut ob delictum vacet, si delictum probetur, absque dubio extinguitur; opus tamen est sententia, quæ clericum privet, seu privatum declaret, nec sufficit sententia contumacialis, sed requiritur definitiva *cap. ex literis cap. gravem de excess. Prælator.*, & ratio clara est, quia sententia definitiva probat delictum, non item sententia contumacialis, quæ lata præsumitur in pænam contumaciæ dumtaxat *Bart. in l. Papinianus §.meminisse ff. de inoffic. testam. Tondut. quæst. benef. cap.37. num.16. Rot. decis.117. num 6. part.3. recen. decis.148. num.7. cor. Manzaned.*

2 E' converso autem in pensione reservata cum clausula, ut per privationem ex causa criminis vacet, sufficit sententia contumacialis, quæ privationem probat *Rot. decis.1111. coram Coccin.*, quæ licet loquatur de officio vacabili, habet etiam locum in pensione ob eamdem rationis identitatem.

3 Unde ex hoc infero pensionem hoc modo reservatam ob privationem ex causa homicidii voluntarii, perjurii judicialis, falsificationis instrumentorum vacare, & extingui, licet clericus pro his delictis pensione simpliciter reservata non possit de jure privari *ex plenè deductis in addit. ad cap.1.* & ratio est, quia si clericus ex his criminibus pensione privari non posset, vis clausulæ jam dictæ otiosa, & sine effectu remaneret contra *text. in l. si quando ff. de legat.1. Rot. d. decis 1111. coram Coccin.*

4 Verum sententia contumacialis post annum probat delictum, cum contumax habeatur pro confesso *Rot. decis.313. num.8. 9. part.18. recen.*, ideoque post annum contumaciæ non tam ob vim dictæ clausulæ, quam ob crimen, pensionem reservatam, ut supra, vacare, & extingui receptum est *ex l.1. & final. ff. de reis requiren. cum relat. in addit. ad cap.69. lib.1.* frustra hic repetendis.

5 Infero insuper, quod licet pensio clericalis sit compatibilis cum officio Romanæ Curiæ, prout de jure non repugnat cum beneficio ecclesiastico, nec eo adepto extinguitur *ex dictis in cap.6. de vacat. ob incompatibilitatem*
6 *in addit. lib.1.*, nihilominus fit incompatibilis vi decreti, quod in ejus reservatione adiicitur *Rot. decis.390. num.1. cor. Manzaned.*, ubi quod pensio adepto beneficio vi decreti vacat, & extinguitur; sane mens Papæ ea est, ut Prælatus, seu Clericus ecclesiastica pensione fruatur ad certum tempus, donec scilicet officio aliquo in Romana Curia provideatur, quo obtento pensione clericali carere debet *d. decis.390. num.1. cor. Manzaned.*

7 Nilque refert, an officium obtentum in Romana Curia venale sit, vel non, aut sit de iis, quæ dantur tantum clericis, vel etiam
8 laicis, ac conjugatis; nam decretum Papæ generaliter loquitur, idcirco de quocumque officio in Romana Curia obtento intelligitur ut ita per ejus acceptationem, quæ fit à Clerico, seu Prælato in Curia, pensio perimatur *d. dec.390. num.1. cor. Manzaned.*

9 Ampliatur, tametsi pensio sit laicalis, prout sine dubio ea est, quæ reservatur super fructibus alterius officii, de quo alter in Curia providetur; nec id videatur mirum, nam sicuti pensiones reservantur clericis super beneficiis ecclesiasticis, ita etiam super officiis, quod & praxis docet; Unde si pensio
10 laicalis Prælato, seu Clerico in Curia existenti reservetur à Papa cum decreto ut supra, adepto officio extinguitur; quod pro majori rei intelligentia exemplificari potest in Advocato, qui pensionem super officio in Curia obtinuit à Papa sibi reservari cum clausula, *donec fuerit indè provisus*, nam statim ea privatur, si promoveatur ad clericatum Cameræ, Auditoratum Rotæ, vel ad aliud officium judicaturæ in Romana Curia *Rot. d. decis.390. num.1. cor. Manzaned.*, quæ licet loquatur de beneficio, habet etiam locum in officio ob eamdem rationis identitatem.

11 Neque hic distinguendum est, an officium Romanæ Curiæ obtentum, ut supra perpetuum sit, vel temporarium, prout est quoad secundam partem officium Datarii, Subdatarii, & Auditoris Papæ, nam uno ex his officiis per clericum obtento pensionem cum decreto ut supra reservatam extingui ambigendum non est ex prædictis.

12 Infero demum, quod pensio reservata clerico uti Cappellano Papæ statim cessat, &
extinguitur, si cessat qualitas Cappellani,
13 quod pariter exemplificari potest in Auditoribus Sacræ Rotæ, in musicis cappellæ, qui omnes Cappellani Papæ denominantur; unde per promotionem Auditoris, seu Musici ad aliud officium, cui deest qualitas cappellani, pensio reservata ut supra cessat, & expirat *cap. cum cessante de appellat. Tiraquell. tract. caus. cessan. num.50.*, ubi quod concessionis causa cessante cessat ipsamet concessio.

14 Ampliatur in omnibus clericis Romanæ Curiæ, quibus sub certa qualitate officii pensiones reservantur, nam sicuti sub hac
15 officii qualitate pensio durat, ita ea cessante pensio expirat *Rot decis.733. num.5. part.2. recen.*, ubi facultas transferendi pensiones restringitur ad reservatas durante officio, ita à pari.

16 His accedit, quod pensio clericalis, sive laicalis reservata Cardinali super redditibus Cameræ, Beneficiorum, aut Officiorum quo-

quorumcumque cum decreto, *donec provideatur*, cessat adepta provisione, dummodo tamen hæc sufficiat pro decenti Cardinalis, ejusque familiarium sustentatione *cap. si pauper clericus de præben. in* 6. *Clementina gratiæ utrobique Gloss.*, & *DD. omnes de rescript.*, quæ omnia notanda sunt pro praxi Romanæ Curiæ, quia frequenter occurrunt disputanda tum in judiciis, tum etiam extra.

17 Hæc sunt, quæ enucleanda censui in hoc Tractatu, qui propter varietatem beneficiorum vacantium legentibus non erit ingratus, hic igitur erit consumatus, si omnia, quæ ibidem dicta sunt, referantur, prout fit, ad honorem Dei, qui est principium, medium, & finis cujuscumque rei.

FINIS.



INDEX

CONCLUSIONUM, ET VERBORUM,

Quæ in hac prima, & secunda parte hujus Tractatus

De vacatione Beneficiorum, & Pensionum Ecclesiasticarum continentur.

Va-

Epis-

Cle-

Cle-

Bene-

Quid

Am-

Offi-

Laica-

CAPITULUM.

CAPTIVITAS.

CARDINALIS.

Car-

Poteft

Com-

Cu-

Diffe-

Cassa-

Valet

IMPUTATIO.

INCAPAX.

INDULTUM.

Diffe-

NEGO-

Onus

PA-

cii

Pen-

Aliud

Cessat

Regu-

F I N I S.